
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
3 C
13

HIERONYMI PLATI
EX SOCIETATE IESV,
DE BONO STATVS RELIGIOSI LIBRI TRES.

Recogniti ab auctore, & pluribus locis aucti.







LVGDVNI,
APVD
IOANNEM BAPTISTAM BVYSSON.
M. D. XCII.
CVM PRIVILEGIO.

[redacted]

LVdouicus Richeomus Prouincialis Colegiorum Societatis IESV, in Prouincia Iugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Christianissimo Galliarum Rege die 10. mensis Maij, anni 1583. concessum, (quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque illorum permissione imprimant) permittit Ioanni Baptistæ Buysson Lugdunensi Bibliopolæ, vt *Hieronymi Plati eiusdem Societatis* opus, cui titulus est *De bono status Religiosi*, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere posit. Datum Lugduni Die 30. Nouembris, 1591.

RICHEOMVS.

ADMODVM R. IN CHRISTO PATRI P.

CLAVDIO AQVAVIVAE

Societatis IESV Præposito Generali meritissimo, Ioannes Baptista Buysson Bibliopola Lugdunensis S.



VM propositum mihi esset, admodum R. Pater, post Gulielmi Rouillij optimi vxoris aui, qui cum, & necessitudinis, amorísq; vinculum, & commercij Societas intercedebat Librariam officinā nouo ineunte anno, nouo nomine, nouísq; insignibus aperire, nihil antiquius mihi fuit, quàm insignis etiam illam scriptoris alicuius nomiñe initiari, cuius spectata in primis pietas esset, quiq; non leuem legentibus vtilitatem afferret. Quare cum omnino fermè sermone accepissem Hieronymi Plati, viri Societatis vestræ præclari libros, De bono status religiosi tales esse, quales ego maximè optabam, eósque re ipsa vehementer ab omnibus flagitari comperirem, qui maiora præstantium vestri ordinis hominum volumina breui Deo propitio editurum me spero, quíque Bibliopolæ munus non ad priuatum commodum, sed ad publicam vtilitatem exercere statui, feliciter mihi successurum esse credidi si ab eo potissimum illud auspicarer libro, qui & cæteros siue nostra, siue Patrum memoria eius argumenti omnes facile superare & ingens tum omnibus, tum vero maximè perfectæ vitæ statum amplecti cupientibus emolumentum afferre posse iudicatur. Hoc verò dum meditor, & rei quam optimè possem perficiēdæ consilia conquiro, peropportunè audio R. P. Bernardinū Castorium Collegij nostri Lugdunēsis Rectorem, quem ego merito & meo, & cōmuni ciuitatis nomine obseruo, eius libri exēplar accepisse ab ipso auctore non antè multò quā vita fungeretur, emendatum. Quamobrem cum illum, qui multis hactenus sibi me

Societátiq; vestræ vniuersæ beneficijs obstrinxit, hāc ob causā adijs sem, nouo etiā, hoc me tandē pro sua humanitate munere cumulauit, vt illo vti exēplari in hac mea Plati editione liceret, ac licet ipse autor ob singularē animi modestiam, & summū rerū humanarū contemptū opus hoc nulli dicatum hactenus euulgarit, operæpretiū me facturū tamē omnino iudicaui, si cumprimū ex officina nostra suo quodāmodo parente iā morbatum prodiret, quasi posthumum Hieronymi Plati filiū tibi maxime cōmendarem, qui totius Societatis, in qua ille sanctissimè vixit, moderator, & caput sapientissimè omnia gubernas, quæ ab ea toto orbe summa omniū hominum vtilitate geruntur, & ad quem post scriptoris mortem hæreditario quodā iure ex asse contingit. Nō enim dubito permulta in hoc toto opere contineri, quæ Platus ipso à te vel familiarius de perfectæ vitæ cōmodis agente, vel alios tua cura commissos informante audita, atq; in suū opus translata diligenter postea suis quæq; locis digesta posuerit. Quæ licet nemine conscio absque vlla monitoris opera facile recognoscas, patere tamen illa tibi à me defuncti Plati nomine tacito repræsentari, eáque obsecro pro singulari tua benignitate nō æqua solū, sed etiā læta fronte sic recipe ac si rediuiuos tui amātissimi, atque obseruantissimi, tibique carissimi Plati vultus ac voces exprimerēt. Nec verò mouere te quoquo modo velim, me hominē tibi planè nouū, nec de nomine quidem adhuc notū te cogitationū curis adeo multis, adeóque serijs in societate Iesu amplissima tāta cū laude administranda præpeditū incomposita, tuóque adeò indigna cōspectu Epistola interpellare. Ita enim multis, ita magnis, me vestræ familiæ homines qui Lugduni sunt, officijs deuinxerūt, vt cū penè iure nexi addictus iādiu societati sim, nefas omnino duxerim illius id capiti non aliqua tandē ratione profiteri. Et quoniā quæcūque à me tibi, tuísq; præstari possunt obsequia, meritis lōge minora sūt, Deū perpetuò supplex obsecrabo, vt cuius à vobis causa gerūtur omnia, Societatē vestrā vniuersā sartā tectā custodiat, téq; illā prudētissimè ac religiosissime moderantē diutissime conseruet. Vale, Lugduni Calendis Ianuarij augustissimo Iesu nomini, quod vestræ societatis insigne auspicatissimum est, consecratis, M. D. XCII.

INDEX

INDEX

CAPITVM OPERIS.

CAPITA LIBRI PRIMI, in quo agitur de vtilitate.



CAPITA LIBRI SECVNDI, in quo agitur de Dignitate.

Capita

CAPITA LIBRI TERTII,

in quo agitur de iucunditate.

* 5 *Responsio*

F I N I S.

INDEX RERVM

Franciscus



DE BONO STATVS RELIGIOSI

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

HVMANA natura si, vt à Deo facta est, ita semper recta, atque integra perstitisset, non solum facilis, sed etiam iucundus fuisset ei cursus ad immortalitatem, & gloriam, propter quam erat facta, nullo alio adiumento, præter eiusdem Dei gratiam, quam quidem in ipsa origine hausisset, & suis deinde meritis vberrimè cumulasset. Nunc autem, cum hæc natura adeo fracta, deformata, ac debilitata sit, primum ex originali culpa, quæ in omnes homines pertransiit, deinde ex propriis cuiusque peccatis, cumq; insuper perpetua sit ei colluctatio & cum mundo, in quo versatur, & aduersus principes ac potestates tenebrarum harum, à quibus infensissimè oppugnatur, nihil iam ei difficilius, aut laboriosius esse potest, quàm ad illam beatitudinem aspirare, nihil procliuius, quàm ab ea excidere, & contra in sempiternum animæ, corporísque exitium ruere. Hanc igitur ob caussam ille hominum creator, & custos, cuius natura bonitas, cuius opus misericordia, vt ait S. Leo, *Ser. 2. Natiuit.* numquam cessauit, nec cessat nostram hanc imbecillitatem aptissimis quibusdam adiumentis fulcire, & omnibus diuina quædam quasi instrumenta proponere, quibus, si velint, securè, & quidem etiam facilè salutē suam operari possint. Hinc enim tot consilia, tot rationes, tamque varia, vt ita dicam, Domini, ac Saluatoris nostri inuēta, quæ in catholica Ecclesia videmus, ad hominem per se adeo lubricum, ac debilem, vel sustinendum ne cadat, vel si ceciderit, subleuandum, &

ad eum roborandum, & confirmandum in omni Christianæ legis perfectione. Ex hoc igitur genere, & certe præcipuus, & maximus in hoc toto genere, est religiosus status, cuius adeo sunt ingentes vtilitates, & bona spiritualia, vt sine vlla dubitatione in ijs omnibus, quæ dixi, cœlestibus cō[si]liis, ac veluti morborum nostrorum medicamētis, rectéque viuēdi regulis, nihil huic non modo præferendum, sed nec conferendum videatur. Non enim vnam rem, aut vnum tempus, vnamve tantummodo functionem, vt pleráque alia eiusmodi beneficia, sed vitā totam, & omnes vitæ partes cōplectitur, nósque ad omnia perfectæ virtutis munera informat, & ita informat, vt omnibus iis, quæ ante attigimus, impedimentis detractis omnia, [q]uæ optari possunt, præsidia cōferat, & plane efficiat, vt de illorum quasi inimicorum nostrorum manu liberati, se[r]uiamus ei, qui verus, & solus est nobis dominus, in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Primum enim id agit, vt omnes peccati illecebras, atque occasiones procul à nobis remoueat, & arceat, dum nos mundo, & mundana conuersatione eximit, & in placidissimo portu, vel potius in arce munitissima constituit, vt facile resistamus diabolo, ac de eo, cui nulla in terris potestas cōparari potest, gloriosissime triumphemus. Quo fundamēto posito, & quasi terra ijs spinis, quæ sementem suffocāt, purgata, illud deinde addit, vt bonum semen spiritualium virtutum iaciat; quarum etsi multæ cum reliquis etiam Christianis omnibus communes esse possunt, & esse deberent, pauci tamen, vt videmus, huic se studio applicant: religiosis vero ipsamet disciplina, quam profitentur, certius, abundantius, & firmius etiam virtutes has confert, quæ videlicet crebram, ac potius quotidianam earum materiam præbet, ac perpetua exercitatione paulatim bonos omnes habitus inserit, & in summa nihil aliud meditari, aut cupere, & curare docet, quam Dei timorem, & cultum, & maximam, quæ possit esse, cum illa sanctitate coniunctionem. Verum ad has virtutes quas communes dixi, accedunt insuper aliæ quædam ita propriæ, vt in ceteris viuendi institutis ne locum quidem habeant, vt est paupertas, nuditásque perfectissima, vt obedientia, & totius propriæ voluntatis abdicatio, vt denique contemptus quidam vniuersarum rerum quæ sunt in mundo, & quas mundus ostentat, quas sane religio ita despicit, ac conterit, vt etiam hanc animi constitutionem, qua nihil vel vtilius, vel generosius esse potest, in animo nostro efficiat, eamque in dies ma-

gis,

gis, ac magis confirmet. Porro præter hanc vtilitatem, quam qu . que anima per se, & proprio studio consequitur, existit etiam in hoc statu quiddam multo maius ex vinculo, ac nexu multarum inter se animarum, quo nexu omnis eiusmodi multitudo ita coalescit, vt quasi ex pluribus membris vnum corpus effici videatur. Nam qui separatim Deo seruiunt, quamuis diligenter, & impigre id faciant, non plus certe habent, quam sit in vnoquoque roboris, atque virium. At in religiosa societate ita vnius virtus cum alterius virtute commiscetur, vniúsque benefacta ita cum altero communicãtur, vt singuli non suis solum sed aliorum etiã diuitiis, & opibus augeantur, & omnino ex ea coniunctione, ac vinculo innumerabilia pene commoda in singulos redundent. Quemadmodum autem in rerum naturaliũ fabrica hoc Deo magnæ curæ fuisse videmus, vt vna cum vtilitate, atque vsu, pulchritudinem etiam, ac venustatem coniungeret, vt in homine, cuius membrorũ conformatio, ac dispositio non solum apta est ad omnem motum, & munus, sed etiam ad speciem, & decus quoddam, quod facile cognoscitur ex fœditate, quæ inuerso, ac distorto quopiam membro appareat: cum igitur hoc summa illa omnium artifex sapientia in hoc naturali ordine tanto inferiori tam diligẽter seruarit, multo magis credendum est in religiosis institutis, quorum ordo multo superior est, ita vtrumq; temperasse, vt præter vtilitatem, formã quoque haberent eximiam, quæ sine dubio ipsius Dei, Angelorúmque oculos mirabiliter delectaret. Euenit enim in hoc quoque simile quiddam, vt cum ex multis gemmis, atque vnionibus corona, aut opificium aliquod contexitur, in quo non solum sit pulchritudo illa, quã singulæ gemmæ afferunt, sed ea etiã augeatur, & multiplicetur ex ipsa copia, atque ex earum inter se ordine, ac dispositione. Quin etiam vt neruorum, vel vocũ cantus delectant illi quidem, etiamsi soli sint, sed tamen multo vberius, & suauius complet aures cõcentus ille qui plurium sonorum varietate temperatus sit, in quo acuta cum grauibus æquali inæqualitate sibi inuicem congruant, aptéque respondeant, sic virtus omnis etsi per se, ac quodammodo soliuaga non potest non approbari, & amari, in religione tamen propter multorum, in quibus eiusdem virtutis splendor elucet, aggregationem, multo eam magis enitere, & splendere necesse est. Iure igitur omniũ concessu, licebit nobis ad hunc statum, & ad hanc vitæ formulam accõmodare illud Reginæ Sabæ dictum, quæ cum Salomonis fama *3. Reg. 10.*

fama excita ad eum adiſſet, auditis deinde ſapientibus eius reſponſis, tum etiam perſpectis opibus, diuitiis, ædium magnificentia, menſarum ſplendore, ac præcipuè ſeruorum domiciliis, miniſtrantium ordinibus, eorúmque veſtimẽtis, denique holocauſtorum quoque copia, ita obſtupuiſſe legitur, vt exclamarit, Beati viri, & beati ſerui tui, qui hic ſtant corã te, & audiunt ſapientiam tuam. Quis enim verior Salomon, quam Saluator noſter, non ſolum pacificus, ſed etiam pacifi-
Col. 2. cans quæ in cœlis, & quæ in terris? Hic igitur Salomon, in
Theſ. 2. quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, idémque omnium rex, ac dominus, etiamſi alios quoque ſubditos habeat, ij tamen omnium maximè, & veriſſimè eius ſerui ſunt, qui ſcilicet in eius domo habitãt, eiuſque ori ſemper aſtant. Hi verò ſunt religioſi greges, qui hanc vnam ob cauſſam parentes, fratres, amicos, domos denique proprias reliquêre, vt in ipſius ſe domum, perpetuúmque famulatum conferent; & ij quidem in varios ipſi quoque ordines tum inſtitutis, tum
Prou. 15. etiam habitu, veſtibúſq; diſtincti. Hic ergo regiæ illæ epulæ, id eſt, ſolatia, & gaudia interna, & ipſa animi ſecuritas, quæ eſt iuge conuiuium. Hic holocauſtorum frequentia, quia quot religioſi, tot holocauſta, quin potius, quot eorũ opera, tot penè holocauſta, quoniam Deo offeruntur, & ad Dei obſequium diriguntur. Denique horum quoque munus, atq; vnicum negotium eſt, Salomonis ſui, id eſt, Domini Dei ſapientiam audire. Nihil enim aliud agunt, quam vt diuinę illi luci aſſiduè inhæreant, nunc orando, nunc meditando, nunc ſalutaribus libris animũ erudiendo, vel aliis pluribus modis, quibus ab illo bonorum fonte lumen, & robur, & gratiam, & omnia denique bona hauriunt. Beati igitur ij quoque, qui hic ſtant coram Deo ſuo, & multo certè beatiores, quam veteris illius Salomonis ſerui, cum tanto maiorem, tantóque meliorem dominum habeant, & ad benefaciendum promptiorem.

Ac meo quidem iudicio religionis vel vtilitas, vel excellentia quædam non tantum ex eo intelligi poteſt, quanta in gratia ſit apud Deum, ſed etiam quanto in odio ſit apud Dæmonem; de quo ſi verè cogitare voluerimus, inueniemus eam tot, tantiſque ab illo perenni humani generis inimico inſidiis ac machinamentis oppugnatam, vt facile conſtet, inter omnia dona, quæ è cœlo hominibus cõceſſa ſunt, nullum vmquam fuiſſe, ad quod perdẽdum adeò illius malitia exarſerit. Mitto nunc tentationes, & pugnas, quas ſingulis importune

tunc intentat, tantum loquor de generali bello, quod ille
aduersus vniuersum religiosum nomen acerbissime semper
gessit. Nam si initia repetamus, statim ac simul cum Chri-
stiana fide, monastica etiam disciplina propagari in mundo
cœpit, quod fuit aureo Constantini seculo, atque ex illis la-
tebris, ac solitudine erumpere, in qua per trecentos, eoque
amplius annos antea penè delituerat, hoc obseruare licuit,
quoscumq; Dæmō sceleris sui administros nactus est ad Ec-
clesiam perturbandam, eosdem etiam primum, ac præcipuè
in hanc quasi Ecclesiæ arcem armasse, atque incendisse. Atq;
hos quidem in duo genera distractos video. Alij enim poten-
tia, imperio, armis religiosæ vitæ cultores opprimere conati
sunt: alij, qui hoc non poterant, fallaciis maledictis, dolisque
fingendis, atque hæresum erroribus disseminandis. Primum
enim Iulianus, eo acerbior, ac nocentior hostis, quo magis
omnia nostra interiora norat, non ille quidem ferro, ac cæde
religiosos homines afflixit nam hoc quoque martyrij decus, *Orat. 1.*
vt ait Nazianzenus, Christianis inuidit: sed quicquid citra *in Iuli.*
sanguinem ad eos vexandos, insectandos, atque omnino de-
lendos excogitare potuit, in id omnes ingenij sui vires, quo
non mediocriter valuisse dicitur, semper contulit. Declarat *Ibidem.*
hoc eiusdem Nazianzeni oratio ad Apostatam illum, in qua
extrema, deprecatorem se pro vniuersis religiosorum gregi-
bus constituens, offerre se illi ait suppliciter Philosophorum
cœtum (sic enim eos appellat) qui nullo vinculo humi tenen-
tur, qui sola corpora, ac ne ea tota quidem possident, qui Cæ-
sari nihil, Deo omnia debēt, hymnos, preces, vigilias, lachry-
mas. Hos inquit, si mitius tractaris, & omnino Dei seruos, &
discipulos, & cœlestium rerum contemplatores, has gregis
Domini primitias, has columnas, has fidei coronas, has pre-
tiosas margaritas, hos templi illius lapides, cuius fundamen-
tum, & lapis angularis est Christus, præclarissime vtique &
ipsis, & tibi, & nobis consulueris. Similis penè fuit Valentis
furor, eius, qui in Basilium præsertim impius fuit. Hic enim
generali edicto Monachos omnes armis sumptis militare
iussit, idque grauissimis pœnis propositis: quæ quidē res Dei
famulos magnopere perturbauit, cum alij, qui recusarent,
acerbissime tractarentur, alij in castra vi abriperentur, cō-
plures etiam impedirentur, ne se se Dei seruitio dicarent, &
qui iam dicarant, ne spirituali otio frui possent. Atque vtri-
que quidem ea immanitas caro stetit, alter enim post annum
ferme imperij, ac dimidium, hasta de cœlo vibrata in pugna

occisus est. Alter cum non multo amplius imperasset, exercitu fœde cæso, in villam se se proximam recipiens, igne ab hostibus iniecto conflagrauit. Hos deinde imitatus est etiam Constantinus Copronymus, vir ferus, ac barbarus cum in reliquam Christi Ecclesiam tum præcipuè in sacras hasce familias, quas partim ignominiis, ac probris omnibus quam despectissimas reddere, partim cruciatibus insectari non destitit, nec illi quicquam deliberatius fuit, quam vniuersas, non disputando, & cauillando, aut legibus latis, vt isti, sed cæde, carcere, tormentis euertere. Itaque magna eos sanè afflixerat clade, iamque sibi triumphare Satanas videbatur, cum Dei prouidentia, quæ suæ causæ numquam deest, illo è medio sublato, Leonem primo filium haud paulo mitiorem, deinde Irenem quoque Imperatricem substituit, cuius præstans pietas tum in reliquæ Ecclesiæ, tum præsertim Monastici ordinis plagas sanandas incubuit, quem etiam istius patrocinio magnopere auctum, & propagatum accepimus. Atque eam etiam sequutus est Nicephorus Imperator religiosorum omnium studiosissimus, & amantissimus. Sed tamen ne ea traquillitas diuturnior esset, ecce paulo post excitata est à Dæmone Leonis Armeni rabies, quem in omnes monasticæ vitæ studiosos ferunt fuisse teterrimum, eosque exilio, vinculis, inedia, denique malis omnibus afflixisse. Et in eo quidem simillime diuina vltio breui apparuit, quippe qui à suis militibus in ara ipsa, ad quam confugerat, mactatus sit, vt quorum immanitatem imitatus fuerat, exitũ quoque perferret. Sed hæc vetera, & ex annalibus: illa recentia, ac pene in nostris oculis gesta. Nam in Anglia, cum Henricus VIII. ab Ecclesia desciscens, funestum sibi, ac suis pactum cum inferno iniit, primus eius impetus, tum in Carthusiensem, tum in alias Deo sacratas familias fuit, quas ille omni supplicij genere lacerauit. Quæ acerbitas non modo non mitigata, sed multo magis prouecta semper est ad hoc vsque tempus, quo crudelia edicta, crudeliora facta illinc ad nos quotidie perferuntur, cum toto illo regno religiosis omnibus, nominatim vero nostræ huic Societati carceres, equuleos, cruces intẽtari, quin etiam omnibus aliis, qui eos receptarint, aut re vlla iuuerint, eãdem capitalem pœnam constitutam audiamus. Neque vero hoc in illa modo insula, sed in Gallia, Germania, Belgio, quocumq; eadem hæresum flamma penetrauit, primum, ac præcipuè semper in religiosa capita sæuitum est. Nam nõ solum domus disturbatæ, cœnobia

prophanata,

prophanata, possessiones occupatæ, ac direptæ sed ipsa quoque Deo dicata corpora tam vario, ac multiplici, & inaudito suppliciorum genere excruciata sunt, vt certum sit, tantam feritatem non ab hominibus in homines extitere potuisse, nisi eos dæmon odij, ac furoris sui administros adhibuisset.

ATQVE hi quidem omnes gladiis, & potentia ad inermen, imbellemque gentem opprimendam vsi sunt. alij mitius in speciem, sed eo fortasse periculosius bellum intulerunt argumentis, disputationibus, libris scriptis, ne quid videlicet hostis noster intentatum, aut inexpertum relinqueret. Itaque multis hinc ante seculis, Hieronymi ætate, duos illos extitisse legimus & tempore, & improbitate æquales, Iouinianum Romæ, Vigilãtium in Gallia, quorum alter virginitati matrimonium, alter paupertati diuitias æquando, ambo quod in ipsis erat, religiosæ vitæ iugulum petebant. Huic vtrique simillimus, & sine dubio etiã perniciosior fuit aliquãdo post Vvicleffus hæreticus, qui cum in multa Ecclesiæ dogmata, tum præcipue in sacras religiones ita inuectus est, vt eas hominum inuentum esse diceret, & quidem inane, ac commentitium, quin etiam nihil habere melius, aut perfectius, quam ipsam communem religionem Christianam, quippe ab ipso Christo institutam: præterea aduersari honori parentum, quem diuina lex præcipit, quoniam liberorum obsequio priuentur. Sed huius quidem commenta egregie profligauit Vvaldensis luculẽtus auctor, qui illius caninam audaciam (sic enim appellat) ita repressit, vt non possit doctius, ac plenius: & illud inter alia, mirari se cum de calamo Manichæi argumentum ad religionem impugnandam arripuisset, cur non etiam de Augustini calamo responsum accepisset. Eundem tamen Hæreticum maiori auctoritate iugularunt duo concilia, primum Romanum à Ioanne xxii. coactum, deinde etiam Constantiense, in quo & ille, & illius iam mortui memoria damnata, & anathematizata, ac corpus etiam, & ossa exhumari iussa sunt, & procul ab ecclesiæ finibus proiici. Verum nihil necesse est veteres hæreses in hac re commemorare, cum hæc ipsa nostra tempora satis experiantur istos peruersorum dogmatum architectos nullam Ecclesiæ partem vel acerbius odisse, vel pertinacius insectari. Hinc enim Lutherus præter alia multa, impio simul ineptoq; ioco, religiosos omnes idolo Moloch sua corpora cremare, Caluinus religiosa vota Satanæ retia, Melanchton obseruationes fatuas, traditiones Mahumeticas, dicere non

De Sacra tit. 9. à c. 83.

Sess. 8.

dubitauit. Nec denique vllus est, qui vel dicendo, vel scribendo Catholicæ veritatis hostem se profiteatur, qui non hoc sibi præcipue proposuerit, vt religiosorum nomen inuisum, odiosumque reddat.

NEQVE vero hæreticos tantum Diabolus incitat, immittitq; in Religiosos, sed sæpe etiam, quod deterius est, ipsos fidei domesticos, quorum maledicis sermonibus religiosorum vitam in crimen, atque inuidiam vocare conatur, & si non aliud obtineat, certe auctoritatem apud alios eleuare: quæ quoniam frequentia sunt, & quotidiana, neque exemplis, neque nostra indigent oratione. Tantum hoc dicam quod obseruatum est, nullum vnquam à Deo religiosum ordinem excitatum esse, cui, dum tener adhuc esset, perdendo vel deformando, atque adeo præfocando omnes inferni exercitus non totas vires, intenderint. Quorum improbus
Exo.I. conatus plane videtur in Pharaone olim expressus, qui Iudæorum infantes, si quidem masculi essent, tolli iusserat, fœminas vero solas à quibus nihil videlicet mali timeret, seruari. Sic enim Princeps iste huius mundi, cum de alijs infirmioribus non adeo solicitus sit, eos quorum virtutem, ac robur pertimescit, mature euertere nititur. Expertus est hoc, quod dico, Benedictus cum suo nouello grege, quem vt Gre-
2.Dial. gorius narrat, cum in dies magis multiplicari cerneret, Flo-
c.8. rentium presbyterum inuidiæ facibus incitauit, vt primum quidem caput ipsum veneno peteret; deinde, quoniam id nõ processerat, discipulorum animas magis etiam venenato, noxioque spectaculo extinguere aggrederetur. Cuius quidẽ tam sceleratæ maleuolentiæ celeres pœnas luit, subita tecti ruina misere oppressus. Idem quoque euenit in duos celeberrimos, sanctissimosque ordines, Dominicanum, & Franciscanum, quibus, cum fœlici iam progressu adolescẽret, annis ab eorum ortu ferme quinquaginta, opposuit Dæmon Gulielmum quendam Matisconensem canonicum, eique amentia ac scelere parem Gyraldum Parisiensem Doctorem, qui tum voce in circulis, & cathedris, tum etiam iustis voluminibus conscriptis omnem conatum ad eos perdendos conferrent, cum videlicet nec mendicare, nec literis studere, nec ad populum concionari, vel confessiones pœnitentium excipere licitum eis esse affirmarent. Itaque magnam sane, vt accepimus, aduersus Dei famulos commouerant procellam, nec modo in plebe indocta, sed in maioribus plerisque, quos calliditate quadam disputandi, & doctrinæ auctoritate deceperãt.

Repugna-

Repugnarunt his acriter duo vtriusque illius ordinis lumina, B. Thomas Aquinas, & Bonauentura, & hic quidem Pauperum apologiam (sic enim incripsit) ille opusculum edidit cõtra impugnantes religionem, cuius illud est initium, aptum omnino, & causæ conueniens: Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos; quo loco illud præclare inter alia, quamquam Deus cum sit omnipotens, vniuersum humanum genus ad eam salutem, cuius causa conditum est, facile per se adducere posset, tamen vt illam suauitatem, qua ipsius prouidentia in rebus omnibus delectatur, in hac quoque re omnium maxima, retineret, ministrorum etiam operam adhibere voluisse, qui quidem, vt ait Paulus, Dei adiutores essent, Itaque è contra consilium esse principis tenebrarum, qui Dei gloriæ animarumque saluti aduersatur, hos Dei ministros in tanto, tamque salubri opere disturbare. ex quo illud est Gregorij, Illos præcipue reprobi in sancta Ecclesia persequuntur, quos multis conspiciunt esse profuturos. Atque hæc S. Thoma. Quamquam hic quidem scriptis, Deus autem multò grauius, acerbiusque, factis ipsis illorum impietatem confutauit. Gulielmus enim ab Alexandro Quarto Pontif. Romam euocatus in publico Cardinalium concessu, vtraque familia pro sua, Deique causa adnitente, conuictus, dãnatusque est, ac nõ solũ liber in omnium cõspectu igni traditus, sed ipse quoque eius auctor tum Ecclesiastici ordinis functione, tum omnibus etiam redditibus exutus, atque insuper à Ludouico Rege tota Gallia interdictus. Gyraldus autem aliquanto etiam seuerio ri pœna affectus est, qui non ita multo post paralysi primum, deinde lepra diuinitus immissa interiit, vt ipsa extraordinariæ mortis fœditas, peccati quoque fœditatem ostenderet. Cæterum, vt Dæmon his duobus ordinibus adhuc recentibus adeo infestus fuit, sic etiam aliis omnibus, sic postremo Societati nostræ, quam non solum per partes varijs in locis, vario præliorum genere exercuit sed Romæ quoque fundamenta eius vix iacta, summa vi demoliri conatus est, cum fictis per quosdam suos ministros criminibus Ignatium caput nostrum, eiusque socios in summam hæresis, aliorumque flagitiorum infamiam adduxisset. Verum hic quoque Dei se numen ostendit, cuius certa, atque illustri prouidentia effectum est, vt nostri primum honorifica iudicum sententia ab omni suspicione eximerentur, deinde omnes illi tam turpis

Psal. 82.

1. Cor. 3.

13, mor. ca. 5.

calumniæ auctores sua quisque pœna multarentur, vnus in exilium actus, alter paulo post morbo consumptus, cum magna testificatione doloris ob hoc factum; tertij, cum male sibi de hæresi conscius fugisset, statua publice combusta, quartus item ob hæresim perpetuo carceri addictus: vltimus ad Lutheranos, quod ipsum fuit supplicium grauissimum, se se recepit. Sic igitur si hos euentus aliosque similes conferre velimus, hoc inueniemus, visam esse Dei Domini bonitatem cum Dæmonis malitia semper circa religiosos ordines certasse, illam in ijs constituendis, ornandis, stabiliendis. hanc in oppugnandis, omnique telorum, ac machinarum genere diuexandis; sic tamen, vt ea vicerit, quæ tanto maior, ac superior est, Dei benignitas, ac potentia, ad quam pertinuit vt opus hoc suum, & tale præsertim opus, scuto bonæ voluntatis suæ protegeret, ac tueretur.

HAS ob causas magnum futurum videtur operęprętium, tum ad improbos Dæmonis conatus retundendos, tum ad Dei sapientiam in tanta re commendandam, si religiosi status præstantiam, vtilitatesque innumerabiles, quatenus quidem nobis liceat, exponamus. Ad hoc enim nos hortari videtur Esaias, cum ait, Notas facite in populis adinuentiones
Esai.12. eius. Nam certè, vt initio dixi, inter omnia quę sapientissime, & amantissime à Deo pro hominum salute inuenta, ac perfecta sunt, hæc præcipue viuendi ratio certis legibus, formulisque constricta numeranda est. Ad quas vtilitates illa quoque non mediocris accedet, quod ipsos etiam fortasse religiosos excitabimus, vt bona sua & iucundius recognoscant, & auidius retineant quorum animus vel ipsa horum bonorum magnitudine, & copia quodammodo obrutus, vel intēto aliarum rerum studio absorptus vel etiam assuetudine quadam occupatus ita nonnumquam hebetatur, vt suas diuitias ipsi non videant, & quasi inter plenas epulas esuriāt. Itaque his euenit interdum quod rusticis hortorum, aut vinearum cultoribus, qui cum in ea amœnitate degant, quæ multos etiam ex remotis locis ad spectandum inuitet, & qua deinde fruenda, & laudanda vix satiari possint: ipsi tamen ne aduertunt quidem, quasi oculorum iudicio careant. Sed hæc culpa eo in religioso turpior est, quod is nullam aliam occupationem habere debet, præter hanc, aut certe reliquas occupationes, & curas ad hanc vnam dirigere, & nisi id faciat, non solum iucunditate quadam, vt rustici illi, sed etiam magnis se priuat commodis, neque animum illum, quem

debet

debet, præstare Deo potest, memorem, gratum, & amantem. Itaque, vt dixi, hos quoque, quantum possumus, excitemus, vt tantum beneficium perspiciant, & eo perspecto, vitã quoque, ac mores ei congruentes instituant.

Testimonia sanctorum Patrum in commendationem status religiosi.

CAPVT PRIMVM.

DVo sunt, quæ inter homines magnam vim ad persuadendum habere solent, ratio, & auctoritas. ratio lumine proprio, auctoritas alieno nititur, quod tantum abest, vt aliquid firmitatis ad fidem detrahat, vt potius multum addat. Nam si iis, quæ à nobis ipsis inuenta, aut cognita sunt, ideo assentimur, quia ingenio nostro confidimus, multo magis illorum ingeniis confidere debemus, quos iudicio, ac sapientia præstitisse nouimus, & nobis ipsis longe superiores esse confitemur. Itaque ipsæ etiam scientiæ, quæ ad veritatem rationis tantummodo momentis niti solent, non tamen auctoritatem respuunt, habéntque singulæ suos principes, quorum sententias mordicus tuentur: quod etiam multo magis valere debet in moralibus, de quibus, vt recte iudicetur, præter ingenij acumen, voluntas quoque recta requiritur, quod sola virtus efficit, sæpe etiam necessaria est experientia quædam rerum earum, de quibus decernendum est. Quare si in eloquẽtiæ præceptis Ciceronem, aut Demosthenẽ; si in philosophia alij Platonem, alij Aristotelem, in Mathematicis Euclidem, aut alium eiusmodi tamquam duces sectandos esse putant, & quod illi vel aperte scripserint, vel etiam occulte insinuarint, pro rato habẽdum, habemus nos etiam in Schola nostra Christiana præcipuos quosdam, quorum testimonia eo pluris esse debent, quod ita summam doctrinam cum vitæ sanctitate cõiunxerunt, vt tum per se multum vidisse; tum multo magis à Deo illuminatos fuisse credendum sit. Quapropter hoc primum nobis in hac causa religionis tractanda, visum est faciendum, vt aliquot talium auctorum sententiæ proferantur, eæque solæ, ac nudæ nulla nostra ratiocinatione adhibita; quæ tanto maius pondus habebunt, quod vno eorum, vel fortasse altero excepto, omnes hoc idem, quod laudabant, ipsimet vita quoque, & opere complexi sunt, ne illa etiam, quam antea dicebamus, experientia eorum auctoritati deesset. Hos igitur tamquam firmissimum huius caussæ præsidium in prima acie collocemus.

Primus

Primus autem sit Nazianzenus, cuius est illud encomium in religiosos: Ecclesiæ, inquit, pars selectior, & sapientior; si- quidem ij sapientiores habendi sunt, quam reliquum morta- lium vulgus, qui se ipsos à mundi consortio segregarunt, & vitam suam Deo consecrarunt Nazaræos nostrates dico. Atque idem etiam alio loco, Qui supra terram assurgunt, coniugijque expertes viuunt, commerciique quam mini- mum cum mundo habent, ac vitæ rationem ita compararũt, vt Deum piis hymniis noctes, diésque celebrent, atque in ter- renis opibus quibus mundi huius princeps miserorum mor- talium animos eludere, quasque ad alios, aliósque subinde transferre solet, omnino abhorreant, spémque bonorum eo- rum, quæ nunquam dominos suos deserant, instar omnium opum habent, nec costam illam corpus adamantem deside- rent, nec nouæ liberorum manum innitantur, nec in fratri- bus, sociisque, id est, in sanguine, ac cinere iam iámque pe- rituro fiduciam suam collocent, nec denique gloriam huma- nam celeriter auolantem concupiscant. quin potius mentem suam Deo penitus addicunt, eíque tamquam firmissimæ pe- træ rudentes suos alligant, vitæque in Christo absconditæ initiantur, vt cum illa illuxerit, ipsi quoque vndique collu- ceant, magnámque cœlestis exercitus gloriam, non iam ob- scura quadã specie, nec exiguis veritatis vestigiis, sed pure, ac liquide intuentes. Recte quidem Nazianzenus, atque ele- ganter, ídque in primis, quod vxorem, qua religiosi carent, costam appellat quæ viri corpus, vnde sumpta est, appetat, quasi ad indicandam vno verbo eorum felicitatem, qui se ex talibus illecebris, præliisque subduxerint. Sed idem etiam vberius in oratione quadam. Videsne, inquit hos pauperes victu, ac tecto carentes, hos humiles, & terrenos, & suprà terrena, qui inter homines versantur, & rebus humanis sunt superiores, qui vinculis pressi, & liberi sunt retenti, & teneri non possunt, qui nihil in mundo habent, & omnia habent, qui mundo superiores sunt, hos inquam propter mortificatio- nem immortales, propter solutionem Deo coniunctos, qui ab amore alieni, sed diuino amore ardentes, quorum fons lucis & quorum iam radij, splendorisque traiectiones, quo- rum angelici psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excessio ante mortem in cœlum se rapientis, quo- rum purgatio, & tamen purgantur, quippe nullum ascensus & Deificationis modum sibi constituentes, quorum est conteri, & abiici, & quorum simul est super thronos sedere, qui &

Or. ĩ lau d. Basil.

In car- mine ad Hellen.

Or. 1 in Iul.

qui & nudi sunt, & incorruptibili vestiuntur indumento, qui in solitudine huius seculi, alterius seculi frequentia, ac celebritate fruuntur, qui voluptates abiiciunt, & tamen perpetuam, atque inexplicabilem animorum oblectationem habent, quorum lacrymæ peccati diluuium sunt, & mundi expiamentum, quorum extensio manuum flammas extinguit. Denique Nazianzenus idem in præclara illa apologia, qua rationem reddit, cur episcopatu repudiato, in Pontum fugisset, hanc in primis causam affert, propter innumera bona religiosæ huius vitæ: quam ille appellat quietam, & remotam à turbis, & denique asylum; quibus hæc etiam addit. Nihil enim, inquit, mihi felicius esse videbatur eo homine, qui clausis, compressísque corporis sensibus, atq; extra carnem, & mundum positus, in sé ue collectus nec, nisi summa necessitate impellente, quicquam humanarum rerum attingẽs, atque & secum ipse, & cum Deo colloquens, vitam agit rebus omnibus visibilibus superiorem, diuinásque species, & imagines puras semper, nec vllis terrenis, & errabundis formis permixtas in se ipso circumfert, & Dei, rerúmq; diuinarum purum omnino speculum est, in diésq; efficitur, & cum angelis versatur, ac, licet in terris agens, terram deserit, atq; à sp ritu in cœlo collocatur. Hæc ille. Chrysostomus autem multo etiam plenius hunc locum tractauit tum multis homiliis, in quibus plurimas huius instituti laudes congerit, tum præsertim tribus integris libris, quos scripsit aduersus vituperatores vitæ monasticæ, in quibus totis, non Christiano tantum, sed etiam, quod mirabilius est, gentili parenti persuasisse se putat, si eius filius, quanquam omnibus diuitiis affluens, ad paupertatẽ, humilitatémq; religiosam sese conferat, multo melius cum eo actum esse, ídque rationibus non ex futura vita allatis, quas scilicet ethnicus ille nõ caperet, sed ex hac ipsa præsenti. Nam & maiores, veriorésque religiosi opes, ac diuitias esse probat, & puriores diuitias, solidiorésq; voluptates, & potentiam, tum ad se tuendum, tum ad hostes debellandos firmiorem, quódque incredibilius sit, gloriam etiam in mundo celebriorem. Addit exempla gentiliũ Philosophorum, quorum inopiam, ac paupertatem illustriorem fuisse demonstrat, & adhuc esse post tota secula, quam Regum opes, atq; imperia. Deinde cum Christiano etiã agens, quod iam facilius est, ita de infernis cruciatibus, de supremo Christi iudicio, de cœlesti gloria de mundi laqueis, de peccati fœditate, ex Euangelij sacræque scripturæ testimoniis disputat,

tat, vt nullum planè dubitandi locum relinquat. Climachus quoque, antiquus auctor,& grauis, tum multa alia toto ſuo libro,tum illud breue quidem verbis, ſed re multa complectens, Monaſterium eſſe quoddam cœlum terrenum,& ideo quo affectu, ac reuerentia credimus Angelos miniſtrare Deo,eadem nos etiam fratribus noſtris miniſtrare debere. Cui ſimillimum eſt, quod B.Ephren eiuſdem antiquitatis, & grauitatis auctor ſcriptum reliquit. Cum, inquit, angelicam hanc vitæ rationem conſidero, ſingula ipſius ſalutaria inſtituta beata exiſtimo. Quis enim rectè, & piè viuentem, & caſtimoniam colentem ob infinita,& immenſa illa bona,quę ei repoſita ſunt, non beatum dixerit? Quocirca operam demus,vt hoc breui ſpatio cum Dei timore in hoc angelico, & monaſtico, & religioſo viuendi inſtituto verſemur, totiſque viribus cum humilitate, ſancta Domini, & Saluatoris noſtri præcepta complectamur. Damaſceni autem illa in religioſorum laudem præclara. Beati, inquit, certe illi, ac ter beati, vt qui Dei amore flagrarunt, atque ob eius amorem omnia pro nihilo duxerunt; ſiquidem lacrymas profuderunt, diéque, ac nocte in luctu verſati ſunt, vt æternam conſolationem adipiſcerentur, ſe ipſos vltro depreſſerunt, vt illic in altum extollerentur, carnes ſuas fame, & ſiti,& vigiliis confecerunt, vt illic paradiſi deliciæ, & gaudia eos exciperent. Spiritus ſancti tabernaculum per cordis puritatem extiterūt, vt ad Chriſti dexteram ſtarent, lumbos ſuos in veritate ſuccinxerunt, atque in promptu ſemper lampades habuerunt, immortalis ſponſi aduentum expectantes. Nam cum mentis oculis præditi eſſent, horrendum illum diem ſemper proſpiciebant, atque tum futurorum bonorum, tum futuri ſupplicij contemplationem ita in corpore defixam gerebant, vt ab ipſa nunquam diuellerentur. Laborare hic ſtuduerunt, vt ſempiternæ gloriæ compotes eſſent. perturbationum expertes, non ſecus atque Angeli fuerunt. Beati illi, ac ter beati, quoniam firmis mentis oculis pręſentium rerum vanitatem, atque humanæ proſperitatis incertitudinem, & inconſtantiam proſpexerunt, eáque reiecta, ſempiterna bona ſibi ipſis condiderunt,& vitam eam quę numquam occidit,nunquam morte interrumpitur arripuerunt. Extremo loco inter Græcos addere poſſumus Euſebium Cæſarienſem, cuius illa ſunt. In Eccleſia, inquit, Dei duo modi viuendi inſtituti ſunt; alter quidem naturam noſtram,& communē humanæ vitæ rationem excedens,non nuptias,non ſobolem,non ſubſtātiā,non opum

Grad.4.

Ser. de virtu.& uit.

In Hiſt. B.Ioſaphat.

Lib.1. demon. Euāgel.

opum facultatẽ requirens,& ſoli diuino cultui ex immẽſo rerum cœleſtiũ amore addictus Qui hunc modũ amplexi ſunt, quaſi ab hac mortali vita ſeiũcti, ipſũmq; dumtaxat corpus in terra gerentes, cogitatione vero, atq; animo in ipſo cœlo degentes, quaſi quidã cœlites reliquorum omniũ vitam deſpiciunt. quippe qui pro vniuerſo genere ſummo omniũ Deo ſacrati ſint. Et talis quidẽ exiſtit in Chriſtianiſmo perfectæ vitæ modus. Alter vero remiſſior, atq; humanior: hic & modeſto coniugio,& ſobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curã ſuſt'net,& iuſte militãtibus quę ſint agẽda præſcribit;agros quoq;,& mercaturã adiunctã religione non negligit: & his quidem ſecundus pietatis attributus eſt gradus.

VT vero ad latinos nóſtros veniamus,luculenta eſt etiam illa laus, quam Cyprianus tribuit virginibus Deo ſacratis; quem locum,vt ſelectum, Auguſtinus quoque affert in libris de doctrina Chriſtiana. Flos,ait, eſt ille Eccleſiaſtici germinis,decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles laudis, & honoris, opus integrum, atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per ipſas: atque in illis largiter floret ſanctæ matris Eccleſiæ glorioſa fœcunditas, quantóq; plus glorioſa virginitas numero ſuo addit, tanto plus gaudiũ matris augeſcit. Accedit etiam eodem teſtis locuples Ambroſius, qui in libro de viduis in illud Domini præceptum; Cum omnia feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite,ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus, Hoc inquit, Virgo non dicit. hoc non dicit ille, qui bona ſua vendidit; ſed quaſi repoſita expectat præmia, ſicut Sanctus Apoſtolus ait, Ecce nos reliquimus omnia; & ſequuti ſumus te: Quid ergo erit nobis? Non enim quaſi inutilis ſeruus, quod debuit facere feciſſe ſe dicit, ſed quaſi vtilis Domino,qui commiſſa ſibi talenta quæſitis multiplicauit vſuris, mercedem fidei, atque virtutis bene ſi conſcius, meritorúmque ſecurus expectat. Idémque Ambroſius in epiſtola quadam; Hæc Angelorum militia eſt, ſemper eſſe in Dei laudibus, orationibus crebris conciliare,atque orare Dominum ſtudent lectione, vel operibus continuis mẽtem occupant ſeparati à cœtu mulierum,ſibi inuicem vitam præbent & cuſtodiam.Qualis hæc vita in qua nihil ſit quod timeas,& quod imiteris plurimum? Multa quoque Hieronymus in hanc ſententiam, tum alibi ſparſim, tum quibuſdam totis epiſtolis,vt ad Heliodorum, & Iulianum. ad Marcellam autẽ illud omnino illuſtre.

De habitu virg.
Lib. 4. c. 21.
Ep. 25.
Epiſt. 1. & 34.
Ep. 17.

Certe,

ad eum roborandum, & confirmandum in omni Chriſtianæ legis perfectione. Ex hoc igitur genere, & certe præcipuus, & maximus in hoc toto genere, eſt religioſus ſtatus, cuius adeo ſunt ingentes vtilitates, & bona ſpiritualia, vt ſine vlla dubitatione in ijs omnibus, quæ dixi, cœleſtibus cõſiliis, ac veluti morborum noſtrorum medicamẽtis, rectéque viuẽdi regulis, nihil huic non modo præferendum, ſed nec conferendum videatur. Non enim vnam rem, aut vnum tempus, vnam ve tantummodo functionem, vt pleráque alia eiuſmodi beneficia, ſed vitã totam, & omnes vitæ partes cõplectitur, nóſque ad omnia perfectæ virtutis munera informat, & ita informat, vt omnibus iis, quæ ante attigimus, impedimentis detractis omnia, quæ optari poſſunt, præſidia cõferat, & plane efficiat, vt de illorum quaſi inimicorum noſtrorum manu liberati, ſeruiamus ei, qui verus, & ſolus eſt nobis dominus, in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Primum enim id agit, vt omnes peccati illecebras, atque occaſiones procul à nobis remoueat, & arceat, dum nos mundo, & mundana conuerſatione eximit, & in placidiſſimo portu, vel potius in arce munitiſſima conſtituit, vt facile reſiſtamus diabolo, ac de eo, cui nulla in terris poteſtas cõparari poteſt, glorioſiſſime triumphemus. Quo fundamẽto poſito, & quaſi terra ijs ſpinis, quæ ſementem ſuffocãt, purgata, illud deinde addit, vt bonum ſemen ſpiritualium virtutum iaciat; quarum etſi multæ cum reliquis etiam Chriſtianis omnibus communes eſſe poſſunt, & eſſe deberent, pauci tamen, vt videmus, huic ſe ſtudio applicant: religioſis vero ipſamet diſciplina, quam profitentur, certius, abundantius, & firmius etiam virtutes has confert, quæ videlicet crebram, ac potius quotidianam earum materiam præbet, ac perpetua exercitatione paulatim bonos omnes habitus inſerit, & in ſumma nihil aliud meditari, aut cupere, & curare docet, quam Dei timorem, & cultum, & maximam, quæ poſſit eſſe, cum illa ſanctitate coniunctionem. Verum ad has virtutes quas communes dixi, accedunt inſuper aliæ quædam ita propriæ, vt in ceteris viuendi inſtitutis ne locum quidem habeant, vt eſt paupertas, nuditáſque perfectiſſima, vt obedientia & totius propriæ voluntatis abdicatio, vt denique contemptus quidam vniuerſarum rerum quæ ſunt in mundo, & quas mundus oſtentat, quas ſane religio ita deſpicit, ac conterit, vt etiam hanc animi conſtitutionem, qua nihil vel vtilius, vel generoſius eſſe poteſt, in animo noſtro efficiat, eamque in dies ma-

gis,

gis,ac magis confirmet. Porro præter hanc vtilitatem,quam quæque anima per se, & proprio studio consequitur, existit etiam in hoc statu quiddam multo maius ex vinculo, ac nexu multarum inter se animarum, quo nexu omnis eiusmodi multitudo ita coalescit, vt quasi ex pluribus membris vnum corpus effici videatur. Nam qui separatim Deo seruiunt, quamuis diligenter, & impigre id faciant,non plus certe habent,quam sit in vnoquoque roboris,atque virium.At in religiosa societate ita vnius virtus cum alterius virtute commiscetur,vniúsque benefacta ita cum altero communicãtur, vt singuli non suis solum sed aliorum etiã diuitiis, & opibus augeantur,& omnino ex ea coniunctione, ac vinculo innumerabilia pene commoda in singulos redundent. Quemadmodum autem in rerum naturaliũ fabrica hoc Deo magnæ curæ fuisse videmus,vt vna cum vtilitate, atque vsu,pulchritudinem etiam, ac venustatem coniungeret, vt in homine, cuius membrorũ conformatio, ac dispositio non solum apta est ad omnem motum, & munus, sed etiam ad speciem, & decus quoddam, quod facile cognoscitur ex fœditate, quæ inuerso,ac distorto quopiam membro appareat: cum igitur hoc summa illa omnium artifex sapientia in hoc naturali ordine tanto inferiori tam diligẽter seruarit,multo magis credendum est in religiosis institutis,quorum ordo multo superior est,ita vtrumq; temperasse, vt præter vtilitatem, formã quoque haberent eximiam,quæ sine dubio ipsius Dei, Angelorúmque oculos mirabiliter delectaret.Euenit enim in hoc quoque simile quiddam, vt cum ex multis gemmis, atque vnionibus corona,aut opificium aliquod contexitur, in quo non solum sit pulchritudo illa,quã singulæ gemmæ afferunt, sed ea etiã augeatur, & multiplicetur ex ipsa copia,atque ex earum inter se ordine,ac dispositione. Quin etiam vt neruorum,vel vocũ cantus delectant illi quidem, etiamsi soli sint, sed tamen multo vberius, & suauius complet aures cõcentus ille qui plurium sonorum varietate temperatus sit, in quo acuta cum grauibus æquali inæqualitate sibi inuicem congruant,aptéque respondeant, sic virtus omnis etsi per se, ac quodammodo soliuaga non potest non approbari, & amari, in religione tamen propter multorum, in quibus eiusdem virtutis splendor elucet, aggregationem, multo eam magis enitere,& splendere necesse est. Iure igitur omniũ concessu, licebit nobis ad hunc statum, & ad hanc vitæ formulam ac- *3. Reg.*
cõmodare illud Reginæ Sabæ dictum, quæ cum Salomonis *10.*

fama excita ad eum adisset, auditis deinde sapientibus eius responsis, tum etiam perspectis opibus, diuitiis, ædium magnificentia, mensarum splendore, ac præcipuè seruorum domiciliis, ministrantium ordinibus, eorúmque vestimẽtis, denique holocaustorum quoque copia, ita obstupuisse legitur, vt exclamarit, Beati viri, & beati serui tui, qui hic stant corã te, & audiunt sapientiam tuam. Quis enim verior Salomon, quam Saluator noster, non solum pacificus, sed etiam pacificans quæ in cœlis, & quæ in terris? Hic igitur Salomon, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, idemque omnium rex, ac dominus, etiamsi alios quoque subditos habeat, ij tamen omnium maximè, & verissimè eius serui sunt, qui scilicet in eius domo habitãt, eiusque ori semper astant. Hi verò sunt religiosi greges, qui hanc vnam ob caussam parentes, fratres, amicos, domos denique proprias reliquêre, vt in ipsius se domum, perpetuúmque famulatum conferent; & ij quidem in varios ipsi quoque ordines tum institutis, tum etiam habitu, vestibúsq; distincti. Hic ergo regiæ illæ epulæ, id est, solatia, & gaudia interna, & ipsa animi securitas, quæ est iuge conuiuium. Hic holocaustorum frequentia, quia quot religiosi, tot holocausta, quin potius, quot eorũ opera, tot penè holocausta, quoniam Deo offeruntur, & ad Dei obsequium diriguntur. Denique horum quoque munus, atq; vnicum negotium est, Salomonis sui, id est, Domini Dei sapientiam audire. Nihil enim aliud agunt, quam vt diuinę illi luci assiduè inhæreant, nunc orando, nunc meditando, nunc salutaribus libris animũ erudiendo, vel aliis pluribus modis, quibus ab illo bonorum fonte lumen, & robur, & gratiam, & omnia denique bona hauriunt. Beati igitur ij quoque, qui hic stant coram Deo suo, & multo certè beatiores, quam veteris illius Salomonis serui, cum tanto maiorem, tantóque meliorem dominum habeant, & ad benefaciendum promptiorem.

Col. 2. *Thes. 2.* *Prou. 15.*

Ac meo quidem iudicio religionis vel vtilitas, vel excellentia quædam non tantum ex eo intelligi potest, quanta in gratia sit apud Deum, sed etiam quanto in odio sit apud Dæmonem; de quo si verè cogitare voluerimus, inueniemus eam tot, tantísque ab illo perenni humani generis inimico insidiis ac machinamentis oppugnatam, vt facile constet, inter omnia dona, quæ è cœlo hominibus cõcessa sunt, nullum vmquam fuisse, ad quod perdẽdum adeò illius malitia exarserit. Mitto nunc tentationes, & pugnas, quas singulis importune

tunc intentat, tantum loquor de generali bello, quod ille aduersus vniuersum religiosum nomen acerbissime semper gessit. Nam si initia repetamus, statim ac simul cum Christiana fide, monastica etiam disciplina propagari in mundo cœpit, quod fuit aureo Constantini seculo, atque ex illis latebris, ac solitudine erumpere, in qua per trecentos, eoque amplius annos antea penè delituerat, hoc obseruare licuit, quoscumq; Dæmō sceleris sui administros nactus est ad Ecclesiam perturbandam, eosdem etiam primum, ac præcipuè in hanc quasi Ecclesiæ arcem armasse, atque incendisse. Atq; hos quidem in duo genera distractos video. Alij enim potentia, imperio, armis religiosæ vitæ cultores opprimere conati sunt: alij, qui hoc non poterant, fallaciis maledictis, dolisque fingendis, atque hæresum erroribus disseminandis. Primum enim Iulianus, eo acerbior, ac nocentior hostis, quo magis omnia nostra interiora norat, non ille quidem ferro, ac cæde religiosos homines afflixit nam hoc quoque martyrij decus, vt ait Nazianzenus, Christianis inuidit: sed quicquid citra sanguinem ad eos vexandos, insectandos, atque omnino delendos excogitare potuit, in id omnes ingenij sui vires, quo non mediocriter valuisse dicitur, semper contulit. Declarat hoc eiusdem Nazianzeni oratio ad Apostatam illum, in qua extrema, deprecatorem se pro vniuersis religiosorum gregibus constituens, offerre se illi ait suppliciter Philosophorum cœtum (sic enim eos appellat) qui nullo vinculo humi tenentur, qui sola corpora, ac ne ea tota quidem possident, qui Cæsari nihil, Deo omnia debēt, hymnos, preces, vigilias, lachrymas. Hos inquit, si mitius tractaris, & omnino Dei seruos, & discipulos, & cœlestium rerum contemplatores, has gregis Domini primitias, has columnas, has fidei coronas, has pretiosas margaritas, hos templi illius lapides, cuius fundamentum, & lapis angularis est Christus, præclarissime vtique & ipsis, & tibi, & nobis consulueris. Similis penè fuit Valentis furor, eius, qui in Basilium præsertim impius fuit. Hic enim generali edicto Monachos omnes armis sumptis militare iussit, idque grauissimis pœnis propositis: quæ quidē res Dei famulos magnopere perturbauit, cum alij, qui recusarent, acerbissime tractarentur, alij in castra vi abriperentur, & plures etiam impedirentur, ne se se Dei seruitio dicarent, & qui iam dicarant, ne spirituali otio frui possent. Atque vtrique quidem ea immanitas caro stetit, alter enim post annum ferme imperij, ac dimidium, hasta de cœlo vibrata in pugna

Orat. 1. in Iuli.

Ibidem.

occiſus eſt. Alter cum non multo amplius imperaſſet, exercitu fœde cæſo, in villam ſe ſe proximam recipiens, igne ab hoſtibus iniecto conflagrauit. Hos deinde imitatus eſt etiam Conſtantinus Copronymus, vir ferus, ac barbarus cum in reliquam Chriſti Eccleſiam tum præcipuè in ſacras haſce familias, quas partim ignominiis, ac probris omnibus quam deſpectiſſimas reddere, partim cruciatibus inſectari non deſtitit, nec illi quicquam deliberatius fuit, quam vniuerſas, non diſputando, & cauillando, aut legibus latis, vt iſti, ſed cæde, carcere, tormentis euertere. Itaque magna eos ſanè afflixerat clade, iamque ſibi triumphare Satanas videbatur, cum Dei prouidentia, quæ ſuæ cauſæ numquam deeſt, illo è medio ſublato, Leonem primo filium haud paulo mitiorem, deinde Irenem quoque Imperatricem ſubſtituit, cuius præſtans pietas tum in reliquæ Eccleſiæ, tum præſertim Monaſtici ordinis plagas ſanandas incubuit, quem etiam iſtius patrocinio magnopere auctum, & propagatum accepimus. Atque eam etiam ſequutus eſt Nicephorus Imperator religioſorum omnium ſtudioſiſſimus, & amantiſſimus. Sed tamen ne ea traquillitas diuturnior eſſet, ecce paulo poſt excitata eſt à Dæmone Leonis Armeni rabies, quem in omnes monaſticæ vitæ ſtudioſos ferunt fuiſſe teterrimum, eoſque exilio, vinculis, inedia, denique malis omnibus afflixiſſe. Et in eo quidem ſimillime diuina vltio breui apparuit, quippe qui à ſuis militibus in ara ipſa, ad quam confugerat, mactatus ſit, vt quorum immanitatem imitatus fuerat, exitũ quoque perferret. Sed hæc vetera, & ex annalibus: illa recentia, ac pene in noſtris oculis geſta. Nam in Anglia, cum Henricus VIII. ab Eccleſia deſciſcens, funeſtum ſibi, ac ſuis pactum cum inferno iniit, primus eius impetus, tum in Carthuſienſem, tum in alias Deo ſacratas familias fuit, quas ille omni ſupplicij genere lacerauit. Quæ acerbitas non modo non mitigata, ſed multo magis prouecta ſemper eſt ad hoc vſque tempus, quo crudelia edicta, crudeliora facta illinc ad nos quotidie perferuntur, cum toto illo regno religioſis omnibus, nominatim vero noſtræ huic Societati carceres, equuleos, cruces intẽtari, quin etiam omnibus aliis, qui eos receperint, aut re vlla iuuerint, eãdem capitalem pœnam conſtitutam audiamus. Neque vero hoc in illa modo inſula, ſed in Gallia, Germania, Belgio, quocumq; eadem hæreſum flamma penetrauit, primum, ac præcipuè ſemper in religioſa capita ſæuitum eſt. Nam nõ ſolum domus diſturbatæ, cœnobia

 prophanata,

prophanata, possessiones occupatæ, ac direptæ sed ipsa quoque Deo dicata corpora tam vario, ac multiplici, & inaudito suppliciorum genere excruciata sunt, vt certum sit, tantam feritatem non ab hominibus in homines extitere potuisse, nisi eos dæmon odij, ac furoris sui administros adhibuisset.

ATQVE hi quidem omnes gladiis, & potentia ad inermen, imbellemque gentem opprimendam vsi sunt. alij mitius in speciem, sed eo fortasse periculosius bellum intulerunt argumentis, disputationibus, libris scriptis, ne quid videlicet hostis noster intentatum, aut inexpertum relinqueret. Itaque multis hinc ante seculis, Hieronymi ætate, duos illos extitisse legimus & tempore, & improbitate æquales, Iouinianum Romæ, Vigilãtium in Gallia, quorum alter virginitati matrimonium, alter paupertati diuitias æquando, ambo quod in ipsis erat, religiosæ vitæ iugulum petebant. Huic vtrique simillimus, & sine dubio etiã perniciosior fuit aliquãdo post Vvicleffus hæreticus, qui cum in multa Ecclesiæ dogmata, tum præcipue in sacras religiones ita inuectus est, vt eas hominum inuentum esse diceret, & quidem inane, ac commentitium, quin etiam nihil habere melius, aut perfectius, quam ipsam communem religionem Christianam, quippe ab ipso Christo institutam: præterea aduersari honori parentum, quem diuina lex præcipit, quoniam liberorum obsequio priuentur. Sed huius quidem commenta egregie profligauit Vvaldensis luculẽtus auctor, qui illius caninam audaciam (sic enim appellat) ita repressit, vt non possit doctius, ac plenius: & illud inter alia, mirari se cum de calamo Manichæi argumentum ad religionem impugnandam arripuisset, cur non etiam de Augustini calamo responsum accepisset. Eundem tamen Hæreticum maiori auctoritate iugularunt duo concilia, primum Romanum à Ioanne xxii. coactum, deinde etiam Constantiense, in quo & ille, & illius iam mortui memoria damnata, & anathematizata, ac corpus etiam, & ossa exhumari iussa sunt, & procul ab ecclesiæ finibus proiici. Verum nihil necesse est veteres hæreses in hac re commemorare, cum hæc ipsa nostra tempora satis experiantur istos peruersorum dogmatum architectos nullam Ecclesiæ partem vel acerbius odisse, vel pertinacius insectari. Hinc enim Lutherus præter alia multa, impio simul ineptoque ioco, religiosos omnes idolo Moloch sua corpora cremare, Caluinus religiosa vota Satanæ retia, Melanchton obseruationes fatuas, traditiones Mahumeticas, dicere non

De Sacra.tit. 9.à c. 83.

Sess. 8.

dubitauit. Nec denique vllus est, qui vel dicendo, vel scribendo Catholicæ veritatis hostem se profiteatur, qui non hoc sibi præcipue proposuerit, vt religiosorum nomen inuisum, odiosumque reddat.

NEQVE vero hæreticos tantum Diabolus incitat, immittitq; in Religiosos, sed sæpe etiam, quod deterius est, ipsos fidei domesticos, quorum maledicis sermonibus religiosorum vitam in crimen, atque inuidiam vocare conatur, & si non aliud obtineat, certe auctoritatem apud alios eleuare: quæ quoniam frequentia sunt, & quotidiana, neque exemplis, neque nostra indigent oratione. Tantum hoc dicam quod obseruatum est, nullum vmquam à Deo religiosum ordinem excitatum esse, cui, dum tener adhuc esset, perdendo vel deformando, atque adeo præfocando omnes inferni exercitus non totas vires, intenderint. Quorum improbus

Exo. I. conatus plane videtur in Pharaone olim expressus, qui Iudæorum infantes, si quidem masculi essent, tolli iusserat, fœminas vero solas à quibus nihil videlicet mali timeret, seruari. Sic enim Princeps iste huius mundi, cum de alijs infirmioribus non adeo solicitus sit, eos, quorum virtutem, ac robur pertimescit, mature euertere nititur. Expertus est hoc, quod dico, Benedictus cum suo nouello grege, quem vt Gre-

2. Dial. c. 8. gorius narrat, cum in dies magis multiplicari cerneret, Florentium presbyterum inuidiæ facibus incitauit, vt primum quidem caput ipsum veneno peteret; deinde, quoniam id nō processerat, discipulorum animas magis etiam venenato, noxioque spectaculo extinguere aggrederetur. Cuius quidē tam sceleratæ maleuolentiæ celeres pœnas luit, subita tecti ruina misere oppressus. Idem quoque euenit in duos celeberrimos, sanctissimosque ordines, Dominicanum, & Franciscanum, quibus, cum fœlici iam progressu adolescēret, annis ab eorum ortu ferme quinquaginta, opposuit Dæmon Gulielmum quendam Matisconensem canonicum, eique amentia ac scelere parem Gyraldum Parisiensem Doctorem, qui tum voce in circulis, & cathedris, tum etiam iustis voluminibus conscriptis omnem conatum ad eos perdendos conferrent, cum videlicet nec mendicare, nec literis studere, nec ad populum concionari, vel confessiones pœnitentium excipere licitum eis esse affirmarent. Itaque magnam sane, vt accepimus, aduersus Dei famulos commouerant procellam, nec modo in plebe indocta, sed in maioribus plerisque, quos callidi tate quadam disputandi, & doctrinæ auctoritate deceperāt.

Repugna-

Repugnarunt his acriter duo vtriusque illius ordinis lumina, B. Thomas Aquinas, & Bonauentura, & hic quidem Pauperum apologiam (sic enim inscripsit) ille opusculum edidit cōtra impugnantes religionem, cuius illud est initium, aptum omnino, & causæ conueniens: Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos; quo loco illud præclare inter alia, quamquam Deus cum sit omnipotens, vniuersum humanum genus ad eam salutem, cuius causa conditum est, facile per se adducere posset, tamen vt illam suauitatem, qua ipsius prouidentia in rebus omnibus delectatur, in hac quoque re omnium maxima, retineret, ministrorum etiam operam adhibere voluisse, qui quidem, vt ait Paulus, Dei adiutores essent, Itaque è contra consilium esse principis tenebrarum, qui Dei gloriæ animarumque saluti aduersatur, hos Dei ministros in tanto, tamque salubri opere disturbare. ex quo illud est Gregorij, Illos præcipue reprobi in sancta Ecclesia persequuntur, quos multis conspiciunt esse profuturos. Atque hæc S. Thoma. Quamquam hic quidem scriptis, Deus autem multò grauius, acerbiusque, factis ipsis illorum impietatem confutauit. Gulielmus enim ab Alexandro Quarto Pontif. Romam euocatus in publico Cardinalium concessu, vtraque familia pro sua, Deique causa adnitente, conuictus, dānatusque est, ac nō solū liber in omnium cōspectu igni traditus, sed ipse quoque eius auctor tum Ecclesiastici ordinis functione, tum omnibus etiam redditibus exutus, atque insuper à Ludouico Rege tota Gallia interdictus. Gyraldus autem aliquanto etiam seuerio ri pœna affectus est, qui non ita multo post paralysi primum, deinde lepra diuinitus immissa interiit, vt ipsa extraordinariæ mortis fœditas, peccati quoque fœditatem ostenderet. Cæterum, vt Dæmon his duobus ordinibus adhuc recentibus adeo infestus fuit, sic etiam aliis omnibus, sic postremo Societati nostræ, quam non solum per partes varijs in locis, vario præliorum genere exercuit sed Romæ quoque fundamenta eius vix iacta, summa vi demoliri conatus est, cum fictis per quosdam suos ministros criminibus Ignatium caput nostrum, eiusque socios in summam hæresis, aliorumque flagitiorum infamiam adduxisset. Verum hic quoque Dei se numen ostendit, cuius certa, atque illustri prouidentia effectum est, vt nostri primum honorifica iudicum sententia ab omni suspicione eximerentur, deinde omnes illi tam turpis

Psal. 82.

1. Cor. 3.

13. mor. ca. 5.

calumniæ auctores sua quisque pœna multarentur, vnus in exilium actus, alter paulo post morbo consumptus, cum magna testificatione doloris ob hoc factum; tertij, cum male sibi de hæresi conscius fugisset, statua publice combusta, quartus item ob hæresim perpetuo carceri addictus: vltimus ad Lutheranos, quod ipsum fuit supplicium grauissimum, se se recepit. Sic igitur si hos euentus aliosque similes conferre velimus, hoc inueniemus, visam esse Dei Domini bonitatem cum Dæmonis malitia semper circa religiosos ordines certasse, illam in ijs constituendis, ornandis, stabiliendis, hanc in oppugnandis, omnique telorum, ac machinarum genere diuexandis; sic tamen, vt ea vicerit, quæ tanto maior, ac superior est, Dei benignitas, ac potentia, ad quam pertinuit vt opus hoc suum, & tale præsertim opus, scuto bonæ voluntatis suæ protegeret, ac tueretur.

HAS ob causas magnum futurum videtur operæpretium, tum ad improbos Dæmonis conatus retundendos, tum ad Dei sapientiam in tanta re commendandam, si religiosi status præstantiam, vtilitatesque innumerabiles, quatenus quidem nobis liceat, exponamus. Ad hoc enim nos hortari videtur Esaias, cum ait, Notas facite in populis adinuentiones eius. *Esai.12.* Nam certè, vt initio dixi, inter omnia quę sapientissime, & amantissime à Deo pro hominum salute inuenta, ac perfecta sunt, hæc præcipue viuendi ratio certis legibus, formulisque constricta numeranda est. Ad quas vtilitates illa quoque non mediocris accedet, quod ipsos etiam fortasse religiosos excitabimus, vt bona sua & iucundius recognoscant, & auidius retineant quorum animus vel ipsa horum bonorum magnitudine, & copia quodammodo obrutus, vel intēto aliarum rerum studio absorptus vel etiam assuetudine quadam occupatus ita nonnumquam hebetatur, vt suas diuitias ipsi non videant, & quasi inter plenas epulas esuriāt. Itaque his euenit interdum quod rusticis hortorum, aut vinearum cultoribus, qui cum in ea amœnitate degant, quæ multos etiam ex remotis locis ad spectandum inuitet, & qua deinde fruenda, & laudanda vix satiari possint: ipsi tamen ne aduertunt quidem, quasi oculorum iudicio careant. Sed hæc culpa eo in religioso turpior est, quod is nullam aliam occupationem habere debet, præter hanc, aut certe reliquas occupationes, & curas ad hanc vnam dirigere, & nisi id faciat, non solum iucunditate quadam, vt rustici illi, sed etiam magnis se priuat commodis, neque animum illum, quem debet

debet, præstare Deo potest, memorem, gratum, & amantem. Itaque, vt dixi, hos quoque, quantum possumus, excitemus, vt tantum beneficium perspiciant, & eo perspecto, vitā quoque, ac mores ei congruentes instituant.

Testimonia sanctorum Patrum in commendationem status religiosi.

CAPVT PRIMVM.

DVo sunt, quæ inter homines magnam vim ad persuadendum habere solent, ratio, & auctoritas. ratio lumine proprio, auctoritas alieno nititur, quod tantum abest, vt aliquid firmitatis ad fidem detrahat, vt potius multum addat. Nam si iis, quæ à nobis ipsis inuenta, aut cognita sunt, ideo assentimur, quia ingenio nostro confidimus, multo magis illorum ingeniis confidere debemus, quos iudicio, ac sapientia præstitisse nouimus, & nobis ipsis longe superiores esse confitemur. Itaque ipsæ etiam scientiæ, quæ ad veritatem rationis tantummodo momentis niti solent, non tamen auctoritatem respuunt, habéntque singulæ suos principes, quorum sententias mordicus tuentur: quod etiam multo magis valere debet in moralibus, de quibus, vt recte iudicetur, præter ingenij acumen, voluntas quoque recta requiritur, quod sola virtus efficit, sæpe etiam necessaria est experientia quædam rerum earum, de quibus decernendum est. Quare si in eloquētiæ præceptis Ciceronem, aut Demosthenē; si in philosophia alij Platonem, alij Aristotelem, in Mathematicis Euclidem, aut alium eiusmodi tamquam duces sectandos esse putant, & quod illi vel aperte scripserint, vel etiam occulte insinuarint, pro rato habēdum, habemus nos etiam in Schola nostra Christiana præcipuos quosdam, quorum testimonia eo pluris esse debent, quod ita summam doctrinam cum vitæ sanctitate cōiunxerunt, vt tum per se multum vidisse; tum multo magis à Deo illuminatos fuisse credendum sit. Quapropter hoc primum nobis in hac causa religionis tractanda, visum est faciendum, vt aliquot talium auctorum sententiæ proferantur, eæque solæ, ac nudæ nulla nostra ratiocinatione adhibita; quæ tanto maius pondus habebunt, quod vno eorum, vel fortasse altero excepto, omnes hoc idem, quod laudabant, ipsimet vita quoque, & opere complexi sunt, ne illa etiam, quam antea dicebamus, experientia eorum auctoritati deesset. Hos igitur tamquam firmissimum huius caussæ præsidium in prima acie collocemus.

Autoru

Primus

Primus autem sit Nazianzenus, cuius est illud encomium in religiosos: Ecclesiæ, inquit, pars selectior, & sapientior; siquidem ij sapientiores habendi sunt, quam reliquum mortalium vulgus, qui se ipsos à mundi consortio segregarunt, & vitam suam Deo consecrarunt. Nazaræos nostrates dico.

Or. I laud. Basil.

Atque idem etiam alio loco, Qui supra terram assurgunt, coniugíque expertes viuunt, commerciíque quam minimum cum mundo habent, ac vitæ rationem ita compararũt, vt Deum piis hymniis noctes, diésque celebrent, atque in terrenis opibus quibus mundi huius princeps miserorum mortalium animos eludere, quásque ad alios, aliósque subinde transferre solet, omnino abhorreant, spémque bonorum eorum, quæ nunquam dominos suos deserant, instar omnium opum habent, nec costam illam corpus adamantem desiderent, nec nouæ liberorum manum innitantur, nec in fratribus, sociisque, id est, in sanguine, ac cinere iam iámque periturо fiduciam suam collocent, nec denique gloriam humanam celeriter auolantem concupiscant. quin potius mentem suam Deo penitus addicunt, eíque tamquam firmissimæ petræ rudentes suos alligant, vitæque in Christo absconditæ initiantur, vt cum illa illuxerit, ipsi quoque vndique colluceant, magnámque cœlestis exercitus gloriam, non iam obscura quadá specie, nec exiguis veritatis vestigiis, sed pure, ac liquide intuentes. Recte quidem Nazianzenus, atque eleganter, ídque in primis, quod vxorem, qua religiosi carent, costam appellat, quæ viri corpus, vnde sumpta est, appetat, quasi ad indicandam vno verbo eorum felicitatem, qui se ex talibus illecebris, præliísque subduxerint. Sed idem etiam vberius in oratione quadam. Vides ne, inquit hos paupeies victu, ac tecto carentes, hos humiles, & terrenos, & suprà terrena, qui inter homines versantur, & rebus humanis sunt superiores, qui vinculis pressi, & liberi sunt retenti, & teneri non possunt, qui nihil in mundo habent, & omnia habent, qui mundo superiores sunt, hos inquam propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo coniunctos, qui ab amore alieni, sed diuino amore ardentes, quorum fons lucis & quorum iam radij, splendorísque traiectiones, quorum angelici psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excessio ante mortem in cœlum se rapientis, quorum purgatio, & tamen purgantur, quippe nullum ascensus & Deificationis modum sibi constituentes, quorum est conteri, & abiici, & quorum simul est super thronos sedere, qui &

In carmine ad Hellen.

Or. I. in Iul.

qui & nudi sunt, & incorruptibili vestiuntur indumento, qui in solitudine huius seculi, alterius seculi frequentia, ac celebritate fruuntur, qui voluptates abiiciunt, & tamen perpetuam, atque inexplicabilem animorum oblectationem habent, quorum lacrymæ peccati diluuium sunt, & mundi expiamentum, quorum extensio manuum flammas extinguit. Denique Nazianzenus idem in præclara illa apologia, qua rationem reddit, cur episcopatu repudiato, in Pontum fugisset, hanc in primis causam affert, propter innumera bona religiosæ huius vitę, quam ille appellat quietam, & remotam à turbis, & denique asylum; quibus hæc etiam addit. Nihil enim, inquit, mihi felicius esse videbatur eo homine, qui clausis, compressisque corporis sensibus, atq; extra carnem, & mundum positus, in se, que collectus nec, nisi summa necessitate impellente, quicquam humanarum rerum attingẽs, atque & secum ipse, & cum Deo colloquens, vitam agit rebus omnibus visibilibus superiorem, diuinásque species, & imagines puras semper, nec vllis terrenis, & errabundis formis permixtas in se ipso circumfert, & Dei, rerúmq; diuinarum purum omnino speculum est, in diésq; efficitur, & cum angelis versatur, ac, licet in terris agens, terram deserit, atq; à spiritu in cœlo collocatur. Hæc ille. Chrysostomus autem multo etiam plenius hunc locum tractauit tum multis homiliis, in quibus plurimas huius instituti laudes congerit, tum præsertim tribus integris libris, quos scripsit aduersus vituperatores vitæ monasticæ, in quibus totis, non Christiano tantum, sed etiam, quod mirabilius est, gentili parenti persuasisse se putat, si eius filius, quanquam omnibus diuitiis affluens, ad paupertatẽ, humilitatémq; religiosam sese conferat, multo melius cum eo actum esse, ídque rationibus non ex futura vita allatis, quas scilicet ethnicus ille nõ caperet, sed ex hac ipsa præsenti. Nam & maiores, veriorésque religiosi opes, ac diuitias esse probat, & puriores diuitias, solidiorésq; voluptates, & potentiam, tum ad se tuendum, tum ad hostes debellandos firmiorem, quódque incredibilius fit, gloriam etiam in mundo celebriorem. Addit exempla gentiliũ Philosophorum, quorum inopiam, ac paupertatem illustriorem fuisse demonstrat, & adhuc esse post tota secula, quam Regum opes, atq; imperia. Deinde cum Christiano etiã agens, quod iam facilius est, ita de infernis cruciatibus, de supremo Christi iudicio, de cœlesti gloria de mundi laqueis, de peccati fœditate, ex Euangelij sacræque scripturæ testimoniis disputat,

tat, vt nullum planè dubitandi locum relinquat. Climachus
Grad.4. quoque, antiquus auctor,& grauis, tum multa alia toto suo libro, tum illud breue quidem verbis, sed re multa complectens, Monasterium esse quoddam cœlum terrenum,& ideo quo affectu, ac reuerentia credimus Angelos ministrare
Ser. de virtu.& vit. Deo,eadem nos etiam fratribus nostris ministrare debere. Cui simillimum est, quod B. Ephren eiusdem antiquitatis, & grauitatis auctor scriptum reliquit. Cum, inquit, angelicam hanc vitæ rationem considero, singula ipsius salutaria instituta beata existimo. Quis enim rectè, & piè viuentem, & castimoniam colentem ob infinita,& immensa illa bona,quę ei reposita sunt, non beatum dixerit? Quocirca operam demus, vt hoc breui spacio cum Dei timore in hoc angelico, & monastico, & religioso viuendi instituto versemur, totísque
In Hist. B.Iosaphat. viribus cum humilitate, sancta Domini, & Saluatoris nostri præcepta complectamur. Damasceni autem illa in religiosorum laudem præclara. Beati, inquit, certe illi, ac ter beati, vt qui Dei amore flagrarunt, atque ob eius amorem omnia pro nihilo duxerunt; siquidem lacrymas profuderunt, diéque, ac nocte in luctu versati sunt, vt æternam consolationem adipiscerentur, se ipsos vltro depresserunt, vt illic in altum extollerentur, carnes suas fame, & siti,& vigiliis confecerunt, vt illic paradisi delitiæ, & gaudia eos exciperent. Spiritus sancti tabernaculum per cordis puritatem extiterũt, vt ad Christi dexteram starent, lumbos suos in veritate succinxerunt, atque in promptu semper lampades habuerunt, immortalis sponsi aduentum expectantes. Nam cum mentis oculis præditi essent, horrendum illum diem semper prospiciebant, atque tum futurorum bonorum, tum futuri supplicij contemplationem ita in corpore defixam gerebant, vt ab ipsa nunquam diuellerentur. Laborare hic studuerunt, vt sempiternæ gloriæ compotes essent. perturbationum expertes, non secus atque Angeli fuerunt. Beati illi, ac ter beati, quoniam firmis mentis oculis prǽsentium rerum vanitatem, atque humanæ prosperitatis incertitudinem, & inconstantiam prospexerunt, eáque reiecta, sempiterna bona sibi ipsis condiderunt,& vitam eam quę numquam occidit, nunquam morte interrumpitur arripuerunt. Extremo loco inter Græ-
Lib.1. demon. Euãgel. cos addere possumus Eusębium Cæsariensem, cuius illa sunt. In Ecclesia, inquit, Dei duo modi viuendi instituti sunt; alter quidem naturam nostram,& communẽ humanæ vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiã, non opum

opum facultatē requirens,& soli diuino cultui ex immēso rerum cœlestiū amore addictus Qui hunc modū amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita seiūcti, ipsumq; dumtaxat corpus in terra gerentes, cogitatione vero, atq; animo in ipso cœlo degentes, quasi quidā cœlites reliquorum omniū vitam despiciunt, quippe qui pro vniuerso genere summo omniū Deo sacrati sint. Et talis quidē existit in Christianismo perfectæ vitæ modus. Alter vero remissior, atq; humanior: hic & modesto coniugio,& sobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curā sustinet,& iuste militātibus quę sint agēda præscribit; agros quoq;,& mercaturā adiuncta religione non negligit: & his quidem secundus pietatis attributus est gradus.

Vt vero ad latinos nostros veniamus, luculenta est etiam illa laus, quam Cyprianus tribuit virginibus Deo sacratis; *De habitu virg.* quem locum, vt selectum, Augustinus quoque affert in libris de doctrina Christiana. *Lib. 4. c. 21.* Flos, ait, est ille Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles laudis, & honoris, opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas: atque in illis largiter floret sanctæ matris Ecclesiæ gloriosa fœcunditas, quantóq; plus gloriosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudiū matris augescit. Accedit etiam eodem testis locuples Ambrosius, qui in libro de viduis in illud Domini præceptum; Cum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus, Hoc, inquit, Virgo non dicit. hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit; sed quasi reposita expectat præmia, sicut Sanctus Apostolus ait, Ecce nos reliquimus omnia; & sequuti sumus te: Quid ergo erit nobis? Non enim quasi inutilis seruus, quod debuit facere fecisse se dicit, sed quasi vtilis Domino, qui commissa sibi talenta quæsitis multiplicauit vsuris, mercedem fidei, atque virtutis bene si conscius, meritorúmque securus expectat. Idémque Ambrosius in epistola quadam; *Ep. 25.* Hæc Angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus, orationibus crebris conciliare, atque orare Dominum student lectione, vel operibus continuis mētem occupant separati à cœtu mulierum, sibi inuicem vitam præbent & custodiam. Qualis hæc vita in qua nihil sit quod timeas,& quod imiteris plurimum? Multa quoque Hieronymus in hanc sententiam, tum *Epist. 1. & 34.* alibi sparsim, tum quibusdam totis epistolis, vt ad Heliodorum, & Iulianum. ad Marcellam autē illud omnino illustre. *Ep. 17.*

Certe,

Certe, inquit, flos quidam, & precioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta Monachorum,& virginum chorus eſt. & ad Demetriadem, Apoſtolici faſtigij eſt, perfectæque virtutis,vendere omnia, & pauperibus diſtribuere,& ſic leuem, atque expeditum cum Chriſto ad cœleſtia ſubuolare:quamquam in hoc, omni ætati, omniq́ue perſonæ libertas arbitrij relicta ſit. Si vis inquit,perfectus eſſe. Non cogo,non impero, ſed propono palmam, oſtendo præmia.tuum eſt eligere, ſi volueris in agone, atque in certamine coronari.

Epiſt.8.

IN Actis Apoſtolorum quando adhuc Domini noſtri calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes poſſeſſiones ſuas,& pretia earum ad Apoſtolorum deferebant pedes, vt oſtenderent pecunias eſſe calcandas,dabantq́ue ſingulis prout cuique opus erat. Similia, ac ſimili omnino eloquentia commemorat etiam Auguſtinus in libro de Eccleſiæ moribus.Quis non illos,inquit, miretur & prædicet,qui contemptis,atque deſertis mundi illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimamque congregati,ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus,in lectionibus,in diſputationibus,nulla ſuperbia tumidi,nulla peruicatia turbulenti, nulla inuidentia liuidi,ſed modeſti,verecundi, pacati, concordiſſimam vitam, & intenſiſſimam in Deum, gratiſſimum ipſi munus offerunt, à quo iſta poſſe meruerunt? Nemo quicquam poſſidet proprium,nemo cuiquam oneroſus eſt. Patres verò non ſolum ſanctiſſimi moribus,ſed etiam diuina doctrina excellentiſſimi nulla ſuperbia conſulunt ijs, quos filios vocant, magna ſua in iubendo auctoritate., magna eorum in obtemperando voluntate. Denique poſt multa,Hos mores,hanc vitam,hunc ordinem, hoc inſtitutum,ſi laudare velim, neque digne valeo, & vereor, ne iudicare videar per ſe ipſum tantummodo expoſitum, placere non poſſe. Addamus iis etiam Bernardum, qui etſi diligentior ferme eſt in religioſis inflammandis, quam in laudandis, multa tamen de eorum laudibus in pluribus locis ſcripſit,idq́ue præſertim,Quos, inquit, quo nomine dignius appellem neſcio, homines cœleſtes, an Angelos terreſtres, degentes in terris, ſed conuerſationem habentes in cœlis. Atque idem alibi religionem vocat arcem Dei, & quidem munitiſſimam,vocat etiam Dei agrum, ex quo perpetuos redditus accipiat ingentes. Sic enim de ſua Claraualle, quod idem conuenit omnibus.Optimum, inquit, certè caſtrum tuliſti Chriſto, ſi inimicis eius tradideris Claramual

Cap.31.

Ad fratres de monte Dei.

Dedic. Eccleſ.

Serm. 4.

uallem. Optimos inde singulis annis, & pretiosos in oculis suis redditus accipit, & prædam multam, quam hostibus eripit, in hunc munitionis suæ locum solet inducere, & habet fiduciam multam in fortitudine eius. Ecce enim quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos, à solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari. Sed vberrimè, & copiosissimè alio loco idem Bernardus, quod à spiritu sancto ad sponsam Ecclesiam in Canticis dicitur, Dentes tui, sicut grex tonsarum, id ad religiosos scite omnino accommodat, his ipsis verbis. Dentes candidi sunt, & fortes; carnem non habent, carent corio, nihil inter se pati possunt, non est dolor, sicut dolor eorum; clausi sunt labiis, ne videantur, indecens est cum videntur, nisi ridendo, toti corpori masticant cibum, nullum inde saporem habent, non facile consumuntur per ordinem positi sunt, superiores alij, & alij inferiores, & cum inferiores moueantur, superiores nunquã. Huiusmodi dentes ego arbitror homines monasticę professionis, qui viam compendiosiorem, & securiorem vitam eligentes, de toto corpore Ecclesiæ, quod candidum est, candidiores videtur. Quid enim illis candidius qui totius immũdicias spurcitiæ cu tates, cogitationum sicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Isti carnem non habent, quia in carne carnem obliti audiunt ab Apostolo, Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Corio carent, quia nitorem, & distensionem mundanarum solicitudinum non habentes, in pace in idipsum dormiunt, & requiescunt. Nihil morari intra se patiuntur, quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile putant aut intra se, aut in conscientiis singulorum. Non est dolor, sicut dolor eorum; quia nihil tam horrendum, & horribile est, sicut murmur, & dissensio in cõgregatione. Clausi sunt labiis, ne videãtur: sic & nos materialibus muris circumcingimur, ne secularium oculis, & accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum forte ad risum, quia nihil turpius quam monachus per vrbes, & castella discurrens, nisi cum illa cogit, quæ operit multitudinem peccatorum. Caritas enim risus est, quia hilaris est, læta quidem, non tamen dissoluta. Toti corpori masticant cibum dentes, quia ipsi pro toto Ecclesiæ corpore, videlicet tam pro viuis, quam pro mortuis orare sunt constituti. Nullum inde saporem habere debent, nullam sibi gloriam assignare, sed dicere cum Pro-

In serm. paruis. 63.

pheta, Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Non facile consumuntur, quia quanto annosiores, tanto feruentiores, & eo rapidius currunt, quo vicinius appropinquant ad palmam. Per ordinem positi sunt. Vbi enim aliquid ordinatum est, si hic non est, vbi cibus, & potus, vigilare, & dormire, laborare, & quiescere, ambulare, & sedere, & cetera omnia in numero, mensura, & pondere constituuntur? Superiores, & inferiores sunt, quia inter nos Prælati, & subditi sunt, & sic superiores inferioribus iunguntur, vt inferiores à superioribus non discordent. Cum autem inferiores moueantur, superiores numquam moueri debent, quia etsi subditi quandoque turbentur, Prælatorum in mente composita perdurare. Sicut grex tonsarum inquit. Quam bene monachi tonsis ouibus cōparantur, quia re vera tonsi sunt quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est? Quæ ascenderunt de lauacro, lauacrum baptismus est, de quo ascendit, qui ad celsitudinem veræ perfectionis intendit, descendit autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ. Omnes gemellis fœtibus: quia & verbo pariunt, & exemplo. Et sterilis non est in eis, quia nullus est infœcundus. Hactenus Bernardus. quibus consentanea sunt, quæ ab Hugone Cardinali, docto, & vetere auctore in illum psalmi locum scribuntur. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum. Hunc enim munitum locum vult esse religionem, in qua sint muri paupertatis, vigiles Prælati, turres doctrinarum, turba prædicationis, scutum orationis, saxa etiam, nempe vitæ duritia, nec desit aqua lacrymarum. Atque idem quoque illud è psalmo exponens, Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi, ossa Christi, & Ecclesiæ quorum ea vox sit, ait esse religiosos, tum quia ipsi firmi sint, & fortes ad onera, & labores, citiúsque frangi, quam à recto inflecti queant, tum quia sustentant, & portant carnem id est, infirmitatem imbecilliorum, præterea quia sensu carent, vt pote qui mortui sint, eorūmque vita abscondita in Christo, sintque insuper candidi, tum intus per conscientiæ puritatem, tum foris per bonæ vitæ exempla, sint pleni medulla, nempe pinguedine caritatis, & deuotionis. Denique, vt ossa in carne latent, inuicemq; neruis colligantur, sic religiosi & à conturbatione hominum absconditi sint, & mutuis nexibus in vnitate spiritus, & vinculo pacis astringantur. Afferamus etiam Antoninum, qui cum multa alia in religiosi status commendationem

Psal. 20.

Psal. 34.

nem congerit, tum illud aptiſſime, quod eius bonum nobili illa ſcala Iacob ſignificatum ſit, cuius gradus nulli alij ſint quam lectionis, meditationis, mortificationis, aliarúmque omnium eiuſmodi exercitationum, quibus religio conſtat, in hac aſcendere Angelos ad hæc opera Deo Domino offerenda, deſcendere autem ad deferenda viciſſim ad religioſas animas varia Sponſi munera, ac beneficia. Et porrò incumbere ipſum Deum, quod eius gratia, atque auxilio noſtra omnia ſtudia nitantur, quæ eo tenente cadere non poſſunt, ipſéque & aſcendentibus firmamentum, & peruenientibus in fine ſit præmium. Ex quibus efficitur, vt de hac etiam ſpirituali ſcala illud idem veræ dici poſſit, quod de illa Iacob dixit; Non eſt hic aliud, quam domus Dei & porta cœli. Huic eidem applicat etiam mõtis Thabor, in quo Dominus ſemetipſum transfigurauit, ſignificationem, quod religio ipſa quoque ob altitudinem ſtatus, mons quidam ſit, ſed mons coagulatus, & pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare; in quo ſit Petrus, cuius nomen ſignificat obedientiam, ſit Iacobus mundũ per paupertatem ſupplantans, ſit etiam Ioannes virgo, per caſtitatem, quæ omnia tantopere Deo accepta ſint, vt in hac ipſa vita æternæ illius gloriæ, ac fœlicitatis ſpecimen fruendum concedat, vt qui id guſtarit, & verbis, & multo magis operibus clamet, Bonum eſt, nos hic eſſe. Luculente etiam Laurentius Iuſtinianus, cuius auctoritas, & ob ſanctitatem, & doctrinam digna eſt, quæ in horum omnium numerum, ac ſocietatem veniat. Is igitur tum vbique multus eſt in laudanda religione, tum in Opuſculo de monaſtica conuerſatione hæc habet. O beata paupertas voluntaria nihil in hoc ſeculo poſſidens, nihil formidans, quoniam omnem theſaurum ſuum recondit in cœlo: ſemper hilaris, ſemper abundans eſt, & cum nihil habeat, omnia ſibi facit communia, omne incommodum ſuo facit profectui deſeruire. Nemo certe niſi expertus percipere ſufficit quam amabilia, quam dulcia, quámue pretioſa ſint, quæ largitur Deus iis, qui pro ipſius amore ſuis, ſibíque renunciant. Hæc, & alia illo loco, idem vero vberius etiam in libro de obedientia. Quid aliud, inquit, eſſe dixerim religioſorum monaſteria, & Deo famulantium loca, quam ſtadia militaria, atque ſpiritualia caſtra pugnantium? in illis namq; in corpore per corpus in ſpiritu bellũ geritur. in ipſis, inquam, nõ viſibilia, ſed inuiſibilia tela exercẽtur. Nónne in eiſdem frequentiſſime

P.3.titu. 26.c.10. §.11.

Gen.28.

Cap.2.

Cap.18.

tissimè deuotionis lachrymæ, compunctionis gemitus, suspiria pietatis, compassionis, & caritatis ad Deum incessanter effunduntur vota, quæ profecto contra hostes nostros spirituales ignita sunt iacula, per quæ eorum prosternitur virtus, debilitatur audacia, deteguntur fraudes, & tentamenta superantur? Sane quod religionis, quod sanctitatis, quod vnitatis, quod in eisdem agitur laudis, glorificat Deum, lætificat Angelos, prodest iustis, terret dæmones, patrocinatur sæculo, & peccatores ad pœnitentiam flectit. Et quidem rationabiliter. nam cuncta, quæ in ipsis geruntur, redolent sanctitatem, præsentia Domini Saluatoris id perficiente qui ait, vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum ego sum. Ibi paupertas voluntaria primatum tenet, atque perfectionis Ecclesiæ, quam in suo exordio actitabat, præbet imaginem. Hæc planè est verè paupertatis forma, immo impredabilium thesaurorum locupletatio maxima, eorum videlicet, qui renunciant sæculo, sua erogāt, vt Christo Domino liberius famulentur. Quid, oro, locupletius, quam nihil habere, & omnia possidere, carere rebus superfluis, & vti necessariis, proprium spernere patrimonium, & Christi esse hæredem? Monasteriorum quippe redditus thesauri sunt Saluatoris, & eleemosynarum fidelium pia suffragia, qui depredari nequeunt, neque consum rubigine neque tinea demoliri. Ij profecto communes fiunt omnibus in commune viuentibus, & impertiuntur non ad libitum, sed pro necessitatis competentia. Non secernitur persona diuitis, non potentis statui defertur, sed prout cuique expedit, erogatur; quod est opus diuinum, commendatio gratiæ, charitatis officium, & naturæ exemplum. Sumit planè humanum corpus ciborum nutrimentum, quod quidem in singulis quibúsque diuiditur membris, sine disceptatione, & zelo, pro vt natura ipsa congruere nouit. Hoc quippe voluntariæ paupertatis genus reddit animum à curis secularibus liberum, ad se cognoscendum, secúmque habitandum aptissimum, ad vacandum orationi paratum, in parcitate lætum, in communicatione hilarem, in periculis securum & in omni virtutum exercitatione dispositum: eo amplius quo possessorem suum eximit de muudo, à tumultibus secularium negotiorum segregat, & sanctæ religionis reseruat in tumulo. Ibi enim illum requiescere facit ab æstu carnalium desideriorum, & à tentationum eripit turbine, à visibilium voluptatum illecebris, à fragoribus


Mar. 18.

bus ſeculi, à diaboli laqueis, & ab immanium delicto-rum multiplicibus caſibus. Nemo procul dubio explicare valet, quanto repleatur gaudio, quanta potiatur pace, qui-bus ſpiritualibus reficiatur deliciis, & quot diuinis quoti-die illuſtretur ſplendoribus, qui deliberato animo, & cœ-leſti inſpiratione afflatus renunciat ſponte ſeculo, ſecedit in clauſtro, & militat Deo, nihil terrenum ambiens, nihil temporale poſſidens, nihilque quod amorem ſuum vendi-care queat, omnino reſeruans.

Eſt quippe clauſtrum hortus concluſus, paradiſus delicia-rum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum ſchola, tabernaculum fœderis, reclinatorium ſponſi, bella-torum ſtatio, ſanctitatis domus, caſtitatis cuſtos, pudicitiæ firmamentum, religionis magiſterium, & obedientiæ ſanctæ ſpeculum ſingulare. Adiungamus his omnibus etiam Tho-mam de Kempis notæ ſanctitatis hominem, etſi antiquita-tem quærimus, qui ante ducentos ferme annos floruit. Eius igitur illa ſunt. Magnus honor, magna gloria tibi ſeruire, & omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam ma-gnam, qui ſponte ſe ſubiecerint tuæ ſanctiſſimæ ſeruituti. Inuenient ſuauiſſimam ſancti ſpiritus conſolationem, qui pro amore tuo omnem carnalem abiecerint delectationem. Conſequentur magnam cordis libertatem qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam ne-glexerint curam. O grata, & iucunda Dei ſeruitus, qua ho-mo veraciter efficitur liber, & ſanctus. O ſacer ſtatus reli-gioſi famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, & cunctis fideli-bus commendabilem. O amplectendum, & ſemper optãdum ſeruitium, quod ſummum promeretur bonum, & gaudium acquirit ſine fine manſurum. Atque idem etiam in ſermo-ne quodam ad fratres multa de religioſæ congregationis commodis. Qui bonæ inquit, voluntatis eſt, & Deum quæ-rit, inter Deum quærẽtes amplius proficiet, & firmius ſtabit. Ibi homo magis in virtute probatur, & exercetur. Ibi ad fre-quenter de negligentia arguitur. Ibi ad perfectiora, verbo, & exemplo trahitur. Ibi ſuam imperfectionem conſiderare, & lugere compellitur. Ibi alterius feruore excitatur, alterius humilitate docetur, iſtius obedientia, illius patientia moue-tur. Ibi confunditur inueniri tardior. Ibi inuenit quos ti-met. Ibi habet quos diligit, & ſic ex omnibus proficit. Ibi al-terius correptio ipſius fit admonitio. Ibi alienum periculum

Libr. 3. de imita. Chriſtia. cap. 11.

1. part. ſerm. 2.



proprium efficitur speculum. Ibi vnus alterius est custodia. Ibi homo portat,& portatur. Ibi multa audit, & videt vnde doceatur. Ibi boni commendantur, vt meliores fiant. Ibi negligentes arguuntur, vt referuescant. Ibi homo non permittitur torpescere, nec secundum suum libitum agere.

Ibi diuersa sunt officia, & multa exhibentur caritatis obsequia. Ibi omnia tempus habent, & ad opus suum quisque ex obedientia vadit. Ibi infirmus à fortiori sustentatur. Ibi sanus infirmum visitans, Christo seruire lætatur. Ibi vno deficiente, alius locum eius supplet. Ibi sana membra pro debilibus solicitatur. Ibi actiuus pro vacante laborat, vacans pro laborante exorat. Ibi homo habet multos pro se orantes, & in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios inuenit, quot socios habet. Hæc auctor iste, & complura alia, quæ ex ipsomet petere licet, cui libebit.

Veniat postremo Magnus Basilius, cui idcirco postremum locum reseruauimus, quoniam & eius auctoritas grauissima & oratio vberrima, ac disertissima, quæque vel sola per se sufficiat ad hoc argumentum, etiamsi nihil præterea totum hoc volumen contineret. Is enim de cœnobialis vitæ commodis agens, Primum, inquit, qui communionem, ac consociationem hanc vitæ complectuntur, ad illud bonum, quod ex natura est, reuertuntur. Siquidem perfectissimam ego illam vitæ communionem appello, à qua omnis propria, & priuata rei cuiuslibet possessio exclusa est, & à qua omnis abest dissensio, omnis perturbatio, & rixa: contra vero vbi omnia communia animi, mentes, corpora, eaque quibus necessario ad cultum, & victum vtimur. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum coronæ, vbi multi vnus, & vnus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ instituto quid est tandem, quod iure æquiparari possit? quid beatius dici, quid hac coniunctione, vnitate, & necessitudine aptius excogitari? quid elegantius fingi mutua inter se morum, animorumque contemperatione? Homines ex diuersis nationibus, ac regionibus profectos per exactam morum, ac disciplinæ similitudinem adeo veluti in vnum coaluisse, vt pluribus corporibus vnus tantum animus inesse videatur, vicissimq; plura corpora vnius mentis instrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine est, is complurimum animos infirmitatis suæ particeps habet. Qui vero animo æger est, ei

Const. Monast. ca. 19.

complures.

complures præsto sunt, à quibus curetur, & à quibus assidue erigatur. Hi æquabili iure inter se alij aliorum & famuli sunt, & domini, & inuicta libertate, summam inter se seruiunt seruitutem, quam non necessitas, aut casus aliqui fortuitus violenter cum ipsorum mœrore inuexit, sed cum gaudio libera animi voluntas induxit, quippe cum caritas ipsos, alioquin liberos, alios alijs subiectos efficiat, & tamen integram illis nihilominus libertatem conseruet. Tales nimirum nos Deus esse voluerat, cum nos ab initio finxit, atque in hunc finem creauit. Qui enim eiusmodi sunt, sine dubio primi parentis culpam contegentes, antiquum bonum in pristinum reuocant. Nam nisi naturæ nostræ vnio per peccatum dissecta fuisset, lites, & dissidia, & bella inter homines non essent. Hi veri imitatores sunt Saluatoris nostri, eiusque vitę, quam inter nos duxit. Quemadmodum enim ille, coacto discipulorum choro, communia cuncta, seque ipsum communem ipsis præbuit, ita hi quoque antistiti suo obtemperantes (qui modo vitæ suę præscripta rite obseruant) genus viuendi Apostolorum, ac Domini imitantur. Hi, vitæ communitate retenta, Angelorum vitam æmulantur. Nulla enim est inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuersia, sed cum quisque habeat quæ omnium sunt, omnes tamen integras apud se diuitias suas conseruant. Nam Angelorum diuitiæ non ex ea sunt materia, quæ circumscribi possit, quam si in plures diuidatur, necessario imminui oporteat. Sed contra eorum diuitiæ omnis materiæ expertes sunt, & in sola mentis cogitatione consistunt, & ideo cum integra, & salua apud singulos sua cuique bona permaneant, omnes æque diuites efficiunt, nempe quæ sine controuersia, & pugna ab omnibus possideantur. Summi enim boni contemplatio, & virtutum certissima comprehensio Angelorum thesaurus est. Hæc autem eiusmodi sunt, vt, cum perfectam eorum pro se quisque possessionem adeptus fuerit, vniuersis tamen in ea liceat intueri. Sine dubio igitur tales sunt veræ pietatis cultores, vt eorum studium non de rebus terrenis sit, sed de cœlestibus, & indiuidua quadam diuisione eadem vniuersi, & singuli, apud se quisque conseruent. Hi dum hac viuendi ratione laudabili, & hac communitate, cœlestis vitæ, ac status formam egregie effingunt, futura regni promissi bona præcipiunt. Hi perfecte rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil cuiusquam proprium sit, sed communia omnium omnia. Hi perspicue de-

monſtrarunt quot, & quanta bona conciliarit nobis Redẽptor noſter per carnem aſſumptam, dum laceram hominum naturam,& in partes pene innumerabiles diſſectam, quantum quidem in ipſis eſt,redintegrant, Deoque reconciliant. Omnium enim eorũ, quæ à Saluatore noſtro in carne geſta ſunt, ſumma huc pertinet; vt humanam naturam cum ipſam ad ſe ipſam, tum etiam ad Deum reuocaret, & ſublata praua diſſectione,in priſtinam integritatem, coniunctionemque reſtitueret, atque vt peritiſſimus aliquis medicus, corpus in plures partes conciſum ſalutaribus medicamẽtis religaret.Neque hæc ideo perſequutus ſum,vt dicendo augerem, & eorum, qui communem hanc vitam adamarunt, præclaras virtutes verbis exaggerarem. Non enim ea eſt mihi facultas dicendi, vt rebus per ſe magnis ſplendorem poſſit afferre: quin metuendum eſt mihi potiùs,ne exilitate ſua eas per ſe claras obſcuret: ſed vt, quoad fieri poſſet, excellentiam,ac dignitatem tam præclari ſtudij demonſtrarem.Nam quid eſt tandem,quod, ſi huic comparetur, non iure longe inferius iudicetur? Apud quos enim pater vnus ſit, qui cœleſtem Patrem imitetur, & filij multi, qui ſummæ in magiſtrum ſuum beneuolentiæ officiis mutuo inter ſe alij alios ſuperare contendunt, filij inquam, & vna inter ſe concordibus animis aſtricti,& honeſtiſſimis virtutum operibus patrem delectantes, nec vllam neceſſitudinis ſuæ cauſam ex natura petentes,ſed rationem,quę firmior eſt,quam natura, coniunctionis ſuæ ducem, ac cuſtodem aſciſcẽtes, & ſe inter ſe ſpiritus ſancti vinculo conſtringentes; ad horum,inquam,inſtituti tam præſtantis magnitudinem exprimendam,quæ ſatis idonea in terris ſimilitudo inueniri poſſit? Sed enim ea in terris nulla eſt: ſola cœleſtis relinquitur Impatibilis cœleſtis Pater impatibilis hic quoque omnes ſibi ratione concilians. Incorrupti filij cœleſtis Patris: hoc quoque incorruptionis ſtudium filios fecit adoptiuos. Quæ in cælo ſunt,caritate inter ſe coniunguntur:hos quoque caritas copulauit. Sine dubio aduerſus huiuſmodi phalangem nihil inſidiarum Diabolus ordiri audeat, vt qui contra tot bellatores parem ſe intelligat eſſe nõ poſſe,qui adeo expediti,adeoque conferti aduerſus ipſum militant.& caritate veluti teſtudine acta ſe inter ſe protegant, ſpirituq; conſepiãt,
Pſal.132. vt omnes illius à ſe ictus repellant. De his in carminibus ſuis exclamauit Dauid,Ecce quam bonum,& quam iucundũ habitare fratres in vnum: quibus verbis per bonum ille

vitæ

vitæ probitatem expressit, per iucundum autem eam lætitiam quæ ex concordia, & animorum coniunctione gignitur. Hoc vitæ genus qui diligenter colunt, ij cœlestem, ac summam mihi virtutem imitari videntur. Hæc Basilius. Hactenus igitur de Patrum auctoritate in vniuersum: nam reliqua eorum dicta, ac sententias, quæ multæ sunt, de singulis partibus, vel fructibus religionis suo quamque loco in reliquis his libris exponemus.

Quid sit Religio, & quotuplex eius bonum.

CAPVT II.

NVnc, quod in omni disputatione fieri solet, & debet, vt id, quo disputatur, primum omnium definiatur quid sit, idem in religione faciendem est, tum ne animus vagetur *Cic. 2.*
errore, tum etiam quia hoc ipsum ad religionis commenda- *nat. deo.*
tionem valet. Hoc vero à quibusdam non incommode ex *Isid. 10.*
ipso eius nomine deduci solet, quod alij à relegendo dictum *etym. c.*
putant, vt qui omnia, quæ ad Dei cultum pertinerent, dili- *17.*
genter pertractarent, & tamquam relegerent, ij religiosi ap- *Lib. de*
pellari cœperint. Alij, quorum princeps Augustinus, à reli- *vera re-*
gando: quod S. Tho. vberius exponens initio eius libelli, quẽ *lig. circa*
scripsit aduersus impugnantes religionem, ita ferme disserit. *finem.*
Ligare rem dicimur, quam ita alteri rei astringimus, vt ei facultas adimatur alio diuertendi: religare autem, quam iterũ eidem rei deuincimus, cum qua prius coniuncta fuerat, & à qua defluens distare cœperat. Omnis autem res creata antea in Deo extitit, quam in se ipsa, cum vero à Deo per creationem processit, quasi quibusdam passibus progressa, sese ab eo remouisse videtur. quare eæ quidem, quæ possunt, & quæ eius capaces sunt, rursum in Deum reuocandæ, & cum eo colligandæ sunt. Primum autem vinculum, quo homo coniungitur, & alligatur Deo, est fides, cuius fidei officia, & signa externis actibus exhibentur. Ex quo fit vt religio prima, ac præcipua significatione, omnem cultum, ac ceremoniam notet qua Deum rite venerantes, fidem nostram, quæ in animo latet, contestamur. Sed tamen quia Deus nõ sola fide, nec solis fidei signis colitur, verum alijs quoque virtutibus, spe, & caritate, ideo harum quoque virtutum opera interdum religionis opera appellantur, vt visitare pupillos, & viduas in tribulatione, quemadmodum dixit Iacobus Apo- *Cap. 1.*

postolus. Et prior quidem illa religionis significatio in omnes Christianos conuenit. Omnes enim ipsa baptismi professione se se ligant cum Deo, ac deuouent ad cultum ei debitum præstandum: posterior autem, quibusdam caritati operibus illigamur, propria, ac peculiaris est certorum hominum, qui certis etiam actionibus destinantur, siue hæ ad vitam contemplatiuam, siue ad actiuam pertineant: quot enim sunt hæc operum genera, tot religiones ad ea exequẽda institui possunt. Hæc B. Thomas illo loco, quę tamẽ vt fiãt clariora, hoc intelligendum est, Religionis vocabulum duplicem habere notionem. interdum enim virtutem quamdam significat: quæ iustitiæ pars est, interdum vero statum in hac virtute fundatum. Itaque natura virtutis cognita, facilius etiam ipsius, status natura cognoscetur. Religionis ergo, qua virtus est, ex theologorum sententia, illud proprium est, vt Deo cultum reddat illi debitum maiestati, tum ob eius præstantiam, atque excellentiam, tum ob beneficia, quæ accepimus, & perpetuo accipimus. Atque hic quidem cultus cum partim sit interior in animo, partim etiam exterioribus quibusdam officijs contineatur, ceremoniarũ, rituum, sacrificiorum, & reliquorum huiusmodi, vtrumque hæc virtus complectitur, & vtrumque exequitur. Qui igitur in his muneribus versantur, seque huic rei totos impendunt, ij religiosi appellantur. Ad statum autem religiosum hoc insuper requiritur, vt ita se certis operibus diuini obsequij, quæcunque ea sint, applicet, vt se à reliquis omnibus, quæ impedire possint, penitus remoueat, ac segreget. Recte enim hoc quoque S. Thomas eodem, quem diximus, loco, sicut in baptismo morimur peccato, sic per statum religiosum non solum peccato, sed etiam seculo nos mori, illo scilicet in opere, ac munere, quod quisque professus est. Sic enim se habere hæc duo, vt quemadmodum per peccatum animæ vita tollitur, ita per seculi occupationes Dei famulatus impediatur, idque Apostolum confirmare, cum ait, Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Hæc autẽ diuini famulatus impedimenta, quæ ex seculo proueniunt, si recte attẽdamus, tria sunt præcipue, primũ diuitiæ, deinde voluptates corporis non solũ illicitæ, ac Dei præceptis interdictę (id enim iam ad peccatum pertinet) sed etiam coniugij lege restrictæ, denique propria voluntas, cui si frena laxentur, licẽtior facta in omnem nos ambitionem, & dominandi cupiditatem inducit. Quare hæc tria tollenda iis, qui se Deo rite, & in-

2. Tim. 2.

& integre mancipare ſtudeant, tolluntur autem per tria opposita, diuitiæ per paupertatem, coniugium per continentiam, voluntatis licentia per obedientiā. Ex quibus iam ea, quam quærimus, religionis deſcriptio elucescit. Eſt enim nihil aliud, quam ſtatus quidam ad Chriſtianam perfectionem tendens, idque per tria vota, Caſtitatis, Obedientiæ, Paupertatis. Nam quod de perfectione Chriſtiana hic dicitur, non habet dubitationem, quin ea in Dei amore cōſiſtat, eiecto omni amore tum noſtri ipſorum, tum aliarum omnium rerum creatarum. Ad hanc autem perfectionem tendere hic ſtatus dicitur, non ad eam peruenisse, aut in ea verſari: non enim neceſſe eſt religioſo, vt iam perfectus ſit, iamque comprehenderit, neque id ille profitetur: ſed ſi aſpiret, ſi conetur, officio ſatis eſt. Poſtremo etiam ſtatus appellatur, quia nihil magis neceſſe eſt, quam vt genus hoc vitæ ſtabile ſit, & fixum, ac perpetuum, & immobile. Aliud enim eſt perfectum eſſe, aliud eſſe in ſtatu perfectionis, illud omnes cōſequi poſſunt virtute, innocentia, ſanctitate: ad ſtatum vero aliquid aliud requiritur. Nam homo quoque ſi alteri homini obſequia impendat, verum id libere faciat, quātum libuerit, & quamdiu libuerit, vt amicus amico ſolet, non tamen ſtatum, aut cōditionem mutat: mutat autem, ſi ſe illi totum in perpetuū donet, ac nexu tradat, quia tum è libero ſeruus efficitur. Sic igitur non religioſa tantum opera religioſum faciunt, niſi duo inſuper accedant: primum, vt certa promiſſione, ac voto expreſſo ad ea opera ita obligetur, vt iam illi integrum non ſit vel ceſſare, vel etiam velle ceſſare. Deinde vt hæc ipſa obligatio non ad certum, ac definitum tempus, ſed ad totam vitam ſuſcipiatur: quæ duo cum concurrunt, tum vero quaſi ex firmitate, & ſtabilitate, ſtatus appellatur. Huic autem firmitati vel maximum pondus adiungit etiam ſummi Pontificis auctoritas, quæ cum in reliquis, tum in religioſis inſtitutis conſtituendis, & confirmandis ea eſt, quam is habere debet, qui Chriſti vicem inter homines repræſentat, vt quicquid in terris liget, etiam ligatum ſit in cœlis. Iure igitur ita ea neceſſaria eſt, vt, ſi abſit, nec vota noſtra tantum robur, ac firmitatem habeant, nec ipſa religio ſit verè religio, non quo hoc ad eius intrinſecam naturam pertineat, quoniam religionis fundamenta Euangelio ipſo, & Chriſti Domini inſtitutione nituntur, ſed quia, cum in variis viuendi formulis, quæ ex hominū placito aliæ alio modo inducuntur, ineſſe poſſit vitia, atque errores, his præ-

cauendis

cauendis salubriter prouisum est, ne vllum iam religiosum ordinem fundari liceat, nisi Apostolicæ sedis consensu, & approbatione. Et quidem, quod litteris extet, Franciscus primum, & Dominicus, separatim vterque, sua magis sponte, quam legis cuiuspiam coactu, Innocētio III. instituti, quod meditabantur, rationem pontificia potestate sanciendam obtulerunt. Quod cum in Lateranensis Concilij tempus incidisset, in eodem concilio cautum, ac scitum est, vt id in posterum solemne esset, ac perpetuum, idémque non multis post annis à Gregorio X. in Lugdunensi Synodo renouatum, & deinde in vniuersalis Ecclesiæ mores receptū est. His igitur positis religiosæ iam vitæ non natura solum, sed etiam pulchritudo ac præstātia, quasi eminus spectantibus apparebit, quæ scilicet tantæ virtutis, quanta est religio, primus, ac perfectissimus sit gradus. Est enim religio ex earum quidē genere, quæ morales dicuntur, sed tamen moralium omnium maxima, & præstantissima. Etsi enim materia, quæ ei proximè subiecta est, non est ipse Deus, sed humanæ actiones siue animi, siue corporis, quas ad Dei obsequium dirigit, informat, instruit, aliquo tamen modo illam diuini numinis maiestatem attingit, vt certè proximè absit à tribus illis Theologalibus, quæ tum credendo, tum sperando, tum amando in ipsum se Deum quodammodo immergunt. Religionis autem flos quidam est Sanctitas, quam virtutem ita Theologi definiunt, vt eius proprium sit munus, mentem nostram ab omni labe purgatam, integram, & sine macula Deo offerre, eamque, & vires eius omnes illi consecrare. Cuius quidem muneris amplitudo primum ex eo apparet, quod aliæ virtutes morales vni illi omnes tamquam ministræ, ac famulæ inseruiunt, aliæ purganda voluntate, aliæ ratione illuminanda, aliæ etiam appetitu coërcendo. Apparet item ex effectu: eius enim, vt docet S. Thomas, duo quasi sunt partus, oratio, ac deuotio, quarum altera in Dei familiaritatem, atque amplexus inducit, altera promptitudinem, & alacritatē tribuit ad omnia, quæ Dei cultus requirit: qui furor, ac studium voluntatis tanti est, vt, si is absit, ipsa munera nostra multo ei minus grata sint: si adsit, ea etiā maiorē in modū cōmendet, & gratiora reddat. Hęc igitur religio, tā præclara virtus, cum suis itē tā præclaris partibus, quas ei adiunctas esse diximus, ipsa forma, & tamquā anima est religiosi status: adeoque in hoc statu ea virtus eminet, vt aliorū statuum religio, ne religio quidē videatur, non quia non sit, sed quia tanto inferior est,

S. Thom. 2.2.q.81.

Ibidem.

est,vt illius splendore obscurata,non appareat.Ostende hoc, ipsum nomen,quod in cōmuni omniū vsu à generali illa virtute ferme iā recessit,& in hoc nostro viuēdi genere remansit.Itaq; nulli iam alij religiosi nominantur,quam qui seculo exēpti, perpetuis obstrictam votis Deo seruitutem exhibent.

Quoniam autem ita docet Aristoteles, & verum est, tria esse bonorū genera quibus homines moueantur, aliud quod vtilitatis, aliud quod honestatis, ac dignitatis,tertium etiam quod delectationis speciem habeat, id erit ostendendum, hæc omnia genera in vnam hanc vitæ formam concurrere. Quod quidem rarum admodum est in reliquis huius mundi rebus, vt sit,in quo hæc omnia reperiantur. Ita enim ferme comparatum est,vt quæ salubria sint,eadem amara,& insuauia gustatu videantur, quæ verò dulcia, & iucunda, raro cum dignitate cōiuncta sint.Sed hoc spiritualibus rebus proprium est, vt nulla boni parte vacent. Quamquam, eodem auctore Aristotele, cum de bono agitur, plurimum interest vtrum reipsa. & verè bonum sit an verò ita videatur, ideo autem quibusdam videatur, quod ita affecti sint: vt ægrotanti vtilis est sectio,non autem sano, at verò iucunda aquæ potio, quàm sanus respuat. Hoc ergo idem in moribus euenit. Nam si non dicam ab ethnico, & infideli, sed etiam à Christiano vel auaro, vel ambitioso quæramus quid ij vtile, quid gloriosum, quid iucundum putent, vtérque ex suæ mentis constitutione respondebit,alter pecuniam, alter honorum copiam. Quam ob rem, ne in re tanta fallamur, vt in ædificando, sic in his metiendis, atque æstimandis, sua quoque linea,ac regula adhibenda est. Est autem hæc linea finis ipse,ex quo necesse est aliarum rerum, quæ huc ferunt, iudicium pendere. Quid est autem illud, cuius gratia animam,& corpus,& quicquid habent,acceperunt, & quo tum tacitis naturæ principiis, tum apertis gratiæ incitamentis impelluntur? Sine dubio beatitudo, & ea quidem æterna: neque enim alia est, quæ vera sit beatitudo. Ex huius igitur æstimatione bonorum etiam omnium æstimatio moderanda est quæ enim ad eam consequendam vtilia sunt, ea verè, & solidè vtilia illa verè iucunda,& dulcia,quæ illius summæ iucunditatis, summíque gaudij gustum aliquem, ac specimen continent. Denique illa etiam verè gloriosa, quæ veræ illi,ac sempiternæ gloriæ quàm simillima sunt & quàm coniunctissima, vt vnam hanc gloriam,vnam hanc & solam delectationem,vnam etiam vtilitatem agnoscere, & expetere debeat

2. Eth. cap 3.8. Eth. c.2.

debeat quicumque sic à fide Christiana institutus est, vt certò credat, alteram quandam esse vitam, in qua sita sit æterna felicitas, & in ea felicitate ipsum suum finem positum esse intelligat, quod quidem Christiani omnes intelligunt. Hæc igitur omnia in religioso statu amplissima, atque vberrima inesse, deinceps demonstrandum est.

Hominem non esse suum, sed Dei, idque ob septem causas.

CAPVT III.

EX his tribus, quæ sunt proposita, primum tractari, oportet vtilitatis caput. Etsi enim minus obscurũ est, quàm reliqua duo, quin potius omnes vltro fatentur in religione magnam existere spiritualium commodorum abundantiam, tamen hoc ipsum diligenter explicandum est, vt præcipuum, & maximum, & certè eiusmodi, vt vel solùm sufficere possit. Nam si in terrenis rebus terrenæ vtilitatis respectus ita mouere solet, vt etiam ad laboriosa, & aspera quæuis, etiam ad humilia adigat, quantò magis spiritualis vtilitas, quæ, vt diximus, vera est vtilitas, & non temporalis, aut breuis, sed æterna? Sed tamen, vt hæc, quàm dicimus, vtilitas certius constet, quoddam prius ponendum est, non huius solùm disputationis, sed totius etiam, vt ego arbitror, Christianæ vitæ fundamentum, homines omnes ea lege natos, & factos esse, vt serui, ac famuli sint magni Dei, & tamquam serui in rebus omnibus, siue magnis, siue paruis, vnam ipsius spectent voluntatem, eique omnino, ac totos sese accommodent. Est enim communis quidam error, quo plerique homines tenentur, non modo mali, & omnino perditi, sed etiam alij meliores, qui satis esse putant, si peccatis abstineant, de reliquo licere sibi & vitæ statum deligere, & in ipso statu rationes suas pro libito moderari, vt sibi placeat, vel vt commodum sit. Contra quem errorem hoc statuendum atque stabiliendum est, quòd paulò ante posui, humanam naturam ex ipsa sua conditione, verum, ac legitimum dominum habere summum illud, & infinitum numen: quo fit vt ex eius nutu, ac voluntate nos totos, totámque vitam, & actiones singulas gubernare nos deceat, ac si ij esse volumus, qui esse debemus, ne pedem, aut digitum quidem illius iniussu mouere. Rectè enim Augustinus quodam loco, quod etiam hîc optimè conuenit, Quid, inquit, tam tuum, quàm tu, & quid tam non tuum, quàm tu, si alicuius es, quod es?

Tract. 29. in Ioan.

Nam

Nam vt iumentum,quicquid est, hominis est, sic homo, & multo magis,totus est Dei.Ex quo sequitur, vt quemadmodum illud bonum existimari solet iumentum, quòd nihil impetu suo facit, sed ita se mouet,vt ab hero suo mouetur; sic homo tum hominis expleat officium, cùm eius & voluntas, & opera omnia Deo vni seruiunt, & ad Deum diriguntur: contra verò, cùm Dei oblitus, sibi seruit, suásque actiones ad se ipsum refert,& suæ voluntati velificatur,eadem prorsus, ac multo etiam maior sequitur deformitas, quæ iumenti fugitiui, aut calcitrantis aduersus possessorem suum. Quàm peruersitatem aptissimè indicauit sacra scriptura illa similitudine, Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri,se liberum natum putat;in quem locum optimè Gregorius, Necesse est, inquit, vt homo in cunctis suis motibus sub dispositione disciplinæ religetur, & tamquam domesticũ animal loris vinctum seruiat, atque æternis dispositionibus restrictum viuat. Qui ergo implere cuncta quæ desiderat, per effrenatam libertatem quærit, quid aliud quàm pullo onagri esse similis concupiscit, vt disciplinæ hunc lora non teneant, sed audenter vagus per syluam desideriorum currat? & paulò infrà, Restat ergo, vt si esse iam similes pullo onagri nolumus, in cunctis, quæ appetimus,nutum prius intimæ dispositionis exquiramus, vt mens nostra in omne, quod nititur, superni regiminis loro teneatur,& inde magis vota sua ad vitam impleat, vnde vitæ suæ studia & contra propriam voluntatem calcat. Hanc eandem hominis seruitutem tam necessariam, tamque salutarem intellexit, & expressit etiam aptissimè Augustinus, eamque ipsam ostendit fuisse causam, cur Deus primò parenti nostro præceptum iniunxerit, & tale præceptum, ad vsurpandam & in illum, & in nos omnes, qui eius lumbis continebamur,iustam,ac legitimam iurisdictionem.Nam si,inquit, ita fortasse disputaret Adamus, si bona est arbor, quare non tango?si mala,quid facit in paradiso?Responderet Deus, Bona est arbor, nolo tangas: quare? Quia dominus sum, tu seruus:hæc tota causa est:si parua est, dedignaris esse seruus. Quod ipsum argumentum alibi idem tractans, ita scribit, Oportebat vt homo sub Domino Deo positus,alicunde prohiberetur, vt ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quàm possum verissime dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate, primúmque esse, ac maximum vitium tumoris ad ruinam, sua

Iob 11.

10. Mo. 10.

Psal. 70. conc. 2.

Gen. ad lit. lib. 8. cap. 6.

sua potestate velle vti, cuius vitij nomen est inobedientia. Non esset ergo vnde homo dominum habere cogitaret, atque sentiret, nisi aliquid ei iuberetur. Quare. vt illuc redeamus, certum hoc esse oportet, si homines in officio esse velint, ita se ipsos instituere debere, vt tota eorum vita ex Deo pendeat, & quasi ex eius imperio, ac ductu, suspensa, & religata sit, itaque attenti sint ad omnes eius nutus, sicut oculi seruorum, vt dicitur in psalmo, in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ. Hoc enim est quod Gregorius quodam loco ait, Sicut benè obsequentes famuli dominorum suorum vultibus semper intenti sunt, vt ea quæ præceperint, festine audiant, & implere contendant, sic iustorum mentes per intentionem suam omnipotenti Deo assistunt. Quamquam non mirum est, ista à Gregorio, reliquísque Patribus dici, cum Plato ipse ethnicus philosophus scripserit, homines esse vnam quandam ex Deorum possessionibus, ex quo ille confirmat, qui sibi ipsi vitam eripiat, Diis iniuriam facere. Nam tu quoque, ait, si aliquod ex tuis mancipiis se ipsum perimeret, cum id concessu tuo non fecisset, nónne indignareris? Quoniam igitur totum in eo positum est, vt nos seruos, Deum autem verum esse Dominum intelligamus, de quo est apud Prophetam, Dominus nomen illi; vtile etiam erit causas huius nostræ seruitutis, quæ nos, ac nostra omnia Deo subiicit, cognoscere; quæ causæ plures fortasse sint, sed eas, quæ nunc nobis occurrant, breuissime septem attingemus.

Psa. 122.
16. Mor. cap. 16.
In Phædone.
Amos 9.

Prima igitur ea causa est, quæ ex ipsius diuinæ naturæ præstantia, & excellentia ducitur, si præsertim cum nostra natura comparetur, quæ tam est infirma, pusilla, ac propemodum nihil. Huius rationis quæ vis sit, quodque momentum, libet ex ipso Aristotele petere, vt eo euidentior sit, si ex ipsius naturæ lumine, ac principijs hauriatur. Is enim quodam loco confirmat, seruitutem hominum aduersus alios homines posse esse naturalem, ac iustam, quoniam in omnibus, quæ ex plurium concursu constituuntur, & in quibus vnum quippiam commune efficiatur, alia esse oporteat necessario, quæ naturaliter dominentur, alia quæ naturaliter subiecta sint. Probat hoc inductione quadam rerum omnium, primum inanimarũ, nam in mixtis vnũ semper superat elementũ, in leuibus ignis, terra in grauioribus, in alijs alia. In omni vero animãte, anima ipsa naturale habet imperium in corpus, idque regit, & impellit, quo vult. Ac in ipsa quoque

1. Polit. c. 3.

animá,

anima, si præter appetitum sit etiam ratio, vt in homine, rationi sine dubio, vt præstantiori, principatus debetur, eamdemque ob causam inter animalia homini, inter homines ipsos sexui masculo, vtpote meliori, ac nobiliori. Ex quibus confici vult, quicumque in omnibus excellat, ei naturaliter principatũ deberi, idque ex eo apparere, quod homines, cum aliquem corporis forma excellentem vidẽt eum dicere solent dignum esse imperio. quod si corporibus verũ est, multo magis in animis: sed corporis pulchritudinem facile videri, animi non item. Hæc Aristoteles; qui ne id quidẽ in dubio reliquit, quid ille per seruilẽ cõditionem requirat: addit enim ita se habere seruum ad dominum, vt res possessa ad possessorem, vel pars ad totum. Vt enim neque res possessa, neque pars sui ipsius est, sed possessoris, & totius; sic seruum, quicquid est domini sui esse. Igitur si, vt hic Philosophus sensit, tanta esse potest inter res ipsas creatas distantia, vt aliæ alijs naturali iure subdantur, quanto hoc verius erit inter Deum, & hominem? nam quantumcumque homo homini præstet, non alia esse potest differentia, quam doctrinæ, aut sapientiæ, vel ingenij, vel reliquorum eiusmodi accidentium, atque hæc ipsa inæqualitas, quæcumque sit, finita tamen est neque adeo magna. Ceterum in natura nihil est discriminis. omnes enim & corpus ex vna materia, & animam eiusdem formæ habemus. Sed conferamus nunc hominem cum Deo, sapientiam cum sapientia, bonitatem cum bonitate, potentiam cum potentia, essentiam quoque cum essentia. Non modo infinitum est interuallum, sed etiam quicquid homo habet, à Deo habet, à se autem nihil, ideoque melius, ac verius nihil habere nihilque esse dicendus est. Ex quo illud est, quod Deus, & solus potens à Paulo, & solus bonus ab ipso Saluatore, & solus etiam esse à beato Iob dicitur. Quod si tota terra ad vniuersi cœli complexum, vt Mathematici persuadent, non amplius, quam vnius puncti instar obtinet, cum tamen terra tam ingens, cœlum vero finitum tandem sit, quid erũt singuli homines respectu illi⁹ infinitatis, & illi⁹ abyssi, in quẽ innumerabilia, eadẽq; immẽsa bona cõcurrũt, & cõfluunt, vt merito quasi admirãs dixerit Dauid, Magnus Domin⁹, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius nõ est finis?

1. Tim. 6. *Mat. 19.* *Iob. 23.* *Psalm. 144.*

Secũda causa cur nemo suus, oẽs Dei sum⁹, ex eo maneat, quod ab illo cõditi, & creati sum⁹. Nã etiã inter homines

ipsos, cum multa sint iura habendarum rerum, vt emptione, vt donatione, & alijs, tamen nulla iustior, & grauior est causa, quam ipsius rei productio, atque effectio.
1.Cor.9. Quis plãtat vineam, ait Paul⁹ Apostolus, & de fructu ei⁹ non edit? sic qui domũ ædificat, qui arcam ligneam conficit, aut statuã, denique quoduis opus manib⁹ suis perficit, eius operis idẽ omni iure, ac lege dominus est. Quod etiã multo magis locũ habet in Deo: quoniã homines artis efficiẽtia nihil aliud possunt, quã externã formam, & quasi faciẽ rebus inducere, naturã autẽ ipsam siue ferri, siue ligni, aut alteri⁹ rei nec producere, nec attingere quidem possunt. Deus autẽ vsque ad ipsum (vt ait Augusti-
1.Cõf.6. nus) rerum fundum, id est, vltimum, atque extremũ essentiæ gradum sua vi, & virtute pertingit. Itaque vel hoc nomine præcipuè videmus in sacra scriptura omniũ domina
Psal. 23. tũ Deo tribui. Sic enim legimus, Domini est terra, & plenitudo eius. Ipsi⁹ est mare, & quasi huius ratio reddatur, & ip
Psal.94. se fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. Itẽ illud,
Psal. 37. Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinẽ eius tu fundasti. Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus
Psal.49. es auroram, & solem. & alibi. Meæ sunt omnes feræ sylua-
Agg. 2. rum, iumenta in montibus, & boues. Meum est aurum, & meum est argentum. Denique omnia simul comprehensa
Iob. 41. sibi vendicat Deus in libro Iob. Omnia quæ sub cœlo
Act. 17. sunt mea sunt. & Paulus in illa doctissima concione Athenis habita, Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli, & terræ cum sit dominus. Itaque cum reliquorum omnium ideo legitimus dominatus ei tribuatur, quia ab illo condita sunt, cur non etiam hominum? de quo
Eze. 18. sic ipse per Ezechielem, Ecce, inquit, omnes animæ meæ
De qua sunt, vt anima patris, ita anima filij mea est. Recte igitur,
dr. debi & vere Bernardus ĩ sermone quodã ex hoc ipso capite in-
to. ter alia confici vult, vt op⁹ opificis, ita nos auctoris quoq; nostri totos esse. Ecce, inquit, in ianuis est qui fecit cœlum, & terram, & creator tuus est, tu creatura, tu seru⁹, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totũ ergo quod es, illi debes, à quo totũ habes, illi præcipue Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat syderũ cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuũ vbertatem. Huic re vera totis medullis, totis viribus seruiẽdũ, ne forte indignatiõis oculo te respiciat, & despiciat, & cõterat ĩ ęternũ. Atque in eandẽ quoque sententiã Laurentius Iustinianus,

Clamat

Clamat,inquit,innata ratio,vt quisq;se illi subijciat,à quo habet vt sit.Humana siquidem natura cũ à Deo sit cõdita, & per eũdẽ actualiter inesse subsistat, ex necessario quodã iustitiæ,& æquitatis iure,mandatis sui obligatur auctoris. Nã etsi innumera sint homini prærogata beneficia , quib9 ad famulãdũ Deo astringitur,ex hoc solo,quod ab illo habet esse , vsq; ad mortem ei obtemperare tenetur. Deniq; Lactantius etiã aptissime , Apparet nullam aliam spẽ vitæ homini esse propositam,nisi vt abiectis vanitatib9,& errore miserabili,Deũ agnoscat, & Deo seruiat, nisi vt huic tẽporali renunciet vitæ,& se rudimentis iustitię ad cultũ religionis instituat.Hac enim cõditione gignimur vt generati nos Deo iusta , & debita obsequia prębeam9, hũc solũ nouerimus, hũc sequamur : hoc vinculo pietatis obstricti Deo,& religati sumus,vnde ipsa religio nomen accepit. *Lib. de obed.c.5.* *4. Insti. cap. 26.*

Sequitur tertia causa huius seruitutis ex hominis fine. Nam quæcumque res propter alteram facta sit , eam illi subiectam, ac veluti mancipatã esse oportet , seque ad eã omnino , ac penitus conuertere. At humana natura nullũ aliũ habet,nec habere potest finẽ,quam ipsum Deum. Vnde est illud de ipso in Apocalypsi, Principium, & finis,primus,& nouissimus;quia vt inuolucrum clypei causa factũ est,vt vagina gladij, vt dom9 inhabitandi gratia,sic homo propter vnũ Deũ.Etenim vt ait S.Thomas cum necesse sit, eundem esse finem efficiẽtis,& rei effectæ,vt architecti,& domus ędificatę,Deus autem,cuius præstans natura nullo extrinseco bono eget , nullam aliam ob causam ad agendum impelli possit, quam propter se ipsum,sequitur vt homini quoque sit finis præstitutus idem Deus. Atque hoc etiam ex naturali rerum omnium ordinatione intelligere licet,quę sic nexæ sunt,vt inferiores & imperfectiores nobiliorũ,ac meliorũ gratia cõditę sint,eisq; ad vsum subiectæ.Quare Aristotelis quoque sententia fuit,plantas,& cętera vegetabilia facta esse propter animalia, animalia vero propter hominẽ; mansueta quidem ad vsum,& cibum, agrestia vero partim ad eundẽ cibum,partim ad alia adiumenta,vt vestium, & aliarum rerum. Quamquam melius hoc Bernardus,qui hæc ipsa à Deo donata nobis ait omnia ad aliquam vtilitatẽ , sed alia ad sustentationem , alia ad eruditionem,quædam ad delectationem, postremo etiam non pauca ad correptionem. Possumus igitur , certeq; debemus ex istorum exẽplo, atque obedientia , nos quoque *Apoc. 1. & 22.* *1.p.q. 44. art. 4.* *1.Polit.5.* *Qui habit. ser. 13.*

discere, quam nos Deo obedientes, ac subditos esse oporteat. Nam & boues terram nobis subigunt, nulla sua vtilitate tanto labore: equorum vero genus modo oneribus ferendis, & vectandis, modo cursu, modo passu nobis deseruit: nostra est quoque canum solertia, & agilitas in custodiendo, in venando: quo in munere ita præsto sunt homini, vt vocis imperio & immittantur in feras, & sistantur, & reuocentur, tamquam boni, & obedientes famuli, idemque de similibus in suo quoque genere intelligi potest. Neque vero timendum est hominibus, ne ideo minus felices, aut etiam minus sint nobiles, propterea quod non sibi nati sint, sed alteri. Valeret hoc fortasse, si ad alterã creaturã, cuiusmodi ipsi sunt, finitã, & limitatam dirigerentur. Nunc vero cum ad Deũ dirigantur, summũ, infinitumq; bonum, tantũ abest, vt de eorum dignitate hoc aliquid detrahat, vt etiam multũ addat: Nam cũ vt paulo ante diximus, Deus ipse nullum aliũ finẽ habeat, quàm se ipsum, sic fit vt homo quoque ad eiusdem finis participationem proueh atur; quod sũmæ cuiusdam dignitatis est nec gloriosi⁹ quicquã m homini contingere poterat, eoq; magis, quòd eius finis præstantia multa quoque alia magna, & præclara secum affert ad eum finẽ consequendum adiumentã. Ex quo illud est optimum Augustini, qui cum duplicẽ rerum ordinem discreuisset, aliarũ, quibus fruendum sit vt fine, aliarum quibus vtendum, vt medio, ac deinde quæstionem proposuisset, Vtrum homo seipso frui, an vti debeat, responsionẽ subijcit verissimam, nefas id omnino esse, vt quis se ipsum amet propter se. si enim, inquit, se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad se ipsum conuersus, non ad incommutabile aliquid conuertitur, & propterea iam cum defectu aliquo se fruitur, quia melior est, cũ totus hæret, atque constringitur incõmutabili bono, quam cũ inde, vel ad seipsum relaxatur.

De Doctr. Christ. lib. 1. c. 35. & 21

Accedit ad has etiam quarta causa, Dei præceptum super additum, nõ quidem seruiendi, aut timendi, aut etiam obediendi, sed amandi, in quo illa omnia abunde continẽtur. Nam & hoc magis bonitatis, amorisq; propriũ est, vt amari se velit, quam sibi seruiri, & animam perfectius Deo subijcit, cuius clauis est ipse amor, & denique gen⁹ est seruitutis multo iucundioris, ac nobilioris. Quod autem longe perfectius subijciat, apparet ex eo, quod hic amor vim habet nõ solũ mutuæ inhæsionis, de qua dicit Ioannes, qui

manet in caritate,eum in Deo manere, & Deum in ipso, *1.Ioan.4.*
sed etiam ecstasis illi⁹,de qua Dionysius, vt quemadmodũ, *4.cap.*
commode dici solet,anima sit potius vbi amat, quam vbi *diuin.*
animat. Quod si vulgaris hic amor boni infini hoc tamẽ *nom.*
facit,quid faciet amor illius summi,& infiniti boni,& quidem tam perfectus,vt eũ Deus exigit,in toto corde, in tota anima, & in omnibus viribus? Nam quod dicit in toto, *Matth.*
ait Basilius, nullam in res alias diuisionẽ admittit. quantũ *22.*
enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris,tantũ necesse *In psal.*
se est.vt demas de toto.Idem dicit etiam Augustinus,dile- *44.*
ctionem Dei, quæ hoc diuino præcepto tam seuere exigi- *1. Doctr.*
tur, nullum pati riuulum extra se duci, cuius deriuatione *Christ.*
minuatur.Recte etiam Gregori⁹,Notandum,inquit,quod *c.22.*
diuinus sermo cumDeum diligi pręcipit,nõ solũ narrat ex *10. Mor.*
quo, sed etiam informat ex quanto,cũ subiungit, ex toto, *cap.4.*
vt videlicet,qui perfecteDeo placere desiderat,sibi de se nihil relinquat. Ex quibus apparet, hunc amorem, si is est, qui esse debet,& qui nobis tam expresso pręcepto iniungitur,eiusmodi esse oportere,vt nos Deo perfectissime tradat, & in eius potestatẽ plenissime transferat,ac poti⁹ nos ipsos in eum transfũdat.hęc enim omnia in amãdo insunt.

Est etiam alia causa hui⁹ tanti debiti, qua nulla iustior, aut grauior existere potest, quod scilicet ita Deo obnoxij sumus,quasi serui emptitij.Sic enim apertePaul⁹Apostol⁹,
Non estis vestri, empti enim estis pretio magno.Hoc autẽ *1.Cor. 6.*
pretium magnũ est ipseChristus, totus,vt ait S. Bernard⁹,
nobis datus,totus in nostros vsus expẽsus. Vere enim nul *Ser.3.*
lus vmquam homo alteri homini ad seruiendũtraditus ita *Circum.*
proprius illius fuit, ac Verbũ illud æternum, Patrisque imago & vniuersis hominibus, & singulis tributus,concessus, donatus est. Vnde Esaias in spiritu exultans,Paruulus *Esai.9.*
natus est nobis.& Paulus,Proprio filio nõ pepercit,sed pro *Rom.8.*
nobis, omnibus tradidit illum.& idem alibi, Qui dedit se- *Tit.2.*
met ipsum pro nobis. Ipse vero Dominus, ac Saluator,Sic *Ioan.3.*
Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.
Igitur si creationis ratio nos sibi totos vẽdicabat, quod eã animam,& illud corp⁹,quod dederat,iure repeteret,quanto magis vendicabit hoc emptionis gen⁹,quo suam Christus animam,& talẽ animam,suũq; corpus dedit,& diuinã insuper personã:Præclare Chrisostomus homilia quadam; *Hom. 11.*
Cum,inquit,per Christũ Iesũ mortuũ viuamus,ei vtiq;,ob *in 2.ep.*
quẽ viuimus, viuere debemus. Atque hoc quidem vnũ, & *ad Cor.*

idem esse videatur. Ceterum, si accurate expendatur, duo diuersa esse reperiuntur: vnum nimirum, quod per ipsum viuimus, alterum, quia ipse nostra causa mortuus est, quorum vtrumque vel separatim perpensum tanti momenti est, vt ei obnoxios, & obstrictos reddere possit, ijs vero cōiunctis, & in vnum conflatis, tu æstima quam ingens debiti summa multiplicetur. Ac Bernardus etiam in Sermone illo de quadruplici debito, hoc quidem primo loco reponit. Primo, inquit, Christo Iesu debes omnem vitam tuã, quia ipse vitam suam posuit pro tua, & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Addit deinde multa in hãc sententiam, quæ sic ad extremum concludit omnia. Cum ergo ei donauero quicquid sum, quicquid possum, non ne istud est sicut est stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad
Ep. 143. montem, granum ad aceruum? Atque idem etiam alibi de hoc ipso, Etsi, inquit, cetera taceam, hoc solo certe non immerito sibi vendicat vitam nostram, quia pro ea posuit suam. Nemo igitur sibi viuat, sed ei, qui pro se mortuus est. Cui enim iustius viuam, quam ei qui si nō moreretur, ego non viuerem? cui commodius, quam promittenti vitam æternã? cui magis ex necessitate, quam flammas perpetuas
De dili. Deo. minitanti? Denique Bernardus idem alio loco optime, & vberrime; vt appareat quam hic sensus ei certus, & fixus fuerit. Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quã factus. Nam qui me semel & tantum dicendo fecit, in reficiẽdo profecto & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?

Sexta causa, & ea quoque inter maximas, ducitur ex præmij, quod nobis paratum est, infinitate: id autem est
In psal. 32. æterna, & immortalis gloria, in qua, vt ait Augustinus, & nos Deus possidebit, & Deus possidebitur à nobis, idque vtrumque propter nos; Ergo cum ille nos possessurus sit, & hoc ad beatitudinem pertineat, inchoemus iam nunc hanc ipsam beatitudinẽ, & ab eo possideri velimus: rursusq; cum illũ possessuri simus, non graue nobis videatur, quod talis, ac tanti boni possessio, nostri ipsorum tam parua, tenuique iactura emenda sit. Hoc enim in summa est pretium, quo

Deus

Deus illā gloriam, illamque felicitatem, ac gaudia emi voluit, nempe dandis nobismetipsis. Quod argumentū diserte ab Augustino tractatur his verbis, Quātum laborat homo, quādo mors imminet, fugiendo, latendo, quicquid habet dando, & se redimendo, laborando, cruciatus, molestiasque sustinendo, medicos adhibendo, & quicquid aliud homo potest? Si ergo labore tanto, tanto conatu, tantis impendiis, tanta instantia, tanta vigilantia, tanta cura agitur, vt aliquāto plus viuatur, quomodo agendū est, vt semper viuatur? Et, si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, vt differant mortem, & viuant paucos dies, ne perdant paucos dies, quam stulti sunt, qui sic viuunt, vt perdāt diem æternū? Pone ergo hic hominem viuentem, saluum, nullas pœnas patientē: si ei donaret quispiam, vt semper sic esset, & hoc bonum non deficeret, quantū gauderet, extolleretur, quo modo se non caperet lætitia, sine pœna, sine cruciatu, sine fine vitæ? Si hoc solum nobis promitteret Deus, quod dixi modo, quibus potui verbis descripsi, ac commendaui, quanti erat emendū, si venale esset, quātum dandum erat, vt emeretur. Sufficeret ne quicquid haberes, etiamsi totum mundū possideres? & tamen venale est eme si vis, nō multum exæstues de re magna propter pretij magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista tanti valet, quantum es tu. Te da, & habebis illam, sed malus sum, inquies, & forte non accipit me. Dando te illi bonus eris, vt huic fidei, promissioniq; te des, hoc est bonum esse. Hæc Augustinus; ex quibus satis constet, non alia nos ratione regnū illud adipisci posse, quam si nos totos, quicquid sumus, & quicquid possumus, Domino Deo verissime dedamus. Et iure id quidem; quia infinitum illud præmium infinito etiam labore dignum fuerat: quod quoniam non potest, saltem hoc requiritur, vt quæcumque habemus, in illud omnia conferamus. Id enim est etiam aliquó modo infinitum, si à nobis nullo fine, nullisque limitibus restrictum fuerit. *Ser. 64. de verb. Dom.*

Sed has quidem obligationes partim naturæ nostræ cōditio, partim etiam Dei voluntas, & lex citra nostrū assensum imposuit. Reliqua est vna, quā nos ipsi vltro, ac sponte subijmus. Vt enim reges, populos sibi legitime subiectos, tamen iureiurando adigūt, vt eos propria quoque spōsione deuinctos teneant: sic Deus, quamquam & iure creationis, & emptionis, totq; alijs nominibus obnoxij ei era-

mus, tamen nostra nos etiam promissione per iuramentum confirmata, obligati voluit, vt fides nostra tali vinculo eo arctius stringeretur. Suscipitur autem hoc sacramentum eo tempore, cum baptismo regenerati, non solum in Christi militiam ascribimur, sed etiam, vt ait Paulus, Filiorum adoptionē recipimus. Cuius quidem promissionis, seu fœderis cuiusdam, quod cum Domino initur, duę sunt partes, altera, quod mundum, mundique præmia omnia à nobis abijci, abdicatiq; profitemur, ac contestamur: altera, quod nos Deo vni dedimus, ac dicamus, non solum vt milites, aut filios, quod ante dixi, sed etiam vt vera, ac viua membra in Christi corpus inserta, vt iam tamquā membra non nobis ipsis, sed illi corpori, reliquisq. membris viuamus. Ac de priori quidem huius obligationis parte crebra mentio est apud Sanctos Patres, vt Cyprianū, Gregorium, Ambrosium, & hunc præsertim, cuius illa sunt præclara, Quando te, inquit, interrogauit, Abrenuncias diabolo, & operibus eius, quid respondisti? Abrenuncio. Abrenuncias seculo, & voluptatibus eius? Abrenuncio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographū homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniā eius accipias, teneris obstrictus, & reluctantem fœnerator astringit, atque illic tua cautione constringeris, Vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cœlo. Ergo abrenunciasti mundo, abrenunciasti seculo, esto solicitus: semper recordare quid promiseris. Rectè etiam Augustinus, Hic, inquit, inimico vos renunciare professi estis: in qua professione, non hominibus, sed Deo, & Angelis conscribentibus, dixistis, Renuncio. Renunciate non solum verbis, sed etiam moribus, nō tantum sono linguæ, sed & actu vitæ, nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronunciantibus. De posteriori vero obligationis huius parte sæpe S. Paulus in suis epistolis, vt in illo loco ad Galatas. Quotquot baptizati estis, Christum induistis. Ac plus etiam ad Colossenses, Mortui estis, & vita vestra abscōdita est cum Christo in Deo. Ex quo est illud Nazianzeni, Vt breuiter, inquit, dicam, nihil aliud existimandum est, esse vim, atque auctoritatem baptismi, quàm pactum quoddam cum Deo initum secundæ vitæ, ac purioris, & præstantioris instituti. Quam ob causam vel maximè in metu esse debemus, atque animas nostras

Gal. 4. *Cyp. li. 1. epi. 5.* *Greg. Ho. 29. Euang.* *Amb. 1. de sacr. c. 2.* *De Sym. ad Cat. li. 4. c. 4.* *Gal. 3.* *Col. 3.* *Ora. 40.*

accuratiſſima cuſtodia ſeruare, ne falſam profeſſionē edidiſſe videamur. Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi ſoleat, quanto periculoſius eſt, magiſque timendum, ne fœdera cum ipſo Deo aſtricta perfregiſſe videamur? Ac Bernardus quoque illud pſalmi dictũ, Nec iurauit in dolo proximo ſuo, ad hoc iuramentũ, quod in baptiſmo iuratur, diſerte applicat, quod ea ſit, vt ipſe loquitur, profeſſio fidei Chriſtianæ, vt qui viuit, iam non ſibi viuat, ſed tum ei, qui pro omnibus mortuus eſt, tum proximis, pro quibus ille mortuus eſt. *Serm. Quis aſceu. in mon. Do.*

Quare, vt concludamus, cum tot tantæque cauſæ cõcurrant, ſi boni ratiocinatores in ſalutis noſtræ negotio eſſe volumus, magnã quandam, ac potius immẽſam obligationis ſummam cõfici videbimus, cuius obligationis vis non video quo meliori modo exprimi, ac declarari poſſit, quam illo affectu, illiſque verbis Prophetæ Dauid, Et anima mea illi viuet. Sic enim exiſtimandũ eſt cuique hominũ, & quaſi intime ſentiendum, ſe ſuum non eſſe, ſed Dei, & quicquid ſit, quicquid valeat, quicquid habeat, nõ ſibi, ſed Deo vni ſeruire debere, eique ſemper dirigi. Ex quo illud etiam ſequatur, vt in ipſius poteſtate ſemper ſe eſſe velit, quinimmo, & gaudeat, omneq; eius voluntatẽ, ac mẽtis impetum hoc intueri debere, vt ad diuini placiti arbitrium ſe, & ſua ſtudia, actiones, cogitationes aſſidue conuertat: denique illum Prophetæ ſenſum & animo ſemper fixum, & factis etiã ipſis expreſſum gerat, Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Tenuiſti manum dexterã meam, & in volũtate tua deduxiſti me. Nec vero magnum videatur homini, quod eam Deo præſtet obedientiam, ac ſeruitutẽ, quã ſibi à iumentis præſtari videt. Nã ſi hoc ipſe à iumentis exigit, quæ tamen nõ creauit, & in quæ nihil aliũd iuris habet, præter naturæ eminentiã, quãto magis ipſum Deo ſubditũ, & ſubiectũ eſſe oportet, qui natura tanto inferior, & ab ipſo inſuper creatus, eique tot aliis nominibus obſtrictus eſt? Quæ ſi ita ſe habent, quæ culpa, vel potius quã multę culpæ in vna culpa erunt eius, qui ſui iuris eſſe velit, atque ex volũtate ſua nõ ex volũtate Dei, vitã ſuam, actioneſque gubernare, & denique ita viuat, vt non ex Deo pẽdeat, ſed ex ſuis ipſius placitis? Quid enim turpius, aut peruerſius, quam ſeruus, qui vel ex heri domo profugiat, vel in domo herili nihil minus cogitet, quam de eius iuſſis? Iure igitur in huiuſmodi homines conuenit illa Prophetę *Pſal. 21.* *Pſal. 21.*

phetæ sententia, vel potius obiurgatio, & cōminatio. Confregisti iugum, rupisti vincula mea, dixisti, Non seruiam. Huic antē delicto quæ pœna, quodve supplicium debetur? nempe quod Bernardus quodā loco definiuit, Dignus plane est, inquit, morte, qui tibi Domine Iesu recusat viuere, & mortuus est: & qui tibi nō sapit, desipit, & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Propter temetipsum Deus fecisti omnia, & qui vult esse sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Recte etiam Cyprianus. Ipse, inquit, de seruo tuo exigis seruitutē, & homo hominem tibi obedire cōpellis, & cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio vna moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, nisi tibi pro arbitrio tuo seruiatur, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus, & nimis seruitutis exactor, flagellas, verberas, fame, siti frequenter, & carcere affligis, & crucias, & nō agnoscis miser Dominū Deum tuū, qui sic exerceas in homine dominatū?

Hier. 2. *Ser. 20. Cant.* *Contra Demetri.*

Religiosum statum satisfacere huic obligationi, dum nos perfecte Deo tradit.

CAPVT IIII.

SI hæc quæ de hominum omnium debito tam grandi, tamque multiplici aduersus Deum diximus, vera sunt, vt sunt verissima, & certissima, magna est omnino omnibus curæ ac solicitudinis, atque etiam formidinis alicuius indicta causa. Non enim cum altero homine creditore res nobis est, cuius manus effugere liceat, sed cū eo, à quo nusquam discedatur, & qui mittere nos possit in carcerem, donec reddamus nouissimū quadrātem. Neque vero simplex malum, vel vnus tantū est error, si quis se Deo neget, cuius est totus, sed tot errores, quot causæ, quæ cum Deo totum vendicāt. Quare si Dominus summo iure nobiscum agere velit, & rationes dati & accepti seuerius subducere, nemo plane inueniatur, qui sit soluendo. Nam vt multum demus, immo vt omnia illi demus, non amplius dare possumus, quā semel omnia, cum tamen hæc ipsa omnia non semel ei debita sint. Itaque cum nos ipsos totos, & omnia dederimus, vix vni fortasse nomini dissoluendo satis erit: reliqua vero nomina, & reliquæ causæ debendi integræ permanebunt. Quamobrē scite Bernardus de hoc ipso debito, Nunquid, ait, vt vulgo dicitur, de vna filia duos generos facere statuisti?

Matt. 5. *Ser. de quadr. deb.*

ſtatuiſti?quamquã hic multo etiam plures, quam duos. Et tamẽ hoc Dei bonitas patitur,nec ſolum patitur,ſed etiam gaudet,ſatiſq; ſibi,& potius abũde factum exiſtimat,ſi nos ei ſemel totos offeramus. Hoc ergo efficitur per religioſum ſtatũ,qui religioſos omnes quicquid ſunt,& quicquid poſſunt,ſine vlla exceptione,nullave ipſorum ſibi reſeruata parte, Diuinæ Maieſtati largitur,& dicat. Donat enim primo corpus ipſum,quod cõtinẽtia,& caſtitate ſubactum ita præparat, vt ad omnia Dei imperia præſto ſit, fiatq; in nobis quod Dominus præcipit, Sint lũbi veſtri præcincti (quã præcinctionem Gregorius ad caſtitatẽ refert) & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum. Donat deinde etiam animam,quod eſt omnino multo pręſtantius donum.Donat vitã,quæ ad Dei ſeruitium tota exponitur, donat opera omnia vitæ,ſtudia,vigilias,labores, exercitationes:denique,quod eſt omnium maximũ, ipſam etiã totius hominis dominã voluntatẽ,qua tradita, totus homo traditur, ea vero perfectiſſime traditur per Obediẽtię virtutem,cuius etiã voti vinculo ita aſtringitur, vt nihil velle poſſit,quod à Dei voluntate abhorreat. Quamobrẽ ſic ſtatuendũ eſt,cũ ſumma hominis vtilitas, & ſalus in hoc conſiſtat,vt quantuſcumq; eſt,totus ſit Dei,id maxime, & certiſſime in religione perfici,qua quiſque arbitrium ſuum,ac voluntatẽ ſuã exuens,eam Dei manibus reſignat idq; altero homine interprete,ac medio,vt ea etiam reſignatio certior,ac manifeſtior ſit.Atque hæc ſane cõmunis eſt omniũ etiã Theologorũ opinio,qui ita religionis vim, ac naturã explicant,vt per vota ſolẽnia inſit in ea quædã vera,& perfecta ſui traditio, quod inter alios grauiſſime B. Thomas affirmat,& confirmat hoc exẽplo:Vt ſi quis,inquit, agrum promiſiſſet,deinde illũ ipſum exhiberet, aut ſeruitutẽ alicui pollicitus,confeſtim ſeſe ei in ſeruũ daret: ſic facit qui ſe in pręſenti dat Deo,diuinis ſe ſeruitiis mãcipando. Hæc ille,quibus omnino cõgruit Auguſtini ſentẽtia,qui in verba illa pſalmi Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob,Quid vouemus,inquit,niſi vt ſimus templũ Dei?nihil enim gratius poſſumus Deo offerre,quã vt dicamus ei cũ Eſaia,Poſſide nos.Egregie autẽ, & expreſſe Chryſoſtomus in illa diſerta epiſtola ad Theodorũ monachũ,Nũc,inquit, nihil in te penitus tui iuris eſt,quippe qui tãto Imperatori militare cœpiſti.Nã ſi mulier proprij corporis poteſtatem nõ habet, ſed vir,multo magis ij,qui Chriſto tutius,quam ſibi

Luc. 12. *Hom. 13. in Euangel.* *4. Sent. diſt. 37. q. 2. q. 3.* *In pſal. 131.* *Eſa. 26. iuxta Sept.*

ſibi viuunt, conditionem ſui corporis habere non poſſunt.
Lib.2. c.3. Caſſianus etiam de priſcorum monachorum inſtitutis, hoc præcipuũ fuiſſe narrat, quod ij ſuos docerent, & in quo eos quam ſtudioſiſſime exercerent, vt non ſolum vniuerſis facultatibus redderentur externi, ſed ne ſui quidẽ ipſorũ ſe dominos eſſe, vel poteſtatẽ habere cognoſcerent. Cui con-*In Epi. ad Canonicã.* uenit illud Baſilij præceptũ, oportere vnumquemque religioſum ita exiſtimare, ſe nequaquã ſui iuris eſſe, ſed perinde ac ſi in ſeruitutem à Deo fratribus addictus ſit, ita & *De præcep. & diſp.* ſentire, & facere omnia. Optime vero S. Bernardus qui & ex ſua ſentẽtia, & ex ipſa S. Benedicti regula, hoc affirmat, religioſum nec ſui iam corporis habere poteſtatem: idém-*Qui habitat. Ser. 8.* que alio loco illũ pſalmi locum tractans, Verũtamen oculis tuis conſiderabis, hoc ait ad futurũ tempus referendum eſſe, nempe cum ad Dei viſionem peruenerimus, in qua Deus reddet nobis nos ipſos, & inſuper dabit ſeipsũ. Nunc enim religioſo cuique ita agnoſcendum, & ita cogitandum eſſe, oculos ſuos non ſuos eſſe, ſed Dei, cum videlicet per vota in religione nuncupata, omnia ſua membra, propriis renuncians voluntatibus, diuino cultui manciparit. Itaque graue ſacrilegium eſſe, ſi quis Deo dicata membra pro ſuis voluntatibus vſurpet, eaque in vſus vanitatis, curioſitatis, aut huiuſmodi ſecularis operis aſſumat. Hoc igitur certum ſit, ex religione, ac potiſſimum ex religioſis votis omnes conſequi, vt nos maieſtas illa plene, ac perfecte poſſideat, quoniam ſic illi nos totos permittimus, vt tamquam re, quam quiſpiam manu teneat, ſine reluctatione, ac reſiſtentia, vti poſſit ad quæ velit, quantum velit, quandocumq; velit: poſſit mittere, reuocare, retinere, erigere, deprimere, denique in omnem partem, atque omnem formam, & in omnem locum tamquam ſuos conuertere. Itaque vt à notioribus, & humanis exemplis hæc etiã ſpiritualia, & occultiora intelligamus, quemadmodum inter homines rerum dominium, ac proprietas ab vno ſæpe in alterum legitime transfertur, ſic exiſtimandum eſt fieri inter nos, ac Deum, vt noſtræ voluntatis cõſenſu noſtri ipſorum dominiũ à nobis ipſis abdicetur, & in Deum trãsfundatur. Ac in humanis negotiis ſunt certæ quædam contrahendi formulæ ſolemnes, ac iure definitæ, quarũ ea eſt auctoritas, vt cum ſemel vim ſuam habere cœperint, nõ poſſint amplius reuocari, aut reſcindi, vt eſt donationis, vel venditionis, vel etiã commutationis. In hoc autem contra-

ctu,

ctu,qui cum Deo initur,si recte cogitemus,horũ omnium rationes inesse cognoscemus. Et quidẽ Paulus Apostolus depositum appellat:sic enim gloriatur;Scio cui credidi, & certus sum,quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. Nam vt in deposito aliquid alicui cõmittitur,vt id seruet,ac custodiat ad tempus, ac deinde illud idẽ restituat:simillime nos quoque voluntatis, ac libertatis nostræ vsu priuamur ipsi quidem, sed ad certum tempus,idque breuissimum, nẽpe donec in Domini nostri gaudium intremus,tunc enim hanc ipsam voluntatis nostræ libertatem nõ solum integre,sed etiam admodum cumulate recipiemus,reddetq; nobis Deus nos ipsos,vt ait S. Bernardus. Sed tamen quia in deposito totum adhuc ius, & potestas retinetur,nos autem ita nos Deo tradimus, vt nihil in nobis nostri reseruemus, an ideo potius fortasse donatio dicẽda est,quia nos totos vltro, ac sponte ob Dei amorem resignamus?an vero venditio,quoniã non omnino gratis nos damus,sed magnũ vicissim pretium,ac mercedem recipimus,id est,æternã beatitudinem? an denique erit etiam cõmutatio quædã,quia hoc ipso tempore quantum nos Deo,tantum se nobis Deus impertit, dispari valde vice, Deum pro homine immortalem pro caduco, immensum,& beatissimum pro pusillo,& miserrimo? Me vero illud etiam magis delectat, vt in hac nostra traditione vim potius veræ, ac necessariæ restitutionis inesse sentiamus.Reddimus enim Deo quod suum est: ac cum iustitiæ sit, atque æquitatis, vt homo hominis rem ei restituat, & qui nõ faciat,furti reus sit,multo magis æquum,magisque necessarium erit,vt quod est Dei, ne puncto quidẽ temporis apud nos retineamus;quod iam nõ furti solũ,sed etiam sacrilegij crimen esset. Ex quo est illud Hilarij in Matthæum,Cæsari Dominus ait reddendum esse quod Cęsaris est,Deo autem,quæ eius sunt propria, corpus, animã, voluntatem.Ab eo enim hæc profecta,& aucta retinemus, & proinde condignum est,vt se totos reddant, cui debere se recolunt & originem,& profectum.Idem dicit etiã Augustinus,sed illud addit,quod valde ad rem nostram pertinet, hanc nostri redditionẽ perfectissime fieri votis religiosis. Sic enim ait. Reuera quisquis bene cogitat quid voueat Domino,& quę vota reddat,se ipsum voueat,se ipsum reddat.Hoc exigitur, hoc debetur. Inspecto nũmo Dominus dicit, Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt.

2.Tim.1. *Qui habitat. Ser.8.* *Can. 23. in Matt.* *In psal. 115.*

ſunt.Imago ſua reddatur Cæſari,imago ſua reddatur Deo. Hoc igitur cũ iam fecerint,& ita perfecte fecerint religioſi,nũ dubitare poſſumus,quin eis congeniat promiſſum il-
Eſa. 43. lud diuinũ,quod eſt in Eſaia,Et nunc hæc dicit Dominus, creans te Iacob,& formãs te Iſrael.Noli timere,quia redemi te,& vocaui te nomine tuo Meus es tu.Iucundum vero nomẽ,Meus es tu,magiſq; glorioſum,ac magnificũ, quam omnes familiarum,aut honorũ tituli,quos mundus hic iactare poſſit.Itaque idem Iſaias hanc eandem gloriam horum, qui ſe Dei eſſe glorientur, alibi commemorat. Iſte,
Eſa. 44. inquit, dicet, Domini ego ſum, & ille vocabit in nomine Iacob,& hic ſcribet manu ſua Domino,& in nomine Iſrael aſſimilabitur.Nempe ij manu ſua ſcribunt,qui hoc Chriſti ſacramentũ ſuſcipiunt,ijdẽq; veriſſime vel Iacob, vel Iſraelis nomen accipiunt, qui & malignum hoſtem ſapientia ſupplantarunt,& humilitate Deum ipſum ad ſeſe inflexerunt.Hoc igitur poſitum ſit quaſi fundamentũ in Religionis vtilitatibus ampliſſimis, quod nos Deo perfecte poſſidendos tradat.Ex quo duo maxima commoda cõſequuntur. Primũ,quod vna eademque opera, & quaſi vna pecunia tot illis debitis,quę ſunt ſupra à nobis commemorata, ſatisfacimus.Deinde quod hoc ipſum, eſſe Dei, & inter eius res cenſeri,innumeras nobis affert vtilitates noſtraſq; animas omnibus bonis complet.quod diſerte docet Augu-
Pſal. 34. ſtinus,Poſſideat te,inquit, vt poſſideas illũ.Eris prædiũ ipſius,eris domus ipſius.Poſſidet vt proſit,poſſidetur vt proſit. Numquid vt aliquid ei tũ proſis? Nam dixi Domino,
1. Poli. ca.3. Deus meus es tu, quoniã bonorum meorũ non eges. Nec mirum hoc,cũ Ariſtoteles dicat, & vere dicat in ijs omnibus, quæ ita à natura ordinata ſunt, vt aliud inferius ſit, aliud ſuperius,nihil vtilius eſſe poſſe inferiori ,quã vt ſuo ſuperiori quam maxime ſubiectum ſit.Nam & corpus,niſi ab anima regatur,multũ damni facere, multoq; magis ſi ab anima deſeratur:& in ipſa quoq; anima,appetitũ, niſi à ratione gubernetur,inordinatum eſſe, & turpẽ: quin ipſis quoque animalibus expedire, vt in hominis poteſtate ſint, quoniam ab eo ſalutem recipiunt,id eſt,alimenta,atq; etiã diſciplinã quandã. Si ergo hoc inter res creatas euenit, vt quæ alteri rei natura ſubiecta ſit,cũ ei ſubijcitur, perficiatur,cum ſeiungitur,damnum faciat; quãto magis eueniet creaturæ cum Deo, vt ei quã optime ſit,ſi ſe quam maxime Deo ſubdiderit:contra vero,ſi quemadmodũ prodigus ille filius,

filius, suam substantiam sibi habere, rationesq; suas à Deo omnium patre, & domino separare voluerit, in illa eadem damna egestatis, famis, ignobilitatis, & omnium denique miseriarum incidat? *Luc. 15.*

De laqueis, & occasionibus peccandi, quæ sunt in seculo.

CAPVT V.

REdeamus nunc ad fundamentũ illud, quod supra positum est ex cõmuni, ac generali obligatione, qua omnes homines Deo obnoxij tenentur, vt in eius semper obsequijs viuãt, seque totos ad eum referãt. Et cum iam perspectum sit, huic obligationi quam cumulate per religiosam vitam satisfiat, videamus iam quam non satisfiat per vitam mundanam. Sic enim melius etiam religionis vtilitas elucescet, si miserrima, ac periculosissima seculi conditio cognoscatur. Vt enim si quis ex carcere, vel ergastulo ereptus sit, eo verius beneficij magnitudinẽ æstimat, quo magis ærumnas illas expertus sit, sic religio, quamquam multa habet, propter quæ per se expetenda sit, tamen multo optabilior fiet, cognitis mundi calamitatibus, & miserijs, quibus ea nos liberat. Neque tamen has videre difficile est. Nec enim eiusmodi res est, quæ obscura, aut recondita sit, sed potius in prospectu, & quæ omnium oculis pateat, qui modo oculos habeant. Sed tamẽ quia sic fere euenit hominibus, vt quo maiora sunt spiritualia mala, quibus tenẽtur, eo minus illa sentiãt, quod ea sit horum malorum natura, vt mentẽ obscurent erroribus, proponendum est aliquid, quod quasi sensum ipsum moueat, vt nos magis ad cognitionẽ, intelligentiamq; conuertat. Fingamus igitur animo locum aliquem maxime lubricum, ac præcipitem, in quo ægre se quispiã, quamquã bene firmis viribus, tenere possit. Addamus deinde hoc quoque, esse in eo loco aliquem morbis grauissimis, & plurimis confectum, & plane eneruatum. Denique ad hæc omnia accedat, qui vrgeat, & impellat ad cadendum, isq; non vnus, sed multi, & valentissimi. Qui ergo talis sit, talique in loco moretur, quo modo nõ eius deplorata sit salus? Igitur locus ille lubricus est hic mundus, omnes autem homines ægri, & infirmissimi, dæmones denique semper infensi, & infesti. Lubricus sine dubio, ac præceps est mundus, in quo omniũ difficillimum

ſit ſuſtinere ſe à lapſu, & quidem eo lapſu, qui ſemel incitatus, eo deinde magis, ac magis in procliue, & in omnia vitiorum abrupta deuoluatur. Hæc autem procliuitas nihil eſt aliud, quam innumerabiles illecebræ, & incitamenta peccandi, quæ ſi compendio colligere velimus, ad tria capita redigi poſſunt. Primum ad peruerſas, & præpoſteras eius leges, deinde ad exempla omnis prauitatis, quibus ſcatet: denique ad infinitas occaſiones, & veluti laqueos ad animas capiendas. Habet mundus ſuas leges, & ſua præſcripta, quæ ſectatoribus ſuis ſeruanda proponit. de quorum iniquitate, ac peruerſitate hoc vnum ſatis ſit, quod tota, vt aiunt, diametro repugnant ſanctis, ac ſalutaribus Chriſti Domini legibus. Nam Chriſti quidem decreta nota ſunt, Beatam eſſe paupertatem, beatum luctum; ſi quis vnam maxillam percuſſerit, præbendam alteram; abnegandam voluntatem; amplectendam crucem, & alia eiuſmodi multa. Contra verò, quæ ſunt mundi decreta, & axiomata quædam? Nota ſunt hæc quoque; Nihil miſerius, & contemptius paupertate, nihil beatius diuitiis, curandum eſſe corpus, voluptates omnes exquirendas; pulcherrimum eſſe eminere inter alios, imperare, celebrari, verſari in hominum ore; ſi quis conuitium dixerit, verbere appetendum, ſi quid grauius fecerit, vulnere. Ex his legibus omnes viuunt, his quaſi regulis mortalium actiones, ſtudia negotia diriguntur, & formantur. Hæc & in domibus, & in foro, & in publicis, & in priuatis conciliis, denique in omni ſermone, & in omni re decantantur. Hæc prima ſunt rudimenta, quæ teneris puerorum animis mature inſtillantur, cum primum vel parentum, vel magiſtrorum cura inſtrui cœperint, vt prima illa ætas cerea, & flexibilis, omni ſubito prauitate, & opinionum erroribus imbuatur. Vt vero ex domeſtica diſciplina in populi etiam conſpectum prodimus, tum multo magis vniuerſæ multitudinis ad vitia conſenſu omni corruptela inficimur. Nam cum ab omnibus præſentia iſta laudari, opéſque, honores, & reliquas vanitates tam ardenter exquiri videmus, quis erit animus ille tam ſapiens, & tam fortis, qui non ſe ab aliorum omnium iudiciis, ſermonibus, conſiliis auferri ſinat? Vt enim ſi quis in loco anguſto aduerſus confertam, & conglobatam turbam ſeſe inferre obnitatur, ipſe potius à turba retro abripiatur, quam eam perrumpere valeat, ſic cum non corpora, ſed animi, ac ſententiæ, moréſque multorum certam in partem feruntur, multo facilius

eſt,

est, vt te quoque secum in eam partem abducant, quam tu illorum impetum sustinere, ac superare possis. Primum enim occupatur, vt dixi, iudicium illo præiudicio plurium ita opinantium, & ita loquentium, addo etiam ita facientium, vt ne errare quidem se intelligat, qui viæ tam communi, támque hominum pedibus tritæ, se insistere videat. deinde, etiamsi ita sapiens, aut felix sit; vt hoc intelligat, altera tamen maior pugna restat in his exequendis, quæ meliora esse cognoscit. Aderunt enim statim cateruæ contradicentium, & qui partim suadendo, partim irridendo, partim detrahendo deterreant. Imbecilla est autem natura humana ad contemnendum quid se alij sentiant, aut dicant; eáque res multis exitio fuit, qui cum virtutis curriculum ardenter essent ingressi, populi deinde sermonibus, ac modo inimicorum, modo etiam amicorum linguis, misere, ac fœde reuocati sunt. Hæ sunt igitur mundi leges, quas ille quidem omni ope, omnibúsque viribus tuetur.

Alterum periculi genus in seculo est ex malis exemplis. Cum enim aliorum intemperantia, vel lasciuia, cum turpitudines, cum vanitates, aut ambitiones, cum cetera peccata ante oculos proponuntur, etiam si non ignoremus esse peccata, tamen nescio quam vim habent ad nos quoque seducendos: siue quod eo minus iam malum videri incipit, quo plurium vsu iam vulgarius, & quasi fit familiarius; siue quod hæc sit hominum natura, vt sui similes homines libenter, & facile sequatur. Quæcumque causa sit, certe hoc constat, nullum fere esse acriorem stimulum ad peccandum, quam prauum exemplum: quod à Sapiente monstratum est illa similitudine aptissima; Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Itaque recte Hieronymus, Procliuis est, inquit, malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. Et Cyprianus, Et oculi, ait, nostri, & aures custodiendæ sunt. Cito in hoc assuescimus, quod audimus, scelere. Nam cum mens hominis ad vitia ipsa ducitur, quid faciet, si habuerit exempla naturæ corporis lubricæ? Quæ sponte corruit, quid faciat, si fuerit impulsa? Ac quod in naturalibus effectibus videm⁹, vt ignis igne, & omne simile simili gignatur, idem quoque euenit in moribus. Nihil enim facilius, quam vt superbia superbiam, iracundia iracũdiam, omne deniq; vitium sui generis vitium in aliorum animis pariat, non modo nescientibus, & non aduertentibus, sed sæpe etiam in-

Eccl. 13. *Epist. 7.* *De spectacul.*

uitis. Senſim enim adhæreſcunt, & dum oculis, vel auribus hauſta in animum influunt, eum paulatim immutant, & in deterius transformant. Ex quo facile intelligi poteſt, quam ſit perniciofum in mundo verſari, vbi tot peſtifera exempla abundant, quæ animum perpetuo oppugnant, & ad peccan-
2. Conf. cap.3. dum incitant. Hoc enim illud eſt, propter quod Auguſtinus adoleſcentiam ſuam in plateis illis Babyloniæ, vt ipſe ait, actam deflebat, quoniam cum coætaneos ſuos audiebat iactantes flagitia ſua, & tanto magis gloriantes, quanto magis turpes eſſent, ipſe etiam ſtimulabatur non modo ad eadem facienda, ſed etiam ad fingenda quæ non fecerat, ne videretur abiectior, quo erat innocentior, & ne vilior haberetur,
Cap. 9. quo erat caſtior. Nimis enim contagioſam rem eſſe malos ſodales, cum dicitur, eamus, faciamus: & pudet non eſſe impudentem.

Tertius eſt mundi ſcopulus, ex occaſionibus peccandi, quæ ſemper miſeros homines circumſiſtunt, neque eas effugere licet, quia coniunctæ ſunt cum rebus ipſis quas tractāt,
Serm.5. Quadr. & quibus interſunt aſſidue. Quam in ſententiam S. Leo commode, Plena, inquit, omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates incidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ ſunt obloquentium linguæ, nec
Serm.11. Quadr. ſemper veracia ſunt ora laudantium. Itémque alio loco, Inſidiæ ſunt in diuitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtiis. illæ eleuant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam, Tentat ſanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia eſt negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ Laqueus eſt in ſecuritate, laqueus eſt in timore, nec intereſt vtrum animus, qui terreno tenetur affectu; gaudiis occupetur, an curis, cum par morbus ſit vel ſub vana delectatione gaudere, vel ſub anxia ſolicitudine laborare.

Hæc igitur de ipſo loci periculo. videamus nunc imbecillitatem, & infirmitatem hominis in tali, tantóque periculo, ac diſcrimine commorantis; quam etſi e ſuo quiſque ſenſu, & vſu ſatis percipere poteſt, tamen de ea nos admonet ſcri-
Geneſ.8. ptura quoque & ſæpe, & grauiter, vt illo loco, Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcen-
Rom.7. tia ſua. Et Paulus Apoſtolus, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Hæc autem membrorum lex, nulla alia eſt, quam concupiſcentiæ vis, quæ quaſi abrupto freno, non modo non rationi obtemperat, vt debet, ſed eam ſæpe ca-

primam facit, suæque libidini subiicit. Atque hæc corruptio, ac peruersitas eo grauior, & periculosior est, quo non recens hoc malum in nobis, aut ex leuibus causis generatum, sed iam inde ab initio ex primi parentis nostri inobedientia contractum, itaque in natura nostra insitum, vt hoc, vitium vna cum ipsa natura accipere, & cum eadem natura semper nobiscum gestare cogamur, idque nostris deinde culpis, ac flagitiis continenter augeatur. Sanctus quidem Thomas quatuor commemorat plagas grauissimas primæuo illo peccato, quod in Adam omnes peccauimus, acceptas, quæ deinde singulis nostris peccatis grauius recrudescant. Primum ignorantiæ, quæ prudentiæ lumine extincto rationem pene excæcat: deinde malitiæ, quæ voluntatem iustitiæ dono spoliatam semper ad malum impellit, postremo infirmitatis, & concupiscentiæ, quarum vtraque appetitum inuadens, altera eum fortitudinis bono exuit, vt quæuis paulo duriora refugiat, altera autem temperantiæ, vt, pudore abiecto, in omni voluptatum genere quasi pecus demergatur. Iure igitur Augustinus animas nostras, etiam postquam baptismo ablutæ fuerint, illius typo expressas putat, qui in latrones incidens, exceptus est plagis multis, & semiuiuus relictus: qui licet in stabulum illatus sit, quod, vt ille ait, est Ecclesia, licet ei oleum, & vinum præsentis virtutis remedia adhibita, tamen adhuc languet, sempérque languebit, donec, quod Paulus cupiebat, liberetur de corpore mortis huius. Quid igitur erit, si hic imbellis, hic semiuiuus, in tam iniquo loco, insuper inuadatur ab hoste, & hoste illo, cui non est in terris potestas, quæ comparetur, qui circuit tanquam leo rugiens, non solum feritate, ac sæuitia, sed etiam viribus, ac robore? Quis illius nequissimi tela, quis impetum, ac rabiem sustinere valeat? In quo etiam illa accedunt, quæ paucis complexus est Cassianus, quod non vnus est hostis, sed innumerabiles cateruæ aduersus singulos, & ij omnes immites, & efferati nostrúmq; exitium ardentissimè sitientes, & præterea inuisibiles, vt ne caueri quidem, aut præuideri possint: ex quibus omnibus fiat, vt spiritualis huius certaminis casus tanto sit perniciosior cunctis, quanto & infestior inimicus, & congressus occultior, præsertim cum tam varias artes nocendi teneat, & nunc quidem (vt ait Bernardus) aperte, & violenter, nunc occulte, & fraudulenter, semper autem malitiosè, & crudeliter impugnet, & persequatur nos, & ad hæc, inquit,

1.2.q.85. art.2.

De ver. Apostol. serm.3.

Rom.7.

Ioh.41.

1.Petr.5.

Collat.2. cap.11.

Serm.de septẽ fragmentis.

toleranda, ne dicam ſuperanda, quis idoneus?

Hic igitur eſt ſtatus mundi huius miſerrimus, quem paucis verbis Ioannes Apoſtolus diuinè expreſſit, cum dixit, Mundus totus poſitus eſt in maligno: quaſi hoc diceret, ita vitiis, & corruptelis eſſe plenum, ita perditum, & ita deprauatum, vt nulla in eo pars ſana, & integra permanſerit. Quem ſi non modo mente luſtrare, ſed etiam ipſis oculis intueri, atque inſpicere velimus, ne nos externa ſpecies decipiat, aſcendendum nobis quoque eſt in illam ſpeculam Cypriani, vt inde mundum omnem perſpicientes, varia mortalium ſtudia, curas, cogitationes, negotia, ſermones, curſitationes, labores, nundinationes, & facta omnia eminus contemplemur. Profecto enim obiiciet ſeſe tanta vanitas omnium inanitatum, tanta etiam fœditas peccatorum, & flagitiorum, tanta obſcœnitas, & turpitudo, vt ſtupidus planè ſit, & ſine vllo ſenſu, qui non cohorreat, ſuíque omnino, ac ſuæ ſalutis oblitus, qui non ex tam terra, támque miſerabili, ac funeſta tamquam omnium monſtrorum cauea in tutiorem, ac ſecuriorem locum ſeſe recipere decernat. Quod quaſi malorum diluuium (ſic enim appellandum eſt) ſuper vniuerſam terræ ſuperficiem exundantium: etſi idem Cyprianus vberrime, & elegantiſſime deſcribit, libet tamen eam deſcriptionem potius ex ſacra ſcriptura petere, cuius tanto eſt maior auctoritas, ac pondus. Hoc enim eſt, quod magna admodum verborum maieſtate Dauid Propheta in Pſalmis indicauit, cum ait, Dominus de cœlo proſpexit, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

1. Ioan. 5.

Libr. 2. epiſt. 2.

Pſal. 12.

Addit autem quid diuinus ille oculus in hominum genere deprehenderit. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, Quis hoc crederet, in tanto numero, in tam pleno orbe ne vnum quidem inueniri, qui faciat bonum, niſi ex ipſius Dei ore per hos Prophetæ accepiſſet? Oſtendit autem, etiamſi qui ſint boni, tam eſſe paucos, vt dicere maluerit, Non eſt vſque ad vnum. Pergit deinde eorum commemorare, & deteſtari ſcelera: Sepulchrum patens eſt guttur eorum; linguis ſuis doloſe agebant; venenũ aſpidum ſub labiis eorũ; quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt. Atque hæc quidem peccata linguæ, illa operum. Veloces pedes eorũ ad effundendum ſanguinem: contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. Denique concludit eo, in quo eſt ſumma omnium malorum; Non eſt timor Dei

ante

ante oculos eorũ. Ac Oseas quoque in eãdem sententiam, *Osea. 4.*
Non est veritas,& non est misericordia, & non est scientia
Dei in terra.Maledictum,& mẽdacium,& furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Similia etiam sunt apud Hieremiam, qui Dominum ita loquẽtem inducit, Circuite vias Hierusalem,& aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius,an inueniatis virum facientem iudicium,& quærentem fidem,& propitius ero ei. *Hier. 5.*
Ac ne quis hanc culpam ad vnum hominum genus pertinere crederet,adiungit etiam illa, Ego autem dixi forsitan pauperes sunt stulti,& ignorantes viam Domini,iudicium Dei sui.Ibo igitur ad optimates,& loquar eis:ipsi enim cognouerunt viam Domini; & ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula. Saturaui eos, & mœchati sunt, equi amatores,& emissarij facti sunt:vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Hæc prophetæ isti, vel Deus potius per hos prophetas. Ex quibus hoc quoque cognoscere liceat,quam inueteratus sit hic mũdi morbus,quámque insuper tam longo annorum decursu confirmatum, & auctum esse necesse sit, quin potiùs quod animantum corporibus, idem senescenti iam mundo, vel potius vt in nouissima hora,iam decrepito,euenisse,vt illo pietatis succo, diuiniq; amoris vitali vigore pene consumpto, atque extincto,nihil iam ferme in eo virium, nihil roboris remanserit,& quotidie videlicet deterius habiturus, & in peius lapsurus sit. Oportet enim extare,quod veritas ipsa prædixit, Refrigescet caritas multorum,& abundabit iniquitas. Itemque illud, Cum venerit filius hominis,putas inueniet fidem in terra? Quibus quidem positis, quid aliud cõsequi necesse est, nisi id, quod omnibus lacrymis deplorandum est, vt magna hominum pars ad cœligloriam, æternamq; beatitudinem conditi, cum obliti tantam spem, obliti diuina promissa, & præsentium rerum specie excæcati, duxerint in bonis dies suos (vt ait B. Iob) tum in puncto descendant ad inferna? quod Esaias quoque grauissime denunciat: Propterea, inquit, dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendẽt fortes eius,& sublimes,gloriosiq; eius ad eum.Nec solum propheticis hisce denunciationibus,sed idem etiã certissimis visionibus sæpe à Domino ostensum est, tum aliis alias,tum illa insigni,quã in Frãciscanis historiis legimus, non lõgè post eius ordinis initia;quo tẽpore, cum Bertol-

Ioan. 21. *Matth. 24.* *Luc. 18.* *Iob. 21.* *Esa. 5.*

dꝰ vir eiuſdē familiæ inſignis, in Germania inter prædicandum Dei verbum acrius in vitium quoddam inuectus eſſet, mulier, quæ eo vitio tenebatur, pœnitentiæ, ac contritionis vi in media concione mortua concidit. Verum, cum omnibus in preces procumbentibus paulo poſt reuixiſſet, narrauit mortis cauſam, iuſſamque ſe ad corpus redire, vt peccatum illud confeſſione expiaret. Adiecit etiam tum alia multa, quæ viderat, tum illud in primis horribile, & dictu etiam mirabile, cum ipſa ad Dei tribunal apparuiſſet, adducta ſimul eſſe ſexaginta animarum milia, quæ in omnibus mundi partibus fidelium, & infidelium varijs caſibus exceſſerant ex hac vita, atque ex his tres tantum addictas purgatorio, reliquas omnes ad ignem æternum dānatas, vnum autem ex Franciſcanis fratribus, eodē ipſum quoque temporis articulo defunctum, per purgatorij quidem locum tranſiſſe, ſed tamen non modo ibi diutius non commoratum, vt verum etiam par animarum, quæ præcipua cum eo amicitia coniunctæ fuerant, ſecum in cœlum abduxiſſe. Plura quoque eiuſmodi viſa, aut reuelationes ſcriptas legimus; ſed hoc ſufficiat, cuius tot teſtes fuere, quot fuere in illa concione auditores, quodque vtrumque demonſtrat, quod hic tractamus, & mundi periculum, ex quo tam pauci ſalui euadunt, & contra religioſi ſtatus ſecuritatem, qui etiam alijs opituletur.

De tribus mundi malis, quæ Ioannes Apoſtolus commemorat.

CAPVT VI.

HActenus de ſeculi miſerijs, periculiſque generatim dictum eſt, & quidem breuiſſime pro harum miſeriarum multitudine, & magnitudine, quibus recenſendis tam grandi volumine opus eſſet, quam eſt ipſe mundus, qui totus his miſerijs plenus eſt, Si vero expreſſius, atque explicatius aliquid de his dicendum ſit, quid melius: aut grauius dici poſſit, quam illud Ioannis Apoſtoli, ita præcipientis, Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. ſi quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo: quoniam omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Ex quibus apparet, quam fœdum, ac tetrum ſit id corpus, quod tribus his tam fœdis, tamq; tetris partibus, ac membris cōſtet. Recte autem totum mundi huius regnum in has, quaſi prouin-

1. Ioan. 2.

cias

cias distributum est; quoniam cum homo cœlestium rerum cogitationem abiecit, seque tantum in his præsentibus rebus immersit, tria illi occurrere possunt, ad quorũ sese amorem, appetitumque diffundat. Primũ res istæ externæ, quod est concupiscentia oculorum, idest, auaritiæ sitis: deinde corpus ipsum proprium, cui curando, omnibusque iucundis oblectando indulgeat, quod pertinet ad carnis cõcupiscentiam: denique alij etiam homines, quibus imperare, vel saltem inter quos laudari, & celebrari, & quoquò modo excellere pulchrum putatur, quod est superbia vitæ. Quare qui mundo, & seculo seruiũt, omnes in horum aliquo, vel in pluribus horum seruiunt. Hæc sunt quasi terna retia, quibus ille callidus animarum venator ita eas insectatur, vt, si vnum effugerint, incidant in alterum. Hæc quasi tria telorum genera, quæ hostis noster in genus humanum vibrare non cessat; vel potius tres ingentes machinæ, quibus tota Christianæ vitæ fundamenta quatere, ac labefactare, & conuellere nititur. Quare videndum est diligenter, quam hæc non omnia modo, sed etiam singula iter nostrum in cœlum impediant, ac plane obstruant. Nam de concupiscentia oculorum illud quidem ipsius Christi Domini habemus oraculum, Væ vobis diuitibus. Quo vno verbo, Væ, omnis omnium malorum, & *Luc. 6.* miseriarum, ac calamitatum summa conclusa est. Atque idem alibi apertius, & significantius, Amen dico vobis, quia *Matth. 19.* diues difficile intrabit in regnum cœlorum: & iterum dico vobis, facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorũ. Quid iam amplius quærimus? Nonne hoc vnum satis esse debet, quod Dominus, & veritas ipsa loquuta est, idque tam perspicue, & tam expresse? Nam si alia fidei mysteria, vel Trinitatis, vel Eucharistiæ, & similia, quanquam nec ratione nostra capimus, nec intelligentia assequimur, credimus tamen, & ob id vnum credimus, quia Dominus dixit, qui mentiri non potest, & ita credimus, vt pro ea fide vitã ponere parati simus, cur in hac quoque diuitiarum causa non eadem nos frangit auctoritas, etiamsi earum mala nos oculis nostris videre non possemus? Quamquam ne hoc quidem ita difficile est, vel occultum, vel à sensibus nostris remotum, vt sunt illa, quæ dixi, mysteria, vt non à nobis quoque satis intelligi, ac percipi possit. Nam si huius rationes, ac causas inquirere velimus, quatuor ferme reperiemus. Prima illa est, quod in ipsis diuitijs vel acquirendis, vel augendis, multa facile incidant.

 peccata

peccata: quod etiam Paulus confirmat, Qui volunt, inquit,
1.Tim.6. diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa vana, & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. Itaque recte etiam Gregorius in Moralibus, Rarum, inquit, valde est, vt qui aurum possident, ad requiem tendant, dum per semetipsam veritas dicat, Difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Nam qui hic multiplicandis diuitijs inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? Atque idem melius etiam in Pastorali, Qui repleri cunctis simul opibus inardescunt, audiant quod scriptum est, Qui festinat ditari, non erit innocés. Profecto enim, qui augere opes ambit, vitare peccatũ negligit, & more auium, cum escam terrenarum rerum auide cõspicit, quo strangulatur peccati laqueo, non agnoscit. Qui qualibet præsentis mundi lucra desiderant, & ea, quæ de futuro damno patiuntur, ignorant, audiant quod scriptum est, Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Ex hac quippe vita initium ducimus, vt ad benedictionis sortem in nouissimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditate festinãt, sortem sibi in nouissima benedictione amputant, quia dum per auaritiæ nequitiam hic multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Quique plurima ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierint possunt, audiãt, quod scriptum est, Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum faciat? ac si aperte veritas dicat, Quid prodest homini, si totum, quod extra se est, congregat, si hoc ipsum solum, quod ipse est, damnat? Hæc igitur in acquirendo, quid deinde in possidendo, & in vtendo? hoc enim est alterum genus incommodorum, quod afferunt diuitiæ, quoniam incredibile est, quantopere omne virtutis studium extinguant, & cœlestium rerum cogitationem, amorem, & memoriã quoque ipsam omnino disturbent, & ad alia omnia conuertant. Hoc enim efficit cura, ac solicitudo custodiendi quæ quisque habeat; quia cum eius naturæ sint, vt per se semper defluant, ac dilabantur, deinde aliorum quoque rapinis, iniurijsque pateant, tum ad omnes fortuitos casus exposita sint, denique etiam litium, ac iurgiorum perpetuam materiam præbeant, magnam omnino cautionem, animique prouisionem requirunt: quæ cautio necesse est, vt humanum animum distrahat, ac diuidat in multas partes eumque in dies obtusiorem ad diuina reddat, ac denique dum terræ inhæret

4.Mor. cap.3.
3.par. adm.21.
Pro.28.
Pro.28.
Matth.

inhæret, & terram assidue contrectat, ipsum quoque terrenum omnino efficiat. Hanc sane ob causam putat Ambrosius diuinum illum Domini Saluatoris sermonem à paupertatis commendatione inchoatum, quod ea, vt ille ait, prima sit ordine, & parens quædam, generatioque virtutum, quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna; nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem. Hieronymus quoque ita sentit, & ita scripsit, non posse in idem pectus conuenire virtutes, ac diuitias, idque ethnici hominis exemplo; Crates, inquit, ille Thebanus homo quondam ditissimus, cum ad Philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit, se simul posse & virtutes, & diuitias possidere. Nos suffarcinati Christum pauperem sequimur. Breuissime autem Bernardus, sed plurima paucis, Beatus, inquit, qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Hæc enim damna afferunt diuitiæ, vt etiam si non amentur, onerosa sit tamen earum administratio, & cura: si vero etiam amentur, animam contaminent, eiusque cœlestem, ac spiritualem splendorem quasi luto asperso commaculent: sin etiam, quod facillimum est in tanta casuum varietate, amitti contingat vel omnes, vel partem, tum vero dolorem, ac cruciatum afferant: atque id quidem non solum cum vere amittuntur, sed etiam multo ante, vel potius semper, quia semper amitti possunt. Tertium diuitiarũ malum est ex ijs vitiis, quæ eas fere comitari solent. est enim, vt in nomine ipso, ita, & multo magis in re, magna diuitijs, & vitijs affinitas. Primum autem illud est, quod idem Bernardus alio loco indicat, cum ait, plenitudine, & abundantia temporalium obliuionem, & inopiam gigni æternorum. Quasi enim saturati sint, & pleni præsentibus, ita non modo non esuriunt, futura, sed nec cogitare quidem, aut meminisse possunt, ac potius nulla est eis acerbior recordatio: ex quo illud Sapientis, O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis? Atque huic quidem obliuioni facile etiam obrepit, vel verius necessario ferme coniuncta est arrogantia, fastidium, & insolentia; de quo Augustinus verissime, Nihil est, inquit, quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam. omne pomum, omne granũ, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. vermis diuitiarum superbia est. Quin etiam in hac felicitate, re-

Li. 5. in Luc.

Ep. 13.

Ep. 103.

Ser. 2. aduen.

Eccl. 41.

De ver. Dom. Ser. 5.

rumque affluentia innaſcitur etiam quædam confidentia, & fiducia ſui ipſius, ſuarumque virium. quæ culpa leuior
Mar. 10. fortaſſe in ſpeciem quibuſdam videatur: at à Chriſto ita grauis eſt iudicata, vt propter hanc ipſam dixerit, impoſſibile eſſe diuitem intrare in regnum cœlorum. & in Pro-
Pro. 11. uerbijs ſcriptum eſt, Qui confidit in diuitijs ſuis, corruet.
Pſal. 24. & in Pſalmis, Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Quo etiam pertinet id,
Eccl. 31. quod in Eccleſiaſtici libro dicitur de non ſperando in pecuniæ theſauris; in quo tantùm momenti ponitur, vt quaſi humanam ſuperet facultatem, illud adiungatur, Quis eſt hic, & laudabimus eum? Denique hoc, vere dici poteſt, diuitias omnium vitiorum eſſe inſtrumentum, tum propter faculta-
Eccl. 10. tem, quam præbet pecunia, cui, vt ait Eccleſiaſtes omnia obediunt, tum propter impunitatem, magnam peccandi illecebram, quam fere eædem ipſæ opes afferunt. Quas ob cauſas
Mat. 13. merito Chriſtus Dominus terrenas haſce diuitias ſpinarum ſimiles eſſe dixit, non ſolum quia virtutum, bonorumque cōſiliorum ſementem præfocent, ſed etiam quia animum la-
Ho. 15. in Euāg. cerant, vt ait Gregorius, dum cum vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Sequitur quarta diuitiarum peſtis, illud ipſum, quod magnæ felicitatis loco numerari, & cuius cauſa diuitiæ expeti ſolent. nimirum magnifici apparatus, pretioſæ veſtes, deliciæ, & vitæ cultus cum elegantia, & copia, & quæcumque ad oblectandum corpus attinent. Sed cogitandum, quam hæ ſunt damnoſæ
Luc. 16. deliciæ, idque diſcendum ab illo diuite, qui ſepultus eſt in inferno, nō quia aliena rapuiſſet (nihil enim tale de eo fertur) ſed ob id ipſum, quia induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide, ac prodige. Quamobrem ſcite à
21. Mor. 4. Gregorio dictum eſt, reprobis dari quæ in hac vita appetunt, vt ægrotis deſperatis nihil negatur, eoſque tamquam per amœna prata ad mortem, & ad foueam duci. Quem autem
Amos 6. non terreat illud propheticum, Væ vobis, qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui comeditis vitulum de armento, & bibitis vinum defecatum, & primis vngimini vnguentis. Extat etiam Auguſtini epiſtola
Ep. 121. ad Probam nobilem fœminam, & copioſam, in qua cum alia vtiliter præcipit, tum illud, vt, etiam ſi deliciæ affluant, non eis apponat cor, ne in ijs putreſcendo moriatur. Addit deinde, multis hanc ipſam fuiſſe cauſam relinquendi ſeculi; quod qui nō faciat, ei negotium fore in ratione reddenda.

denda. Has, inquit, delicias, in quibus vidua si agit, id est, si in delectatione carnis hæret, atque habitat, viuens mortua est; multi sancti, & sanctæ omni modo cauentes, ipsas veluti matres deliciarum diuitias, dispergendo pauperibus, abiecerunt, & tali modo in cœlestibus thesauros tutius condiderunt. Quod si tu deuincta aliquo pietatis officio non facis, tu scis quo modò de ijs rationem reddas Deo. Hæc igitur de diuitiis, de quarum periculis quid grauius, vel horribilius dici potest, quàm quod à Spiritusancto per Iacobum Apostolum tam seuera interminatione scriptum est? Agite nunc diuites, prolatè vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum, & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. Hæc omnia non Ambrosius, aut Chrysostomus aliquis, vel alius ex sapientibus, sed ipsa Sapientia, & ipse, vt dixi, Spiritusanctus in sacra scriptura, cuius apex nullus, non modo sententia, irritus cadere potest. Quare quem non exterreant tantæ comminationes, tanta malorum in diuitiis latentium denunciatio? Equidem si medicus moneat, cibum quempiam, etsi alioquin iucundum, nocere aut veneno imbutum esse, facilè ita te contineas, vt eum nec attingas, ne de vita pericliteris. Et tamen hic homo est, qui fallere, & falli ipse possit. Nunc cum Deus tam sæpè, tam certò, tam grauiter prædixerit, ac testificatus sit, diuitias adeo esse noxias, ac pestiferas animæ, quæ amentia est, vitam non temporalem, sed æternam, & immortalem illam gloriam tantæ, & tam incertæ aleæ obiicere, idque ob rem adeo futilem, ac breuem? Quid enim prodest homini, etiamsi, non dico vnum regnum, sed, vt Saluator dixit, vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Iac. 5.

Mat. 16.

Sequitur nunc concupiscentia carnis, ad quàm confutandam, atque damnandam non multis opus est. Satis enim damnatur ab ipsa natura, & ab eo lumine, quod in hominum mentibus naturaliter elucet. Itaque hoc videmus, neminem esse tam perditæ impudentiæ, aut ita humanitatem exuisse, qui eiusmodi appetitus, non modò actus, non dissimulet, ac celet, &, si quo indicio eruperint, non erubescat. Ex quo intelligi potest, quàm hoc totum voluptatis genus indi-

gnum

gnum ſit hominis præſtantia. Neque aliud eſt quicquam, quod nos ita beſtiis ſimiles, vel potius beſtias efficiat, quoniã rationem, per quam habemus vt homines ſimus, à ſua ſede, & ſtatu exturbat, impedit conſilium, ac denique mentis oculos præſtringit, hebetat, obtundit, omnéſque eius cogitationes quaſi in luto, ac cœno demergit. Itaque nullum eſt bonum, quod iſta pernicies non ex animo exterminet, nullum malum, quod non inuehat. Hoc enim illud eſt, quòd Gregorius morali, vt ſolet, ſenſu id interpretatur, quod in Regum libris à Samuële Regi Agag exprobratur, quod eius gladius matres abſq; liberis feciſſet: per quem Regem ita pinguem, & obœſum, vt deſcribitur, luxuriam intelligit, cuius delectatio ſi euaginari quaſi gladius ſinitur, omnes bonæ cogitationes, omnes virtutes, & bona opera necantur. Quin etiam, quod eodem libro narratur, Iſraëlem de manu vaſtatorum erutum, ille hos vaſtatores libidinis impetus eſſe putat, de quo vitio in libro Iob dicatur, Ignis eſt vſque ad perditionem omnia eradicans genimina. Vaſtator quippe, inquit, fornicationis ſpiritus dicitur, quia quam inuaſerit, ei nimirum nulla virtutum dona derelinquit. Vaſtari etiam horti tenera dicuntur. Qui enim ſunt horti superni ſponſi, niſi corda ſanctorum per cuſtodiam munita, & per caſtitatis odorem florida? nam dum nullos motus turpes recipiunt, albo pudoris flore decorantur. Immundi ergo ſpiritus vaſtatores ſunt, quia ſi pudica corda decipiunt, decepta teneros flores tantæ virtutis perdunt. Neque verò hanc tantùm cladem iſta turpido infert, profligandis ex animo omnibus ornamentis, ſed etiã, vt ante dixi, omnibus vitiis tamquam hoſtibus in ciuitatem captam introducendis, iiſque præſertim, quæ cum ea ſemper coniuncta ſunt, nec ab ea ſeparari poſſunt, quæ ideo Gregorius modò eius exercitum, modo filias appellat; ſic enim ſcribit. De luxuria cœcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſeculi, horror autem, vel deſperatio futuri generatur. Scite etiam Bernardus inter reliquos currus Pharaonis, qui Dei famulos fugientes inſequantur, luxuriæ quoque deſcribit currum, qui quatuor vitiis tamquam rotis voluatur, ventris ingluuie, veſtium mollitia, ocij, ſomníque abundantia, ac denique ardore fœdæ libidinis. Equi bini, vitæ proſperitas, & rerum affluentia: quibus equis duo inſideant, torpor ignauiæ, & cœca ſecuritas: atque his quidem calcaria nulla, ne quid ſit in voluptatis regno, quod contriſtet, aut pungat, ſed potius

In libr. Reg. li. 6. ca. 2.

Libr. 5. cap. 4. Iob 31.

31. Mo. cap. 17.

Ser. 39. Cant.

conopæum in manibus ad vmbram inducendam, diſſimulatio, & neglectus rerum prouidendarum. Proprium námque eſt, ait, mollis, & delicatæ animæ etiam neceſſarias diſſimulare curas, & ne æſtuantes ſolicitudines ſentiat, ſub latibulo diſſimulationis abſcondi.

Reſtat de tribus illis malis ſuperbia vitæ, cuius quanta ſit vis ad animæ ſalutem non modo impediendam, ſed etiam eruendam, vnum illud ſatis demonſtrat, quod eſt in Ioanne à Domino dictum in Iudæos: Quomodo poteſtis credere, *Ioan. 5.* qui gloriam ab inuicem accipitis? Tantam obſcuritatem, ac tenebras importat in illam animam, quam ſemel occuparit. A Baſilio autem iſta cupiditas rectè cos prauitatis appellatur, *Sermone temp. afflixi ſimus.* quoniam non ſolùm per ſe ipſa malum eſt, ſed etiam in cetera omnia mala impellit. Vberius etiam Bernardus, Ambirio, inquit, ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli opifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, *Qui habitat.* criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. *Serm. 6.* Multa de hoc vitio, vel potius vitiorum omnium officina, legere eſt apud Gregorium, ex quibus intelligi poſſit, qui ei ſe dederit, nullum cum virtute commercium habere poſſe: in quibus illud præclarum, quod eſt in Moralibus. Alia, inquit, vitia eas ſolummodo virtutes impetunt, quibus ipſa deſtruuntur, vt videlicet ira patientiam, *34. Mor. 18.* gaſtrimargia abſtinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quàm vitiorum radicem diximus, nequaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra ſe erigit, & quaſi generalis, & peſtifer morbus, corpus omne corrumpit. Quaſi enim Tyrannus quidam obſeſſam ciuitatem intercipit, cum mentem ſuperbia irrumpit, & quo ditiorem quemque ceperit, eo durior exſurgit. Quamquam non hoc ſolùm nocet, quod omnia omnium virtutum ornamenta depopuletur, ac funditus deleat, ſed etiam multo magis, quod nihil ſit mali, ac corruptelæ, quod non ſecum afferat: quod idem Gregorius confirmat, cum ait: Radix cuncti mali ſuperbia eſt, de qua ſcriptura atteſtante dicitur, Initium omnis peccati ſuperbia eſt: primæ autem eius ſoboles, ſeptem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur; ſcilicet, Inanis gloria, Inuidia, Ira, *31. Mor. cap. 16.* Triſtitia, Auaritia, Ventris ingluuies, Luxuria. Ex his omnibus conſtat quanta ſit huius mundi perditi, ac deplorati miſeria, quámque ij miſeri, qui in eius miſeriis viuunt, & qui

Ioan. 12. & 14. eius iugum trahunt, cuius princeps, vt Saluator testatus est, idem sit, qui & inferni princeps, & qui totus ex tot, tantísque pestibus, & corruptelis sit contextus.

De fuga mundi per religiosam vitam.

CAPVT VII.

ERgo cum tot mala abundent, & inundent super terram, merito cuíque animæ gemendum, & clamandum est in cœlũ: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & *Psal. 54.* requiescam? Nam qui has tantas miserias, tanta æternæ salutis pericula verè cognoscat, non poterit non ex animo cupere quàm longissime ab ijs, quámque celerrime euolare. Ad hunc autem volatum nullius auis aptæ sunt alæ, nisi columbæ, cui propria, & naturalis est tum simplicitas, tum timiditas. In isto enim bello, ac conflictu cum peccatis, nullum firmius est præsidium, quàm timendi, nec vlla melior vincendi ratio, quam fugiendo. Sic enim idem ille, qui columbæ pennas expetierat: Ecce, inquit, elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Igitur hoc faciunt etiam, & maximè faciunt religiosi. Elongant enim se à turba, & populo, & manent in solitudine, remoti ab hominum oculis, remoti à negotiis terrenis, & ab omni strepitu, & perturbatione mundana. Quanta sit autem huius fugæ necessitas, quodve damnum non fugiendi, apertè mihi ostensum videtur in subuer-*Gen. 19.* sione quinque illarum ciuitatum, de quibus est in Genesi, ex qua vnus Loth cum parua familia seruatus, duo generi, qui monentis consilia irriserant, communi incendio periere, vxor autem egressa illa quidem, sed cum retro respexisset, versa in salis statuam. Quid enim perditus ille locus aliud significat, quam mundum hunc variis libidinibus, & desideriis inflammatum, cæcitate insuper percussum, & quasi ambulantem in tenebris, cui ipsi quoque iustæ scelerum suorum pœnæ imminent? Magnum igitur beneficium, & certè omnium huius vitæ maximum, quibus Deus demonstrauit fugere à ventura ira, idque Angelis è cœlo missis, qui nos ad hanc fugam excitent, & sæpè, vt ipsum Loth, cessantes vrgeant, cunctantésque compellant. Qui verò occultos Dei vocantis instinctus vel reijciunt, vt duo generi, vel admittunt quidem, vt vxor, sed postea per inconstantiam, & leuitatem, ad ea, quæ reliquerant, rursum mentis oculos, ac desideria

reflectunt, vtrósque Deus seuerissimis suppliciis afficit. Sed videndum, quo hæc fuga dirigenda sit. Nam Loth quidem montis, in quem se recipere iubebatur, asperitatem fortasse veritus, Segor potius ciuitatem in planitie postulauit. Idem tamen, flammarum omnia longè, latéque populantium aspectu territus, vltro ad montem contendit, nec se prius saluum putauit, quàm in eum peruenisset. Est autem hic mons Euangelicæ perfectionis culmen, cuius difficultatem multi sic timent, vt potius planas, & spatiosas mundi vias tenere velint, quàm hanc, vt eis quidem videtur, angustam & arduam ingredi. Sed tamen, si interiori lumine adaucto, peccati fœditatem, breuitatem, ac miseriam præteruolantis seculi, ignes illos æternos, infinitósque cruciatus clarius cognoscere, & quasi oculis ipsis propius spectare cœperint, tum verò, abiecta omni cunctatione, ad alta properant, nec illis arduum quicquam videtur, quod pro æterno bono adipiscendo, & pro æterno malo euitando suscipiant. Ac in hominum quidem pugnis, ac congressibus, omnis fuga turpis, & fœda iudicari solet, propterea quod qui aduersario cedit, is se imparem, victúmque fateatur, quod hominum iudicio inter probra numeratur. At verò in hoc conflictu cum vitiis, ipsum fugere vincere est, non solùm quia nos hostibus subtrahendo, salutem, & incolumitatem nostram tuemur, sed etiam, quia eo ipso, quod fugimus, hostem frangimus, ac superamus. Cùm enim vitia quæque suam materiam quasi illecebræ fomitem habeant, qui eam materiam à se remouet, eo ipso iam vicit. Vicit enim non solùm rem ipsam, quam contempsit, sed, quod multo amplius est, seipsum, & cupiditatem suam. Itaque tantùm abest, vt hoc fugæ genus abiecti, aut pusilli sit animi, vel timorem arguat, atque ignauiam, vt sine magna constantia, & grauitate fieri non queat, sitque omnino opus magni roboris, atque neruorum; de quo rectè Ambrosius; Non erubescamus fugere: gloriosa enim fuga est, fugere à facie peccati. Atque in corporis quidem periculis prudentiæ est, itaque ab omnibus existimari solet, saluti suæ mature consulere, ipsáque pericula, priusquam eueniant, cogitatione præcipere, & aliquanto ante discrimen omne propulsare. Quod idem cur non etiam in animæ periculis sentiendum, & faciendum sit, eóque magis, quo hæc maiores afferunt calamitates, & quidem sempiternas? Stulti enim est, atque omnino cæci, suamque & rerum naturam ignorantis, sperare se inter tot pugnas inuictum,

De fuga seculi. cap. 4.

uinctum, & inter tot laqueos illæsum semper fore: quod
Prou.6. cap.4. perinde est, ac si, vt est in sacris prouerbiis, abscondere velit homo ignem in sinu suo, & vestimenta eius non ardeant, aut ambulare super prunas, & non comburantur plantæ eius. Quam in sententiam rectè Nyssenus in libro de Virginitate, vt fluuius rapidus, & aquarum copia intumescere solitus, stragem importat ijs, qui propè incolunt, longinquos autem attingere non potest, sic seculum, vitámque secularem eos voluere, qui ipsius cursum tenent, & qui se in voluntarias illas perturbationes coniecerunt: at qui se ab ea subduxerunt, quasi in terra quietos, securósque consistere. Quamobrem, inquit, cum in hanc vitam tanta malorum multitudo simul coniecta sit, vna est ratio, qua ijs liberemur, si nos ab ea vita penitus segregemus. Neque enim qui Sodomæ habitauerit., igneos imbres effugere poterit; neque ab Aegyptiorum seruitute se quispiam vindicabit, nisi Aegyptum deserat, & non rubrum illud, sed hoc atrum, & vere obscurissimum mare pertranseat. Hieronymus quoque non solum vt fugiamus hortatur, sed etiam vt nudi fugiamus. nam qui res aliquas mundi retineat, non ille mundum fugit, sed locum mutuans, mundum secum portat. Ioseph, inquit, cum tunica Aegyptiam dominam
Epi. 34. effugere non potuit. adolescens, qui opertus syndone sequebatur Iesum, quia tentus fuerat à ministris, terrenum abiecit operimentum, nudus euasit. Elyas igneo curru raptus in cœlum, melotem reliquit in terris. Loquitur sapientis-
Eccl. 13. simus vir, Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Quandiu versamur in seculi rebus, & anima nostra possessionum, & reddituum procuratione deuincta est, de Deo libere cogitare non possumus. Ambrosius vero de hoc ipso argumento librum edidit luculentum, quem inscripsit De seculi fugā, in quo tum alia, tum illud aptissime, quomodo etiam in veteri lege demonstratum sit, fugiendum esse ex seculo, in qua sex ciuitates perfugio destinatæ erant: ideo autem has ciui-
Deut.19 tates ex Leuitarum sorte fuisse, quia Leuitæ, inquit, fugitantes sunt mundi huius, vt placeant Deo, relinquunt patriam, parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo. Ergo, cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officiá confertur, hoc religionis cultui, ac Leuitarum officio decerpitur. Hæc enim vera est sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio caris-

simorum,

morum, vt suis se abneget, qui Deo seruire gestit. Disertissime etiam Cyprianus epistola quadam, Ne diabolo,inquit, insidianti, & sæuire cupienti ad nocendum detur occasio, quando & Apostolus dicat: Nolite locum dare diabolo. Liberanda est igitur vigilanter de periculosis locis nauis, ne inter scopulos, & saxa frangatur, exuenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis superuenientibus concremetur. Nemo diu tutus est periculo proximus. Atque idem etiam alibi. Aduersa est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat, & lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati saluare se posse sperat. Incerta est victoria inter hostilia arma pugnare: & impossibilis liberatio est, flammis circundari, nec ardere. Verendum est dormienti in ripa ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere, & vtilius est, vt infirmum se homo cognoscat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re præsumptores obiurgat Apostolus, dicens: Si quis se putat aliquid esse, cum nihil sit, seipsum implanat. Pro certo implanator proprius animam suam decipit, qui non cauendo contraria, noxiis rebus semetipse immiscuit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper insidias species quascunque noxias semper extimescit. Hæc Cyprianus.

Libr. 1. epist. 11. *Ephe. 4.* *De sing. cleri.* *Gala. 6.* *3*

Satis igitur ostensum est & ratione, & horum Patrum auctoritate, nihil magis salutare, aut magis necessarium esse, quam profugere ex his mundi periculis, ex his laqueis, & insidiis: quoniam, vt dicit scriptura. Qui amat periculum, in illo peribit. Sed videndum nunc est, quo sit fugiendum, vt simus tuti: nempe in montem, vt supra attigimus; quem montem vere interpretari possumus statum religiosum, qui perfectione altissimus est, & supra terram, résque terrenas eminens, & arduus quidem ascensu, sed cœlo, ac cœlestibus proximus. In hoc autem monte, id est, in religioso statu, nullum omnino locum habent illa tam multa seculi mala: primum quia omnibus seculi rebus exemptus est: deinde ac multo magis, quia rebus omnibus contrariis, vt salutaribus quibusdam antidotis totus est compositus, & conflatus. Quam rationem optime Bonauentura in Pauperum Apologia persequutus est, vbi ita scribit, Peccatum omne originem ducere ex inordinata conuersione ad triplex illud commutabile bonum, diuitias, honores, & corporis voluptates; ex quo manifestum esse, summam omnem salutis nostræ in hoc

Eccles. 3.

consistere, vt offensiones, & lapsus in triplici hac materia euitentur. Sed hoc dupliciter fieri posse: primum actu tantum, & consensu, idque præstare virtutes iis vitiis, quæ in his rebus versantur oppositas: altero modo ita, vt etiam radicitus euellatur omnis labendi occasio, neque eæ virtutes solo tantum actu, sed, quod firmius, stabilius, & multo maius est, perpetuo totius vitæ habitu teneantur. Itaque ad eam rem allata esse à Domino in terras tria saluberrima consilia. Nam diuitiarum cupiditati opposuisse Paupertatis professionem, qua omnium rerum externarum possessio abdicatur. Contra libidinis impetus suasisse Castitatem, vt omnis vsus præscinderetur eius facultatis, in qua inest vis generandi. Denique ad omnem superbiam, & ambitionem eradicandam, propositam esse ab eo perfectam voluntatis abnegationem, quod idem est cum Obedientia. Quid igitur salubrius hominum generi tribui poterat? Hoc enim est

Rom.32. Euang. sapientissimum illud diuini instituti consilium quod Gregorius notauit, vt sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Christus Dominus peccatis nostris contraria applicaret medicamenta. Iure igitur, & vere Sanctus Basilius quodam loco hoc ipsum argumentum proponit, &

Re.fus. cap.6. confirmat vberrime. Necessarium esse (sic enim ait) ei, qui pietatem colere velit, seculum relinquere, & segregatam vitam instituere: eámque in rem illud Sapientis affert, Noli

Prou.22. esse amicus homini iracundo, neque habitaueris cum viro furioso, nec forte discas vias eius, & sumas laqueos ani-

Esa.52. mæ tuæ. itémque illud Esaiæ Prophetæ, Exite de medio eorum, & separamini ab eis. Addit etiam rationem, quoniam in seculo fieri non potest, quin & oculis, & auribus perpetuo instigationes ad peccatum admittamus, eique imprudentes assuescamus, earúmque rerum, quas vel viderimus, vel audierimus, pestilentes formæ, noxiǽque imagines impressæ in animo insideant. Et præter cetera, inquit illud etiam magnum est, quod animus, cum adeo grandem numerum videat eorum, qui diuinas leges violant, non potest ipse peccata sua agnoscere, de iis, vt oportet, pœnitere. Quin potius, facta sui comparatione cum aliis ipso deterioribus, nescio quo modo sibi de virtute blanditur. Denique variis tumultibus, & occupationibus, quas secularis vita afferre solet, à Dei memoria abstractus, non solum hoc detrimentum facit, quod non delectatur in Deo, ita vt nulla spirituali dulcedine fruatur, sed etiam ita assuefit, vt iudicia eius penitus

penitus contemnat, & obliuiſcatur; quo nullum maius, & capitalius malum poteſt homini accidere. Hæc, & plura Baſilius. Bernardus autem ipſe quoque his congruenter tres quaſi gradus facit, quibus ad ſalutem, perfectionémque veniatur: primum relinquendi ſeculi, ſecundum aggregandi ſe ad alios eiuſdem conſilij, atque inſtituti ſocios; tertium ſubiiciendi ſe præpoſitis, qui nos obedientiæ ductu regant, atque dirigant: quos gradus ad tres virtutum, vt ipſe appellat, dies retulit, prudentiæ fortitudinis, temperantiæ. Periculoſum eſt, inquit, ſi forte velit inter ſeculi agere turbas pœnitentiam, vbi nimirum alij venenatis perſuaſionibus, alij vndique exemplis peioribus ad peccatum alliciant, alij adulationibus in vanam gloriam, alij detractionibus in impatientiam animum eius deiiciant. Procedat iam neceſſe eſt prudentiæ radius, oſtendat quantas, & quam importunas, præſertim in hac generatione nequam, opportunitates, & occaſiones peccati afferat mundus, & ingerat, quam debilis ſit ad illas humanus animus, maxime qui in peccati conſuetudine ſit nutritus. *Serm. 3. de Circ.*

In hac ergo die prudentiæ eligat de præſenti ſeculo nequaquam fugere, dicens cum Propheta, Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. Sed nondum ſufficit hoc. Forte enim vult eligere ſolitudinem, non ſatis attendens propriam infirmitatem, & periculoſam Diaboli luctam. Itaque iam habet neceſſariam fortitudinis diem, vt nouerit cuſtodiendam ad Dominum fortitudinem ſuam, & aciem multorum pariter pugnantium eſſe quærendam. Verum, cum eligit eſſe in congregatione multorum, numquid eliget eſſe magiſter, qui nondum diſcipulus fuit, & docere, quod didicit numquam? Illuceſcat ergo dies temperantiæ, vt quærat quomodo temperari, & refrenari poſſint incontinentes motus voluptatis, beſtiales motus curioſitatis, ceruicoſi motus elationis ſuæ. Eligat abiectus eſſe in domo Dei ſui, & ſubiectus eſſe magiſtro, ſub quo frangatur eius voluntas, & obedientiæ freno concupiſcentia reprimatur. Hactenus Bernardus. Quæ cum ita ſint, numquam ſatis amari, ſatiſve laudari poteſt Religio, quæ nos ex tam ſcopuloſa ſeculi nauigatione ereptos in placidiſſimo portu collocat, quæ dæmonem triplici illo telorum genere exarmat: neque hoc ſolum, ſed etiam triplici vallo nos circundat, ac tegit, itaq; omnes aditus intercludit, vt ad nos hoſtis noſter aſpirare non poſſit. *Pſal. 25.*

Quid enim est, in quo draconis, ac leonis illius rabies religiosæ animæ noceat? Non enim auri, aut argenti, aut domorum, agrorúmve cupiditate eam deuincire, non contractibus illicitis illigare, non ad aliud vllum iniustitiæ genus impellere potest, cum videlicet tantum absit ab alienis rebus concupiscendis, vt etiam suas reliquerit. Neque vero formarum illecebra ad intemperantiam incitare, à qua & animus voti vinculo, & ipsum corpus, atque oculi, libidinis ministri, parietum custodia arceantur. Nec periculum imminet ab ambitione, vt honoris alicuius adipiscendi causa aduletur, mentiatur, inuideat, vel supplantet alios, quæ scilicet omnia ita à se præcidit, vt non modo non aliis præesse velit, sed aliis se subesse gaudeat. Restat ergo, vt hic status vndique tutus, ac tectus, & inexpugnabilis euadat, quippe cuius nulla pars hosti pateat, vt sine vlla dubitatione, omnibus bene æstimatis, nec vlla esse possit aptior via ad salutem, quam relinquendo mundo, nec mundus perfectius, veriúsque relinqui possit, quam in religionis claustra se cedendo. Hæc qui intelligat, & cognoscat, quæ eum cathenæ, quæ vincula tenere poterunt, quo minus in hanc vere salutis arcem, in hanc Angelorum munitionem, & quasi cœleste quoddam in terris tabernaculum euolet? Etenim si iter facienti certo dictum sit, syluam aliquam à latronibus obsideri, quiduis potius faciat, quam per illam transeat, potiúsque aliam etsi multo longiorem, & asperiorem viam quærat. Cum ergo mundum hunc, & omnia quæ sunt in mundo, plena dæmonibus, dæmonúmque insidiis esse sciamus, quomodo tamen adhuc inueniuntur, qui inter illas insidias perpetuo de morte æterna periclitari malint, quam hanc religionis viam inire; quæ præsertim non difficilior sit, immo etiam multo iucundior, & planior?

De vtilitate Religionis ex eo quod hominem nudet omnibus rebus creatis.

CAPVT VIII.

Religio non hoc solum habet vtilitatis, & commodi, quod nos à peccato remouet, & iis quæ cum peccato coniuncta esse solent, vt est amplificatio diuitiarum, administratio honorum, & alia eius generis, sed ab omnibus omnino creatis rebus, etiam iis, quæ fortasse sine peccato haberi possent. Cuius quidem quanto maior, & præstantior est gradus, tanto etiam maiores vtilitates. Sic enim illud

confe-

conſequimur, vt quaſi omnibus impedimentis abiectis, promptiores, & expeditiores reddamur ad opera cœleſtia. Declarauit hoc Paulus Apoſtolus exemplo eius, qui in ſtadio currit. Nam, ſi cogitemus, omnium hominum vita nihil eſt aliud ab eius exordio vſq; ad extremum terminum, quam perpetuus curſus ad alteram vitam, & ad ea præmia, quæ in vita illa præparantur, Hic enim eſt finis vnicus, cuius gratia conditi ſumus, huc omnes noſtræ actiones, huc ſtudia, & labores omnes dirigi debent, & qui huc non perueniet, is in vanum accepit animam ſuam; quoniam eo fine fruſtratur, propter quem accepit, contra vero in infinitum, & ſempiternum malum incidit. Ex quo hoc ſequitur, ſi ſapimus, & ſi vero amore noſmet ipſos amamus, eam nobis præcipuam, ac potius vnicam curam, ac cogitationem eſſe debere, vt omnia adiumenta conquiramus, quæ nos ad currendum, & alacrius, promptius, agiliúſque currendum adiuuent. Id vero in quo poſitum ſit declarat idem Apoſtolus. Omnis, inquit, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Ab omnibus ait, non à certis tantummodo rebus, parum enim referret, ſi quiſpiam ſeſe auri pondere, verbi gratia, alleuaret, idem tamen argenti, vel alterius rei pondus retineret; nam ad curſum impediendum perinde valeret. Caſſianus ipſe quoque hunc Pauli locum ad ſpiritualem agonem applicans, tam ſeueras ait curſorum leges fuiſſe in abſtinentia rerum omnium, vt non ſolum crapulam, & ebrietatem refugerent, ſed nullos alios cibos adhiberent, quam quos ea diſciplina præſcriberet: quin etiam ab omni alia ſolicitudine, & negotio ſe cohibere ſolitos, ab ipſo vero coniugio tam alienos fuiſſe, vt etiam renes plumbeis laminis contegere conſueſſent, ad humores illos inhibēdos; id quod Caſſianus ad caſtitatis etiam exemplum adducit. Et hi quidem, quemadmodum ait Paulus, vt corruptibilem coronam accipiant: quanto nos ergo magis, vt incorruptam, & immarceſſibilem, ab omnibus rebus abſtinere oportet, & potius omnia ſponte profundere? ne quid ſit, quod in tanto, támque neceſſario ſtudio, animos noſtros diſtineat, aut prægrauet? Huic ſimile eſt, quod Gregorius ait in quadam homilia, perpetuam homini eſſe luctam, & quidem aduerſus dæmones, quorum tantæ ſunt vires; terrena autem omnia, nihil aliud eſſe, quam quædam corporis indumenta: manifeſtum autem eſſe, ſi quis veſtitus luctetur, citius ad terram deiectum iri, quia habet vnde teneatur,

1. Cor. 9.

Libr. 6. cap. 7.

Hom. 23 in Euāg.

tur,alius ſcilicet vxorem,alius liberos,alius facultates.Quare quicumque ad hanc luctam veniat (omnes autem veniunt,nec eſt qui eam defugere poſſit) omnino , ac penitus nondum venire debere,omniaque ei veſtimenta abijcienda, ne in hoc aduerſus diabolum certamine ſuccumbat. Atque idem alio loco vitam hanc noſtram , quæ tota inter dæmonum inſtigationes , & tentationum fluctus traducitur, naui comparat,quæ tempeſtate iactetur , ad quam ſeruandã non ſolum impigre,ſed etiam libenter cuncta in mare, abijciuntur. Cum, inquit, tumentes fluctus deſuper imminent, cumque eam quam deferunt mortem minantur , nulla tunc nauigantibus rerum cura temporalium,nulla carnis delecta tio ad mẽtem reducitur; ea ipſa quoque ex naui proiiciunt, pro quibus longa nauigia ſumpſerunt: cunctæ res in deſpectum mentis veniunt , amore viuendi Quaſi ergo tumentes ſuper ſe fluctus Deũ metuit,qui,dũ veram vitam deſiderat, omnia deſpicit , quæ hic poſſidens portat. Nam velut tempeſtate deprehenſi pondus nauis abijcimus, quando ab oppreſſa mente deſideria terrena remouemus. Fitque vt ſubleuata nauis enatet , quæ mergebatur onerata,quia nimirum curæ , quæ in hac vita deprimunt mentem , in profundum trahunt. Eadem quoque nauigantium ſimilitudine vtitur Baſilius, illud commode adiungens, multo hoc nobis magis faciendum eſſe: nam illi quidem,quæ abijciunt, omnia perdunt, coguntur que deinceps in paupertate , atque inopia viuere. Nos autem , inquit , quanto magis noxium hoc onus effuderimus, tanto ditiores euademus, veriſque bonis magis abundabimus,nempe iuſtitia, & ſanctimonia, quæ ſunt eius generis diuitiæ , vt nullos fluctus, nullum que timeant naufragium. Ita que cum terrena omnia relinquuntur , non ea quidem relinquentibus pereunt , ſed veluti de naui in nauim multo firmiorem , ac ſecuriorem traducta conſeruantur , & ad portum tutiorem transferuntur. Præclare etiam, Chryſoſtomus locum illum ſapientis , Agnoſce quod in medio laqueorum tranſis, ita interpretatur,vt non ſine cauſa illud ipſum verbum,Agnoſcendi,poſitum ſit potius,quam aſpiciendi.quoniam eiuſmodi laquei non corporis oculis aſpici, ſed mentis tantum lumine intelligi,& comprehendi poſſint,propterea quod tecti ſint,&,vt ipſe ait,obumbrati modo lucri, modo voluptatis eſca, modo alterius commodi. Nec vacare illud, quod dicitur, In medio laqueorum; quoniã ex omni parte voragines,& foueæ,& pericula inſtent.Proceſſit quiſpiam

21. Mor. c. vltim.

Hom. de non adhær. reb. ſecul.

Hom. 15. ad. pop.

Eccle. 9.

quiſpiam, inquit, in forum, vidit inimicum, exarſit ex ſolo aſpectu. Vidit amicum honoratum, inuidit. Vidit pauperem, contempſit: diuitem, & inuidit. Vidit quempiam infeſtantem, & indignatus eſt. Vidit ſpecioſam mulierem, & captus eſt. Et vxor ſæpe non aduertentibus laqueus facta eſt, ſæpe filij, ſæpe amici, ſæpe vicini.

Quæ cum Chryſoſtomus de horum laqueorum ita occultorum multitudine diſſeruiſſet, addit deinde ſalubre conſilium ad eos effugiendos ex auicularum exemplo petitum. Vt enim hæ, dum alte volant, nullo modo ab aucupe capi poſſunt, ſed cum ad terram deflexerint, tum facile in retia incidunt, ſic animus hominis, ſi ſe ad ſuperiora, & cœleſtia erexerit, ibique ſemper ſe continuerit, tutus eſt à diaboli inſidijs; ſin autem ad hæc infima deſcenderit tum in laqueos impinget. Hoc ipſum etiam Nyſſenus pluribus exemplis demonſtrat è media vita humana. Quemadmodum, inquit, non poſſumus duas ſimul artes manibus exercere, veluti agriculturæ, & nauticæ, aut ferrariam, & lignariam eodem tempore facere; ſed ſi quis vni ſe daturus eſt, neceſſe eſt, vt alteram relinquat; ita cum duplex nobis propoſitum ſit nuptiarum genus, quarum vnæ carnis opere conficiuntur, alteræ vero in ſpiritu conſiſtunt, ſtudium, quod in vnis ponitur, neceſſario ſeparat ab alteris. Neque enim oculus vllus duas res diuerſis locis ſitas cernere poteſt, neque lingua diuerſarum vocum ſonos formare, vt eodem tempore hebræa, eodemque græca verba pronunciet: nec aurium item ſenſus diuerſas orationes ſimul percipere. Ita voluntas noſtra non ea eſt natura, vt corporeis ſimul voluptatibus, & ſpiritualibus frui poſſit: neque enim eadem ſtudia ad vtriuſque rei finem conducunt. Nam vnius ſtudia corporis affectus interimunt, & omnia remouent, quæ ex carne exiſtunt, vel ad carnem pertinent; altera autem hæc omnia ſedulo conſectantur. Denique non licet nobis duobus dominis ſeruire, quia fieri non poteſt, vt vtriuſque ſimul imperijs pareatur. Hactenus Nyſſenus. Quamquam quid ſanctorum teſtimonia colligimus? Philoſophum audiamus ex cæca illa antiquitate, qui cum ſolo naturæ lumine tam tenui hoc tam bene cognorit, & ſcripſerit, turpe eſſe debet nobis omnibus, qui in tanta euangelij luce verſamur, non idem cognoſcere, & ſentire. Etenim Plato in eo libro, qui Phædon inſcribitur, vbi de hominis felicitate diſſerit ita definit, eam in ſola ſapientia, id eſt, in ſummi boni contemplatione, & amore

De virg. cap. 20.

Mat. 6.

amore situm esse, ideoque nullo modo in hac vita acquiri posse: magnum enim esse ad eam acquirendam impedimentum hanc corporis sarcinam, tum per se tum propter sensuum fallaciam, tum propter alia innumerabilia, quæ ipsum comitantur incommoda, vt morbi, cupiditates, timores, & denique multiplices, vt eius verbo vtar, imagines, ac nugæ, quibus animum implet, tum vero externarum rerum administratio, pecuniæ studium, & reliqua eiusmodi negotiorum procuratio. Ex quibus omnibus hoc sequi, vt vel numquam omnino sapientiam hanc adipisci liceat, vel post mortem tantum; non autem in hac vita, nisi saltem ad mortem quam maxime accedamus; quod tum fit, cum à re familiari, & ab omni negotio, & ab ipso mundo, cum à voluptate, & corporis cura animum auocamus, & ad seipsum conuertimus, secumque esse cogimus. hoc enim genus quoddam esse mortis, idque vnum semper propositum fuisse omnibus veris philosophis, qui nihil aliud egerunt, aut commentati sunt, quam vt cogitarent, se mortuos esse, & quo modo quotidie perfectius morerentur. Hæc Platonis omnia. Hanc autem mortem, quam ipse hic describit, eiusque necessariam vtilitatem ne nostrates quidem philosophi ignorarunt, quin etiã multo perfectius cognouerunt, vt Gregorius cuius illa sunt

5. Mor. cap. 5. in moralibus. Quasi, inquit, huic mũdo adhuc viuimus, cum mẽte in eum foris vagamur, sed mortui in sepulchro abscõdimur, cum mortificati exterius in secreto contemplationis celamur; quod quamuis perfecte postmodum fiet, etiam nũc ex magna parte agitur, cum à temporalium desideriorum tũmultibus delectatione in interiora rapiuntur, vt mens eorũ, dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Addit etiam alia multa in hanc sententiam, illudque præcipue, quoniam sapientia non in rerum superficie iacet, sed in inuisibilibus latet, non posse eam apprehẽdi, nisi relictis visibilibus, in inuisibilibus abscondamur. Cum igitur hoc ita grauiter confirmatum, crebroque inculcatũ sit à sanctis Patribus, maximam in hoc vno tum vtilitatem, tũ etiã perfectionem cõsistere, vt se homo ab omni creatura abstrahat, & quo magis abstrahat, eo tutiorem, atque etiã perfectiorem esse, facile iam illud sequitur, nihil vtilius esse posse Religione, cui⁹ beneficio hoc perfectissime, & absolutissime consequimur. Profecto enim nulla maior esse potest nuditas, quam religiosi status, quæ non solum paupertatem inducit, sed etiam omnium omnino rerum possessione, ac dominio

ita exuit,

ita exuit, vt non dicam agrum, aut domum, sed quod est apud Cassianum, non vestem, non graphium, non calamum possit aliquis appellare suum: quin reliqua etiam omnia auferat, quæ ab hominibus vel ad vitæ præsidium, vel ad animi solatium haberi solent, vt est amicorum gratia, principum fauor, vxoris, liberorum necessitudo, ac denique quicquid est terrenum, aut quicquid in mundo æstimatur, ac diligitur. Quamobrem iure, ac merito beneficij huius magnitudo tantopere à Bernardo exaggeratur, vt religiosos omnes ob hoc ipsum felices appellare non dubitet, propterea quod rebus omnibus sine vlla exceptione relictis, compēdio siorem quandam viam ad cœlum eundi inuenerint. Arduus quidem, inquit, ascensus Hierusalem, vtpote per ipsam mōtis summitatem incisus, sed via compendiosior laboris magnitudinem vel temperat, vel excludit. Vos autē tā felici facilitate, quā facili felicitate, nō solum itis, sed curritis, quia exonerati estis, & accincti, nihil ponderis super dorsa portantes, Non sic aliqui, non sic, qui quadrigas, & quadrigalia onera pertrahentes, montis circuitum ambire decernunt, & plerunque per deuexa montis præcipitantur, vt vix finem inueniant viæ suæ. Felices igitur vos, qui vos, & vestra sine omni exceptiuncula reliqueritis. Hæc Bernardi sententia si perpendatur, vel sola sufficiat ad religiosum statum omnibus regum thesauris, omnibusque imperijs anteponendum. Quę enim maior esse potest cæcitas, quàm cum nōn modo currendum nobis sit, vt antea ex Apostolo Paulo dicebamus, sed etiam, vt ait Bernardus, etiam in arduum currendum, quod per se grauissimum est, insuper etiam sese vltro ponderibus aggrauare, atque hæc ipsa pondera, quæ abijcienda essent, studio àc solicitudine adaugere?

Lib. 4. ca. 13.

Ser. de quadr. deb.

De vtilitatibus Religiosæ paupertatis.

CAPVT IX.

HActenus de religionis commodis generatim, atque in vniuersum dictum est. nunc etiam ad singula quæque bona descendendum, & ea in primis bona, quæ ex tribus illis votis emanant, quæ sunt religioni propria, & essentialia. Incipiendum autem à paupertate, quoniam in ea primus est gradus perfectionis, qui in externis abdicandis consistit. De cuius quidem paupertatis vtilitatibus recte omnino dictum est à Climacho: Paupertas est abdicatio solicitudinum seculi, iter ad Deum sine impedimento, ex-

Gra. 17.

pulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit, vt Dei mandata perfecte exsequamur. Bonauentura etiam de hoc fere argumento librum scripsit, quem inscripsit Apologiam pauperum, in quo multa & pie, vt sanctus, & scienter, vt Theologus, idque inter alia, quod est quasi fundamentū, & eius non modo, quam dixi, vtilitatem, sed etiam necessitatem quodammodo commendat. Sic enim differit, radicem
1. Tim. (vt ait Apostolus) omnium malorum esse cupiditatem. Ex hac enim, & simul ex superbia, quæ huic cupiditati semper comes est, omnia scelera originem, fomentum, incrementum accipere, quam ob causam ciuitatis illius Babylonicæ fundamentum, ab Augustino appellata est. Atque hanc cupiditatem in mentis quidem affectu quasi in subiecta materia infixam esse, sed tamen alimentum, ac pabulum sumere ex rebus extra possessis: quam ob causam necesse fuisse, vt perfecta eius extirpatio vtrumque complecteretur, vt non solum interior illa sitis, sed etiam externa rerū possessio abdicaretur: quorum alterum voluntate tantum, & spiritu, alterum vero etiam opere, & factis præstatur. Ex quo cōcludendum putat, sicut vitium illud totius Babylonis fundamentum est, vt modo diximus sic contra, paupertatem meritò appellandam verum, & solidum fundamentum totius
Mat. 5. euangelicæ perfectionis, qua Christo configuramur, & cōplantamur: quod etiam ex eo cognosci potest, quod Dominus, & legifer noster, cum nouæ Hierusalem descendentis de cœlo initia poneret, ab hac ipsa tamquam à fundamento exorsus est, dicens, Beati pauperes spiritu. Hæc Bonauentura, & verissime. Nam si animo complecti voluerimus, septem fere magnas & mirabiles vtilitates religiosæ paupertatis reperiemus. Prima autem est, quod omnium scelerum, ac vitiorum aufert instrumentum, quod quanti sit, satis ostensum est supra, cum de diuitiarum damnis ageremus. Tollit enim non solum arrogantiam fastum, ac superbiam, & alia multa vitia, quæ ex abundantia, tamquam fumus ex igne, manare solent, sed etiam facultatem peccandi in multis, cum magna pars peccatorum, quæ homines committunt, pecuniæ præsidio committantur, ejusque potentiæ, quam pecunia efficit. Quare, si nihil aliud boni afferret paupertas, hoc magnū est, quod necessitatem quandam affert bene viuendi, in quā necessitatem sponte se induere, admodum salutare est. Neque vero vitia tantum prohibet, sed etiā virtutes fere omnes inducit,

ducit; vt temperantiam, modeſtiam, & maxime humilitatem, quæ neſcio quo modo paupertati finitima eſt, eiúſque tamquam germana ſoror. Oſtendit hoc Chryſoſtomus in quadam homilia, cum ait: Chriſtianus in paupertate magis irradiat, quam in diuitiis. Quo modo? quia excludit à ſe ſuperbiæ typhum: non erit arrogans, ſed potius obediens, pudicus, mitis, & ſapiens. Qui verò in diuitiis eſt, multa ſunt, quæ illum bene agere impediunt. Inſpiciamus ergo, quæ facit diues. Rapit aliena, æſtuat cupiditate, libidini fræna laxat, maleficia cuncta committit. Nonne hæc ex diuitiis vides generari? Vides etiam quomodo in paupertate facilius virtutes poſſidemus? Nec mihi dicas, diuites in hac vita à nullo plecti. Prorſus enim inter omnia alia mala hoc etiam malum habent diuitiæ, quod eos, qui peccant, tuentur, ac muniunt ita, vt licentius peccantes nulla pœna reuocentur, nec vllus ijs frenum imponat. Hæc Chryſoſtomus. Altera deinde eſt vtilitas, quod etiam ad peccata præterita expianda, ac delenda, maiorem in modum confert. Hanc enim vim habere videtur id quod eſt in Eſaia, Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis. Nam quod ait eligere, idem eſt quod purgare, vel ita quidpiam perfectum reddere, vt merito eligendum, ac diligendum ſit. Itaque vt metalla in fornacem coniecta ſcoriam, & quicquid in ijs deterius, ac vilius eſt, exuunt, fiuntque omnino puriora, ac lucidiora: ſic paupertas dum & animum, & corpus exercet, ab vtróque vitium omne ſecernit. De quo pulchre Gregorius, Mala, inquit, Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit felicitas vitæ præſentis. Illum paupertas afflixit, & terſit, iſtum abundantia remunerauit, & repulit. Quicumque ergo in hac vita bene habetis, cum vos bona egiſſe recolitis, valde in eis pertimeſcite, ne conceſſa vobis proſperitas eorundem remuneratio ſit bonorum; & cum quoſlibet pauperes nonnulla reprehenſibilia perpetrare conſpicitis, nolite deſpicere, nolite deſperare, quia fortaſſis, quod ſuperfluitas tenuiſſimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. Tertius eſt fructus paupertatis, quod hominem inutili rerum caducarum occupatione liberat. Nam cum immortalis animus nobis à Deo datus ſit, & ideo datus, vt breuiſſimo huius vitæ ſpatio immortalitatem acquiramus, nihil ſtultius eſſe poteſt, quam & naturam tam præſtantem, & tempus tam pretioſum perituris, & fugacibus, ſemperque

Hom. 2. in epi. ad Hebr.

Eſa. 48.

Ho. 40. in Euan.

pérque fluentibus rebus impendere. Itaque paupertas religiosa his omnibus curis vacua, tota in æternitatis amore, ac studio cõtinetur. Nulla enim res est ex his mũdanis, qua impediantur cogitationes nostræ, non agris procurandis, non vectigalibus exigendis, non pecunia collocanda, non litibus agitandis. Quod quidem otium quàm necessarium sit in nostra cœlesti philosophia, cum veteres illi ethnici in sua terrena philosophia adeo necessarium iudicarint? E
Or. 47. quibus Zeno, vt narrat Nazianzenus, cum in maris tempestate omnia proiecisset, Gratiam tibi, inquit, fortuna habeo quæ me ad philosophicum palliolum redigis. Melius etiam Crates, qui non vt hic necessitate, sed iudicio, & voluntate,
Ep. 13. cum, vt Hieronymus scribit, ditissimus esset, magnẽ auri summam abiecit in mare, quod putaret non posse se diuitem satis bene philosophari. Hoc eodem animo omnes ferè
Ep. 17. fuerunt ex illo numero, & in primis ille Stoicorum laudator Seneca, quo nullus de tenui victu plura dixit, & aptiora, idque inter cetera: Si vis, inquit, vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura. Accedit quarta vtilitas ex paupertate, quod non sinit animos nostros rebus hisce infimis adhærescere, qui quidem solet fons esse malorum omnium.
23. Mor. 15. Scitum enim est illud Gregorij, contingere aliquando viatoribus, cum amœna in itinere prata conspiciunt, vt sponte moras innectant, & à cœpti itineris rectitudine declinent, eorúmque gressus pulchritudo itineris delectando retardet. Quare morem esse Domini, vt electis suis ad se pergentibus huius mundi iter asperum faciat, ne dum quísque præsentis vitæ requie, quasi amœnitate, pascitur, magis eum diu pergere, quàm citius peruenire delectet, ne dum oblectatur in via, obliuiscatur quod desiderabat in patria. Quod igitur auctore Gregorio facit Dei sapientia cum suis electis, id religiosus quisque in se ipso facit, vt omnia commoda abiiciant, incommoda verò, & inopiam amplectantur, vt nihil sit, quod eos in hac vita capiat, aut detineat, & contra potius tot stimuli eorum cursum ad cœlestia incitent, quot sunt molestiæ, quibus pungũtur. Ex quo fiet, vt in ipsis quoque ille sanctus, & salutaris nascatur affectus, quem Apo-
Heb. 13. stolus suum prædicabat, vt ab amore omnium tẽporalium abstracti, non putent se hic habere ciuitatem permanentem, sed futuram semper inquirant. Est etiam quinta vtilitas, quod, vt paupertas à Deo maiorem in modum amatur, sic

etiam

etiam facit, vt omnes, qui eam quasi sponsam optarint,ipsi quoque à Deo perinde amentur,ex quo amore proueniat. vt eos quotidianis beneficiis. & donis spiritualibus magis, ac magis augeat. Nam quod Deus paupertatem diligat,nullum certius habere possumus argumentum,quàm hoc,quod Maiestas illa in terras de cœlo veniens, eam sibi adiunxerit, & adeo adiunxerit.Etenim ex paupere,licet,regia familia,carnem ducere voluit, & cum nascendi locum delegit, quo nullus in terra pauperior esset, non domunculam, non casam, non etiam tugurium aliquod pastorale, sed stabulum pecudum, idque alienum, & in hyeme perfrigida,& in nocturna cæli inclementia. De reliqua autem vita nihil attinet dicere,cum ne locum quidem haberet, vbi caput reclinaret, & se aliorum eleemosynis Verbum illud sustentaret, in quo sunt omnes thesauri, & per quod facta sunt omnia. An igitur dubitare licet, quin sicut eam in seipso amauit, & expetiuit,sic etiam amaturus sit in aliis,& in quibus ea sit, eos præcipua quadam bonorum abundantia cumulaturus? Nihil est opus coniectura, cum appareat quid iam fecerit. Quamdiu enim in terris visus, & conuersatus est, non ille diuites,non opulentos ad suam familiaritatem,conuictúmque adhibuit, sed omnino plebeios.& pauperes. Nam quatuor ex ijs piscatores, vnum publicanum fuisse scimus, reliquos etiam non multum his dissimiles pro certò habemus. Illud etiam euidentissimum,quod simul ac natus est,eodem penè momento sese vltro pauperibus manifestauit,& quidem non solùm amanter,sed etiam honorifice, missa scilicet de cœlo Angelorum cohorte,per quam eos de suo aduentu edoceret,insuper etiam verbis, fulgore, ac placidissimo quoque cantu ad se inuitaret, quasi eorum aspectum & amplexum appetens. Quam multi nobiles secundum carnem (ait Bernardus) quam multi potentes, quam multi sapientes huius seculi hora illa in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est nouam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes? Ex quo idem etiam Bernardus rectè argumentatur?si pauperes illos, necessitate pauperes, adeo Dominus amauit, multo eius amorem propensiorem futurum in voluntarios pauperes, & qui in eius vnius gratiam omnia, quæ possidebant, abiecerunt. Hæc est igitur vtilitas, in qua verè dicere possumus omnes inesse vtilitates; quoniam, qui à Deo diliguntur, non deficient omni bono, & in eos omnia beneficia, omnem lucem, omnem

Serm. 3. Natiuit.

omnem gratiam, & quicquid deníque expeti liceat, largissime effundet. Accedit ad hæc omnia sexta quædam paupertatis vtilitas, & ea quidem ingens. Vt enim inter diuitiarum mala illud præcipuè posuimus, quòd ex luxu, & deliciis emanat quasi virus ad perdendas animas: sic contra in paupertate, ipsa victus, cultúsque tenuitas summam vim habet ad animarum salutem. Sic enim res habet, vt quemadmodum mortuæ carnes, ne propter humorum abundantiam putrescant, sale asperso exsiccantur, sic eadem caro viuens, nisi abstinentia, & seueritate, quasi siccitate quadam castigetur, in mollitiem ac luxuriam diffluat: Neque id mirum, cùm tanta sit carnis, & animæ propinquitas, ac potius coniunctio, vt alterius vitiis altera etiam inficiatur, atque, vt Basilius scripsit, vigente, ac florente carne, ipse quoque spiritus tardus, & carnalis fiat. Chrysostomus autem sobrietatem ait esse animæ alarum instar, quibus à terra efferri, & sublimia petere, atque contemplatione attingere valeat.

Or. 1. de Ieiu.
Hom. 1. in Gen.

Denique si omnia paupertatis cōmoda vno verbo complecti volumus, nihil plenius dici potest illo Saluatoris verbo, quo & futura, & præsentia eius bona complexus est, cum dixit, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Neque verò id causa vacat, quod aliis quidem ferme virtutibus remunerationem pollicetur post hanc vitam, paupertati verò in præsenti cœlorum regnum decernit, vel quia adeo remota est ab omnibus periculis, adeoque certa ea spes, ac si eam manibus teneret: vel quia ita omnibus curis secularibus expers est, vt in hac quoque præsenti vita futuræ illius vitæ felicitatem præcipiat, ac prægustet. Quod cum ita sit, ita certè existimare debent religiosi omnes, maximum se, & opulentissimum thesaurum adeptos esse in hac sancta paupertate, cui infinita debeatur merces infiniti illius boni, quod non modo oculus non vidit, aut auris audiuit, sed neque in cor hominis ascendit. Quare ad quemque præcipuè religiosum illa videntur ab Augustino optimè dicta. Felicitas, inquit, magna Christianorum, quibus datum est, vt paupertatem faciant pretium regni cœlorum. Non tibi displiceat paupertas tua; nihil ea potest ditiús inueniri. Vis nosse quàm locuples sit? cœlum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod videmus paupertati indultum? Vt ad regnum cœlorum veniret diues, possessione sua obtinere non potest, nunc obtinet, vt contempta perueniat. Addit alia multa Augustinus in eandem

Mat. 5.
Ser. 28. de ver. Ap.

dem sententiam, idque præcipuè, quàm bene nobis Deus consuluerit, qui in nihil habendo summam felicitatis repositam esse voluerit, quàm si contra in diuitiis collocasset, perpaucis hominibus, & longissimis laboribus ad eam aspirare licuisset. Nunc autem, cum in contemptu diuitiarum sita sit, eam in manû, ac facultate cuiúsque reposuisse. His, & talibus adducti sanctissimi quique viri, Deíque lumine pleni, ita animo affecti fuere, vt non adeò cupide, atque ardenter mundani homines diuitiis delectati sint, ac hi paupertate, nec tanto illi studio in opes amplificandas incubuerint, atque hi pro paupertatis bono conseruando, propugnarint. Inter quos omnes insignis fuit B. Francisci virtus, quem scribit Bonauentura, nobilis auctor tum sanctitate, tum doctrinâ, ita ex animo paupertatem coluisse, & amasse, vt eam, quasi iam toto orbe terrarum repulsam, caritate perpetua sibi desponsasse visus sit, eiúsque causa non solùm patrem, & matrem, sed etiam quæ habere potuit, vniuersa reliquerit. Itaque cum sæpe à Fratribus rogaretur, quænam virtus præcipuè, & maxime nos Christó Domino commendaret, gratósque faceret, eum cum inusitato quodam affectu respondere solitum, paupertatem eam enim esse viam salutis, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, & ab ea multiplices fructus existere, quamquam occultos, & paucissimis cognitos. *In eius vita.*

De vtilitatibus religiosæ castitatis.

CAPVT X.

PAupertati, de qua hactenus diximus, proxima est Castitas, cuius etiam eo sunt maiores vtilitates, quàm paupertatis, quo & corpus interius est, quàm diuitiæ, & eius appetitus tum vehementiores, tum verò, nisi resistatur, damnosiores: ijs verò resistit Castimonia, cuius munus est, vt sciat vnusquisque, vt loquitur Apostolus, in sanctificatione possidere vas suum, id est, vt Cassianus interpretatur, carnem suam, quæ est quasi vas, & receptaculum animæ. Quanta autem sit Castitatis vtilitas, satis intelligi potest ex ijs, quæ suprà de turpium voluptatum fœditate, & damnis ingentibus dicta sunt. Sed cum eiusmodi voluptatum duo sint genera, alterum contra ius, fasque, alterum licitum, &, modo intra coniugij limites, permissum, de priori quidem nihil attinet dicere, nisi quod, qui talia agunt, teste Apostolo, *1. The. 4. Lib. 6. cap. 15. Gal. 5.*

Apoſtolo,regnum Dei non poſſidebunt; ſed potius pars illo-
Apo. 21. rum,vt eſt in Apocalypſi,erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Illud tantùm in hoc genere videndum,quæ, & quanta præſidia afferat religio aduerſus has libidinum faces, quas ille leuiatham immittere ſolet, cuius halitus prunas ardere facit, vt eas facile extinguamus.
Iob 41. Primum igitur præſidium illud eſt, quod omnẽ huius ignis materiam,ac fomitem à ſenſibus noſtris remouet, aſpectus, colloquia, conſuetudines, familiaritates, & ante omnia commoditatem,ac facultatem, quæ ſolet eſſe magnum peccandi incitamentum. Hæc enim omnia machinæ quædam ſunt,quæ ſæpè etiam robuſtos animos tam fœde labefacta-
Thre. 4. runt,ac fregerunt,vt,quod eſt apud Hieremiam,qui iamdudum nutriebantur in croceis,amplexati ſint ſtercora.Itaque nullum ſalubrius remedium, quam in eum ſe locum concludere, qui maxime remotus, & tutus ſit ab his omnibus
Ser. 250. de temp. illecebris. Sapienter enim Auguſtinus illud animaduertit, quod Apoſtolus Paulus ceteris quidem vitijs reſiſtendum,
1. Cor. 6. ac reluctandum præcipit,à fornicatione autem fugiendum, quam ille fugam non modo non turpem, ſed etiam maxime laudabilem eſſe demõſtrat, tum exemplo caſtiſſimi Ioſeph,
Eccle. 9. qui,etiam relicto pallio,ſeſe à flamma proripuit,tum illo Sapientis conſilio,Noli in faciem virginis intendere,ne te ſcãdalizet vultus eius. Alia quoque congerit in hanc ſententiam,ſed maxime Dauidis calamitatem, qui vno oculorum coniectu, tantus vir, tantuſque Propheta ineſcatus, ſempiternum reliquit mortalibus documentum. Et ideo, inquit, nemo ſe falſa ſecuritate decipiat, nemo de ſuis viribus periculoſe præſumat;ſed audiat Apoſtolum dicẽtem, Fugite fornicationem. Hæc ergo fuga fit per religionem, quæ nos à turba hominum ſegregat, & quaſi in arce quadam collocat, Rectè enim Auguſtinus idẽ, de quo ſcribit Poſſidonius Calamenſis Epiſcopus,nõ modo aliarum fœminarum ſed ipſius etiam ſororis, & fratris filiæ contubernium, ac familiaritatem vitaſſe, non tam propter ipſas, quam propter reliquas, quæ ad eas ventitarent. Ad hanc cautionem,& fugam,accedit deinde obedientia,magnum omnino continentiæ propu-
Serm. 1. om. ſãct. gnaculum; quod egregie docet Bernardus, qui terram illam quam Dominus dixit à mitibus poſſidendã, corpus hoc noſtrum eſſe intelligit,quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper mẽbra ſua,neceſſe eſt, vt ipſa ſit mitis, & ſuperiori ſuo ſubiecta.Itaque nõ dubitat affirmare,cum caro à

ſpiritus

ſpiritus imperio rebellat, indiciũ eſſe, quod ipſa quoq; anima nõ perinde, ac deberet, ſuperioribus poteſtatib⁹ ſubiecta ſit; & contra, ſi ſe ſubiecerit, ipſam quoque corpus ſuũ obediens, & ſubiectum inuenturã. Tertiũ eſt præſidiũ ex virtutũ vſu, atque exercitatione, itẽque ex oratione, & meditatione, & denique ex omni ſtudio eius generis, quod ſpiritum ac pietatẽ corroborat. quantum enim animo additur, tantũ detrahitur corpori, & quot gradibus ille cõfirmatur, totidem hoc debilitari neceſſe eſt. Nam hoc quoque apud Chryſoſtomum legimus, imbecillam eſſe pudicitiam, quæ ſolitaria ſit, nec ſatis habere vitium ad ſe ipſam ſuſtentãdam; quinimmo, ſi reliquarum virtutum aſſiduitas tollatur, ipſius quoque pudicitiæ neruos incidi: contra vero ſi reliquæ virtutes cum ea coniungantur, firmiſſimam fore. Quemadmodum enim arbores, aut herbæ in vbere, opimoque ſolo frũctuum copiam ferre ſolent, ſic caſtitatis quaſi ſolum eſſe illam virtutum omniũ coniunctionem, quæ ſi extiterit, ipſam quoque perpetuo efflorituram. Denique illud etiam adiungit, radicem caſtitatis eſſe eam vitam, quæ cruci conſentanea ſit, i-deſt minime delicioſam, ſed potiuſ patientia, & incommodis exercitã. Itaq; hoc conſtitutũ eſſe debet, religioſã vitã quaſi turrim eſſe firmiſſimã aduerſus has oẽs fœditates, vt qui in ipſa continentur, nec magno eorum labore, puros, integros, incorruptoſque conſeruet. *De vir. cap. 80.*

Veniamus nunc ad alterum genus harum voluptatum, quas, vt ante dixi, matrimonij honeſtas à peccati, ſceleriſque culpa eximit. Quod quamuis ita ſit, vt citra Dei offẽſam matrimonij munera obiri poſſint, non tamen dubitandũ eſt, quin nõ modo vtilius ad ſalutem, ſed etiã facilius, & quodãmodo cõpendioſius ſit, hoc quoq; genus omne à ſe præcidere. Eſt autẽ huius ſentẽtiæ veritas à Pauli auctoritate repetẽda, qui in priori epiſtola, quam ad Corinthios ſcripſit, cum multa de Cõtinẽtię commodis differit, tum illud grauiter confirmat, Bonum eſt homini ſic eſſe. Quod ſi, ait Hieronymus, bonũ eſt homini ſic eſſe, ergo malũ eſt homini ſic non eſſe. Quæ vero mala inſint cõiugio, pluribus tractatur ab eodẽ Apoſtolo, quę ſi colligãtur, ad tria maxime capita reuocare poſſum⁹, ad ſeruitutẽ, ad tribulationẽ, ad animi, vt ipſe appellat, diuiſionem. Seruitus his verbis deſcribitur, Mulier ſui corporis poteſtatem nõ habet, ſed vir: ſimiliter autẽ & vir ſui corporis poteſtatẽ *1. Cor. 7.* *1. Cõtra Iouin.*

nõ habet, ſed mulier. Hoc eſt genus ſeruitutis, & quidem grauiſſimæ, quod tui corporis poteſtas alteri tradita ſit. Qua de re optime Chryſoſtom⁹, Vides ne, inquit, rei neceſ-
De vir. ſitatẽ & inexorabilẽ ſeruitutẽ? vides vtrũque funiculis cõ-
Cap.41. ſtrictũ? Eſt enim connubij neceſſitudo inſtar vinculorum, non ſolum propter curarum turbam, quotidianaſq; moleſtias, ſe quod vſque adeo coniuges deuinci nodo ſeruitutis, vt nulla mancipia magis in cuiuſquam dominatu ſint,
Gen. 2. quã ipſi alter in alterius poteſtate. Dominetur, ait Dominus, vir vxori. Sed quæ viro vtilitas ex eo dominatu, cum rurſum eiuſdem, quæ ei ſubiecta eſt, ſubiiciatur mutuæ ſeruituti? Hæc Chryſoſtomus: quin illud etiam ſcite adiungit, virum, & vxorẽ perinde eſſe, vt par aliquod ſeruorum fugitiuorum, qui ſint inter ſe cathena colligati, vt etiam ſi hero ſuo ſe eripiant, tamen alter alterum ſequi cogatur, nec inuicem digredi poſſint. Quod ipſum idem etiam Paulus innuit illis verbis, Alligatus es vxori. Ac ne quis hęc vincula rumpi poſſe exiſtimaret addit illico, Noli quęrere ſolutionẽ. Hęc vero ſeruitus, perpetua pręſertĩ, tũ per ſe duriſſima eſt, tum vero durior multo redditur, ſi, quod ſæpiſſime, ac potius vt plurimum contingit, in domi
Prou.21. num incidat moleſtum, & moroſum, & quod omnium in-
Prou.17. tolerabilius eſt, inſipientẽ. Ex quo illa ſunt in Prouerbiis. Melius eſt habitare in terra deſerta, quam cum muliere rixoſa, & iracunda. Item, Tecta iugiter perſtilantia litigioſa mulier. Quibus quaſi quotidianis exemplis admonere voluit Spiritus ſanctus quantum moleſtiarum, atque ærumnarum ſubeat, qui in hoc iugum ceruices ſemel inſeruit. Itaque non immerito, vt mihi videtur, Cum Chriſtus Dominus repudij licentiam aliquandiu permiſſã abrogaret, dictum eſt ab Apoſtolis vno ore, Si iſta eſt cauſa hominis
Mat.19. cum vxore, non expedit nubere. Et vere non expedit. Nam etiam ſi abrumpi aliquando poſſet, tamen non expediret hanc vxoriam compedem aliquo tempore perpeti, multo autem minus, ſi futura eſt perpetua, & inevitabilis. Religioſi igitur his omnibus impedimentis exuti ſunt, vt quemadmodum illi vinculis conſtricti inuicem ſe impediunt, ſic hi agiles, atque expediti, non ſolum currere, ſed etiam volare poſſint per viam mandatorum Dei.

Sequitur ſecundum incommodum, quod Apoſtolus tribulationem carnis appellat, ad quam perſpiciendam nihil opus eſt ingenio, ac mente, cum ipſis oculis per ſe pateat.

teat. Nulla est enim domus, nulla familia, in quam si introspicias, non plena sit infinitis curis, ac molestiis; si diuitiæ suppetant, ad eas gubernandas; si inopia premat, ad eam propulsandam; si sint filij, ad eos alendos; si filiæ, ad eas collocandas.

Quid deinde calamitates incidentes, & detrimenta rei familiaris, quid liberorum casus, quid reliquos angores, atque animi æstus commemoremus, qui perpetui sunt, & ex omni parte irruentes? In quo illud etiam grauius malum ab Apostolo indicatur, quod non solum tribulatio, sed carnis tribulatio sit. Nam laborare pro rebus spiritualibus, pro sua salute, pro Dei obsequio, & magnam habet admixtam consolationem, & magnum habet paratũ præmium. At vero cruciari in terrenis, carnalibusque negotiis, si nihil altius spectetur, omni prorsus caret & condimento consolationis, & spe etiam remunerationis. Quo circa sapienter, & vere Chrysostom⁹ in eum Psalmi locũ, *Psal.44.* Adducentur Regi virgines post eam, afferentur in lætitia, & exultatione, Vide hic, inquit, Apostoli dictum resplendere, Tribulationem carnis habebunt, qui nubunt. Quemadmodum autem illæ afflictionem, ita hę lętitiam, & exultationem. Illę enim filios, & maritos, & domũ, & famulos, & cognatos, & generos, & soceros, & nepotes, liberorum multitudinẽ, eorumque vel defectum, vel orbitatẽ deflere coguntur. Virgo autem crucifixa, & à præsentibus liberata, & curis huius vitæ superior effecta, vt euripo traiecto, in cœlum quotidie suspiciens, fruitur gaudio spiritus, perfunditur exultatione.

Venio nunc ad diuisionem, de qua Paulus ibidem, Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est: quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Itaque hec etiam amplius habent Religiosi continentiæ, castitatis beneficio, vt cor suum nulla eiusmodi diuisione imminutum, sed totum, atque integrum Domino offerant. Quam differentiam, atque distantiam inter vtrumque statum Gregorius etiam bene expressit his ipsis verbis. Coniugati *Hom.16* quamuis & bene agant, & omnipotentem Deum videre *in Ezech.* desiderent, domesticis tamen curis occupantur, & necessitate cogente in vtroque mentem diuidunt. Continentes autem ab huius mundi actione remoti sunt, & voluptatem carnis etiam à licito coniugio restringunt: nulla

coniugis, nulla filiorum cura, nullis noxijs, & difficilibus rei familiaris cogitationibus implicantur. Hæc igitur primum, de qua hic Gregorius, inest in coniugio diuisio, eaque tam multiplex, quanta est multitudo, & varietas earum rerum, quibus curandis cogitatio impartienda est. Sed est alia quoque multo quam hæc nocentior diuisio, ipsius amoris nostri, cuius cum pars liberis, pars vxori, ceteræque carni, & sanguini tribuitur, nullam partem, vel certe exiguam Deo ipsi superesse necesse est. Quod licet in omnibus rebus valeat, quæ amantur, multo tamen magis valet in eorũ amore, qui nobiscum sanguine sũt coniuncti, in quorum videlicet caritatem natura fertur ardẽti⁹. Certe Aristoteles negat vllam caritatem feruentiorem

8. Eth. c.12. esse posse, quam parentum in liberos, quippe quos diligãt, tamquam quiddam sui, & partem ab ipsis præcisam & deniq; quasi alteros se. Idemq; affirmat de coniugum beneuolentia, quam & maxime, naturalem esse ait, & omnes alias necessitudines anteire, quanto anterior est familia, quã ciuitas tota, quæ ex familijs constat. Deniq; addit, eodẽ pene gradu esse fratrum inter se coniunctionẽ, qui cũ ex ijsdẽ geniti sint, & vnũ quiddam cum illis, sequi vt inter se quoq; vnum sint. Quare cũ tanta vis sit in naturali hac beneuolentia erga suos, omnino quotquot ij erunt, tot in partes affectũ nostrum diuidi necesse est, vt vel ad Deum nõ perueniat, vel ita debilitatus, atq; imminut⁹ perueniat, vt magna illi bonitati fiat iniuria, quæ amari se iubet (& certe ita amari meretur) in toto corde, & in tota anima, & viribus totis. Hæc igitur mala omnia per Castitatẽ effugiũtur, quã qui colunt, nullo ex ijs impedimentis, quæ diximus, tenẽtur, quominus toto se amore in vnũ effundant

10. Conf. c. 29. Deũ. Ex quo est illa optima Augustini sententia, Per continentiã colligimur, ac redigimur in vnum, à quo in multa defluximus. Hoc autem vnum Deus est, summũ, ac solũ bonũ, quo amãdo nos quoq; boni, & quo fruẽdo beati su-

Orat. 36 mus. Aptissime etiã Nazianzenus castitatem laudans, Vt aqua, inquit, quæ plumbeis canalibus inclusa defertur, quia multum comprimitur, & conglobate voluitur, in altũ erũpit supra naturæ suæ pondus, sic si anima per continentiã totum suũ amorem strinxerit, nec in creaturas dif-

Const. mon. c. 1. fluere patiatur, sed eũ in Deum effundat, sursum tendet, nec vmquã humi prolabetur. Quæ cũ ita sint, recte S. Basilius, cõmemoratis coniugij incõmodis, & curis, vt ipse ait, infinitis

infinitis,ad extremum de religiosorum,ad quos illa loquẽbatur, felicitate, hæc addit,Quicumque à mundi vinculis liber esse cupit, coniugium veluti compedes quasdã profugere deberẽ, & Deo vitam suam consecrare, & castitatem profiteri. Qui enim huiusmodi est, inquit, cum Deũ solum sibi amandum proposuerit, eiusque puritatem, & tranquillitatem omnis perturbationis expertem; & quæ ex his nascitur, lætitiam, & gaudium degustare optet, in eo tantum versatur, vt ab omni materiæ concretione, & corporis affectione animum quãmaxime abducat,& cœlesti lumine insatiabiliter hausto, puris oculis, nullaque caligine præditis, diuina contempletur.

Est autem aliud quoque præcipuum in hac re cõsiderãdũ.Nam inter Christianas virtutes,quæ maiorem in modum à Christo Domino,ac Saluatore nostro commendatę sunt,non est dubitandum, quin duarum maximus sit splẽdor. Altera est euangelica paupertas,de cuius vtilitatibus multa iam diximus.Altera est fraterna caritas, & coniunctio,de cuius item commodis multa infra dicemus.Atqui hæc duo tã magna,tãque præstantia bona in coniugali statu omnino locũ non habent:in religioso autẽ statu ita vigent, vt ei insita,& essẽtialia sint.Nam paupertas quidem quę esse potest,vbi vxor,vbi filij,vbi familia,quę omnia potius (vt ait Paulus)thesaurizare cogunt?Itaque hoc etiam à Chrysost. inter alia cælibis vitæ beneficia reponi video, qui in libro, quem scripsit de virginitate,cum exẽplũ Heliæ,Helisęi,Ioãnis induxisset, Si,inquit, vxores habuissẽt, & liberos,haud facile passi essent,vt & in solitudine viuerent,& suas familias contemnerent,& reliqua, quæ necessaria essent ad vitam,non compararent. Nũc vero his omnibus soluti vinculis, tãquãin cœlo,sic in terris diuersãtes,non parietibus,non lecto,nõ tecto,non mensa,nõ alijs eius generis rebus indigebant:quin illis cœlũ erat pro tecto,solũ pro strato,pro mensa solitudo;ac sterilitas illa solitudinis,quæ alijs famem,sanctis illis viris rerum omniũ copiam suppeditabat. Ipsis enim neque vitibus opus erãt, neque torculari,neque frugib⁹,neque messe, sed vberem, ac suauem potum fontes, & flumina præbebant.Vni autẽ ex ijs instruxit Angelus mensam admirabili apparatu; supraque hominũ consuetudinẽ.Sic Chrysostomus, qui hoc denique concludit, vbi neque vxoris famulatus,neq; cura prolis sit,ibi summam esse paupertatis facilitatem.Idẽ di-

2. Cor. 12.

De virg. c.70.

cere licet de illa fraterna vnitate, vitæq; cōmunitate,quę
6. Conf. nulla esse potest adiuncto fœminarum contubernio. In
cap. 14. quo certe illud obseruatu dignū est, quod narrat Augustinus, cum adhuc Manichæus esset,& ipsum,& plures amicos pertæsos molestiarum huius mundi,consilium inisse,in quo quædam imago inerat religiosæ vitæ,vt remoti à turbis otiose viuerent, ita vt quicquid haberent, eo in medium ab omnibus collato, vna res familiaris conflaretur,vt non esset aliud huius, & aliud illius,sed quod ex cūctis fieret vnum,& vniuersum singulorum esset, & omnia omnium. Quod cum ab omnibus magnopere probaretur, seque in eo vitæ genere beatos fore sperarent, repente ait totam illā rationem turbatam esse ex impedimento muliercularum,quas iam alij haberent, alij habere vellent:quare,re tota abiecta,ipsi,ait Augustinus, ad suspiria,& gemitus cōuersi sunt, eorumque gressus ad sequendas latas,& tritas vias seculi.Hoc igitur bono,& aliis multis se priuāt,qui se matrimonio illigant,quod quidem bonum vel maxime viget, & abundat in religione.

Restat etiā alia vtilitas Continētiæ,quæ nescio an omnium maxima existimāda sit. Etenim dubitari non potest, quin voluptas corporis,omnis quidem, sed hęc præsertim, quę ad generādum dirigitur,animū, quæ est hominis pars nobilissima,eneruet,& emolliat, atq; ex statu suo illo erecto, & excelso.Cuius causa est,quia & corpus, & hęc ipsa corporis functio cōmunis est homini cū belluis:ex quo fit, vt cū se animus ad eā humiliat, eo magis cum ipsa carne, re omnino vili,ac terrena,sese misceat, eoq; magis cū eius natura bruta,atq; hebete cōmunicet,quin etiā ex assuetudine ita obtūdatur,vt nihil altum,nihil magnificum, nihil diuinum suspicere possit:quippe cum seipsum abiecerit in rem tam humilem,tamque contemptam. Intelligendū est igitur, hanc tarditatem, siue obscuritatem in mentem inuehi,non ab illis tantum delectationibus,quæ sunt illicitę, sed eandem propemodum ab ijs,quæ licitæ: eadem enim, quod ad hoc attinet, est vis vtriusque generis. Vnde
1. Soliloq. est illud Augustini. Nihil esse sentio, quod magis ex arce virtutis deijciat animum virilem, quam blandimenta fœminarum, corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest. Itaque nihil ferme melius, aut gloriosius in laudem Castitatis dici potest, quam hoc, quod quemadmodum illa coniugij munera animi præstantiam

adeo affligunt,ſic integritas,& puritas eam erigit, & perficit,& facit,vt quo minus habet cum carne commercij, eo quotidie magis,ac magis eniteat:ſic enim hominis ſpiritus vim ſuã ſpiritualem quã maxime tuetur, fitque aptus, & habilis,vt diuina capiat,vt conuerſatio eius in cœlis ſit, vt ei incerta,& occulta illius ſapientiæ manifeſtentur; ad quæ omnia lumine opus eſt,quod lumen illis quaſi nebulis impeditur, quæ ex his tam craſſis corporũ exhalationibus gignuntur. Quamobrem, vt Caſſianus dicit,& benedicit, omnẽ iracundiæ cõmotionem oculos cordis excœcare, ſiue iuſtam,ſiue iniuſtam,nec referre vtrum oculi plumbea lamina,an aurea obducantur,modo obducantur, ſic videtur de hac delectatione dici poſſe, parũ intereſſe ad hebetãdum,quacumque ex cauſa proueniat. Quo etiã pertinet ſapiens quoddam Aegidij reſponſum,qui vnus fuit ex primis B.Frãciſci ſociis,qui ſeculari cuidam glorianti ſe caſtũ viuere,fidemque vxori ſeruare,An,inquit, ex ſuo quoque ipſius dolio non poteſt aliquis ebrius fieri? Recte omnino, atque,vt dixi,ſapienter. Nam quod ad ebrietatem attinet, quæ in hoc conſiſtit,vt ratio abſorbeatur, & quaſi demergatur,nõ multũ intereſt,vnde vinum petatur, modo idem ſit vinum.Ex quibus omnibus illud quoque apparet,cuiuſmodi ſit hoc remediũ,quod humanæ infirmitati ex matrimonio conſtitutum eſt.Non enim eiuſmodi eſt,quod morbum omnino depellat,ſed potius materiã præbeat, in qua, ſine offẽſa Dei,morbo illi indulgere liceat. Vt enim ſi quis fiſtulã laboret,aut carcinomate,duplex eſt eius ſanandi ratio,altera,eaque perfecta, vt caro plane redintegretur, & cõſolidetur:altera,vt aliquod vlcus maneat, ſed minor ſit fœditas, eaque ipſa faſciis contegatur: ſic igitur in ſtatu continẽtiæ hic concupiſcentiæ morbus omnino ſanatur, & tollitur: in coniugatis autem non quidem omnino reſecatur,ſed honeſtatur illa ſacramenti ſanctitate. Eſt vero magnum inter hæc duo diſcrimen,quoniam ad libidinem hãc ſanandam multo melius,aptiuſque remediũ eſt,eam penitus præſcindere,quã ex parte tantum cohibere, & ſperare mitiorẽ fore,cum ei ſis obſequutus.Verum eſt enim, quod ipſe etiam Ariſtoteles ſcripſit,inſatiabilẽ eſſe rerum iucundarum appetitum, eumque ipſa concupiſcentiæ exercitatione,dum ei ſatisfacimus,adaugeri,denique etiam cũ vehementior fuerit, rationem exhaurire. Atque hoc ipſum ſatis magnum eſſet malum, etiamſi intra legitimos coniugij

Lib. 8.c 6.

3. Eth.c. vlt.

iugij terminos teneretur. Sed illud pernicioſius, quod appetitus iſti quamdiu in nobis aliquo pabulo,quodcumque id ſit,aluntur,ita inualeſcunt,vt plerumque à licitis ad illicita prolabantur.Cuius rei illuſtre ſane exemplum propoſitũ eſt tum in Dauide,tum in eius filio Salomone,quorum cum alter tanta ſanctitate, alter tanta ſapientia polleret, vterque autem non modo vnam vxorem,vt nunc,ſed vxorum cateruas haberet,tamẽ tantum abeſt,vt ſatiata ſit eorum libido,vt potius incenſa,& inflammata magis, ac magis,& huius ſapientiã,& illius ſanctitatem fœde, & miſere abiecerit.Cõtra vero de Helya, de Helyſeo, qui continentiam ſectati ſunt,nec tale aliquid legitur, nec ſuſpicari licet. Et in ſumma videntur mihi ſeculares matrimonio dediti trucem hanc,immanemque belluã,quaſi leonem, cauea incluſam tenere,eamque quotidiano pabulo nõ ſolum alere,ſed etiam,quod neceſſe eſt,corroborare. Itaque quis præſtare poteſt, eam aliquando cauea effracta non euaſuram,ſtrageſque pro more,& pro natura ſua non edituram? Melius igitur,& ſapientius vtique continentes, qui nõ eo tantum contenti ſunt,vt eam vinculis conſtringant,ſed inſuper omnino perimere,& partim fame, partim etiam additis verberibus necare ſtudẽt. Tractat hunc ipſum locum optime Caſſianus in quadam collatione, vbi cupiditatem iſtam flammæ ſimilem eſſe ait,quæ interdum ſtipulis, aut eiuſmodi materiæ, propter vſum aliquem, iniecta, ægre præfixis terminis contineri poteſt,vt non etiam extra euagetur,ac non ipſas modo ſtipulas,ſed longius deinde progreſſa,vicina quoque,ſæpe etiam remota inuadat.Sic enim ait,voluptatem,dum coniugio cohibetur,incendere, eiuſque cõſuetudinem ad vetitos exceſſus rapere. Quos vero, inquit, gratia Saluatoris ſancto incorruptionis amore inflammauerit,ita omnes carnalium deſideriorũ ſpinas diuinæ caritatis igne cõſumũt,vt nec tepens fauilla vitiorum refrigerium integritatis imminuat. Denique hoc idẽ ſenſit etiam Chryſoſtomus in præclara illa monaſtici ſtatus Apologia,cum ceteris in rebus, ipſorũ ſeculariũ conceſſu, tutiorẽ,ac ſecuriorem eſſe ait religioſorum ſtatũ, vnũ autem eſſe,in quo ſeculares maiores à nobis pugnas, quam ab ipſis,ſuſtineri putent,nimirum caſtitatem,quoniam ipſi habeant in quo ſe expleant.Reſpõdet autẽ Chryſoſtomus, eos longè falli, ac potius contra rem habere; quòniã, inquit,multo plures ex coniugatorum,quã ex monachorum ordine,

Coll. 21. c.33.

Lib.3.

ordine,lapſos videas,neque tam multos ex monaſteriis ad matrimonia,quam ex iugali lecto ad ſcorta acceſſiſſe. Alia multa de Caſtitatis tum præſtantia,tum etiam iucunditate dici poſſent : ſed quoniam hoc loco ſolam vtilitatem tractamus,illa vtraque ſequentibus libris reſeruanda ſunt.

De vtilitate religioſæ Obedientiæ.

CAPVT XI.

Reſtat de tribus ſupra propoſitis obedientia, maior ſine dubio tum paupertate,tũ caſtitate, ſiue ipſius præſtantiam,ſiue vberrimũ meritum, ſiue multiplices fructus conſideremus.Præſtãtia quidẽ ex eo cognoſci poteſt,quod in ſcriptura ſacra ita commendatur, vt indicetur, gratiorem,& acceptiorẽ eſſe Deo,quam omnia ſacrificia, & holocauſta,id eſt,opera quæcumque pia,& ſalutaria.Sic enim Samuel Dei nomine.Melior eſt obedientia,quam victimę, & auſcultare magis,quam offerre adipem arietum. Quod quaſi interpretans Gregorius,Obedientia,inquit, victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiã vero volũtas propria mactatur. Tanto igitur quiſque Deum citius placat,quanto ante eius oculos, repreſſa arbitrij ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat. Ex quo iam apparet,quanto interuallo religioſa vita antecellat vitæ ſeculari,non ſolum vitioſæ,& improbæ, ſed etiam laudabili,& honeſtæ.Nam quod huic maximũ eſt, vt ſeſe bonis operibus exerceat,hoc tamen maximũ multo inferius eſt,quam illa perfecta,& integra ſui ipſius oblatio, quæ fit per obedientiã perpetuam.Ex hac autem præſtantia ſequitur etiam meriti vbertas.Nam qui bene agunt, ſed pro ſuo arbitratu,ſuaq; ſponte,ij tantum acquirunt,quantũ eſt per ſe illorum recte factorum pretium,& dignitas.Obedientia vero hunc inſuper quæſtum affert, quod & quæ iam bona ſunt,meliora fiunt,& quę per ſe nihil eſſent,tamen eius ornamẽto adiuncto mirum in modum illuſtrantur, fiuntque Deo gratiſſima.Quod enim opus vulgarius,ac leuius, quã cibum ſumere,curare corpus, ambulare etiã animi gratia, & reliqua eiuſmodi vel naturalia,vel etiã neceſſaria? quæ tamẽ,ſi iuſſus legitimæ poteſtatis acceſſerit,magnã acquirunt apud Deum gratiã. Itaque commode à quibuſdã dictum eſt,qui obedientiam virgulæ cuipiã compararunt ea vi præditę,vt,quicquid contingat,in aurũ conuertat.quare

1. Reg. 15.

Mo.35. c.10.

non ſolum argentum, aut ſi quid eiuſmodi pretioſum eſt, pretioſius faceret, ſed etiã lignis, & lapidibus, & terræ ipſi, quæ per ſi nihil valeant, pretium conferret. Si vero fructus eius quæramus, ſufficere illud poteſt, quod ab eodem Gregorio de hac virtute ampliſſime ſcriptum eſt: Sola, inquit, virtus eſt obediētia, quæ virtutes ceteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit, Inſerit autem duobus modis. Primum, quia hæc hominis in Deũ liberalitas, qua ſeipſum illi tradit, Dei viciſſim liberalitatem, ac munificentiã elicit. Cum enim ea ſit Dei bonitas, & natura, vt numquam ſe amore, largitate, officiis vinci patiatur, nonne conſequens eſt, vt qui ſine vlla reſtrictione ſeipſum, & omnia ſua Deo donauit, eidē viciſſim Deus ſe quoque ipſum donet, & ſua omnia ſpiritualia bona: Deinde, quia in ipſomet vſu praxiq; obedientiæ neceſſario aliarum etiã virtutũ opera concurrunt: nam eo ipſo, quod alteri homini, Dei cauſa, obeditur, exercetur ſimul humilitas & quidem maxima, quæ nos ei ſubijcit, qui naturę æqualis, ſæpe etiam aliis rebus eſt inferior exercetur patientia in malis tolerandis, quæ ſenſui, ac voluntati repugnent. Itē fides, propterea quod Deũ, quem non videmus, in illo, quē videmus, veneramur, eiuſque nobis curã, ac prouidētiã adeſſe agnoſcimus, tum vero etiam ſpes, quæ facit, vt præſentia contemnamus. In primis vero eminet caritas, & quidē in re omnium difficillima, vt diuinam voluntatem noſtræ volũtati, ac placito anteferamus. Itaque, ſi recte ratiocinari velimus, hoc intelligemus, in vna obedientiæ actione omnium fere virtutum, earumque maxime illuſtrium actiones ineſſe. Ex quo fit vt obedientię exercitatio (vt ait Gregorius) ceteras quoque virtutes animo inſerat, & dum ea augetur, hæ quoque augeantur, & creſcant. Neq; vero ſolum inſerit, ſed etiam inſertas cuſtodit: quo neſcio an vtilius, vel glorioſius etiã vllius virtutis munus eſſe poſſit. Nam aliæ ferme virtutęs, nō modo quaſi gemmæ quædam latronum, & inſidiatorum dæmonum iniuriis expoſitę ſunt, & quo maiores fuerint, eorũ cupiditatē magis incēdunt, & acuunt, ſed ſæpe etiam ſeipſas deſtruunt, non ſua culpa, ſed eorum, qui ipſas habēt, arrogãtia, & ſuperbia, vt Lucifero illi cõtigit qui, vt eſt apud Eſaiam, cum eſſet ornatus omni lapide pretioſo, ea ipſa ornamenta eum præcipitarunt. Obedienta vero & ſeipſam, & alia bona, quæ ſecum importat, tuetur, & cuſtodit, quia nihil ſibi confidit, nihil ſibi tribuit, nihil etiam ſibi retinet, ſed

35. Mo. c. 10.

Eſa. 14.

ſed hoc quodammodo agit,vt homo ſeipſum exuens , Dei manibus,quaſi depoſito committat,& tradat,de cuius manibus nemo quemquam rapere poteſt , vt Saluator dixit. *Ioan. 10.*
Vel enim nõ accedit inimicus,vel ſi accedat,ad Deũ ipſum iam pertinet.vt pro nobis propugnet, quãdo nos ſuis manib⁹ tenet, vel certe ita nos corroboret , vt nullo negotio *In libr.* dæmonis ferociam profligemus.Sic enim Gregorius idem *Re.li.4.* alio quodam loco.Victimæ,inquit,ſunt obſequia obedien- *cap. 4.* tium:quia,cum hominibus pro Deo ſubiicimur, ſuperbos ſpiritus ſuperamus. Ceteris quidem virtutibus dæmones impugnamus,per obedientiã vincimus.Victores ſunt ergo qui obediunt,quia,dum voluntatem ſuã aliis ſponte ſubijciunt,ipſi lapſis per obedientiam Angelis dominantur. Hi ſunt igitur fructus obedientiæ,& quidem ſolius: nam hoc quoque Gregorius , ſola,inquit,virtus eſt obedientia, quæ virtutes ceteras menti inſerit:vt manifeſte appareat,quam magno bono orbati ſint ſeculares , contra vero religioſi, quorum tota vita eſt obedientia,quam rectam, quã ſolidã, ac breuem etiam viam ad omnem perfectionem nacti ſint, qui tam facili compedio in vna virtute virtutes omnes cõſequantur.Quamobrem optime Climachus , Obedientia, *Grad. 4.* inquit,eſt perfecta abnegatio propriæ animæ , & proprij corporis,mors voluntaria,vita ſine ſolicitudine, nauigatio ſine dãno,ſepultura voluntatis,vita humilitatis,& quaſi ſi quis dormiẽdo iter faciat.Idemque addit , viuere in obedientia nihil aliud eſſe,quam ſuũ onus aliorũ humeris imponere,natare ſuper aliorum vlnas , & ſuſtentari in aquis ne mergamur,ſed ſine periculo hoc grande pelagus huius vitæ trãſeamus,& quidem breuiſſima nauigatione. Quid meli⁹,aut quid maius dici poterat?Sed illud in primis magni æſtimandũ,quod ait hoc præſtari ab obediẽtia vt quaſi dormiendo iter faciamus;dum nos videlicet,quaſi infãtes, aliorum cura,ac prouidẽtia inter vlnas geſtat. Itaque cum iter hoc ſpirituale aliis quidem ita durũ ſit, ita etiam periculis obſeſſum , religioſis tamen virtutis huius præſidio adeo molleſcit,vt ne ſentiant quidẽ.Vltima eſt ea vtilitas, in qua vere dicere poſſum⁹ omnes omnino vtilitates cõtineri, quod nos,& actiões noſtras diuinę volũtati ita ſubijcit,vt ab ipſa totæ pendeant,dirigantur,moueantur.Quod quo modo ab obedientia perfectiſſime efficiatur, dicẽdum eſt,ſed pauca quædam de huius rei neceſſitate præponẽda. Magna eſt enim omnino hominũ in ſeipſis regẽdis, vitæq; ſuæ

ſuæ rationibus gubernandis obſcuritas,in qua obſcuritate plurimi vel errores,vel etiã lapſus incidere poſſunt:de quo
Sap. 9. ita eſt in ſacra Scriptura,Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.Quæ enim maiores poſſunt eſſe tenebræ,cum futurorũ nullam notitiam, præſentium pene nullam habeamus, ac non modo aliorum hominum,quibus cum noſtra vita neceſſario permixta eſt, conſilia,ac volũtates ignoremus,ſed ſæpe, ac potius plerũque quid in nobis ipſis lateat, neſciamus, ſæpe plus nos poſſe, quam poſſimus,ſæpe etiam minus poſſe arbitremur; quorum alterum ad maiora viribus audenda nos incitat, alterum ab iis,quæ ſalubria eſſent, aggrediendis nos reuocat? Magnum ergo, ac potius omnium maximum beneficium, habere in tãta nocte, vt cæci ſolent,cuius ductu nitaris; & cuius manu perducaris,& hunc,ipſum Deũ,qui & tanta eſt ſapiẽtia,vt nihil eum fallat,aut fugiat,& tanta bonitate,ſi-
3. Conf. mulque potẽtia,vt,quod ait Auguſtinus, ita vnũquemque
cap. 11. hominũ curet,ac ſi ſolum illum curet. Quare,cui hoc con-
Pſal. 22. tigerit,id magnæ felicitatis loco reputare debet,quoniam fidenter dicere ei licebit,Dominus regit me, & nihil mihi deerit:hoc enim ex illo ſequitur:nam ſi Deus nos regat,nõ modo nihil deeſſe poterit,ſed in loco paſcuę,& ſuper aquas veræ refectionis collocabit, vt omnibus bonis abũdemus. Videndum eſt igitur quomodo per obedientiæ dictũ hoc veriſſime,& certiſſime aſſequamur, vt Deus nos regat; idque,quo magis conſtet,paulo altius repetẽdum. Etſi enim inter antiquos illos,vt ipſi ſe nominari voluerunt,Philoſophos,fuere nonnulli ita impie indocti,vt alij Deũ nihil extra ſe curare,alij æterna tantum curare opinarẽtur, tamen non ſolum fidei lumen,ſed etiã naturæ nos omnino cõuincit,vt illud credamus,& prædicemus etiã,quod eſt in libro
Sap. 14. Sapientiæ, Tua Pater prouidentia ab initio cuncta gubernat.Quo verbo,Cuncta, nulla res excluditur, non magna, quaſi non poſſit,non etiam minima,quaſi contemnat, ſuaque magnitudine, ac celſitate indignam ducat. Sed refert noſſe modum,& quaſi rationem,ac formulã, quã illa diuina mens in hac totius vniuerſitatis adminiſtratione ſequa-
Sap. 8. tur,quam alio loco demõſtrat idem Sapiens his verbis, Attingit à fine vſque ad finẽ fortiter,& diſponit omnia ſuauiter.Ad fortitudinẽ enim pertinet,quod diximus,vt nihil ei reſiſtere,nihil eius conſiliũ, ac prouidentiã vel perturbare, vel etiam euadere valeat.Suauitas autem, in qua maxime

elucet sapientiæ vis,in duobus præcipue consistit.primum, vt ita quæque res gubernetur,vt maxime eius naturæ congruẽs,ac consentaneum est,necessaria necessario, cõtingẽtia contingenter,libera etiam libere:deinde, vt ita summa cum mediis,media cum infimis,effecta cum causis,antecedentia cum consequentibus annectantur, vt aptus eorum ordo,ac series numquã discindatur,& perturbetur.Itaque, vt fruges,fructusque non subito è terra integri, ac maturi existunt,sed prius parui,ac teneri,deinde paulatim crescẽtes,solis ardore excoquuntur,ipsique soles, ne immoderatius vrãt,tẽpestiuis pluuiis temperãtur, pluuiæ vero ad humorem necessariæ non repente ex alto decidunt, sed elatis ex humo vaporibus concrecunt,idque in cæteris quoque omnibus naturæ operibus constanti, perpetuoque tenore seruari videmus, vt per proximas, & immediatas causas producãtur;ita hoc idẽ, & multo magis in actionibus voluntariis seruandũ fuit,quod hæc quoque præstãtius quiddam sunt,ac nobilius, quam illa. Primũ enim non permittendum fuit,vt essent omnes omnium hominum volũtates quasi distractę,ac diuulsæ,dum quisque abiret in viã suam. quæ enim maior esse posset mundi huius confusio? sed ex his omnibus vnus fieret contextus,& vna series ad eum finem directa,quem sibi Dei sapientia præfixisset.Deinde, si hic ordo inter eas voluntates futurus erat, illud etiã oportuit,vt hic quoq; suus esset causarũ,& effectuum nexus, id est,alij essent qui mouerẽt,alij qui mouerentur. Sed in naturali quidẽ ordine(ait S.Thomas) superiora quæque mouere solent inferiora vi quadã, & abundantia virtutis naturalis diuinitus insitæ,qua præualent in ea,quæ mouẽt:in humanis autem actionibus non alia est vis mouẽdi,quam voluntatis,quæ item diuinitus ordinata est, quod quidem fit iubendo, & præcipiendo. Nam cum prima, & præcipua regula omnium voluntatum, quæ cum ratione coniunctæ sunt, vna sit Dei voluntas, huic quidem diuinæ voluntati aliæ voluntates alijs propius accedunt,pro eiusdẽ Dei placito,qui singulis rebus suum locũ,& quasi vicem,propriãque stationem constituit.Hæc fere B. Thomas, ex quibus illa etiam sequuntur, quæ ab eodem vberius disputãtur in eo opere,quod inscripsit de regimine Principum,quo loco ostendit omnem hominum in alios homines potestatem à Deo manare;idque confirmat multis rationibus pene physicis in re morali,ductis tum ex entis,tum ex motus natu-

2. 2. q. 104.

Lib. 3. c. 1.

ra,

ra,tum vero etiam finis.Cum enim omnis poteſtatis, ſeu dominationis fundamentum ſit ipſum ens, ſicut ens omne creatum pendet à primo illo ente ingenito,ſic etiam poteſtas quælibet. Idemque licet dicere de motu. Si enim in corporibus mouendis aliquis ordo requiritur, quia ab inferioribus per ſuperiora ad aliquid ſummum, vltimũque perueniat,quod eſt,vt philoſophi volunt,ipſum cœlũ,multo hoc magis euenire oportet in rebus ſpiritualibus, quo etiam hæ maiorem habent ſimilitudinem cum primo illo motore, cuius item natura ſpiritus eſt. Hic autem motus nihil eſt aliud, quam mentis lumen à Deo omnis luminis fonte deriuatũ.Apertior eſt autem,& clarior ea ratio, quæ ex fine ducitur;quaſi ſi diuina prouidentia ſingulos homines,ſingulaſque eorum actiones ad finem iam à ſe præſtitutum dirigit,multo magis totam communitatem,quæ & ipſa præſtãtior eſt,vt totum,quam ſingulæ partes, & finem habet præſtãtiorem.Ergo cum has cõmunitates ab aliquibus gubernari neceſſe ſit,hos item ipſos à Deo multo maxime gubernari,& ad finem illum,quem diximus, impelli neceſſe eſt.Quod quidem clariſſime docẽt etiam ſacræ,litteræ,in quibus diuina ſapientia ita loquẽs inducitur: Meũ eſt conſiliũ,& æquitas,mea eſt prudentia, & mea eſt fortitudo,per me reges regnant,& legũ conditores iuſta decernunt,per me principes imperant, & potentes decernũt iuſtitiam.Quibus verbis duo indicãtur:primũ,qui aliis præſint,eos non fortuito,aut etiã humano cõſilio in id munus, quodcũque eſt,incidere,ſed Dei iudicio ſelectos, & ſegregatos,quod Saulis,Dauidis,Iehu, aliorũq; exemplo apparuit:deinde in ipſo munere gerendo tum fortitudinem à Deo accipere,id eſt,poteſtatẽ,tum etiã conſiliũ,& prudentiam,id eſt,lumen,& intelligentiã, qua etiã ſæpe nolentes, & inſcij in Dei beneplacitũ implendũ agũtur. Atq; hoc tã certum eſt,vt Paulus Apoſtolus hinc cõfirmet, qui poteſtati reſiſtũt,Dei ordinationi reſiſtere:redditq; cauſam, quia nõ eſt poteſtas niſi à Deo.Idemque alio loco ob hanc eandẽ cauſam ſeruos hortatur,vt obediãt dominis carnalib⁹, nõ modo ad oculũ, id eſt, exteriori opere,ſed ex animo,& libẽter,vt ij,qui intelligant ſe Dei voluntatem facere. Petrus quoq; in eãdem ſententiã,Subiecti,inquit, eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominũ,ſiue regi quaſi præcellenti,ſiue ducibus tamquam à Deo miſſis.Ex his igitur, & aliis eiuſmodi argumẽtari licet,quanto hoc certius credendum,

Pro.8. Rom.13. Eph.6. Ep.1.c.2.

dendum,& tenendum sit in religiosis ordinibus, quicumq; præsunt,eos à Dei prouidentia seligi, Dei vices gerere, ac potestate,& vero etiã lumine ab illo accepto nos gubernare.Valet enim hic illud Basilij argumentum;si Paulus, inquit,Apostol⁹ Christianos,& Dei filios iubet subditos esse non solum ijs,qui humana lege imperandi potestatem acceperunt,sed etiã infidelibus,& impiis,cuiusmodi tũc omnes erant; qualis obedientia ei debebitur, qui à Deo ipso constitutus sit pręses,& à legibus diuinis potestatẽ accepit? Nõ licet de hoc dubitare,cũ ipsius Saluatoris auctoritatem habeamus,ita dicentis:Qui vos audit,me audit,& qui vos spernit,me spernit. Quã legẽ ait idem Basilius nõ de Apostolis tantum perlatam, quibus præsentibus promulgata est, sed communem omnibus fuisse, omnesque posteros complecti,qui vllo vnquam tempore aliorum moderatores essent futuri.Nihil enim, inquit,aliud est antistes, quã is, qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deũ,& homines, eorum, qui in ipsius cura sunt, salutem sacrificans Deo. Quam ob causam non dubitauit Bernardus tam aperte illud præcipere,siue Deus, siue homo Dei vicarius aliquid iusserit,quodcumque illud fuerit,pari obsequendum cura,pari reuerentia deferẽdum esse, hoc vno excepto,si Deo contraria iuberet. Hoc igitur tam copiose confirmato, quod Deus ipse singulos religiosos per eos, quos illis rite,ac legitime præfecit, regat; moderetur, & omnem in partem flectat,quanta erit non modo eorũ vtilitas,sed etiam felicitas, quod in his tenebris tantum ducem,in tanta diuinarum rerum ignorãtia talem magistrũ, in tanta imbecillitate tantum præsidium nacti sint? Itaque idem mihi videtur religioso cuique contingere, quod iumento, cum à sessore frenis adductis, vel remissis, gubernatur.Sessor enim noster Deus est,frenũ autẽ ipsi rectores, ac præpositi.Sũt enim ipsi quoq; in manu Dei,nec nos mouent,nisi moti. Sed is error est plerumque, quod frenum, quia propinquius est,sentim⁹,sessoris ductum, quia remotior est,non aduertimus,id est,præpositorũ vocem, & imperia percipimus,quia eos videmus,& audimus, Dei vero ordinationem,quia à sensibus longius distat,non consideramus.Itaque hoc ipsum, meo quidem iudicio, omnium maxime, & apertissime declarat, quam non modo fructuosum, sed etiam necessarium fuerit,eos nobis diuinæ voluntatis interpretes relinqui, quos oculis videre, quorum

Const. Mon. ca. 23.

Luc. 10.

Const. Mon. ca. 23.

De prae. & disp.

rum voces auribus percipere liceret. Nam, vt id exemplo oſtẽdamus, in ſacramentis quoque propter hominum ſalutem inſtitutis quiddam ſimillimum videmus. Etſi enim ſola fide, & pœnitentia, & caritate, aliiſque eiuſmodi actionibus interioribus gratia, & iuſtificatio hauriri poterat, ſic tamen aptius viſum eſt Domino, ſacramenta illa cõficere, vt alia panis, & vini ſpecie, alia olei materia continerẽtur, alia etiam ſenſibili verborum ſono peragerentur: idque ob duas cauſas: primum quia hominis naturæ, quæ ſcilicet nõ ſolo ſpiritu, ſed etiã corpore conſtat, ita congruens erat, vt

Hom. 83. in Matt. etiam corporeis inſtrumẽtis vteretur. Sic enim Chryſoſtomus; Si, inquit, incorporeus eſſes, nuda, & incorporea tibi dediſſet dona; ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ipſis ſenſibilibus intelligibilia tibi prębet. Altera cauſa eſt, quod ſi ſola mẽs cũ Deo rationem haberet, nemo eſſet, qui non infinitis ſcrupulis angeretur, an ſatis doluiſſet, an ſatis amaſſet, an alijs officijs rite functus eſſet. Itaque nũquam animo conquieſcere liceret, eſſetque vita inter hos angores plane acerba. Quare ſapienter omnino diuina ſapientia ea nobis ſalutis adiumenta cõſtituit, quæ tactu, quæ viſu, reliquiſque ſenſibus explorata eſſent. Eadem igitur vtraque cauſa ad religioſam obedientiam transferri poteſt, & certe transferẽda eſt, vt, quia altera pars noſtri corpus eſt, non à Deo ſolo, non etiam ab angelis, qui ſunt puri ſpiritus, ſed ab aliis hominibus, qui item vt nos corpus habent, inſtruamur, & regamur: & hoc ipſum ad illam diuinæ prouidentiæ ſuauitatem pertinuit, qua paulo ante Deum tantopere delectari diximus. Deinde vero, quia in hac vita, quam ſæpe iam appello tenebras, nihil difficilius eſt, quam Dei voluntatem vere, & certe aſſequi, optime, ac ſaluberrime nobis conſultum eſt, quod eam nobis rationem Deus tradidit tam euidentem, atq; expreſſam, vt nõ modo mẽte, ſed ipſis etiã ſenſibus percipi poſſet. Quo factũ eſt, vt nullus, non dicã errori, verum ne dubitationi quidem, aut hæſitationi locus relinqueretur. Hæc ſunt cõmoda, hi fructus obedientiæ, quibus omnino carent ſeculares omnes, non dico ij, qui huic præſenti vitæ dediti, nihil de ſpiritualibus cogitant, verum illi quoque, qui ſpirituales eſſe volunt, ſed ſuo ductu, ſuoque arbitratu hoc virtutis ſtudiũ gubernant: quos quidem difficilius, laborioſius, tardiuſque progredi neceſſe eſt, & præterea in ſuis conſiliis, & actionibus incertos, anxios ſemper hærere, fluctuare, pendere animi, eo etiã

magis,

magis, quo meliores ſint viri, cum & Dei voluntatem omnino ſequi cupiant, & in ea tamen cognoſcenda tanta obſcuritate laborent, vt ſæpe ab ea aberrent, ſæpe, etiamſi eam attigerint, ipſi tamen perinde crucientur, quod ſe attigiſſe neſciant.

Non ſolos religioſos, ſed omnes Chriſtianos obligatos eſſe ad vitæ perfectionem.

CAPVT XII.

HIs iam expoſitis, quæ de generalibus religionis, ac religioſi cuiuſque voti vtilitatibus dicenda videbantur, deinceps etiam alij peculiares quidam fructus, & præcipuæ quædam vtilitates commemorandæ ſunt. Verum, antequam hoc aggrediamur, minuenda, vel potius extirpanda eſt ea opinio, qua plerique errant, exiſtimantes hoc duriorem eſſe, & grauiorem religioſorum rationem, quod eos quidem ſua profeſſio obliget ad omnem perfectionem, & ſanctitatem, ſeculares autem nulla eiuſmodi obligatione teneantur, ſed potius liceat eis impune imperfectos eſſe. Quod omnino falſum eſt. Hoc enim contra ponendum, ac ſtabiliendum eſt, omnes plane homines, hoc ipſo quod Chriſtiani ſint, ſuáſque ceruices diuinis Euangelij legibus ſubiecerint, magnam ipſos quoque perfectionis obligationem ſuſcepiſſe. Quod ſi cuipiam fortaſſe mirum, aut paradoxum videatur, hac ipſa re intelligat, quanta labes Chriſtiana facta ſit, quamquam ea à Chriſti inſtitutis, & à maiorum etiam feruore deflexerit, ac degenerarit. Itaque ad hoc confirmandum nihil de noſtro afferemus, ſed omnia vel ex ſacra ſcriptura, vel ex ſanctis Patribus, atque inter hos potiſſimum ex duobus, qui copioſiſſime, & clariſſime, & quod caput eſt, ex profeſſo hoc argumentum tractant, vt vel eorum auctoritas funditus repudianda ſit, vel hæc ſententia admittenda. Primum enim Baſilius in eo ſermone docto, & diſerto, quem inſcripſit de rerum abdicatione, ita diſſerit, Dominum Deum, vt hominum imbecillitati conſuleret, eorum vitam duplici ſtatu diſtinxiſſe, coniugio, & continentia, vt qui non tantas vires haberent, quibus hanc ferre poſſent, ad illud confugerent, ſic tamen, vt in illo quoque ſtatu eam ſibi rationem teſſendam ſcirent, quam ſancti viri in veteri teſtamento tenuerunt, ac potiſſimum Abraham, qui cum adhuc Euangelium non audiſſet, neque ex eo diſcere potuiſſet, vt ſua venderet, & pauperibus diſtribueret, tanta tamen pietate feruebat, vt & eius

G domus,

domus, atque opes hospitibus semper peterent, & ipsum vnicum filium, vno Dei verbo iussus, mactare non recusaret. Ac cum hæc, & similia disputasset, illa quoque aiungit. An non, inquit, tibi quæso videntur etiam matrimonio iunctis lata fuisse euangelia? Vides igitur non à monachis modo, sed etiã ab ijs, qui vxorem habuerint, rationem exactum iri, vtrum ex euangelij præscriptis vixerint? Etenim qui coniugio sese implicuerit, in eo quidem non peccat, quod sua vtatur vxore; reliqua vero mandata cum æque descripta sint omnibus, in eodem periculo sunt omnes, qui aduersus ea fecerint, siquidem cum Christus ipse, cum Patris sui pręcepta promulgaret, apud eos loquebatur, qui in mundo erant, & communem vitæ morem sequebantur. Quod si seorsim à discipulis interrogatus aliquid aliquando respondit, aperte ipsis testificatus

Mat. 13. est, Quod vobis dico, omnibus dico. Non est igitur, quod tu, qui ad vxorem animum applicare maluisti, desidiæ te dedas, quasi ideo liceat tibi mundum amplecti: quin immo eo maiore tibi labore, contentione, & vigilantia opus est, vt salutẽ compares, quippe qui sedem delegeris in mediis laqueis, & in media hostium ditione, vbi peccatorum irritamenta assidua ante oculos posita habeas, ad quæ concupiscenda omnes sensuum tuorum libidines assiduo impetu impelluntur. Quare intelligere debes, non posse te effugere, quin cum diabolo tibi colluctandum sit, nec posse sine multis laboribus victoriam reportare. Quo etiam modo pugnam cum aduersario subterfugere potes, qui omnino iam sis cum eo conclusus intra caueam pugnæ destinatam? Hæc autem cauea est ipsa terra cœli ambitũ clausa, quã quidem, vt in Iob historia legi-

Iob. 1. mus, ille assidue circumire, & perambulare solet, quasi rabiosus canis, quærens quem deuoret. Quare, si cum hoc hoste pugnam inire non vis, oportet te in alium mundum, vbi ille non sit, commigrare. tum tibi licebit ab eius pugna cessare, & citra periculum ferias indicere præceptis euãgelicis. Quod si hoc fieri non potest, restat, vt eam artem addiscas, qua sciẽter cum eo decertare possis. Hactenus Basilius. Addamus Basilio Chrysostomum quoque, qui in tertio libro cõtra vitæ monasticæ vituperatores, de hoc ipso loco luculente differens, hæc habet inter cetera. Fallis te ipsum prorsus, & decipis, si putas aliud à secularibus viris, aliud à monachis requiri. Hæc enim sola est fere in vtroque vitæ genere differentia, quod illi quidem matrimonij se vinculis constringunt, hi vero his liberi perdurant; in reliquis vero communis, atque

eadem ab vtrisque vitæ ratio requiritur, vnaque vtrisq; pœna pro iisdem culpis debetur. Nam qui fratri suo irascitur sine causa, siue ille secularis, siue monachus fuerit, Deum similiter offendit. Atque is, qui mulierem respicit.& concupiscit eam, quocumque in statu fuerit, eadem adulterij pœna plectetur. Rursus, qui iurat, siue hoc, siue illud fuerit, pari pœnæ subiacebit. Neq; enim Christus, cum de his monita ederet, legésque statueret, ita distinxit, vt diceret, si quidem is, qui iurat, monachus est, à malo est iusiurandum, si vero monachus non fuerit, non iam à malo est; sed absolute omnino dixit, Ego autem dico vobis, Ne iuretis penitus. Rursumque cum diceret, Væ ridentibus, non addidit, Monachis, sed absolutam de omnibus, sententiam tulit. Atque idem in ceteris mandatis maximis,& admirādis facit. Cum enim dicit, Beati pauperes spiritu, Beati qui lugent, Beati mites,& reliqua, nec monachi, nec secularis nomen adiecit. Cæterum ista distinctio ex hominum opinione introducta est: sacræ vero litteræ nihil horum nouerunt, sed potius iubent, vt omnes monachorum vita,& instituto viuant, etiam si vxoribus fuerint adiuncti. Audi denique, quid Paulus moneat, quem cum nomino, Christum prædico. Hic itaque cum scriberet vxoratis hominibus, filiósque nutrientibus omnem ab illis monasticę vitæ diligentiam requirit. Namque delicias omnes penitus abscindens, siue quæ ad cultum vestium, siue quæ ad cibos pertinent, his verbis vtitur: Quæ in delitiis degit, viuēs mortua est. & rursus. Habentes cibos,& tegumenta his contenti simus. Quid amplius posset à monachis exigere? Alias vero, cum de continenda lingua admoneret, sanctissimas leges cōstituit,& tales leges, quas implere monachis ipsis nō paruum sit negocium. Non enim turpitudinem tantum, aut stultiloquium damnat, verum ipsam quoque scurrilitatem seuerissime castigat,& iugulat. Nonnumquam vero ad ipsius quoque Christi imitationem summa vi exhortationis inducit. Cum enim nos admonet, vt proximum diligamus, à Christo potissimū sumit exempla; itémq; cum ad patientiam, cum ad humilitatem hortatur. Cum itaque non monachos tantum, vel Apostolos, sed ipsum etiā Christum imitari non iubeat, eisque, qui non imitentur, maxima intentet supplicia, qua tu tandem ratione monachorum perfectionem maiorem esse dicis, cum eadem perfectio omnibus proponatur,& omnibus imperetur? Sed hoc est plane, quod orbem vniuersum euertit, quod monachis opus esse arbitramur summa bene viuendi

Luc.6. *Matt.5.* *1.Tim.2.* *Ephes.5.*

diligentia, ceteris autem licere negligenter viuere. Non ita sane, non ita est; sed eadem ab omnibus philosophiæ ratio requiritur. Atque id equidem sine vlla dubitatione affirmarim, immo vero non ego, sed iudex omnium Christus. Etenim cum dicit; Venite ad me omnes, tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; non monachos tantum alloquitur, sed omne prorsus hominum genus. Itémque cum iubet per angustam viam ingredi, non monachos solos, sed omnes omnino homines eo imperio conuenit: cúmque odisse animam suam in hoc mūdo, & cetera huiusmodi iubet, nullam hominum conditionem excipit. Nam cum aliquid præciperet, quod non esset omnibus commune, nec generale decretum, id ipsemet indicabat, vt cum de virginibus loquens adiunxit, Qui potest capere, capiat. Itaque quod ad eamdem vitæ diligentiam, summúmque perfectionis fastigium ex diuinis legibus, & secularis pariter, & monachus teneantur, quódq; ambo, si ceciderint, æqualia sint excepturi vulnera, neminem iam negaturum existimo, quantumuis contentiosus sit, & impudens. Hæc omnia Chrysostomus, & alia multo plura. Quid autem expressius significantius, & grauioribus etiam verbis, ac sententiis in hac re dici poterat? Quamquam quid hominum testimonia requirimus, cum ipsius Domini vocē teneamus? Estote, inquit, perfecti. & ne obscurum relinqueret, vel quātam perfectionem exigeret, vel à quibus exigeret: adiunxit, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Itaque & summa illa sanctitas imitanda, & ab iis omnibus imitanda, qui eum se patrem habere gloriantur. omnes autem gloriantur, qui Christiano nomine censentur, quibus, vt ait Ioannes, talem Deus charitatem tribuit, vt filij Dei nominentur, & sint, quíque, vt ait Paulus, filiorum iure hæredes etiā Dei futuri sunt, cohæredes autem Christi. Itaque aut magnæ illius hæreditatis deponenda spes est, aut, si filiorum adoptionem tueri volumus, paternæ sanctitatis imitatione tuenda est, quoniā filios, præsertim talis, & tanti patris, non decet, vt Cyprianus ait, esse degeneres. Hanc ob causam Iacobus quoq; Apostolus, non ad Hilariones, aut Macharios aliquos, sed ad populū, plebémque scribens, hoc ipsum eos hortatur: Vt sitis, inquit, perfecti, & integri, in nullo deficientes. Atque in eandē sententiam Petrus quoq; ad eosdem homines, Vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Quin ipse quoque Deus ad Abraham

Matt.11. *Matt.7.* *Ioan.12.* *Matt.19* *Matt.5.* *1.epi.c.3.* *Rom.8.* *Serm.de bono pati.* *Cap.1.* *1.epist.1.*

Abraham inter tot opes, atque in tantæ familiæ, & diuitiarum administratione, Ambula coram me, & esto perfectus. Quod quidem si tempore illo dictum ei est, cum naturæ tantum lex vigebat, non est dubitandum, quin nunc etiam multo magis valere debeat, cum Dei Verbum de cœlo veniens, quod Zacharias, vt Spiritu sancto plenus, sensit, ideo visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ, vt seruiamus illi in sanctitate, & iustitia: idque ipsum præ se fert ipsa lex, quam Verbum illud aperiens os suum toti mundo promulgauit. Hæc enim lex cum sic distributa sit, vt alia nobis erga Deum officia præscribat, alia erga proximum, alia etiam aduersus nos ipsos, in omnibus his apparet quantam perfectionem requirat. Nam in Deum quidem quem timorem præscribit, quam fiduciam, & fidem, quem vero amorem, in toto corde, in tota anima, & in omnibus viribus? In proximum autem quibus nos modis informat, cum eum iubeat æque à nobis diligi, ac nos ipsos, tantam etiam exigat misericordiam in eius malis, tantam patientiam in iniuriis, vt auferenti pallium vltro addatur & tunica percutienti maxillam præbeatur & altera? Denique erga nos ipsos non poterat maiora, & perfectiora postulare, quam cum præcipit semper vigilare, vitam odisse, accipere crucem, abnegare nos totos, perdere animam, renunciare omnibus, quæ possidemus, vendere, & dare eleemosynam, intrare per angustam portam, & in summa vim facere regno cœlorum. Quæ quidem omnia, & alia multa, cum sine vlla discretione, & exceptione, aut differentia vel hominum, vel statuum à Domino promulgata sint, sed omnibus communiter, ac generaliter præscripta, quantam esse dicemus cæcitatem eorum secularium, qui seipsos sua auctoritate eximentes, hæc ad se pertinere non putant, sed ad religiosos solos? Et illi quidem hanc suam opinionem ipsa etiam vita, factísque præstant, tantum enim abest, vt illam abnegationem: illam abrenunciationē, illam crucem, quam Dominus iubet, cōplectantur, vt nihil magis horreant, & auersentur, contra vero libertatē, delicias, amplitudinē tanto studio consectentur, ac si Dominus oppositam penitus legē promulgasset: Beati diuites, Beatæ voluptates, Beati qui quam maximos in hoc mūdo honores consequuntur. Concludamus igitur, illúdque teneamus, quo nihil clarius esse debet in euangelica luce, omnes plane, qui eidem euangelio crediderunt, quiq; iisdem se eius legibus obligarunt, siue religiosos, siue seculares, magnū officij,

Gen. 17.

Luc. 1.

obligationisque pondus sustinere, vt mores, actionesque suas ad eam summæ perfectionis regulam exæquent, quam & Christi vita, & Christi saluberrima præcepta omnibus mortalibus proposuerunt. Ex quo quidem duo consequi necesse est. primum, religiosos nullum ferme nouum onus, nullamque nouam obligationem sibi imponere, aut certe exiguam addere, sed contra, magna potius adiumenta acquirere ad eam, quæ iam imposita erat, leuius, alacriusque perferendam. Alterum est, quanto deterior sit in hoc etiam secularium conditio, qui, cum eadem ferme obligatione teneantur, tamen tam parua habent ad eam exsoluendam adiumẽta, & potius tam multa, & tam magna impedimenta. Itaque hoc simillimum est, ac si iter aliquod duo facere cogantur longum, & arduum, sed alter pedibus, ægre, ac tarde, & laboriose, alter vehiculo optimo & commodissimo; hac tamen adiecta conditione, vt vehiculum illud relinquere non possit, nec pedibus ire. Sic enim, quod ad ipsam attinet euangelicæ legis perfectionem, eadem est vtrisque iniuncta necessitas: propria autem religiosorum obligatio est in modo, ac ratione perueniendi ad hanc perfectionem: quod ipsum in magno lucro deputari debet, quoniam si tali instrumento ad talem rem vti saluberrimum est, quanto salubrius non posse non vti? Sed hoc etiam manifestius fiet, si peculiaria bona religiosi status sigillatim explicentur.

Prim⁹ religionis fructus integra remissio omniũ peccatorũ.

CAPVT XIII.

Cant. 7. DIxi ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Ingressuri iam singulas Religionis vtilitates, quæ longior, pleniorque erit tractatio, hoc Sapientis dictum ex Canticis vere, apteque vsurpare posse videmur: siquidem palmæ typus recte religioni congruit, magnopereque consonat. Sic enim Gregorius quoque spiritualium hominum vitam huic arbori comparat, quia quemadmodum palma, vt ipse ait, inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta, superius vero & visu, & fructibus pulchra, inferius corticum suorum in volutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur; eodem modo vita famulorum Dei in ijs quidem, quæ exteriora sunt, & infima, despecta, atque angusta videtur, in summo vero, id est, in anima, quæ in homine pars summa est, amplis-

19. mor. cap. 16.

est, amplissimæ retributionis fiducia dilatatur. Hoc vero præcipue locum habet in religione, in qua quod in oculos primum incurrit, est difficultas, ac rigor ille paupertatis, & quædam externa facies vilitatis, multis quasi laboribus, atque ærumnis nodosa, & aspera: sed tamen, si interiores eius opes inspiciamus, nulla suauior vita, nulla omnibus spiritualibus bonis plenior. Itaque ascendamus nos quoque in hanc palmam, vel potius, quando iam ante, Deo propitio, ascendimus, apprehendamus eius fructus, iisque non solum vtendo, sed etiam cogitando, & commemorando perfruamur. Est autem primus ille fructus, plena, atque integra remissio, ac condemnatio omnium omnino criminum, & peccatorum, quæ in seculari vita quocumque modo sint commissa. Sed huius beneficij magnitudinem nemo æstimare poterit, nisi qui earum pœnarum magnitudinem intelligat, & attendat, quæ, etiam peccatis sacramentorum vi deletis, tamen adhuc luendæ restant; quarum pœnarum summa, & intolerabilis acerbitas ex tribus potissimum conflatur. Primum ex cruciatu ignis illius adeo acris, & adeo vrentis, & vrentis ipsam animam, quem Augustinus duriorem esse ait, quam quicquid pœnarum possit in hoc seculo aut videri, aut sentiri; aut etiam, quod est maximum, cogitari. Augetur deinde dolor ex desiderio videndi infiniti illius boni, cuius causa creati sumus; quod desiderium in anima, quæ iam corpore sit soluta, pene infinitum est. Tertium pœnarum genus est ipse suarum macularum aspectus, earumque fœditatum, quas culpa infixit, antequam flammis quasi exustæ purgentur. Atque horum etiam cruciatuum grauitas ex ipsa crescit multitudine peccatorum: quippe cum supplicijs illis non grandia tantum peccata, sed etiam minutissima quæque puniantur, quorum tantus numerus in nostram quotidianã vitam incurrit. Augustinus quidem multa huiusmodi commemorat, vt est necessitatis metas transire in cibo, & potu, plus loqui, aut etiam plus tacere, quam expediat, fastidire pauperem etiam importunum, tardius è somno surgere, infirmos, vel carcere clausos segnius visitare, blandiri proximo, vel contra eum seuerius appellare, adulari potentiori, temere suspicari, parcius eleemosynam tribuere. Denique quid plura? etiam verba otiosa loqui: quæ peccata omnia, si hic redempta non fuerint, illo igne purganda esse confirmat. Ex quo appareat, quantum esse necesse sit pœnarum cumulum, cum tantus sit peccatorum cumulus, tum aliorum,

Serm. 41. de sanctis.

Eodem ser. 41.

tum horum maxime, quibus tota ferme vita secularis scatere solet. His igitur tormentis, ac cruciatibus vnico momento omnes liberamur, cum religiosam vitam profitemur, itaque liberamur, vt si tum de hoc corpore migrare contingat, anima recto cursu euolatura sit in cœlum. Magnum prorsus beneficium, vel potius maximum, maximique æstimandum. Nam si vel vnum tantummodo delictum nostro studio, nostroque conatu à nobis redimendũ esset, quæ lacrymæ, quæ ieiunia, quæ verbera, qui cruciatus requirerẽtur? multo vero magis, cum ita accumulata sunt, vt solet negligens, & otiosa vita accumulare. Sane, vt notum est, sunt etiam aliæ viæ relaxandi has criminum pœnas, & præcipue indulgentia Pontificum, quibus hanc quoque potestatem Dominus tradidit. Sed tamen magnum est inter hæc duo discrimen. Etenim hæc pontificia potestas, quamquam ea quidem amplissima est, quibusdam tamen terminis restringitur. Nam & causam aliquam existere oportet, & quidem iustam, atque æqualem indulgentiæ, & deinde opus etiam aliquod iniungi oportet aptum ad satisfaciendum, atque hoc etiam eiusmodi, vt proportione aliqua peccatis, quæ relaxantur, respondeat. Itaque, si alterutrum desit, vel non valet indulgentia, vel tãtum valet, quantum est pondus illius causæ, & illius operis: quæ quoniam hominum iudicio, atque æstimatione metiẽda sunt, facile, vt in rebus obscuris, fieri potest, vt vel tota labet indulgentia, vel certe ex parte, maxime cum etiam in ijs operibus, quæ iniuncta sint, exequendis, multum peccari possit negligentia, & incuria. Non ita hæc remissio, quam religiosus status affert, vtpote quæ non in hominum concessu fundata sit, sed ex ipsius facti natura promanet: quare & in omnibus, & semper, & eodem modo locum habere credendum est, vt Deus dominus, quemadmodũ ait Michæas propheta, misereatur nostri, deponat omnes iniquitates nostras, & proijciat in profundum maris omnia peccata nostra. Quam ob rem tota etiam Theologorum schola, qui ista exactius, ac subtilius perpendere solent, hoc tamen communi consensu recipiunt, vt hoc etiam inter amplissima religionis priuilegia numerandum sit. Ex quibus Antonius doctrina, & sanctitate præcipuus hoc grauiter confirmat, & pro ea sententia Paludani quoque affert auctoritatem. Idem etiam senserunt, & scripserunt tum alij multi, tum præcipue B. Thomas. Nam si, inquit, eleemosyna, vt ait Daniel, peccata redimit, quanto magis ingressus in religionem, quod genus voluntariæ

Mich. vltim. Anto. p. 3. ti. 16. c. 3. §. 3. Palu. 4. d. 38. q. 3. Syluest. ve. Rel. 3. dub. 23.

voluntariæ pœnitentiæ non solum eleemosynam æquat, sed etiam longo interuallo excedit? & iure quidem. nam qui indigenti aurum, vel argentum erogat, id erogat, quod extra se est: quin etiam ex eo, quod abundat, partem aliquam tribuit. religiosus autẽ nõ partem, sed omnia, & insuper seipsum. Itaque nulla est eleemosyna, aut munus cum hoc munere comparandum. Quin etiam idem B. Thomas alio loco hanc reddit huius rei rationem, non ita hic remittit peccata vt gratis relaxentur, sed ita, vt verissima, & maxima pro ijs satisfactio reddatur. Nam cum volũtas, quæ, vt ille ait, carior est, quam res omnes mundi, Deo donatur, & in eius seruitutem redigitur, iam plene pro omnibus delictis præteritis satisfactum est, quoniam id datum est, quo nihil maius ab homine dari poterat. Idem asserit VValdensis grauis auctor, & confirmat testimonio sanctissimi viri, qui visione quadam se hoc edoctum ostendebat, cum narraret eandem se gratiam vidisse demitti super vestimentum monachi, cum sanctum habitum indueret, quam viderat super baptisma. Optime vero Anselmus in libro similitudinum extremo, qui hoc etiã demonstrat exemplo Osberni monachi. Hic enim cum de hac vita migrasset, non multo post apparuit de nocte Anselmo ipsi, narrauitque ter se in illa suprema lucta à Satana oppugnatũ grauissime; sed à quodam, qui sibi astabat, aduocato strenue defensum; primũ cũ peccata ante baptismũ, quẽ adultus susceperat, perpetrata, obijceret, cui cũ aduocatus ille responderet, omnia baptismo eluta esse, dæmonẽ obmutuisse. Iterum cũ ea commemoraret, quæ in seculo ante susceptam religionem deliquerat: quod etiam refutasse, cum diceret, hæc quoque per religiosæ vitæ professionem cõdonata. Demũ cũ malignus hostis omnes eius negligẽtias, culpasq; in religione cõmissas attulisset, hunc contra respondisse, hæc etiam ipsa diligẽti cõfessione & pia aliorum operum exercitatione satis superque expiasse. Quare, cũ nullus iam calumniæ locus superesset, illum victũ, confusumque abscessisse. Simile etiam quiddam de magno Antonio commemorat Athanasius, quodam die circiter nonam horam raptum ab Angelis in sublime, cui cum occursantes dæmones summa vi obsisterent, quæsisse Angelos, quid in eum iuris haberent. tum illis Antonij errata ab initio vitæ enumerare exorsis impositum esse à bonis Angelis silentium, cum dicerent, non esse eorum renouandam monitionem, quę in seculo commisisset, antequam monachus fieret: quod si ab eo tempore aliquid ha-

Aug. n. 47. Tho. 2. 2. q. vl. ar. 3. ad 3. 4. sent. d. 4. q. 3. art. 3. q. 3. ad 3.

De sacramental. tit. 9. cap. 80.

Refertur etiã ab Anton. p. 3. tit. 16. cap. 10. §. 7.

quid haberent, id eis licere proferre. hæc vero cum nulla inuenire potuissent, cessisse demum inuitos, liberumque iter ad cœlum præbuisse. Atque in annalibus quoque Franciscanis legitur Christophorum quendam sacerdotem eius ordinis religiosissimum, cum vehementius solicitus esset de quibusdam commissis in securo, rogasse fratrem quẽdam, qui sæpe sui custodis Angeli aspectu, colloquioque fruebatur, vt de ea re ab ipso quæreret: Angelum autem, quod ad illa attineret, iussisse, vt bono, ac securo esset animo, de reliquo vero studeret vsque in finem perseuerare, vt saluus esset. Est etiam iucundum, & notabile omnino hoc in genere, quod Leontius, Cyprius episcopus, antiquus auctor, narrat in vita Simeonis Abbatis. Hic enim Simeon cum vna cum Ioanne, eiusdem vterque nobilitatis, in ipso adolescentiæ flore ad monasterium venissent, ac die postera religioso habitu induendi essent, quidam ex fratribus ita eis dixerunt (iuuat enim ipsa eius verba ponere, vt sunt simplicia, & nuda) Beati estis, quoniã cras regenerabimini, & mũdi efficiemini, sicut nati estis, ab omni peccato, perinde ac si ipso die essetis baptizati. Quod illi audientes, admirati sunt ambo, & cucurrerunt ad diuinum Niconem abbatem monasterij: & ad eius pedes prociderunt, dicentes: Rogamus te, Pater, ne nos baptizes. Sumus enim Christiani, & nati ex parentibus Christianis. Is autem, cum nesciret quidnam audissent à patribus cœnobij, dixit eis, Quis enim vult vos, ô filij, baptizare? Illi vero dixerunt, Domini nostri, patres monasterij dicunt nobis, Cras rebaptizabimini. Tunc intellexit Præfectus, eos dixisse de sancto habitu. & ait eis. Recte dixerunt, filij. Etenim, si Deo placuerit, volum⁹ vos cras induere sancto & angelico habitu. Habemus etiam in hoc auctoritatem Hieronymi grauissimam, qui ob hanc causam religiosum statum ipsi baptismo
Epi.25. pene comparare non dubitat. Sic enim Paulam de Blesillæ filiæ obitu consolatur. Re vera, inquit, si seculare desiderium, &, quod Deus à suis auertat, delicias huius vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat. Nunc vero, cum propitio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo propositi se baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt, calcato mundo, semper monasterium cogitarit, nõ vereris ne tibi Saluator dicat, Irasceris Paula, quia filia tua facta est filia mea? Eandem vim habet etiam illa eiusdem Hie-
Epist.8. ronymi cohortatio ad Demetriadem. Nunc, inquit, quia seculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inisti

pactum

pactum cum aduersario tuo, dicens ei, Renuncio tibi diabole, & seculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, serua fœdus, quod pepigisti. Apertissime autem Bernardus non solùm id docet, sed duplicem etiam, à quibusdam de hoc ipso rogatus, causam affert: Audire, inquit, & hoc vultis à me, vnde inter cetera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundùm baptisma nuncuperur. Arbitror, ob perfectam mundi abrenunciationem, & singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus huiuscemodi conuersatio professores, & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, instar baptismi. Et quasi denique secundo baptizamur dum per id, quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini morti eius. Sed & quo modo in baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ, ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æquè non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum euadimus, redaptantes nobis illud Apostoli, Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Hæc Bernardus. Possumus autem hæc omnia firmissimo argumento concludere. Nam si quis rationem quærat, cur baptismus culpas omnes præteritas deleat, illa est, quia in eo hoc agitur, vt omnino moriamur vitæ veteri, & renascamur nouæ. Id enim est, quod à Paulo Apostolo omnibus locis prædicatur, cum modo nos mortuos, modo Christo consepultos, ac cum eodem etiam conuiuificatos appellat, vitámque nostram in ipso absconditam. Itaque si rectè reputemus, non idem homo è baptismo emergit, qui in eum ingressus erat, sed planè alius. prior enim ille mortuus est, & cœpit alius, ex quo etiam sequitur, vt prioris illius hominis peccata non magis huic homini recens nato tribuenda sint, quàm mea alteri, vel alterius mihi. Hoc igitur idem euenit etiam in religione. Morimur enim mundo, eiúsque operibus, & nobis insuper ipsis, ac voluntati nostræ, & ita morimur, vt non magis liceat nobis mundo, eiúsque præmiis, vel voluntate nostra vti, quàm si planè sepulti essemus. Quare cùm religiosi quoque, sicut in baptismo, desinant esse quod antea fuerunt, & noui quidam homines esse incipiant, nouis studiis, noua vita, aliisque omnino delectationibus, & cogitationibus,

De præt. & disp.

Rom. 6. Eph. 2. Col. 3.

tationibus, & fine, nil mirum, si culparum pœnæ, quas vetus ille homo debebat, vna cùm ipso homine moriantur, & obliterentur, nec iam ad secundum hunc hominem pertineant. Quod quidem, si rectè consideremus, quantum est beneficium, & quantam animo iucunditatem, ac tranquillitatem affert, depulsis ijs angoribus, quos præteritorum criminum cõscientia afferre solet? Eunt aliqui in longinquas regiones, votiuas suscipiunt peregrinationes, Hierosolymã, Romam, Compostellam, capútque suum ingentibus periculis maris, ac terræ obiiciunt, vt eam, de qua supra diximus peccatorũ indulgentiam assequantur. Rectè id quidem, ac pie: sed tamen ea pietas multa habet admixta incommoda, idque in primis, quod non modo non deuotionem, feruorémque spiritus plerúmque auget, sed potius ipso itineris labore, ac molestia imminuit, sæpè etiam nouorum peccatorũ occasiones ingerit. Hæc verò indulgentia & simul ingentem præbet sanctitatis accessionem, & præterea, vt supra diximus, non ex limitata hominum potestate, sed ex Dei voluntate, atque ex ipsius operis præstantia promanat, vt sanè ita cogitare liceat vnicuíque religioso, se quoque ex Domini ore lætissimam
Luc. 5. illam vocem audire, Remittuntur tibi peccata tua. Vade in pace.

Secundus fructus Religionis ex eo, quòd sit status Pœnitentiæ.

CAPVT XIV.

QVamquam Religio, vt proximè ostensum est, in ipso eius ingressu, primóque aditu, tam liberali, atque optabili munere omnes excipiat, vt eos omnibus peccatorum
Luc. 11. nexibus, grandibúsque illis (vt Saluator appellauit) debitis exsoluat, tamen præter hoc tam multa habet remedia támque efficacia ad eadem peccata expurganda, atque omnino delenda, vt cuncta eius studia ad hunc vnum ferme finem quodammodo referri videantur. Sic enim vocatur, & ita est verè, status pœnitentiæ, quasi in eo versetur, vt præterita peccata lugeat, ætatísque ante actæ tum culpas, tum etiam
Cap. 1. neglıgentias diluat, ac corrigat: idque B. Thomas confirmat in eo libello, quem scripsit contra impugnantes religionem. Neque verò hæc est superflua, otiosaque diligentia, vel hoc paruum, & tenue beneficium, etiam post illam, de qua diximus, plenam, & integram remissionem. Hoc enim
Eccl. 5. illud ipsum est, quod monet Spiritus sanctus in scriptura:
De

De propitiato peccato noli esse sine metu. Nam si verè propitiatum sit,quid amplius metuendum?aut si adhuc metuendum,ergo nondum satis propitiatum.Sed tamen & rei tantæ magnitudo,quanta est salus æterna, hoc efficere in omnibus hominibus debet, vt numquam sibi satis cauisse existiment: & peccatorum odium, nempe tam turpis rei, si verùm est odium,hoc quoque requirit,vt ea etiam condonata, nos tamen vltro vindicemus,& quasi hostes,qui tantopere nocuerunt, voluntariis pœnis puniamus. Est enim in hoc genere valde considerandum quod Gregorius ait, Nullum peccatum Dominus inultum relaxat:aut enim nos flendo insequimur,aut ipse iudicãdo reseruat. Atque idem alibi hoc etiam illo sacræ scripturæ testimonio confirmat, vbi beatus Iob Domino loquitur, Sciens,inquit, quod non parceres delinquenti. Delinquenti Dominus non parcit, quia delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans punit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Quo etiam pertinet illud Augustini dictum, quod merito laudatur à Possidonio, qui eius vitam scripsit;qui hoc monere solebat, etiã laudatos quoslibet sacerdotes numquam committere debere,vt sine iusta,& congruenti pœnitentia ex hac vita decederent. Vbi igitur hoc melius fit, & vberius, quàm in religione, quæ vel tota, vel ex parte maxima huc dirigitur, vt præteritas culpas satisfaciendo redimat? Quod si etiam illud inquirere velimus, quàm ad hoc facultatem religio habeat, inueniemus in hoc quoque, vt in aliis omnibus, diuitem planè esse, multísque abundare rationibus ad hoc efficiendum; quæ tamen ad duo præcipua capita referuntur,corporis,& animi: corporis quidem, quia non paruam assiduè suppeditat materiam tolerandi, & patiendi. Et quidem ipsa in primis abdicatio omnium voluptatum huius mundi satis magna est pœnitentia. Durum enim, & graue est carni, iucundis rebus priuari, quarum est appetens,coniugio,epulis,compotationibus,venationibus, ludis, ludicrísque spectaculis, & aliis eiusmodi oblectamentis, quæ homines tanti æstimare solent. Quare etiamsi nihil aliud esset,hoc vnum sufficere deberet, vt religiosi in perpetua pœnitentia versari viderentur, quoniã sine dubio hoc ipsum, carere dulcibus, valde amarum esse solet. Sed habet præterea hic status alia molesta, & acerba sensui, quæ tam multa,& quotidiana sunt apud religiosos,vt Chrysostomus

4. Mor. 17.

9. Mor. 17.

Hom.56. ad pop. sostomus vniuersos merito appellandos putarit Cruxifixos, quasi eos, qui in perpetua cruce viuant. Nam in primis paupertas ipsa multa affert, eáque assidua incommoda, multásq; molestias in cibo, in vestitu, in reliquo victu, in domo, in supellectili, denique in rebus omnibus, quæ quoniã Dei amore perferuntur, magnopere valent ad eam, quàm tractamus, expiationem. Ad hæc accedunt etiam aliæ grauiores, duriorésque functiones, quas exigit religiosa disciplina, ieiunia, vigiliæ, & alij omnes modi carnis macerandæ, quos vel cuiúsque pietas, ac feruor excogitat, vel proprium cuíque institutum iniungit. Accedunt labores, qui sæpè vel Dei causa, vel proximorum suscipiendi sunt, dum eis opera nauatur, de die, de nocte, omni loco, & tempore. Atque hæc corporis. Multo tamen maiora sunt, & aptiora ad satisfaciendum, quæ animo geruntur, & præcipuè virtutum omniũ exercitatio, vt humilitatis obedientiæ, & caritatis in Deum, & in homines quoscúmque; quarum quidem virtutum operibus religiosa vita plena est. Ea autem nõ solùm ad præmiũ augendũ conferunt, sed vel maximè ad peccata delenda. Sed tamen primum locum merito tenet propriæ voluntatis abnegatio, siue quàm homo per se exercet in seipsum, dum suos appetitus tam varios, támque interdum violẽtos frangit, ac subigit, dum oculos dum gulam, alióсq; eiusmodi naturæ impetus coërcet: siue quæ in eo exercetur à prælatis, & rectoribus, quos habet, ex quorum voluntate cum totus, & omnino pendeat, constat eum in perpetua quadam voluntatis suæ castigatione viuere. Hic verò, vt dixi, summus est, & optimus pœnitẽtiæ modus. Cuius ratio hæc est, quia in omni peccato ita se gerit hominis volũtas, vt sibi ipsi obsequendo Dei voluntatẽ abiiciat, & contemnat. Quamobrem nulla plenior, & cumulatior dari potest diuino numini satisfactio, quàm si eadem ipsa voluntas ligata, & constricta votorum vinculis, ac præsertim obedientiæ, tamquam noxæ dedatur eidem Deo, quem offendit: & hæc ipsa pœna vera, & iusta est in eam voluntatẽ, quæ plus æquo se iucundis, & placentibus oblectauit. vt ea iam agat, & perferat, quæ sunt odiosa, & ingrata. Et re vera si pœnitentiæ intimam vim, ac naturam cogitemus, inueniemus eã animo magis, quàm corpore, exercendam esse, animus enim est qui peccat: ipse corpori, ipse membris imperat, ipse etiam vias exequendi facinoris excogitat. Itaque animo præcipuè omnis pœna debetur, præsertim etiam cùm peccatorum bona pars animo solo, nullo corporis

poris

poris instrumēto perficiantur, vt quæ toto superbiæ genere, quod tam multiplex est, continentur, vel inuidentiæ, & similium, quin etiam omnia, quæ cogitatione tantùm, & interiori consensu patrantur. Ex quibus omnibus concluditur, pœnitentiam in animi præcipuè, voluntatísque castigatione consistere, ad quam castigationem vel sola apta est, vel certè omnium aptissima religio. Iure igitur S. Thomas in eo opusculo, quod scripsit de spirituali perfectione, hoc etiam præter cetera docet, religiosum statum non solùm continere perfectionem caritatis, sed etiam perfectionem pœnitentiæ, & nullam satisfactionem adæquari posse pœnitentiæ religiosorum, qui se Deo Domino consecrant: quod ille hoc quoque argumento probat, quoniam nulla esse possunt vel tam innumerabilia, vel tam immania peccata, vt ob eam causam pœnæ loco cogi quispiam possit ad hunc statum subeundum, propterea quòd eius opera omnem, quæ ex quauis causa deberi possit, satisfactionem excedant, & superent, etiam eam quæ publicè fiat, qua nulla maior olim imponi solebat, neque nunc imponi potest. Est autem illud quoque in hac re magnopere attendendum, in hoc pœnitentiæ genus duo concurrere, quæ in nullum aliud concurrunt. Nam alia quo sunt efficaciora, & ad peccatum purgandum aptiora, eo etiam acerbiora esse necesse est: quæ verò plus habent lenitatis, eo minus valent, minúsque peccatorum remittunt. Hæc autem pœnitentiæ ratio, quæ religiosa constat disciplina, cùm tantam vim habeat, vt, auctore S. Thoma, non possit esse maior, tamen non solùm non aspera, aut horribilis est, sed etiam iucunda, & suauis. Non enim eiusmodi res est, quæ ad Deum placandum multam inediam, aut longas verberationes, aut noctes insomnes, & reliquos huiusmodi cruciatus necessario requirat, quos neque omnia corpora, neque omnes ætates ferre valent: sed huiusmodi est, quæ potius in quadam animi deliberatione consistat, in contemptu terrenorum, in voluntatis abdicatione, denique in obedientia, de cuius non solùm facilitate, sed etiam iucunditate multa sumus infrà dicturi. Declarant hoc etiam sacri Canones, in quibus Pius Pontifex Astulphum propriæ vxoris parricidam hortatur primum, vt monasterium ingrediatur, quo, vt ait, sub manu præpositi humiliatus, & multorum fratrum precibus adiutus, misericordiam à Deo obtineat: sin id nolit, plurimas, eásque grauissimas, & perpetuas iniungit pœnas, interdicit vino, carne, coniugio, balneis: addit

Cap. 10. & quodl. 3. art. 13. & 2.2. q. 189. art. 3. ad 3.

33. q. 2. c. Admonere.

addit etiam alia solo auditu asperrima. Ex quo facilè appareat, quantò minori labore, quantò abundantius Deo satisfiat in religione, quàm in seculo, idque propter obedientiam, humilitatémque illam subiiciendi se præpositis, deinde propter pia spiritualium fratrum subsidia: has enim duas causas attingit hic Pontifex.

Denique illud etiam intelligere, & multum meminisse debemus, quòd Gregorius tantus Doctor Ecclesiæ scriptum reliquit, ex quo euidēter colligi potest, hoc satisfactionis genus relinquendo seculo, non solùm optimum, & saluberrimū esse, sed interdum ferme necessariū, si modo integre, & perfecte satisfacere velimus. Sic enim homilia quadam disserit ex Ioannis auctoritate, non sufficere homini, vt fructus pœnitentiæ faciat sed requiri vt dignos pœnitētiæ faciat; quod cuiusmodi sit; declarat his verbis: Vt enim, inquit, secundū dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciēdū est, quod quisquis illicita nulla commisit, huic iure cōceditur, vt licitis vtatur, sicque pietatis opera faciat, vt tamen, si voluerit, ea quæ mūdi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod grauius est, in adulteriū lapsus est, tanto à se licita debet abscindere quāto se meminit & illicita perpetrasse. Hæc eadē est etiam Bernardi sentētia, qui inter alias causas, cur religiosus existimare debeat se totum, vitamque omnem suam Deo debitam esse, hanc quoque vt præcipuam numerat: Exigunt, inquit, à me præterita peccata mea futuram vitam meam, vt faciam fructus dignos pœnitētiæ, & recogitē omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Peccaui super numerū arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem cœli. Quod ergo sine numero est quomodo numerabo? Quomodo satisfaciā, cum cogar reddere vsq; ad nouissimum quadrantem. Sed & delicta quis intelligit? Ait illa cœlestis fistula Ambrosius. Facilius inueni eos, qui innocentiam seruauerunt, quam qui congruam egerunt pœnitētiam. Cum ergo quicquid viuis, quicquid sapis, quicquid habes, quicquid potes, huic vni rei dedicaueris, numquid aliquid est, vel inter aliqua computandum? Paulo ante vitam tuam pro vita sua Christo reddideras, & nunc iterum eam totam præcedētium exigit recordatio peccatorum. Hoc ipsum alio loco confirmat idem Bernardus alia ratione, vbi ita differit, posteaquam aliquis peccando, adhæserit mundo, si plene satisfacere velit, oportere vt & voluntatem ipsam, qua peccauit, & mundum, cuius causa peccauit,

Hom. 20. in Euan.

Ser. de quad. deb.

peccauit, abiiciat, & relinquat; idque quasi secundum esse baptismum. Eius hæc verba sunt. Irritum fecimus fœdus primum, tibi peccauimus Domine, Satanæ, & eius operibus obligantes denuo nosmetipsos, iugo iniquitatis colla vltronea submittentes, & subiicientes nos miseræ seruituti. Itaque, fratres mei, rebaptizari nos conuenit, secundum fœdus inire necesse est, opus est professione secunda, nec iam sufficit abrenunciare diabolo, & operibus eius: mundo pariter abrenunciandum est, & propriæ voluntati. Ille enim seduxit nos, illa tradidit nos. In priori nimirum baptismate, quando nihil adhuc nobis voluntas nostra nocuerat, satis fuerat abrenunciare diabolo. Ceterum, postquam mundi fallentis illecebras, & infidelitatem propriæ voluntatis manifeste sumus experti, de cetero iam in secundo (vt ita dixerim) conuersionis nostræ baptismate, merito prorsus & non ad insipientiam nobis, non resarcire tantummodo fœdus primum, sed etiam roborare soliciti, ipsis quoque affectibus pariter abrenunciamus. Hæc Bernardus: quæ eadem alios quoque sanctos viros sensisse video, qui sæpe homines, si peccatorum pondere leuari vellent, ad religiosam disciplinam impellebant, vt de Romualdo scribitur, qui Petrum Vrseolum Dalmatiæ Regem, ob cædem perpetratam, induxit, vt regnum, & mundum cum admiratione totius orbis terrarum relinqueret. Idem etiam fecit in Thamno, qui Othoni Imperatori ita carus erat, vt iisdem vterque cibis, iisdem etiam testibus vterentur; ob eam causam, quod Crescentio Senatori contra iusiurandum vitam ademerat. Quin idem quoque Olibano Comiti, ac dynastæ in Gallia persuasit, qui cum multa, & grauia facinora patrasset, stimulante conscientia, venit aliquando ad eius cellam cum magno comitatu, eique vitam omnem suam patefecit: qua cognita Romualdus aperte denunciauit, nullam ei salutis viam superesse, nisi mūdum relinquens, monasticæ vitæ se dederet. Turbatus Comes, vt qui alia omnia cogitaret, accitis aliquot Episcopis, & Abbatibus, qui eum prosequuti fuerant, consultare cœpit, an hoc ita haberet. At illi vno omnes consensu responderunt, vere sensisse Romualdum, se autem semper metu impeditos, quo minus id eum monerent. Tunc Olibanus omnibus semotis, secreto cum sancto viro pepigit, se ita facturum, & fecit breui, stupentibus cunctis, qui eum cognorant. His igitur ostensum est, quicumque se quibuscumque criminibus obligatos esse intelligunt, si de iis purgandis labo-

Serm. de dupli. bapt.

rant, vt laborare debent omnes, nullam inuenire poſſe vel certiorem, vel etiam ſuauiorem, aliiſque deinde meritis pleniorem rationem impetrandæ à Deo veniæ, quam Religionem.

Tertius fructus ex victu ſeueriore.

CAPVT XV.

TERTIA Religionis vtilitas, quæ multas in ſe continet vtilitates, eſt id ipſum, quod homines plerique refugere ſolent, materia, ac potius neceſſitas aliqua ſeuerius tractandæ carnis; quam neceſſitatem affert tum paupertatis profeſſio, tum etiam ipſæ religioſæ functiones, vt plurimum
Eccl. 12. duriores, & ſenſui repugnantes. Nam quod in Eccleſiaſte dicitur, Frequens meditatio carnis afflictio eſt, latius patet, quam ea, quæ communiter meditatio appellatur, id eſt, diuina.um rerum contemplatio. Quicquid enim illud eſt, quo mens exerceatur, præſertim vero cum ſenſus, & appetitus multa aſſidue poſtulans reprimitur, id omne carnis afflictio eſt, & ad carnis viuidum illud robur edomandum valet. Hæc igitur ſeueritas in carnem multas habet vtilitates, quarum prima hæc eſt, quod natura noſtra hiſce duris, grauibúſque ferendis ſubigitur, & mortificatur, ne inſoleſcat. Tanta eſt enim eius corruptio, ac peruerſitas, vt ſi indulgen-
Deu. 33. tius, ac mollius alatur, fiat in ea, quod eſt in Cantico Moſis, vt impinguata recalcitret, rationíſque, ac diuinæ legis obedientiam abiiciat. Licet autem huius rei ſpecimen capere ex ipſis belluis, quæ quoniam ſolo naturæ impetu aguntur, in eis facilius naturæ vis, quaſi in ſpeculo, elucet. Videmus autem quid interſit inter iumentum longa ſtabuli mora, plurimóque hordeo, & ocio paſtum, & alterum iumentum quotidianis laboribus exercitum, quod vix tantum pabuli habeat, quantum ſatis ſit ad viuendum, & onera portanda. Nam illud quidem laſciuiens, & calcitrans, vix frænis etiam duplicatis teneri poteſt, ſæpe alio ſe infert, quam ſeſſor velit, ſæpe ire detrectat quo ſeſſor adigit: denique nec ad multos vſus adhiberi poteſt & id cum magno labore, ac ſæpe etiã cum periculo. At vero alterum illud mite, & manſuetum animal, nullum vmquam onus detrectat, nunquam ſe commouet, potiúſque ſub ſarcina concidat, quam ferocius reſiſtet. adeóque vinclis non indiget, vt etiam ſolutum, ac liberum vni rectoris ſui voci obediat, ſiue ſiſtendum, ſiue deflectendum, ſiue celerius mouendum ſit. Igitur hoc intelligendum

dum est, naturam hanc nostram inferiorem, quæ carne, vita, appetitu, sensu continetur, eandem nobis esse cum iumētis, de quibus diximus hoc etiam amplius in nobis, quod peccato infecta, ac deprauata est, quod nō est in illis. Ex quo idem in nobis, atque aliquanto etiam magis euenire necesse est, vt si delicate nutriatur, si epulis, somno, ceterísque deliciis saginetur, sine vlla dubitatione ferocior, atque impotentior euadat: & contra, si parce, continenter, sobrie instituatur, sit semper mitis, & facile ad omnia obediens. Hinc est enim illud Bernardi: Mens, inquit, assueta deliciis, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. In quo illud optimum, quod animā nostram agro similem facit, seueritatem autem istam ligoni, aut sarculo. Vt igitur ager non solum, nisi seratur, fructuosus esse non potest, sed etiam semine iacto, licet per se fertilis sit, tamen adhuc culturam requirit, & nisi ea adhibeatur, breui dumetis, veprib úsque syluescet: sic caro nostra; vt ait S. Leo, nisi assiduis fuerit subacta culturis, cito de segni ocio spinas, tribulósque producet, fructúmque dabit non horreis inferendum, sed ignibus concremandum. Atque, vt in eodem simili maneamus, sicut ager cum sarculo scinditur, si sentiēdi capax esset, doleret sane, sed ferendum ei esset propter vtilitatem non coloni solum, sed suam etiam: id enim ipsi quoque melius est: sic nobis licét doleat (neque enim caro nostra ænea est, vt ait Iob) non tamen ideo absistendum: sed is dolor, atque ea breuis molestia maximis, & quidem sempiternis præmiis compensanda. Denique, vt multa paucis complectamur, meminisse debemus, nos ex duabus partibus adeo diuersis, & contrariis esse compositos, vt altera è terra sumpta sit, ideóque vt grauis semper in terram feratur; & terrena appetat; altera vero, quoniam ex quadam Dei insufflatione venit, leuis sit, & agilis, Deóque similis, ac propemodum cognata. Ex quo necesse est ita fieri, vt quemadmodum vna lance depressa, aduersa effertur; sic in his duabus partibus quantum virium & roboris vni additur, tātum alteri detrahatur: ideo enim ait scriptura, corpus hoc, quod corrumpitur, aggrauare, & deprimere animam, quod etiam eo magis faciet, quo maius pondus ipsi corpori additū fuerit. Vnde est etiam illa egregia Gregorij sententia, Retributionis, inquit, æternæ gaudium nequaquam in cœlo colligitur, nisi prius in terra cum fletu, & gemitu, & amaritudine seminetur, sicut scriptum est. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua,

Epi. 152.

Serm. 4. de ieiun. Pent.

Iob. 16.

Genes. 1.

Sap. 9.

In 3. Psa. pœnit.

Psal. 125.

venientes autē venient cum exultatione portantes manipulos suos. Sicut enim carne quiescente spiritus deficit, ita ea laborante conualescit. Et quemadmodū carnem mollia nutriunt, ita animam dura ad alta sustollunt. Illa namq; delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Deniq; illam lenia refouent, istam vero aspera exercent. Et rursum sicut carnem dura conuulnerant, ita spiritum mollia necant: & sicut carnem laboriosa atterunt, ita spiritum delectabilia angustant. Non libet iam plura in hanc sententiam addere, quoniam nec maior esse potest vllius Doctoris auctoritas, quam Gregorij, nec à Gregorio hæc apertius, grauiúsq; dici. Ex quibus apparet, magnum esse religionis bonū, quæ id

1.Cor. 9. præstet, quod de se Paulus aiebat, Castigo corpus meum: vt id etiā consequatur, quod idem addit, Et in seruitutem redigo. à quo quidem longe absunt, qui deliciosa vita delectantur, de qua illud vere est apud Bernardū, Vita in deliciis agēs,

Ser. 48. Cant. & mors est, & vmbra mortis. quantū enim vmbra prope est corpori, cuius est vmbra, tantum pro certa vita illa inferno appropinquat. Hoc igitur detracto impedimento, & carnis tamquam ancillæ insolentia fracta, sequitur etiam illa secūda vtilitas, vt ipsa domina, id est, vt mens quibusdam quodammodo compedibus liberata, expedite currere possit in omnem spiritualem profectum, magnósq; progressus breui facere in humilitate, caritate, & in omni virtutum genere. Nam cū anima nostra spiritualis sit naturæ, & tāquam aër, sine virtutibus tenebrosa, adiuncto autē virtutum ornamēto splendescat, & illustretur mirum in modū, quid causæ esset, cur non multo magis ipsas virtutes, spirituales item, sibíque similiores, quā vlla terrena, & à quibus tantum accipiat ornamenti, amaret, & expeteret, si non hic eius cursus, atq; impetus, carnis pondere tardaretur? Hoc ergo pondere, non quidē omnino deposito (id enim in cœlo tantum consequemur) sed tamen, quam maxime fieri possit, imminuto, eáq; sarcina ita composita, vt apte, & cōmode gestari queat, restat vt facile, & expedite, non solum, vt antea dicebamus, currat, sed etiā euolet ad omnem verā laudem. Hinc est illud optime dictū à S. Leone, De abstinentia prodeunt castæ co-

Serm. 2. de ieiun. deci. mens. gitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia, ac per voluntarias afflictiones carō concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur. Hoc etiā Dominus ipse S. Frāçisco inter prima eius rudimenta vitæ spiritualis reuelasse fertur, Frācisce, inquit, aspera pro iucundis cōplectere, téque ipsum penitus

penitus contemne, & abiice, quod idem iisdem pene verbis præstantissimæ virgini Catherinæ Senensi à Saluatore præceptum legimus, vt amara sectaretur tamquam dulcia, dulcia vero refugeret tamquam amara. Hoc Veritas vtrique, sed nos omnibus dictum putemus. Accedit tertia vtilitas, quod nihil fere aptius sit ad spirituales consolationes, & interiorum gaudiorum abundantiam percipiendam.

Date siceram mœrentibus, & vinum iis, qui amaro sunt corde, ait Spiritus sanctus in libris Sapientiæ. Quæ autem est hæc sicera, quódve hoc vinum, nisi suauissimus liquor de cœlo stillans, quo plena est illa cella vinaria, in quam se Sponsa introductam exultabat? Hoc ergo vinum mœrentibus tantum datur, quoniam nō inuenitur in terra suauiter viuentiū, vt ait B. Iob. Quo etiam pertinet illa Saluatoris sententia, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Nam & hic luctus, & ille mœror, nihil est aliud, quam præcisio rerū omnium, quę sensum, & carnem demulceant, & contra studium illarum, quæ eam contristent, & coerceant. Bernardus quidem illa Domini verba, quæ sunt à Ioanne scripta, Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos, ita exponit, & rectè, vt dicere voluerit, delectationem illam, quam discipuli ex eius corporali præsentia capiebant, impedimento eis fuisse, quo minus spiritualis gratiæ plenitudinem acciperent: quo posito, vere is quidem argumentatur: Quis, inquit, audeat illecebris deditus sectās lenocinia carnis suæ, carnis vtique peccatricis, genitæ in peccatis, assuetæ peccatis, in qua denique bonum nō est, illum expectare paracletū? Audeat, inquā, qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fouet, in carne seminat, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernæ visitationis, illum torrentem voluptatis, illam sperare gratiam spiritus vehementis, quam, vt veritas ipsa testatur, ne cum ipsa quidem Verbi carne percipere vllatenus Apostoli potuerunt? Errat omnino, si quis cœlestem illā dulcedinem huic cineri, diuinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitretur. Constat igitur tum ex hoc luculento Bernardi testimonio, tum ex aliis multis, quæ in hanc sententiam dici possent, magnum omnino impedimentū perfruendis deliciis spiritualibus esse delicias carnales, magnum vero contra adiumentum esse eam seueritatem, quæ est in religiosa parsimonia. Vltima est ea vtilitas, in qua vere dicere possumus inesse summā omniū vtilitatū, id est, æterna felicitas, ac beatitudo,

Pro. vlti.
Cant. 1.
Iob. 28.
Matt. 5.
Serm. 6. Ascen.
Io. 16.

cœlestis. Ad hanc enim consequendam nulla est alia via quam via Crucis. Per hanc Christus caput, & rex noster, per hanc Apostoli eius discipuli, per hanc omnes ad vnum sancti ingressi sunt, laborando, patiendo, membris suis, quæ sunt super terram, mortificandis, & denique animabus proprijs abnegandis, vt eas in æternum possiderent. Certe enim sic se res habet, vt vita illa, illaque gloria sit denarius ille euangelicus. qui non datur nisi laborantibus in vinea, sit corona, quæ non datur, nisi legitime certantibus, sit etiam brauium, quod consequi non possunt, nisi currentes: nec liceat nobis conregnare, nisi compatiamur, nec metere, nisi quę seminauerimus. Quid autem plura dicamus? si oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam tot iam nominibus suam, quanto nos magis vt in alienam, & eam, à qua, quoties peccauimus, toties excidimus? Sed nescio quo hominum errore, ac cœcitate fiat, quod ait Bernardus, vt pauci post Iesum ire velint, cum tamen nemo non ad eum peruenire velint, nō curent quærere, quem tamen desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non & sequi. Nos autem Hieronymum potius audiamus, qui Iulianum nobilem, & opulentū hominem, quem ad seculi contemptum, virgque religiosæ amorem inducere nititur, hoc potissimum argumento aggre-
Epi.34. ditur. Difficille, inquit, immo impossibile est, vt præsentibus quis & futuris fruatur bonis. vt hic ventrem, & ibi mentem expleat, vt de delicijs transeat ad delicias, vt in vtroque seculo primus sit, vt in cœlo, & terra appareat gloriosus. Quam-
Luc.6. quam quid hominum testimonijs vtimur, cum tam expressum Domini oraculum habeamus? Væ vobis, inquit, qui ridetis, quia lugebitis, & flebitis. Itemque, Væ vobis, qui habetis consolationem vestram in hoc mundo, quod idē ostendit exemplo diuitis illius, cui nullam aliam causam ab Abrahamo obiectam facit, quam hanc, Recordare, quia recepisti
Luc.16. bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Quod ipsum videtur idem Dominus præclaro quodam viso Catherinæ Senensi demonstrasse, cui aliquando apparuit binas manibus coronas gestans, alteram auro, & gemmis micantem, alteram spinis horrentem. Offerebat autem optionem illi, vtram mallet, sed hac conditione, vt alterutram in hac vita elegisset, scire se in futura vita alteram ei contrariam habituram, si hic auream, illic spineam, si hic spineam, illic contra auream. Quibus auditis, sapiens Virgo horridam illam coronam

adeo prætulit, vt vtraque arreptam manu ipſamet ſuo capiti impreſſerit,& quidem ita acriter,vt poſt etiam aliquanto vulnerum ſenſus perduraret. Hoc igitur, quod tum Catherina fecit, fecerunt ſine dubio tota vita ſua religioſi omnes, qui paupertatem diuitijs, dura mollibus, incommoda corporis delicijs,voluptatibus,libertati ſeculari prætulerunt: quoniam, ſi alterutris bonis carendum eſſet,intelligebant, quanto melius eſſet carere his præſentibus, & caducis, quã futuris illis ſempiternis. In quorum numero fuit,vt accepimus,Theodorus ille magni Pachomij alumnus,qui generoſa admodum familia, & copioſis ortus parentibus, ipſo ætatis anno quarto, & decimo, cum feſtiua quædam celebritas in eius domo ageretur,inter illa ipſa gaudia reputare ſecum cœpit opes, commoditates, delicias, in quibus natus, & ad eam diem nutritus fuerat,atque in ea cogitatione ſic ſecum ipſe diuino inſtinctu loqui: Miſerum me, quid mihi hæc breuia, & fugacia proderunt,ſi priuer æternis, quando hæc Dei lex eſt, vt nemo vtraque conſequi poſſit? Itaque ſuſpirans,ac de ſua ſalute ſolicitus, recepit ſe à turba, & ſtrepitu in interiorem ædium partem,vbi humi fuſus multis cum lacrymis Deum orauit,vt doceret ſe facere ipſius voluntatem. Ab eo igitur die omnibus carnis commodis renunciauit, monachi iam vitam in paterno palatio agens,nec multo poſt ad ſacram Pachomij familiam ſe contulit,in qua breui ad tantam peruenit ſanctitatem, quantam hæc ipſa tam præclara initia oſtendebant.

Quartus fructus, quod omnem peccati materiam perfectiſſime remouet.

CAPVT XVI.

MOnet nos Dei ſapientia per Salomonem, vt omni cuſtodiamus cor noſtrum, quoniam ab ipſo vita procedit:quibus verbis hoc indicatur, qui hanc cuſtodiam cordi non adhibeat, eum ſine dubio perditurum vitam, quando hæc à corde procedit. Nihil eſt autem homini carius vita, eoque carior eſſe debet, quo verior eſt vita, cuiuſmodi eſt ſpiritualis, qua animus viuit,æterna,cõmuniſque Deo,& Angelis, non hæc corporis, breuis, & fluxa, & quam habent etiam muſcæ, & boues. Addit autem Bernardus quod huius cuſtodiæ neceſſitatem augeat,caſtrum hoc animæ noſtræ in terra hoſtili ſitum eſſe, & vndique impugnari & ideo ex omni parte, id eſt, vigilanti ſolicitudine, &

Pro. 4.

Serm. 46. in er. par- uis. 19.

perennibus quibuſdam excubijs muniendum eſſe. Grego-
Mor. 12. rius vero ideo dictum putat, non ſolum cuſtodia, ſed omni cuſtodia, quia, inquit, ſi qua ciuitas contra inſidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte inſomni muniatur cuſtodia, vnum vero in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde procul dubio hoſtis ingreditur, qui vndique excluſus videbatur. Incaſſum munita ſunt cetera, cum locus vnus, de quo hoſti aditus patet, munitus non eſt. Quod cum ita ſit, videndum eſt diligenter, qui ſint aditus, per quos hoſtis ille antiquus vel aperta vi irrumpere, vel clanculum irripere in animas poſſit. Hi vero nulli ſunt alij, quam omne genus creaturarum. Hæc ſunt tela, quibus ille nos petit: his detractis vix eſſet, quo nos ferire poſſet. Quod ita eſſe ex hoc intelligitur, quoniam dæmon per ſe ita turpis, ac malus eſt, vt nemo tam perditus inueniatur, qui non eum oderit, ac deteſtetur, præſertim cum conſtet, omnibus, qui eum ſequuntur, magnam poſt hanc vitam paratam eſſe miſeriam. Itaque cum per ſe placere non poſſit, nulla alia ei reſtat ars ad homines fallendos, & perdendos, quam vt eas res proponat, quibus ſcit naturam no-
De agò. Chriſti cap. 7. ſtram delectari. Quamobrem ſapienter Auguſtinus iſta, quæ videntur, &, vt ait Apoſtolus, temporalia ſunt, hamo obducto comparat: nam & gaudet, inquit, piſcis quando hamum non videns, eſcam deuorat: ſed cum piſcator eum adducere cœperit, viſcera eius torquentur primo, deinde ab omni lætitia ſua per ipſam eſcam, de qua lætatus eſt, ad conſumptionem trahitur. Sic ſunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos ſe eſſe putant. hamum enim acceperunt, & cum illo ſibi vagantur. Veniet tempus, cum ſentient quanta tormenta cum auiditate deuorauerint. Quod igitur remedium, & quæ ratio ad hos hamos, de quibus hic Auguſtinus, effugiendos? Non eſt obſcurum, nempe vt eſcam, quæ hamis prætenditur, fugiamus. ſic enim tuti erimus. Quod ſi eſca delectet, ſimul quoque hamum ipſum, id eſt, mortem, & exitium hauriri neceſſe eſt. Eſca autẽ ſunt res omnes huius mundi, honor, potentia, magiſtratus, mercatura, diuitiæ, vxor etiam, & liberi, ac ne ſingula numeremus, quicquid eſt creatum, quicquid eſt præter Deum, aut præter id, quod recta ad Deum ducit. Hæc enim ſola ita ſunt bona, vt numquam poſſint eſſe mala, nec ijs licet dæmoni ad noſtram perniciem vti: cetera vero illa, quæ diximus,

quoniam

quoniam tum mala,tum bona esse possunt,facile ea dæmon adhibet ad nos præcipitandos, & in ijs insidias, ac dolos struit.Quare nihil securius, & ad salutem aptius esse potest, quam vt omnia simul quam maxime à nobis remoueamus. Atque hæc ratio est ex parte dæmonis,qui vt aucupes in densis, & tectis locis insidias tendit, in apertis, & nudatis nihil potest, cuiusmodi est religio, quæ hoc gloriatur, quod nihil ex hoc mundo habeat. Eadem vero pericula sunt etiam ex parte rerum ipsarum.eius enim sunt naturæ, vt qui eas contrectet, non facile ab ijs expediatur. de quo idem Augustinus recte, Amor rerum terrenarum viscum est spiritualium pennarū.Ecce cōcupisti,hæsisti.Quis dabit tibi pennas vt columbæ? quando volabis, vbi vere requiescas,quando hic vbi male hæsisti peruerse requiescere voluisti,? Sed obijciet aliquis fortasse, hæc de amore terrenorum dici: quare si quis ista sine amore habuerit, tutum fore. Huic recte respondet Bernardus & huius rei,& omnium spiritualium peritissimus.Hæc,inquit, fugiendarum causa diuitiarum præcipua est,quod aut vix,aut numquam sine amore valeant possideri. limosa siquidem, & glutinosa nimis non modo exterior,verum etiam interior substantia nostra videtur: & facile cor humanum omnibus,quæ frequentat,adhæret. Considerandum est hoc,quod ait Bernardus, cor humanum adhærere, & agglutinari omnibus, quæ frequentat: cuius quidem quotidianum habemus in nobis ipsis experimentum. Nam & domus,cui assueuimus,& ciuitas, in qua aliquandiu fuimus,& socij,quibuscum viximus,& omnis ars, omnisque ratio viuendi,quam diutius tractauimus,ita nos afficiunt,vt nostrum in se amorem alliciāt:quod tum maxime sentimus, cum ijs priuari contingit; quod non fit sine molestia,& dolore.Si igitur ista,quæ non magnam in se habere solent illecebram placendi,solo tamē vsu, & consuetudine nos capiūt, atque vt inter ipsos homines, sic inter res istas, & homines, nescio quid amicitiæ, & familiaritatis contrahitur, quanto id magis eueniet in ijs rebus, quæ maiorem præ se ferunt vel necessitatis,vel delectationis speciem, vt pecunia,vt honores, & reliqua? Itaque duplex mali genus ex rerum istarum contrectatione,& amore, qui contrectationem sequitur,nasci solet: primum quod multa peccata committantur, vt propter auaritiæ sitim rapinæ, vsuræ, contractus illiciti; propter honorum cupiditatē simulationes,adulationes,aliorum criminationes, & alia indigna. deinde quod animus

Ser. 33. de Ver. Dom.

Ser. Ecce nos reliq.

etiamsi in illis quærendis, vel ambiendis non peccet, tamen dum illis fruitur, dum illis gaudet, quasi eius cursus in Deũ
5.Mor. 1. inciditur, vt vel omnino non currat, vel multo impeditius currat, & ideo non currat. Quam ob causam ait Gregorius spirituales quosque homines præsentis vitæ blandimenta moleste tolerare, quia per hæc se tardari in interno deside-
15.Mo. 6. rio non ignorant. Cuius rationem alio loco expressius docet his verbis, Esse quidem sine delectatione anima numquam potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis, & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima; quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabilis frigescit à summis. Vtrique se amores in vno corde non capiunt, & in eo seges supernæ caritatis nõ pullulat, in quo illam spinæ infimæ delectationis necant. Quæ Gregorij dicta ea quoque ratione confirmari possunt, quia dum animus ad exteriora ista dilabitur, & diffunditur, quasi foras à se ad illa egreditur, quam
10.Conf. autem longe à se peregrinatur, tam etiam peregrinatur à
cap.27. Deo, quoniam regnum Dei intra nos est. quod bene S. Augustinus in seipso deflebat verbis illis, Ecce, inquit, intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. ea me tenebant longe à te, quæ si in te non essent, non essent. Sed hoc Augustinus non sentiebat, nec cognoscebat, cum patiebatur: cum cognouit, cum Dei luce adiutus, ab omnibus se creaturis in Deum solum recepit: quod idem etiam nunc euenit omnibus, qui istarum rerum amore demersi sunt. Quamobrem hoc magnum lucrum faciunt religiosi, quod vno quasi securis ictu omnia à se ista impedimenta, & pericula præciderunt, dum se rebus omnibus terrennis expoliarunt, vt iam nullo negotio custodiam illam omnem, quam Sapiens præcipit, cordi suo adhibere possint. Quod lucrum eo etiam euidentius erit, si ipsam quoque naturam nostram consideremus, & quam ea imbecilla sit ad resistendum pugnæ sensuum, & ad vincendos eos affectus, qui ex rerum præsentia vehementius exardescunt. Cuius ratio est, quia dum animus noster his compagibus corporis inclusus est, adeoque coniunctus cum corpore, vt quiddam vnum cum illo efficiat, necesse est, vt ijs omnibus moueatur, quæ eius sensibus quasi nuncijs ingeruntur. Hoc plane euenit in dolore, in gaudio, in metu, hoc etiam in reliquis animorum motibus, vt vehementius omnes incitentur, cum

præsens

præſens aliqua cauſa eos laceſſit. Videmus enim, quantò acrius crucietur mater conſpecto filij cadauere, quàm eius audita morte: itaque ad quos ea cura pertinet, vt lugentes conſolentur, omnia ab oculis remouent, quæ vel tenui veſtigio memoriam eorum, qui deflentur, repræſentare poſſint. Vt igitur dolor, vt ira, vt aliæ paſſiones re præſenti obiecta citius, & grauius commouentur, cur non idem fiat in amore, vt ipſe quoque, rei pulchritudine conſpecta, eo magis inflammetur? Quod ſi ita eſt, vtile omnino, & ſalutare eſt religioſorum conſilium, vt ſe ita abdant, ne ijs rebus interſint, quarum aſpectus, iſque aſſiduus, hunc amorem rerum terrenarum excitet, & excitatum deinceps alat. Si enim ad caſtitatem, & pudicitiam conſeruandam, non ſolùm vtile, ſed etiam neceſſariũ exiſtimatur, paciſci fœdus cum oculis ſuis, vt de ſe Iob ait: velim ſcire, cur non idem etiam valeat in reliquo omni cupiditatum genere. *Iob 31.* Nam quod eſt in hoc amore, quem caſtitas profligat, idem eſt etiam in aliis omnibus amoribus, vel pecuniæ quod ad auaritiam, vel honorum, quod ad ambitionem, vel voluptatum, quod ad intemperantiam pertinet. Etenim hos quoque amores augeri neceſſe eſt, cùm vel auri ſpecies, vel purpuræ nitor affulſerit, vel res aliqua delectabilis ſenſum perculſerit. Contra verò, ſi hæc omnia ab oculis amoueantur, ipſum quoque eorum amorem quotidie magis remitti, ac denique etiam ad nihilum redigi oportet. Rectè enim Cyprianus, ſeu quis alius auctor fuit illius libelli de ſingularitate clericorum, Quantò, inquit, vnuſquiſque fuerit longius ab aduerſis, tantùm non ſentit aduerſa. Minus voluptatibus ſtimulatur, qui non eſt vbi frequentia voluptatum, & minus auaritiæ moleſtias patitur, qui diuitias non videt. Mihi quidem nimis violentum videtur, vt quiſpiam, cum ſemper in conſpectu habeat ſuauia, & iucunda, ſemper tamen ab ijs abſtinendo ſeipſum vincat; ac propterea ne durabile quidem: quoniam, vt eſt in prouerbio etiam à philoſophis recepto, nullum violentum perpetuum. Videmus hoc, & experimur nos ipſi quotidie in ſuperanda ciborum delectatione, nam ſi ad plenam, inſtructámque menſam ſedeatur, vbi ſit dapum varietas, condimenta, ſapores, hæc omnia ſic gulam irritant, vt plurimus ſit labor in reſiſtendo, & omnino difficillimum ſit ita modum ſeruare, ne ſobrietatis, & temperantiæ limites tranſeantur. Contra verò, qui ad menſam non accedat, facillime ieiunium ſeruabit, quia eadem illa lenocinia per cogitatio-

nem

nem ſolam multo ſegniora ad animum perueniũt,quàm per oculorum ſenſum. Sic igitur in omnibus aliis rebus. Eadem enim eſt in omnibus natura cupiditatis,eadem vis ſenſuum. Eſt autem in hoc genere aptiſſimum, quod Auguſtinus in Confeſſionibus narrat de Nebridio, qui cùm antea ſpectaculorum ſtudio exitiabiliter, vt ille ait, teneretur, Auguſtini ſermone ab ea inſania reuocatus eſt, diuque in hac meliori mente perſtitit, donec aliquando à ſodalibus, in quos inciderat, familiari violentia in theatrum perductus eſt, cùm ea ille quidem de liberatione, vt oculos omnino clauſos teneret, nec aliquid videret eorum, quæ fierent. Quo cum veniſſet, oculóſque compreſſiſſet, manſit aliquandiu in ea animi inductione: ſed cum denique, ob neſcio quem pugnæ caſum, totius populi clamor exortus eſſet, temperare ſibi amplius non potuit, quin aſpiceret quidnam id eſſet, adhuc tamen paratus quodcumque illud eſſet contemnere. Verùm longe aliter euenit. Nam, vt ſcribit Auguſtinus, ſpectauit, clamauit, exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur redire, non tantùm cum illis, à quibus pertractus fuerat, ſed etiam præ illis, & alios ipſe pertrahens. Hoc igitur, quod in gladiatorio ludo Nebridium decepit, in aliis etiam peioribus, nocentioribúſque rebus multos ſæpè ſupplantauit, & quotidie ſupplantat. plus enim eſt, quàm vt humanæ vires ferre valeant, præſertim vt nunc ſunt, adeo exiles, & afflictæ, præſentium illecebrarum, cùm nos inuadunt, impetum ſuſtinere, maximè cùm diuturnior eſt pugna, vt etiamſi aliquandiu reſiſtamus, facilè tamen aliquando armis vel incuria depoſitis, vel defatigatione abiectis, opprimamur. Quàm ob cauſam optimum eſt illud S. Baſilij præceptum, non hoc tantùm faciendum eſſe, vt internas cupiditates moderemur, ſed etiam fugiendum eſſe longiſſimè à congreſſu earum rerum externarum, quæcumque in conſpectum adductæ, refricata libidinum memoria, conſilium, & rationem perturbant, & bellum, atque angores in animo cient. Nam vinci in prælio, quod alius nobis contra voluntatem noſtram moueat, malum quidem eſſe, ſed ignoſcendum: at verò vltro ſibi prælium accerſere, ſeque ipſum in malum ingerere, eiuſmodi eſſe, vt nullam veniam, aut miſericordiam mereatur. Hæc igitur omnia, quo euidentius ſecularis vitæ periculum, eo maiorem religioſæ vitæ felicitatem demonſtrant, quippe quæ longè abſit à poſſeſſione, & vſu, & tractatione rerum terrenarum, ac propterea ad eiuſ-

6. Conf. cap. 8.

Conſt. mon. cap. 4.

modi corda inquinanda, nec creaturis, quas à se remouerunt, nec dæmoni, qui ipsis creaturis ad oppugnandum vti solet, aditus pateat. Quam quidem ob causam merito dixit B. Macharius in homilia quadam, hanc rerum omnium generalem abrenunciationem non solùm nos inuitare, sed etiã cogere, vt cælestia quæramus; eamque præcipuè fuisse causam, cur nos Christus iusserit propinquos deserere, & omnia, quæ habemus, vendere, & dare pauperibus, quia cum nosset, Satanam illud quasi instrumentum adhibere ad traducendas cogitationes nostras ad curam rerum materialium, & terrenarum, præcepit, vt ijs nos omnibus priuaremus, quo vel inuiti quæreremus opes cœlestes, & corda nostra in Deo defixa gereremus. *Hom.11.*

Quintus fructus commoditas vacandi Deo.

CAPVT XVII.

MAgnum est illud quoque religionis beneficium, quodque salutem nostram maximè attingit, summa, quæ in eo statu est, facultas vacandi cognitioni, & considerationi rerum omnium, quæ ad vitam rectè, ac salubriter ordinandam valent. Sunt enim, qui ita viuant in hoc mundo, quasi mentem non habeant, adeo præsentibus toti inhærent, numquam ad futura præuidenda, & disponenda se erigunt, numquam hanc adeo necessariam cogitationem suscipiunt, qui sint, & vnde veniant, aut quo tendant, & qua etiam tendant, id est, quem eos ad exitum ducat via, qua gradiuntur, & mores, quos sequuntur. Itaque in hac tanta & sui ipsorum, & Dei, & spiritualium omnium rerum ignorantia, tamquam in tenebris, sic assiduè in terra peccata impingunt, quæ ipsa, propter easdem tenebras, neque vident, neque sentiunt, vt merito Propheta omnium malorum causam, quibus refertus est mundus, huic vni tribuerit: Desolatione, inquit, desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde. Constat igitur summam penè salutis nostræ consistere in accurata, & diligenti meditatione rerum illarum, quas dixi esse totius vitæ nostræ fundamenta: quoniam ex meditatione nascitur cognitio, ex cognitione amor, ex amore studium & eas res persequendi, & contrarias repellendi. Ac denique si multiplices huius studij fructus ad omnia Christiani hominis officia pertinentes cognoscere volumus, Bernardum audiamus, qui multa de *Iere.12.*

hoc

hoc in ijs libris, quos de hoc ipſo argumento ad Eugenium miſit, in quibus hoc præcipuè, Primum quidem, inquit, ipſum fontem ſuum, id eſt, mentem de qua oritur purificat conſideratio, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat: poſtremo diuinarum pariter, & humanarum rerum ſcientiam confert, Hæc eſt, quæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, ficta, & fucata explorat. Hæc eſt, quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente reſideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc eſt, quæ in proſperis aduerſa præſenti, in aduerſis quaſi non ſentit: quorum alterum fortitudinis alterum prudentiæ eſt. Hactenus Bernardus. Quare facile iam eſt videre, quantum ſpiritualis lucri afferat religio, quæ nos in iſtarum rerum commentatione ſemper contineat, aſſiduéque exerceat. Nam, ſi verè cogitare voluerimus, vt ſunt certa quarumdam artium, & diſciplinarum ſtudia, alia iuris ciuilis, alia medicinæ, alia philoſophiæ, vel ſimilium, ita religionem rectè appellare poſſumus ſtudium cognoſcendi Dei, & omnium, quæ ad Deum pertinent, neque id ſpeculatione ſola (multos enim conſtat, qui profunda multa ſpeculando cognouerunt, nunc in inferno torqueri) ſed adiuncto affectu timoris, & amoris, in quo ſunt omnia. Quare hoc iam videndum eſt, quæ ad hoc, & quanta præſtet adiumenta, vt non ſolum fiat, ſed etiam faciliime fiat. Primum autem eſt illud, quod externis occupationibus, terreníſq; negotiis liberat, quod eſt maximum impedimentum in hac cœleſti philoſophia; vt rectè illud à Gregorio dictum ſit, Cura multiplex terrenarum rerũ, quia occupat, excæcat. Dei enim natura, etſi ad eam contemplandam facti omnes ſumus, tamen ita ſoluta, ac libera, & ſegregata eſt ab omni concretione, ita etiam ardua, tantóque interuallo elata ſupra omnem noſtrum captum, nempe, vt ait Apoſtolus, lucem habitans inaceeſſibilem, vt humanus animus, niſi ipſe quoque magno ſtudio excultus, & expurgatus, & quàm maximè purus effectus, ad eum accedere non poſſit. Terrena autem omnia vt ſunt ipſa corporea, & craſſa, ſic animus his tractandis fit ipſe quoq; craſſior, & concretior: ex quo duo proueniunt incommoda; primum vt ea mole, ac põdere iniecto, eius tardetur aſcenſus: deinde vt etiam indignus reddatur, ad cuius amplexus deſcẽdat illa puritas, qua nulla maior cogitari, nec concipi poteſt: de quo bene

1. de conſid. — *12. Mor. cap. 22.* — *1. Tim. 6.*

rbene Gregorius, Nequaquam, inquit, mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continue in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid etiam vacans laborat? Bene autem per Psalmistam dicitur, Vacate, & videte quoniam ego sum Deus: quia, qui vacare Deo negligit, suo sibi iudicio lumen eius visionis abscondit. Accedit etiam illud, quod terrenarum rerum procuratio ita impedita est, tám q; multis, & variis occupationibus implicata, vt facilę omne tempus eripiat, neç vllum laxamentum concedat ad cogitanda cœlestia. Facit enim dæmon in mundi famulis, quod olim Pharao in Hebræis, qui cum in desertum ad sacrificium Deo offerendum ire se velle dicerent: itaque iussos à Domino, ille contra duplicatis operibus luti, ac palearum obruere eos conatus est, ne videlicet otium haberent ad illa cogitanda, & molienda. Sic enim inimicus, quo magis hominum animos ab omni sancta, & salutari cogitatione auertat, ita eos vrget, & impellit in nouas occupationes vilissimarum rerum, vt, quod est miserabilius, ipsi sibi onera oneribus, labores laboribus cumulent. Ex quo præter hanc, quàm dixi temporis iacturam, illud etiam sequitur maius damnum, quod dum mens in plura distrahitur, & quidem temporalia, eo minus illi viriũ, aç roboris superesse necesse est, quod in spiritualia conferat; quod quidem Gregorius in Pastorali luculente tractat, cùm ita dicat, sæpè susceptam curam diuersa intuendo çor diuerberare, & imparem quemque inueniri ad singula, dum confusa mente diuiditur ad plura. Vnde, inquit, quidam sapiens prouidè admonet dicens, Fili mi, ne in multis sint actus tui; quia videlicet nequaquã bene in vniuscuiúsq; operis ratione colligitur, dum mens per diuersa sparsa partitur, cúmque foras per insolentem curam trahitur, à timoris intimi soliditate vacuatur, fitque in exteriorũ dispositione solicita, & sui solummodo ignara scit cogitare multa se nesciẽs. Nam cũ plus, quàm necesse est, se exteriorib⁹ implicat, quasi occupata in itinere obliuiscitur, quo tendebat, ita vt à studio suæ inquisitionis alienata, ne ipsa quidem, quæ patitur, damna consideret, & per quanta delinquat ignoret. Igitur cum hæc, quæ Gregorius cõmemorat, & alia multa ab his externis occupationibus proueniãt vitæ spiritualis impedimẽta, iam apertum est, ne locum quidẽ habere in religioso statu, in quo perpetuum sit otium. nullísque huiusmodi temporalibus curis interruptum, vt nos totos dedamus Deo contemplando,

5. Mor. 8.

Psal. 45.

Exod. 5.

1. Past. 4.

Eccl. 11.

plando, amando, & fruendo, vt quidem in hac vita frui licet. Hoc commodum, quo multa commoda concluduntur, iure commendat Bernardus quodam sermone ad fratres suos; Nulla vobis hic, inquit, nutriendorum liberorum cura, nulla solicitudo quomodo placeatis vxoribus, non de nundinis, non de negotiis secularibus, non de ipso victu, & vestitu necesse est cogitare. Procul à vobis magna quidem ex parte diei malitia, & solicitudo vitæ. sic abscondit nos Deus in abscondito tabernaculi sui. Vberius autem hæc eadem S. Thomas, qui ita differit, secularem vitam in triplici præsertim genere inquietam esse. Primum in externis bonis procurandis, tuendis, disponendis, quæ sunt omnia plena laborum, & curarum innumerabilium: omnia autem ista paupertatis professione præcidi, quæ nos his omnibus oneribus grauissimis, ac molestissimis liberat. Alterum vero solicitudinis genus versari in vxoris, & liberorum gubernatione, qui & alendi, & informandi, & à vitijs omnibus, ad quæ in teneriori præsertim ætate tāta est ꝓcliuitas, arcēdi sunt: quæ quidem cura non præsens modo tempus spectat, sed futurum etiam prospicit, ne mortuis parentibus egeant, vt habeant quo viuant, & ita laute viuant, vt splendorem familiæ tueātur; ex quo augēdæ, & multiplicandæ rei nullus est finis. Hanc igitur tam infinitam molestiam, atque animi occupationem castitatis voto penitus tolli. Denique tertiam esse occupationem, eamque longe maximam in propria vita, propriisque actionibus dirigendis, in quo & deliberationes difficillimæ, & errores sæpe incidunt grauissimi. atque ab his dubitationum, & anxietatum scrupulis expedire nos Obedientiam, quæ nostri curam in alterum transfert, & ita transfert, vt ipse rationem pro nobis redditurus sit, vt ait Apostolus, & nihil ambigamus, quin quicquid ab illo de nobis statuatur, à Deo per illū statuatur. Hæc fere B. Thomas. Quare agnoscendum nobis est, totóq; animo, & toto corde amplectendum hoc religionis bonū, quæ nos in quadā rerum omnium iucundissima vacatione constituit, in qua etiā nescio quæ vis inest apta incitādæ menti, vt ad cœlestia erigatur. Quemadmodū enim inter strepitus, & fragores nemo attente cogitare possit, contra vero in noctis silentio, vel in aliquo deserto luco, ipsum silentiū, & ipsa solitudo quodāmodo inuitat ad cōtemplationem, sic in seculo, vbi tam multa assidue obstrepunt, difficillimum est sese ad interiora reuocare; contra vero quies illa religiosa segregata ab omni tumultu facili⁹ nos potest

Serm. de Obe. pati. sapi.

2. 2. q. 186. art. 6.

Hebr. 13.

poteſt in cognitionis ſtudio,etiã ſine magno labore noſtro,cõtinere.De quo recte Bernard in quadam epiſtola,Iuge,inquit,ſilentium,& ab omni ſtrepitu ſecularium perpetua quies cogit cœleſtia meditari. Cogi nos ait,quia mirum eſt, quam id vires animæ retineat ne dilabantur, vel dilapſas colligat,collectas vero in Deũ, ac diuina effũdat. *Epi. 78.*
Quã differentiam, ac diſtantiam inter ſecularem, & religioſum ſtatũ egregie à Gregorio expreſſam videmus qui illud,quod eſt libro Iob,dictũ de ſapientia,Et mare loquitur nõ eſt mecũ,morali,vt ſolet,sẽſu ſic exponit,Quid maris nomine,niſi ſeculariũ mentiũ amara inquietudo ſignatur,quę dũ ſe viciſſim inimicitiis impetũt,quaſi aduersãtes ſe vndę collidũt? Recte etenim mare vita ſecularium dicitur,quia dũ procelloſis actionũ motib⁹ cõcitatur,ab internę ſapiẽtię quiete atq; ſtabilitatẽ diſiũgitur.Quo cõtra bene per Prophetã dicitur:Super quẽ requieſcet ſpirit⁹ me⁹, niſi ſuper humilẽ, & quietũ, & trementẽ ſermones meos? A terrenis autẽ mentibus tanto longius ſpiritus fugit,quãto apud has quietẽ non inuenit. Nã qui ſe per innumeras terrenorum deſideriorũ cogitationes ſpargit,ad cõſiderationẽ ſui ſeſe nullatenus colligit.In his itaque inquietudinum fluctibus habitare ſapientiam non poſſe cognoſcẽs ait,Et mare loquitur non eſt mecũ. Nullus quippe eã plene recipit,niſi qui ab omni ſe abſtrahere carnalium cogitationũ fluctuatione contendit.Vnde & alias dicitur,Sapientiã ſcribe in tempore otij,& qui minoratur actu ipſe percipiet eam.Hęc quidem Gregorius.Verum obiiciet fortaſſe aliquis, etiam religioſos multa ſępe agere, & ſępe in multis, & laborioſis negotijs verſari, tum ob proprias neceſſitates, tum etiam ob proximorum ſalutem curandam. *18. Mo. cap. 25.* *Eſa. 66.* *Eccl. 38.*
Cuius argumenti facilis eſt reſponſio.Nam quę proximorum cauſa à religioſis aguntur,ea cum ſpiritualia ſint non terrena,non ideo,qui ijs occupantur , à Deo ſeiunguntur, quin potius ei adhęrent, quoniam & ij Deo, & Deus ipſis in eiuſmodi opere cooperatur. In domeſticis autem neceſſitatibus, etiã ſi quid temporale geratur, non idẽ eſt finis, qui ſeculariũ, ſecularis & temporalis,ac caducus , ſed oĩa ad ſpiritũ,omnia ad ęternitatem diriguntur. Atq; alia eſt etiam magna,& certa differẽtia:Nã ſeculares, dum iſta tẽporalia procurãt,ſuũ priuatũ cõmodũ quęrũt,quo vel diuitijs,vel honorib⁹ augeãtur. Religioſi vero,cũ hęc eadẽ terrena procurãt,nec amplitudini,ſed vt dixim⁹ neceſſiati ſeruiunt,

uiunt,nec priuatum aliquod bonum ſpectant,ſed in commune conſulunt,in commune laborant,vt ait Hieronym⁹ in vita Malchi: quod tam longe abeſt à cupiditate, vt etiã cum caritate coniunctum ſit. Quin potius ex hoc quoque capite vitæ hui⁹ vtilitates,& theſauri duplicantur,quæ nõ modo Mariæ otium, ſed etiam Marthæ negotium ſanctũ, & ſalubre pręſtat,noſque ita inſtituit ad ſpirituales ferias, operoſis omnibus curis ſegregatis,vt,ſi quando tamen operis aliquid incidat,id quoq; ipſum,ſpirituali fine,& ſpirituali forma adiuncta,fructuoſiſſimum reddatur. Nã hominum quoque famuli non tum modo dominis ſuis ſeruiunt,cum iis aſſiſtunt,eorumque ora intuentur,ſed etiã, ac ſæpe multo vtilius,& melius,cum hũc,illuc impigre diſcurrunt,ad eorum vel iuſſa,vel obſequia peragenda,

Sextus fructus,exequi in omnibus diuinam voluntatem.

CAPVT XVIII.

SI homines ſaperent,& intelligerent, & quid ſibi maxime vtile,ac fructuoſum ſit, videre poſſent , nihil eis adeo in totą vita propoſitum eſſe deberet, quam vt voluntatem ſuam ex Dei voluntate in omnibus rebus, magnis, minimis,mediocribus,ſiue ſecum aliquid agerent, ſiue cũ aliis,quą perfectiſſime , quamque exactiſſime conformarent.Sunt autẽ huius quod dico multæ graues, & neceſſariæ cauſæ,ſed illa præcipua,quæque omniũ inſtar ſit,quod nõ modo hic valet illa ratio;quęvalet inter creaturã,& creaturã,vt quę inferior eſt obediat, ſeruiatq; ſuperiori & excellẽtiori,quod quidẽ, multo magis locũ habet in Deo,vno oĩm principe, & Regũ Rege,& Dominatore, qui hominũ gen⁹ ſeptẽ illis cauſis, quas initio dixim⁹, legitime,ac iure ſubiectũ eſt. Sed præter hoc etiã in Deo aliud quiddam multo maximum, & præſtantiſſimum.Cum enim diuina illa,& infinita natura nihil ſit aliud,quã ipſum bonũ, & ipſa æquitas,& ratio rerũ omniũ, illud quoque ſequi neceſſe eſt,vt eius volũtas ipſa ſit regula,& quaſi norma oĩs iuſti,& omnis recti.Itaq; vt in ſcribendo,vel ædificãdo, & in reliquis operibus ita quidq; perfectum eſt , ſi ad ſuã cuiuſque regulam,ideamq; accedat,cõtra vero omnis error, & vitium in eo cõſiſtit,vt ab illa deflectat,& quo longi⁹ deflectat,eo maius eſt vitiũ:ſic cũ voluntatis noſtræ, vt diximus

mus,vna sit regula Dei voluntas,vt ad eã vel accedet, vel recedet,ita vel rectam,& honestã,vel contra turpem,& vitiosam esse necesse est. Quam ob causam recte dictũ est à Climacho,qua siti ęstuans ceru⁹ ad aquarũ fontẽ feratur, tam ardẽter omnes Dei famulos cupere debere, vt diuinã voluntatẽ & cognoscant,& semper exequantur.Bernardus quoq;in sermone quodã, quẽ integrum scripsit de hoc argumẽto,cum quædã de humilitate præfatus esset, Totius, inquit, humilitatis summa in eo videtur cõsistere si voluntas nostra diuinæ(sicut dignũ est) voluntati subiecta sit, sicut ait Propheta, Nonne Deo subiecta erit anima mea? Scio quidem creaturam omnem, velit, nolit, subiectam esse creatori: sed à creatura rationali voluntaria subiectio quęritur,vt voluntarie sacrificet Domino,& cõfiteatur nomini eius,non quia terribile,& sanctũ, non quia omnipotens,sed quia bonum est.Multa alia in hanc sententiã ex aliis sanctis Patribus afferri possent, à quibus nihil ferme magis cõmendatũ, nihil crebri⁹ inculcatũ est;inter quos, vt hoc vnum attingamus,Augustinus non dubitauit dicere, Dei matrem non tam eo felicem fuisse, quod Verbũ in ipsa caro factum sit, quam quod ipsa Dei voluntatem fecerit; idque ex Verbi ipsius dicto demõstrat, cui cum in turba dictum esset, Beatus venter qui te portauit, respondit statim,Quinimmo beati qui audiũt verbum Dei, & custodiunt illud.Quod si ita est, quæ maior potest esse vtilitas, quam eius rei, quæ pluris sit,quam esse dei matrem,mun⁹ omnium maximum inter maxima, quæ non solum hominum generi,sed etiam Angelorũ cõtingere possint?Atqui hoc efficit religio, quæ nos ita cum Dei voluntate astringit,& quodammodo colligat, vt non solum in maioribus negotiis,sed etiam,vt ante dixi,in leuissimis quibusq;, & quotidianis omnino ex eius placito pendeamus,& ad eius nutũ moueamur. Quam ob causam Cassianus in extrema collatione, cum de huius rei necessitate, & magnitudine ipse quoq; multa dixisset,eiusque formam à Saluatore ipso traditam ostendisset,qui non venit suam facere,sed Patris voluntatem,cumque suum esse cibum ipsemet profes-sus est hoc etiã adiũgit:Quã,inquit,virtutẽ illi specialiter exercẽt,qui in cænobiis cõmorantes senioris regũtur imperio,qui nihil õnino suo arbitrio agũt, sed eorũ volũtas ex volũtate pẽdet abbatis. Sed hoc Religionis beneficiũ illustri⁹ etiã erit,si,quã viã in hoc efficiẽdo teneat,videam⁹.

Gradu. 25.

Ser. quo vol. nostro diui. vol. sub.

Psal. 61.

Tract. 10. in Ioan.

Luc. 11.

Coll. vl. c. vlt.

Primum.n. vt in agro, antequam semen iaciatur, euellēdæ sunt spinæ, sic illa, vt animum ad hanc virtutem præparet, omnia prius impedimenta radicitus extrahit. Primum autem, & maximum impedimentum in homine est propriæ voluntatis: de qua peste quid grauius dici possit, quā quod scriptum est à S. Bernardo: Grande, inquit, malum volūtas propria, quo fit vt bona tua tibi bona nō sint. Atq; idē alibi, Voluntas propria quo furore Dominum Maiestatis oppugnet, audiant, & timeāt serui propriæ voluntatis. Primo namq; seipsam subtrahit, ac subducit eius dominatui, cui tamquam auctori seruire debuerat, dum efficitur sua: sed nūquid cōtenta erit hac iniuria? Addit adhuc, & quod in se est, omnia quoque, quæ Dei sunt, tollit, & diripit: & certa, quæ copiose prosequitur vir ille sanctus, & propriæ voluntatis, quam hic lepram appellat, hostis acerrimus. Ad hoc igitur tantum malum accedunt tamen etiam alia, quæ hominem impediunt, ne se cum diuina voluntate, vt oportet, coniungat: quæ impedimenta egregie ab eodem Bernardo alio quodam loco commemorantur. Cum enim affirmasset, caput felicitatis Angelorum hoc vnum esse, quod Dei voluntas iam omnino facta sit ipsorū voluntas, idem ait nobis omni studio & desiderandū, & conandū esse: sed in eo quatuor nobis ingentia impedimenta obiici: primū malitiæ, id est, insitam quandā affectionem ad omne vitiū: deinde infirmitatis, quod corporis ipsius, quod gestamus, corruptio sæpe obstet, quo minus voluntas nostra diuinæ cohærere possit: tum vero concupiscentiæ, quæ nos multiplicibus, & inexplicabilibus distrahit desideriis: postremo etiam ignorantiæ; quo enim, inquit, pacto voluntatē Dei sequar, vbi ignoro eam? cognosco autem tantum ex parte, & nondū sicut cognitus sum. Quoniā igitur Dei volūtas tam multos, tamq; graues habet in nobis ipsis aduersarios, videamus quid præsidii afferat religio ad eos profligādos, ac delēdos. Primus enim eius labor, ac perpetua cōtentio ea est, vt illam malorum omniū radicē excindat, propriam quā diximus voluntatē, cuius non solum impetus, sed omnes etiā, quoad eius fieri potest, motus in nobis coercet, & conterit. Sic enim religiosum quēque assuefacit, vt omnia alieno arbitrio gerat, alienoq; præscripto, nihil autem suo, vt id seruent omnes, quod Hieronymus bene intelligens religiosi instituti scripsit ad Rusticū monachum; Nō facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acce

peris

Serm. 71. Canc. *Serm. 3. de resur.* *Serm. 6. Quadrag.* *1. Cor. 13.* *Ep. 4.*

peris, operis tui penſum abſoluas, ſubiiciaris cui non vis, laſſus ad ſtratum venias, ambulanſque dormites, & necdũ expleto ſomno ſurgere compellaris. Itaque ſicut in homine ſeculari propria voluntas aſſiduo vſu creſcit in dies magis, ac roboratur, vt veluti arbor quædam nodoſa, & diſtorta frangi citius queat, quam dirigi, ſic contraria conſuetudine probi religioſi voluntas ita quotidie minuitur, vt nõ rami modo eius amputentur, ſed ipſæ etiam fibræ penitus euellantur. Accedit etiã peculiare ſtudium, ac diligẽtia tũ ſubditorũ ipſorum in reſiſtendo propriis cupiditatibus, tũ etiam præſidum, ac rectorũ in his de induſtria frangẽdis, & mortificandis. In quo ij quidem equorum imitantur domitores, qui equos ferocitate exultantes ita exercent, vt modo curſu, modo paſſu ire iubeant, modo in gyrũ flectãt, ſæpe incitatos repente inhibeant, aut ſtantes repente incitent; denique ita fingunt, atque erudiunt, vt nullũ propriũ impetum retineãt, ſed freno quam facillime pareãt. Sic enim iſti ſumma cura in reſecandas ſuorum voluntates incũbunt, idque exercitatione cõtraria, etiam in iis rebus, atque actionibus, quæ alioquin leuiores, & nulli⁹ pene momẽti videantur, niſi ex illis leuiorib⁹ alia grauiora conſequerentur. Cũ enim magnus Antonius Paulũ diſcipulum ſuere veſtes, deinde diſſuere; texere fiſcellam, mox retexere, cum alij alios ex veteribus illis aquam haurire, & hauſtam effundere, vel aridum ſtipitem toto anno irrigare, cũ etiam Franciſcus, vt accepimus, Maſſeũ media in via ſeſe tandiu circumagere iubebat, vt, capite labefactato, ſæpius in terram concideret, denique cum alia eiuſmodi ſanctiſſimi illi viri iis, quorũ ſpiritũ, virtutemque informabãt, pręcipere ſolebant, quid aliud agebant, quam vt ex eorũ animis omnẽ proprium ſenſum eradicarent, vt nullę in eis reliquiæ permanerent? quod quidem & eo temere Patres illi faciebant, & hoc ipſo tempore faciunt inter quos hæc ſtudia vigent. Conferamus nunc hominẽ ſecularẽ, nõ dico ex media fece populi, aut etiam ex iis, quos Apoſtol⁹ deſcribit repletos omni iniquitate, malitia, auaritia, ſuſurrones, detractores, inuentores malorum; tales enim homines nullam habent virtutis cogitationẽ: ſed cogitemus eũ, qui iuſtitię, & pietatis officia colat, qui in ſacramentis obeũdis frequens ſit, qui etiam, vt Iob de ſeipſo aiebat, pater ſit pauperũ, ocul⁹ cæco, & pes claudo, ac deniq;, vt omnia concedam⁹, omnia Dei pręcepta, & leges diligẽter ob- *Rom. 1.* *Iob. 29.*

seruet:sed tamẽ viuat suo amore, ac modo, atque hæc ipsa opera bona agat pro suo arbitrio, quæ libeat, quãtũ libeat, & quãdiu ita libeat. Hic igitur non quidem improbus, ac malus existimãdus est, quin potius laudandus; sed tamẽ, si perfectionem quærimus, non est dubitandum quin multo sit inferior religioso. Potest enim in his omnibus bene, honesteque factis multum tamen inesse propriæ voluntatis, vt ideo suscipiantur, ideoque gerãtur, quia nobis arrideãt, & in eorum administratione voluntas sibi placeat, sibique ipsi interdum etiam nesciens, nec aduertens obsequatur. Quod sane cum accidit, illa quidem omnia ex propriæ voluntatis fontibus fluunt, etiã si honestiore specie obtegantur: vt fere in hunc quoque errorem cadat, quod à Gregorio dictum est in inanem gloriã, siue ea ex terrenis rebus, siue ex cœlestibus virtutibus enascatur, idem esse vitium, sed vestem mutasse, ne agnosceretur. Sic enim sæpe cõtingit, vt in his muneribus, quamuis bonis, dum Deo nos seruire putamus, nobis ipsis seruiamus: quoniã hoc primum fieri potest, vt, etiam si bona sint, & in alijs laudata, à te tamen communis omnium Dominus non hoc genus bonorum operum, sed aliud genus postularet; aut, etiam si hæc ipsa postulabat, fortuitum tamen fuit, quod in illa opera incideres, cum tu non tam Dei placitum consuleres, quam tuo placito, tuoque impetu vehereris. Quod si res istæ per se bonæ, & spirituales, tamẽ errori patẽt, quid de alijs dicẽdum erit, quæ mediæ sunt, vt tum bonæ, tum malæ, aliqua circũstãtia variata, fieri possint, vt sunt pleraq; humana negotia, ire, manere, contrahere, facere, nõ facere, quę ipsa, vt supra diximus, ex Dei beneplacito moderanda sunt? Quo enim modo eius nobis radius in singulis lucebit, nisi regulam aliquam teneam⁹, quæ etiam ad hæc singula docẽda, & quodammodo illuminanda descendat? Itaque hoc certũ, & probatum sit, omnẽ illam vitæ rationem, statumque omnem, qui suam retineat voluntatem, eaque vtatur; atq; ex ea se, ac suas actiones instituat, expositum esse ad illa tam multa, tãque magna damna, quæ à propriæ volũtatis morbo importari ostendim⁹. Cõtra vero Religiosi, qui suo se arbitrio penitus exuunt, idq; à se & certa deliberatione, & studio, curaque diuturna, & deniq; etiã voti obligatione quẽ longissime reiiciunt, illis omnib⁹ damnis expertes sunt. Quare, hoc quasi fundamẽto propriæ volũtatis euerso, reliquos quoq; illos, quos ante ex Bernardo cõmemorauimus

34. Mon. cap. vlt.

rauimus,diuinæ volũtatis aduerſarios facile vincit,& profligat religio.Et primum quidem malitiam ex animo pellit,eum contra imbuens pietate, & caritate non ficta:infirmitatem vero corroborat,non ſolùm conſilijs ſalutaribus, ſed etiã patientiæ,ac fortitudinis neruis;tum cõcupiſcentias omnes mortificationis falce præcidit, pro quibus vnũ inſerit deſiderium veri,& ſummi boni.Denique ignorantiam ita erudit, atque inſtruit, vt nemini dubitare liceat quid Deus à ſe requirat.Habet enim religio ad Dei voluntatem intelligendã,planeq; agnoſcẽdã,& plurimas, & certiſſimas vias,de quibus vijs,quoniam hoc quoque propoſitum erat,aliquid in præſenti dicẽdum eſt. Climachus quidem eo loco,quem ante diximus,cum huius neceſſitatem oſtẽdiſſet,addidiſſet etiam ſummam difficultatem, deniq; modum docet,quo id conſequamur.Quicumque, inquit, Dei beneplacitũ noſſe volunt,in primis omni proprio ſenſu expurgato,in quadam animi æqualitate ſeſe conſtituere debent,ita vt nullam in partem magis propendeant,ſed ad omnes Dei nutus ſe promptos, agileſque cõſeruẽt:deinde cum ſimplici fiducia patres, aut fratres ſpirituales rogare debent,atque eorum conſilium ſine vlla hæſitatione, tamquam ex Dei ore accipere,licet illi ipſi, qui interrogantur, non admodum ſpirituales,& perfecti ſint.Non enim iniuſtus eſt Deus,vt eas animas fallat, quæ cum fide,& humilitate alterius iudicio ſe ſubmittunt.Nam ſi Deus Prophetæ Eliſæo ad citharæ ſonitum manifeſtauit quæ ſcire cupiebat;non multo magis id faciet ad ſermonem hominis ratione vtentis,magiſque apti ad eius accipiendũ influxum? Hæc Climachus, cuius argumẽtum ſi in quocumq; homine valet,quod ea ſit vis humilitatis, qua nos alteri ſubdimꝰ,quãto magis valebit in eo,qui nobis legitime præſit,& cui Deꝰ ſuas in nos tradiderit vices?Hũc igitur nacti, cum eum arbitrũ,ac moderatorẽ vitæ noſtræ, omniumq; actionum noſtrarũ cõſtituimus,hac certa fiducia eſſe debemus in rebus omnibus,quæ nõ expreſſe diuinis præceptis repugnẽt,illi obſequẽdo,Dei nos voluntati obſequi; quoniam eiuſdem Dei illa vox eſt, Qui vos audit, me audit. Magna ergo hæc religioſi felicitas,& certe omnium maxima, quæ in hac vita haberi poſſit,quippe quæ ad cœleſtem ipſam felicitatẽ prope accedat.Apparet hoc ex eo, quod de Angelis,& de illis præſtantiſſimis mẽtibus nihil maius à Dauide dici potuit,quã quod eſt in pſalmo quodã.Potentes virtu-

Gra. 25

4. Reg. 3.

Luc. 10.

Pſa. 102

te, facientes verbũ illius, ad audiendam vocem sermonum eius, omnes ministri eius, qui facitis volũtatẽ eius. Ac Dominus ipse nihil melius, ac salutari⁹ à nobis peti posse iudicauit, quã quod in diuina illa precãdi formula nos docuit,
Matt.6. Fiat volũtas tua sicut in cœlo, & in terra. Hic igitur est locus ille, si vllus est alius in hoc mũdo, in quo hoc ipsũ præstatur, vt Dei volũtas, si nõ æque vt in cœlo, certe proxime vt in cœlo semper impleatur: vbi & omnes prõptissimos se, & paratissimos exhibẽt ad quemuis Dei nutũ, & Deus omnes, pro suo arbitratu, superiorũ, rectorumq; ductu agit, ac mouet, quocũque, & quomodocũque velit. Erat apud veteres Hebræos Arca, ad quam Dominũ in rebus dubijs con-
1.Re. 23. sulebant, ac præcipue Dauid, cuius responsis, vt legimus, & de Ceila oppugnanda, & de Ceilensiũ proditione cauenda admonitus, iussus etiã in Iudæã ad regnũ capiendũ ascendere, denique ex multis periculis eductus, de multis agendis edoctus est. Verum neque id præsidium commune erat multis, neque perpetuum, & grauiorũ tãtummodo rerum, ac personarum. Quanti igitur est hoc æstimandum, habere quasi domesticum oraculum, à quo etiam in minutissimis quibusq; instruamur, & cuius ope tam multa pericula, quæ animæ nostræ imminent, effugiamus? Quamobrem hoc quidem omnino statuendũ est, siue vtilitatem, siue etiã iucunditatẽ animi, ac tranquillitatem quandam quæramus, nihil aptius, nihil accommodati⁹ inueniri posse; si quidem, vt ait Bernardus, dimittentes propriam voluntatem nihil
Ser.3. Resur. amittimus, immo & lucramur plurimũ, commutantes illã in melius. Commutamus enim eam in ipsius Dei voluntatẽ, in quo ipso magnũ quæstum facimus. Nostra enim plerumque inutilis, sæpe etiam damnosa, & distorta; illa semper sancta, semper iusta, semper optima. Et nos etiam errare possumus, erramusque sæpissime, nescientes quid petamus, aut quid velimus, & noxia pro vtilibus appetentes. Deus autem nihil velle potest, nisi quod electis suis melius sit, ac fructuosius; vt sine vlla dubitatione nihil nobis salutarius esse possit, quam vt nos totos, & omnia nostra eius diuinæ voluntati committamus. Est in hoc genere illustre exemplũ sancti Francisci, quod ad hæc omnia cõfirmanda magnopere pertinet. Cum enim aliquãdo hæc eum anceps cogitatio diutius torqueret, vtrũ se penitus solitudini, & contẽplationi traderet, an etiã proximorũ saluti, quod pro vtraq; patre rationes occurrerent, neque, vt solebat, super

hac

hac re vllam à Deo reuelationem accepiſſet,hoc inijt conſilium. Miſit ad S.Claram, & ad ſacras eius ſorores, miſit etiam ad Syluestrũ fratrem ſuum,qui tum in quodam mõte ſolitarius agebat,vt Domini placitum precibus inquirerent,ſibique indicarent. Redeuntem porro ab vtriſq; nuncium,quaſi à Deo venientem, Deique mandata ſibi deferentem,ita excepit.Primum enim manibus ſuis pedes ei lauit,deinde cœnam ipſemet instruxit, postremo etiam ex domo in proximum montem eduxit, quo cum veniſſet, aperto capite,genibus flexis,manibus etiã crucis ritu cancellatis, Quid, inquit,facere me iubet Dominus meus Ieſus Christus? Cum expoſuiſſet reſpõſum, vt proximis quoque operam nauaret,ita illud accepit,ita etiam exequutus eſt,vt illico nulla iniecta mora,ex eodem, vbi conſtiterat, loco,ac ne domum quidem reuiſens, tam rapide profectus ſit,vt nec ipſam viam quęreret,vadens per medios campos, denſaſque ſyluas,qua nullum iter patebat. Atque hoc quidem,vt accepimus,fecit Franciſcus;in quo facto multa inſunt ad rem noſtram documenta.Primum, quo studio inquirenda ſit Dei voluntas,etiam in iis operibus,quæ per ſe bona,atque honesta videantur,qua porro religione,& pietate accipienda,quanta alacritate peragẽda. Deinde, quod ſupra ſatis oſtẽdimus, quam valde nobis obſcura ſit in his tenebris Dei voluntas,cum vir tantus,tamque carus,ac familiaris Deo,in re tam laudabili,adeo grauiter, & diu hæſitarit.Denique docemur etiam,quæ via ſit ad cognoſcendum Domini beneplacitum aperte,ac ſine errore.Nam ille quidem,cum ſuperiore in ſuo ordine non haberet,coactus eſt etiam inferiorum conſilia requirere. Nos autem multo etiam certius per ſuperiores ipſos illuminamur, quibus Deus lumen ſuum certiſſime promiſit. Illi ad longinquos mittendum fuit,& de re magna,nos domi videlicet habemus;vnde omnia diſcamus non modo grauia, ſed, vt ante diximus,minutiſſima quæque, & leuiſſima: vt, ſi velimus, ne minimis quidem erratis locus relinquatur,ſed contra potius etiam in minimis rebus maximam gratiam, præmiumque conſequamur.

* * *

Septimus fructus, quod faciat vt Dei præcepta facilius seruentur.

CAPVT XIX.

NOn omittenda est etiam illa religionis vtilitas, quod Dei præcepta, tum Decalogo conscripta, tū alijs modis promulgata, adeo leuia reddit, & mollia, vt facillime, ac sine vllo propemodū labore omnia perficiātur. In quo sane illud mirum euenit, quod cum ad illa, quæ diximus, præcepta, religio deinde tot alia in speciē dura, & laboriosa adiungat, paupertatē, voluntatis, ac sensus mortificationē, vigilias, psalmodias, multasq; corporis vexationes, tamē hęc, quæ videntur difficilia, illorū præceptorum difficultatem non solum non augeant, sed etiā alleuent, vt, quemadmodum dixi, facillime perferantur. Cuius simillimū quiddam videmus in multis rebus, quæ arte, & ingenio efficiuntur. Nam in magnis nauigijs saburra, quæ magis grauare videtur, ita adiuuat ad cursum, vt sine ea ne nauigari quidem possit. Sic plaustrum sine dubio rotis ademptis multo fit leuius, quod celeritatem augere deberet: & tamen, si ijs careat, multo maiori labore trahitur, rotarū autem onere addito, imposita quæuis onera facile circumuehūtur. Confirmat hoc etiā Bernardus tum quadrigę exemplo, quod modo diximus, tum etiam pennarū, quæ in auibus, quodā videlicet singulari modo, & corpulentiorem, inquit, reddunt substantiam, & agiliorē. Mirum opus naturæ. Vnde grossescit materia, inde sarcina leuigatur, & quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere. Sic Bernardus, idque applicat ad cōsilia euangelica, quæ ille Christi onus appellat, quod non solum non onerat, sed & portat omnem, cui portandum imponitur: immo vero alia etiam præceptorū onera minora facit, & suauiora. Hoc autē quā valde commodum, & salutare sit homini, ex duobus cognosci potest, primū ex difficultate, deinde ex necessitate seruādi illa pręcepta. Nā necessitatē vel illud declarat à Domino dictū, Si vis ad vitā ingredi, serua mādata. ex quo sequitur, qui non seruet, ad mortē ire, & mortē sempiternā. Difficultatē autē illud indicat, quod has vias Propheta viās duras appellat: indicat etiam propria cuiusq; experiētia ex naturæ corruptione adeo propensę in malum, ex moribus deprauatis, ex malis aliorum exemplis, & ex ipsis mūdi legibus, quas, qui in

Marginal notes: Eph. 72. — Matt. 19. — Psal. 16.

in mūdo viuunt, vix effugere possunt: denique indicāt hoc etiam frequentes hominum lapsus,& peccata. Etenim quā pauci sunt in seculo,qui se à temerarijs iuramentis, à concupiscentia rei alienæ, à carnis lasciuia intactos seruēt, vt illa præcepta exigunt? atq; his ipsis paucis, quibus hoc Dei gratia dedit,quāto id labore,quanta cura, & contentione constare necesse est: Hæc igitur mala,in quibus pleriq; seculares misere pereunt,alijs autem,ne pereant, adeo sudādum,& laborandum est,religiosis certe nullum, aut prope nullum negotium facessunt. Sunt autem multæ huius rei causæ,& in primis ea,quam alio loco attigimus, & quæ sine dubio multarum vtilitatum fons est, quoniam religio omnium fere peccatorum materiā à sensib⁹ remouet, qua remota,facilis sane est diuinorū mandatorum obedientia. Habet enim nostra hæc voluntas flammam suam, eiusque flammæ fomes est præsentia rerum ipsarū, quæ sensui placent. Itaque,hoc fomite admoto, facilius flāma excitatur, eo remoto,vel non excitatur,vel multo segnius, & remissius; quod facit religio,dum nos è mūdo,eiusque illecebris segregat. Itaque recte S. Basilius,ob hāc ipsam causam,magni æstimandam esse ait religiosam vitam, quam appellat quietam,& negotijs vacuam,& adiutricem ad cōseruanda Euangelij dogmata. Altera deinde causa est illud robur, & illa fortitudo,quam animus religionis disciplina excultus paulatim acquirit,vt omnem oderit turpitudinē, honestatem & virtutem amet,nihilque magis detestetur, quā peccatum,non ob id solū,quia Deum offendit, sed quia per se deforme,ac fœdum est. Tertia ratio est,quoniā omnes fere hominum culpæ ex vno trium illorum fontium oriuntur,vel auaritiæ,vel ambitionis,vel incōtinentiæ, quia aut in his ipsis omnes peccant,aut vt ad hæc perueniāt. At hæc venena,ac pestes in religioso statu nullum habent locum, qui,his vitijs expulsis,contrarias potius inserit vi rtutes,idque vnum, aut certe præcipue profitetur, pro re rum temporalium cupiditate paupertatem, pro domina ndi desiderio,obedientiæ humilitatem; pro omnis turpitu dinis fœditate,castimoniæ florem. Accedit etiam illud, quod religiosi maioribus studijs assidue exercentur,ex quo fit,vt minora illa agilius efficiant. Vt enim, si quis ita se assuefecerit, vt centum pondo quotidie ferat, huic deinde si decem pondo ferre contingat,pro nihilo id æstimat; sic religiosus quisque, qui suum omne patrimonium reliquit,& abiecit, quanto

In pro-œm. reg. fus.

quanto facilius animum inducet,vt aliena non rapiat, aut cõcupiſcat?Et cum portando obedientiæ iugo aſſuetus ſit, quomodo graue,aut durum ei videri poſſit,ambitioni, & honorũ deſiderio reſiſtere?quod idem quoque de alijs omnibus dici poteſt,quæ diuina lege vel vetantur, vel præcipiuntur.Atque hoc illud eſt,quod aliquando docuit Euſebius ille,vir ſanctiſſimus,de quo ſcribit Theodoretus in Religioſa hiſtoria. Hic enim,cũ ſemel in agricolas quoſdã arãtes curioſiꝰ oculos defixiſſet,ſe ipsũ ita puniit,vt,ferreo collari ceruicibꝰ iniecto,cathenaq; ad renes alligata,caput ſemper depreſſum tenere cogeretur; in quo ſupplicio quadraginta totis annis durauit,quibus nũquã ſe erexit nũquã cœlũ vidit.Cum autem quæſitum eſſet ab eo,cur ita faceret,& quam ex eo vtilitatem quęreret,hanc reſpõdit, quod Satanam hoſtem à magnis prælijs,vt de libidine,aut ſuperbia,ad illa parua traduceret,in quibus etiamſi vinceretur, non magnum eſſet damnum:ſin vinceret,eo maius Satanæ probrum,qui ne in paruis quidẽ poſſet eſſe ſuperior. Præclarum dictũ,& ſpirituali,ſanctoque homine dignũ: quod idem in eo,quod nũc agimus,valere debet, vt oſtendatur, ideo religioſos longe abeſſe à præceptis Dei violãdis, quoniam minora quæque ad Dei obſequiũ pertinentia tana ſtudio obeũt.Denique illa etiam eſt cauſa, quæ in ipſo ſtotu inſita eſt,quia nimirum ſtatus eiuſmodi eſt, vt ſupra legem emineat, ideoq; hominẽ quoque ſupra legem euehat. Itaque hic etiam fit quod videmus vbi plures ſunt diſcipulorum claſſes pro eorum profectu, ac doctrina diſtributæ,in quibꝰ,qui ſuperiores ſunt claſſe,iis facillima ſunt ea, quæ minores ordines vel facere non poſſunt, vel ægre, & male faciunt.Simillime enim, qui altiorem hanc viam ingreſſi ſunt,iis cõmunia illa præcepta tam leuia videri ſolent,vt ne ſentiant quidem,quoniam,vt dixi, maiores habent vires,eaſque vires ſtatus ipſe ſuppeditat.Itaque etiãſi hoc vnum præſtaret religio,vt nos confirmaret ad has Dei leges,& mandata perpetuo,& facile,& iucunde, ac fere citra omnem periculi aleam exequenda,hoc vnum maximum quoddam eſſet bonum. Quanto enim hoc magis efficit,tanto certius, & melius viam nobis munit ad cœleſtem gloriam,ad quam mandatis illis ſeruandis peruenitur.

Octauus

Octauus fructus ex ipsa humilitate, & abiectione status.

CAPVT XX.

HAbet etiam Religio aliud commodum valde salutare, quod nos in eo statu ponit, qui ab omni humana gloria remotissimus, ac, si externa ista spectemus, omnino humilis, potiusq; infimus est; vt ea quasi religiosi, cuiusq; videatur esse posse professio, Elegi abiect⁹ esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorũ. Nam & religio, vt alibi à nobis dictum est, vere Dei domus, Deique familia est, & hæc abiectio religiosorũ recte ab eis eligi dicitur, quia nõ eiusmodi est, quã vel generis conditio, vel necessitas afferat, sed quæ spõte, atq; vltro ab eis suscipiatur. Hoc vero tale, ac tantum bonũ est, vt Bernard⁹ hoc ipsum pro expresso diuinæ prædestinationis argumẽto accipiendũ putet: sic enim in sermone quodã fratribus suis loquitur, Quis scit, inquit, si omnium vestrũ, quos hic video, nomina scripta sunt in cœlis, & in libro prædestinationis annotata? Vocationis enim, & iustificationis vestræ aliqua mihi signa videor intueri in conuersatione tãtę humilitatis. Propterea dilectissimi perseuerate in disciplina, quã suscepistis, vt per humilitatẽ ad sublimitatẽ ascẽdatis; quia hæc est via; & nõ est alia præter ipsã. Qui aliter vadit, cadit potius, quia sola est humilitas, quæ exaltat, sola quę ducit ad vitã. Igitur, si Bernardo fidẽ habemus, non modo nõ est quod secularibus suos magistratus, ac purpuras, & popularẽ illum splendorẽ inuideamus; sed potius hoc ipsum magnũ quoddã bonum reputandũ est, maximeque gloriosum, quod à gloria absim⁹; quoniam hæc humilitas nõ solum certa, sed etiam, vt ipse ait, sola est via, quæ ducit ad æternam salutẽ. Habet enim hic status humilis, atq; ignobilis tria præcipua cõmoda, atque, vt ita dicam, priuilegia. Primum, quod hic est Dei mos; & quasi institutum, vt eiusmodi statũ maiorem in modum diligat, eique familiarius, suauius, largi⁹ se ipsum, suosque vberrimos thesauros impertiat. In quo sane mirabile quiddã contingit, quod Dauid, etiam indicauit, dicens, Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Nã cũ similitudo in omnibus amorẽ, & coniunctionẽ conciliet, tamen nescio quo modo hoc videmus, Deum, qui tam immẽsus est, infimi, ac pusilli cuiusq; amore, & consuetudine maxime delectari, contra

Psal. 83.

Serm. 2. Ascen.

Psal. 137.

contra vero alta,& sublimia à lõge,& quasi procul cognoscere. Alterũ huius vitæ cõmodũ est, quod ad æternã gloriam, comparandã nihil ferme aptius inueniatur. Etsi enim omnes homines ad illam felicitatem facti sunt, isque vnus est omnium finis, ita tamen ab illo iustissimo, rectissimoq; arbitro constitutum scimus, vt tanta illa prçmia non gratis omnino donarẽtur, sed potius, vt sic loquamur, aliqua mercede venderentur, ea vero merces, ac pretium in rerũ contrariarũ tolerantia consisteret. Itaque cum in illa beatitu-
Matth. 5. dine insit perfectissima satietas, hanc satietatẽ esuriendo, & sitiendo acquiri voluit: cum insit summa, & maxima cõsolatio; hanc consolationẽ ijs tantum promisit, qui hinc lugerent: cum insit omnis diuitiarum copia, ad eas diuitias per paupertatem perueniri voluit. Quod igitur in alijs bonis, quæ in regno illo continentur, idem etiam fecit in hoc bono illius gloriæ, & illius honoris infiniti, vt humilitate, & contemptu esset acquirendus; de quo, ne nobis dubitare liceret, extat illa tam expressa, tamque generalis Domini
Luc. 14. ipsius sentẽtia; Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Tertia denique vtilitas, vel maxima hæc est, quod in eiusmodi vita multa effugiuntur impedimẽta, & tãquam pestes animæ, virtutumque omnium, quibus plena est vita honorata, & gloriosa: cõtra vero multa acquiruntur veræ, æternæque salutis adiumẽta. Prorsus enim id accidit in hominum vita, & statu, quod ijs, qui arborum, vel domorum fastigia conscendunt, vt si cadãt, grauissime collidantur, multo autem facilius cadãt, vno videlicet pede, aut manu fallente; quæ ne fallant, vix satis caueri, & prouideri potest: cum contra, qui in ima terra ingrediũtur, nihil ijs periculi immineat, quoniã nec tam facile, nec tam grauiter cadũt Sic enim qui honorũ gradib⁹ eminent, ijs non solum in ipso scandendi conatu, sed etiã in illa altitudine, magna, & certa imminent pericula, prçsertim cũ & multi sint impulsores, & ipsa per se natura grauis, & ad lapsum procliuis. Qui vero humi, & in humilib⁹ se cõtinent, nõ ambulãtes in magnis, neque in mirabilibus super se, ij fere tuti, atq; securi sunt. Multa sunt huius rei in vtrãque partẽ exempla, sed illud celebre, ac notissimum, quod
1. Reg. 15. in Saule primo Iudçorum Rege demonstratũ est. Hic enim dum priuatã vitam egit, semper in oculis suis paruus fuit, nẽpe statu ipso humili ad humilitatẽ adiuuante: idem vero ad regnum euectus in tantã insolentiam, arrogantiamque

erupit, vt facile inter sceleratissimos quosq; reges numerari possit. Itaque qui antea etiam æmulos, atque inimicos vltro ad cædem à populo postulatos seruauit, postea etiam amico, & genero impias manus inferre conatus est. Quæ cum ita sint, facile iam apparet quantum, quamque expetendum hoc quoque sit religionis bonum, quæ nos procul ab hominũ oculis, & à mundana gloria remouet, & in sanctis, & salutaribus quibusdam latebris retinet, vt & nos mundum ignoremus, & vicissim ab illo ignoremur. Hoc enim illud est, quod Bernardus quasi magnum, & necessarium consilium ex ipsa Saluatoris nostri vita scriptum reliquit, duobus quidem verbis præceptum, sed tamen latissime patens, ac multa complectẽs, Ama nesciri. Sed ista quidẽ obscuritas ita gloriosa est, vt multo præstantius sit hoc modo delitescere, quam ab hominibus celebrari, & in hominum ore, & laudibus versari. Nam quo quisque magis pro Dei obsequio in obliuione hominum est, eo magis viget in Dei memoria; & hoc ipsum, quod ab oculis mortaliũ despiciatur, multo ei ampliorem gratiã apud Deum, Deique Angelos conciliat. Quod vtrũq; complexa videtur sacra Scriptura, cum ait, Deridetur iusti simplicitas, lãpas cõtempta apud cogitationes diuitũ, parata ad tempus statutum. Quem locum Gregorius interpretans, Bene, inquit, iusti simplicitas, & lampas esse dicitur, & contempta: lampas, quia interius lucet: & contempta, quia exterius nõ lucet. Intus ardet flamma caritatis, foris nulla gloria resplẽdet decoris. Lucet ergo, & despicitur, qui flagrans virtutibus, abiectus æstimatur. Quis non igitur tãto præmio proposito malit esse ex illis contemptis, vt intus luceat apud Deum, quam ex ijs, qui foris lucentes, intus obscuri sunt? Itaque videtur mihi religiosus quisque, ob hanc maxime causam, veteris illius tabernaculi simillimus ex Dei mandato, atque ex Dei typo fabrefacti, quod cum intus inauratis tabulis, & cortinis hyacinthinis, ac purpureis, aureisq; ansulis reniteret, exterius tamẽ eius operimẽtum ex cilicinis sagis, arietũq; pellib⁹ vile quiddam, ac sordidũ etiã ostẽtabat. Sic enim anima quæuis Deo deuota, & consecrata, multis illa quidẽ spiritualib⁹ donis diues est, castitatis, patiẽtiæ, obediẽtiæ, & aliarum virtutum; sed hæc omnia externo illo habitu vili, ac despicabili cõtegũtur, quod tamen ad bona illa diutius cõseruãda magnopere confert: quoniã tum optime custodiũtur, cũ maxime latent, vt contra

Serm. 3. de Nat.

Iob. 12.

10. Mor. 17.

Exo. 26.

tra cum in hominum conspectu ponuntur, vix à latrũculis custodiri possunt. Hi autem latrũculi sunt, præter alios, ipsi oculi, & linguæ hominum, qui eo ipso, quod vident, & laudãt opera nostra bona, sæpe vel omnino, vel magna ex par-
Matt. 6. te euacuant gloriam nostrã, vt nobis quoque dicatur, Re-
Qui habitat. cepisti mercedẽ tuam. Iure igitur Bernardus hoc etiã affirmat, hanc esse vel præcipuam causam religiosi stat⁹ ample-
Ser. 4. ctẽdi, ob ingentem vtilitatem, quæ percipitur celandis no-
Matt. 13. stris bonis: sic enim ait, Necesse est abscondere interim, si quid habemus boni, quoniam thesaurum regni cęlorum, qui inuenit, homo abscondit, propter quod etiam corporaliter in claustris, & in syluis abscondimur. Et, si scire vultis quantum in hac absconsione lucramur, credo nullum hic esse, qui si quartam partẽ eorũ, quæ facit, in seculo actitaret, nõ adoraretur vt sanctus, reputaretur vt angelus: nunc autẽ quotidie tamquã negligẽs arguitur, & increpatur. Parum ne hoc lucrum ducitis, quod non reputamini sancti, antequam sitis? An nõ timetis, ne forte, hic vili hac mercede recepta, in futuro mercedem non habeatis? Necessaria est ergo hęc absconsio, non solũ ante oculos aliorum, sed etiam multo magis ante te ipsum. Hęc quidem Bernardus.

Sed non deerũt fortasse hoc loco qui obijciant, etiã intra ipsa religionis claustra sæpe euenire, vt multorum vel doctrina, vel eloquentia, vel etiam virtus ipsa, & sanctitas ita emineat, ac luceat, vt cũ omniũ admiratiõe celebretur, idque plerũq; eueniat, vt multi plus nominis, atq; existimationis, & famæ in religione consequantur, quã si seculũ ipsum, & seculi ambitionẽ sequuti essent. Est id quidẽ; ac de hoc ipso, quicũq; est, religionis splendore plura à nobis infra differentur. Sed hoc in præsenti statuendũ, hoc honoris genus, qui tamquã vmbra fugientes sequitur, minime periculosũ esse, quoniã Deo auctore defertur, & ideo ad eundem Deũ pertinet, cui id tamquam onus imponat, ei vires tribuere ad ferendũ sine iactura, ac potius cum accessione aliarũ virtutũ. Nam hic quoque inter reliquos obedientiæ fructus est certissimus, vt qui in ea viuunt, quodam quasi diuinæ gratiæ antidoto ita præmuniat, vt iis hoc honoris venenum nocere non possit. Declaratum est hoc manifeste admodum in B. Thoma Aquinate, cuius exemplum ad omnes item religiosos, quando in eadem causa sunt, trãsferri debet. Hic enim cum Lutetiæ theologiam magna cũ laude doceret, itaq; visum esset eius superioribus, vt doctoratus etiam

etiam laurea insigniretur, ille pro sua modestia valde recusare cœpit eum honorem, prætendere tum doctrinæ, vt ipse quidem de se sentiebat, tenuitatem, tum etiam ætatis adolescentiam, vt qui nondum vigesimum complesset annum. In qua cogitatione versans nocte quadam visus est videre, cum ob hanc causam vberius fleret, astitisse sibi virum vultu graui, & venerabili, qui eius tristitiæ causam sciscitatus, iussit illum secure, & intrepide maiorum suorum iussa exequi; eam enim esse ipsam Dei voluntatem: quin etiam admonuit, vt pro orationis, quam in eo gradu accipiendo habiturus erat, themate, illum psalmi versiculum acciperet, Rigans montes de superioribus suis. quibus ille ita confirmatus est, vt omnem timorem, ac trepidationem deponeret. *Psal. 103* Accedit etiam alterum præsidium ad conseruandam inter ipsos honores religiosam humilitatem, quod quicquid est gloriæ, non tam id in singulos quosque, quam in Deum primum redundat, deinde in ordinem ipsum, cui inscripti sunt. Vt enim corpore, etiamsi manu aliquid fiat operis, nō tamen eius laus manui, sed homini tribuitur, atque in exercitu victoria paucorum virtute parta non in illis paucis residet, sed cum toto exercitu communicatur, isque totus victor appellatur: sic quod in familiis religiosis ab vno bene geritur, ille quidem suo se loco, ac gradu continet, eius autem honor ad vniuersam, cuius ille pars est, familiam deriuatur. Sic fit igitur, vt etiam in publicum prodiens, tamen adhuc lateat, & cognitus ignoretur, & in mediis honoribus demissionem suā numquam deserat. Atque id quidem vtrumque fructuosum, vel potius necessarium est. Nam si semper religiosi delitescerent, quam vtilitatem, quámve operam huic militanti Ecclesiæ nauarent? sin autem illo plausu, popularíque aura caperentur, hoc etiam ipsum præter cetera impediret, ne Ecclesiæ fructuosi essent, quoniam quasi cymbalum tinniens, inanem, sterilémque strepitum in hominum auribus ederet.

Nonus fructus, quod Religio sit Schola virtutum.

CAPVT XXI.

SEQVITVR nunc alius Religionis fructus, isque maximus, & saluberrimus. Vt enim variæ sunt disciplinæ, litterarum, armorum, aliarúmque artium, eæque singulæ suos habent magistros, sua etiam gymnasia, vbi tractantur, exercentur, & addiscuntur, sic virtutum disciplina in religione traditur; vt, si religionem definire velimus, iure eam virtutis

scholam appellare possimus. Sed vt hoc eius beneficium illustrius sit, quædam proponenda sunt, idque in primis, quam anima nostra, si per se inspiciatur, omni virtutum ornamento deserta, & orba sit. Aristoteles quidem, quem S. Thomas ipse in hac materia morali, pene vt interpretes, sequutus est, hoc ipsum aperte scripsit, nullam nobis omnino à natura inesse virtutem, idque pluribus argumentis confirmat. Nos hoc etiam addere possumus ex lumine fidei, quod ille non vidit, non modo illam virtutem nobiscum ingenerari, sed multam corruptionem, & deprauationem, & in summa magnam ad vitia omnia propensionem, & impetum: nisi quod cum his malis duo tamen bona manent, primum inclinatio quædam ad virtutes ab auctore naturæ, qui eam bonam fecerat, inserta, deinde initia quædam, ac semina harum virtutum, quæ si adolescere sineremus, atque aliquo studio à nobis promouerentur, facile ad suam maturitatem peruenirent. Ex quibus breuiter positis duo sequi necesse est, vtrumque ad rem nostram magnopere pertinens: primum quanta sit fœditas animi virtutibus destituti. Nam, vt in corpore, si plura desint membra, aut si in ea permaneat breuitate, quam in sua origine accepit, monstrum plane sit turpe, & inutile: sic animo si virtutes desint, quæ sunt quasi eius partes, mutilum, imperfectúmque esse necesse est, ex quo intolerabilis sequatur in eo prauitas, & deformitas. Alterum deinde huic consequens est, quæ ratio, aut quæ via non solum optima, sed etiam vnica, & necessaria sit ad virtutes in animum, quibus eum spoliatum esse diximus, inducendas. Hanc vero Aristoteles idem nullam aliam esse affirmat, quam earum officiis, & actionibus exercendis; quod contra, inquit, fit à plerisque, qui, quod de virtutibus disputant; satis id putant sufficere vt earum compotes fiant. In quo vehementer errant, similésque sunt iis ægrotis, qui medicorum quidem præscripta diligenter audiunt, sed ea deinde non obseruant. quare vt hi corpore numquam valebunt, sic illi numquam animo. Hæc Philosophus ille, & vere. Cum enim virtus ex habituum genere sit, habitus autem non gignatur nisi actionibus frequentatis; eandem quoque oportet esse ipsius naturam; vt sola eam consuetudo, & vsus acquirat. Atque hoc quidem in morali genere; nullam habet dubitationem. Sed idem ferme etiam dici potest de Theologicis. etsi enim hæ primum diuinitus infunduntur, tamen & antea (infantibus, cùm baptizantur, exceptis) aliquid

2. *Ethic. cap. 1.*

2. *Ethic. cap. 4.*

præpara-

præparationis requirunt in animo, quod fit per actiones, & postea etiam quam infusæ sunt, tamen iisdem actionibus augentur, & roborantur. Itaque in omnibus plane virtutibus locum habet, quod à Bernardo in humilitate positum, ad reliquas etiam, quando eadem est omnium causa transferendum est. Humiliatio, inquit, est via ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis; nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem prouchi Cum igitur hoc certum, ac stabilitum esse debeat, virtutes labore, ac studio, & vsu acquirendas esse, hoc etiam eadem euidentia certum erit, statum illum, qui commodiorem & crebriorem afferat materiam virtutis exercēdę, vtiliorem, ac salubriorem esse. Hunc autem, sine vlla dubitatione aut hæsitatione, ausim affirmare inter omnes status esse religiosum statum, in quo omnes virtutes assidue vigent, & in perpetua ferme actione continentur. Nam de charitate quidem in Deum primum, deinde in proximos, nihil attinet dicere, cum & nihil aliud agatur in religione, quam vt semper crescatur in Dei amore nec inter homines vlla esse possit maior coniunctio, quam sit inter religiosos, qui, vt sunt, ita etiam appellantur fratres, tanquam ex vno omnes vtero geniti. Idem dici potest de obedientia, qua virtute nulla pars religionis vacat. Idem de humilitate, quæ adeo frequens est in hac vita, vt tota ferme ex humilitate composita videatur: quam ob causam merito à Bernardo schola humilitatis appellatur. Nam & status ipse is est, vt, si eum mundi iudicio metiaris, nihil abiectius, & contemptius iudicetur, nempe in paupertate, in incommodis, in obscuritate: & ad hanc status conditonem sua etiam munera infima, ac pene seruilia consequuntur. atque, vt vno verbo dicamus, omnia, quæ sunt in religione, habitus, locus, officia, occupationes, humilitatem, redolent, humilitatem inspirant. Qua de re præclare Chrysostomus in concione quadam ad populum Antiochenum, vbi multa alia in laudem religionis & illa præsertim, Illic inquit, hanc humilitatis altitudinem intuebimur. Nam ipsa domus, vestes, ministeria, quasi litteris quibusdam impressis, humilitatem prædicant: & quæ superbiæ fomenta sunt, bene vestiri, splendide habitare, multos famulos habere, quæ sæpe etiam nolentes in superb.am efferunt, hæc ab illis omnia remota sunt. Ipsimet ignem accendunt, ipsi lingua comminuunt, ipsi coquunt, ipsi

Epi. 85.

Hom. 4. Missus est.

Hom. 58

miniſtrant: nullus ibi magnus, nullus paruus, non quod ibi ſit confuſio, ſed perfectiſſimus ordo; ſed quia, licet quis paruus ſit, magnus hoc non reſpicit, immo vero etiam illo ſe inferiorem exiſtimat, & ita maior efficitur. Hæc Chryſoſtomus: quæ autem ab illo de humilitate, eadem dici poſſunt de aliis virtutibus, quarum omnium officia ſunt in religione frequentiſſima. In quo quidem non vtilitas ſolum, ſed etiam ſuauitas quædam huius diſciplinæ admirabilis videri debet, quæ non nudis præceptis informando (quamquam ne hæc quidem deſunt) verum exercitatione quoque, quam diximus, adhibita, pedetentim, ac ſenſim nos ad virtutem aſſuefacit, ac per opera ipſa, eiuſque actiones, quaſi manu deducit ad perfectionem ſine magno labore, magno autem noſtro bono. Quin illa quoque vtilitas, ac commoditas eſt in religione, quæ communis eſt omnibus artibus in ſuo cuique genere. Nulla enim eſt ars, non dico ex nobilioribus, ſed ex ipſis mechanicis, & plebeis, in qua non egregium putetur excellere, præſertim inter eos qui eam artem profitentur. Itaque inter ipſos fabros, & opifices, illi præ ceteris laudantur, & in pretio ſunt, qui in ſuis quique ſtudiis præſtāt: & quarum rerum profeſſio per ſe ignobilis eſt, in iis tamen aliquid excellentiæ nactum eſſe laudabile videtur. Sic igitur in religioſa diſciplina, eóque magis in hac, quo nobilior, meliórque eſt, quippe quæ tota in virtutem excolendam incumbit, qui id ardentius faciant, maiorique progreſſu, eos ab omnibus commendari, ac præcipue ſuſpici neceſſe eſt: vt, quoniam hoc quoque ſtadium quoddam eſt, in quo ad perfectionem curritur, qui velocius currat, ei plauſus ab omnibus detur. Quod quidem an paruum eſſe putamus ad curſum incitamentum? Sentiunt hoc ſeculares, quibus inter alia impedimēta hoc quoque vel maximum obiicitur, quod eorum conatus ad pietatem non modo non ſecundis hominum iudiciis adiuuantur, ſed ſæpiſſime in aliorum vel maleuolos ſermones, vel irriſiones, ac ludibria incidunt, ad quæ ſuſtinenda, vel contemnenda, infirma eſt omnino natura noſtra. Itaque bona hominum pars hoc metu retardatur, ne quod bene agendum intelligit aggrediatur: alij poſtquam aggreſſi fuerint, tamquam aduerſo flumine remigantes, breui fatigātur, illáque brachiorum cōtentione remiſſa, retro deferuntur. At inter religioſos nihil horum, ſed omnia potius contraria. Vt enim antea dicere cœperam, quoniam hoc ipſum profitentur, ſe ex virtute viuere, qui in hoc maxime excellāt,
maximi

maximi ab omnibus fiunt, omniúmque æstimatione, & iudiciis approbantur. Quare cum se eorum quispiam ad infima munera, & ad famulares quasuis functiones demiserit, nihil timendum est, ne à suis despiciatur, aut, vt Dauid olim à Michol vxore, reprehendatur: quin potius eo maiorem laudem, & gratiam apud omnes consequetur, quo id diligentius, & alacrius fecerit. Damascenus vir diues, & nobilis, ac magistratibus etiam gestis clarus, ad monasticam disciplinam se receperat, in qua cum seni cuidam traditus esset, visum est, huic primum, ac præcipuum in eo humilitatis fundamentum ita iacere, vt eum infimis quibúsque perfungi iuberet, ollas tergere, verrere sordes, scaphia purgare, omnia denique obire seruilia ministeria, insuper etiam; quasi nullam rem recte ageret, crebra eum reprehensione, atque obiurgatione tentare: in qua eum ratione menses aliquot exercuit, tanto eius profectu, quantum deinde totius vitæ sanctitas declarauit. Sed tamen tantum abest, vt illæ infimæ, ac sordidæ etiam, si per se spectentur, functiones aliquam Damasceno inter suos notam pepererint, vt potius id ipsum magis eum illustrauit, admirantibus omnibus, & in cœlum ferentibus talem in tanto viro & mundi, & sui ipsius despicientiam. Ac ipse quoque senex, qui ista imperitando seueriorem personam induerat, vbi maturum esse vidit, hilariter eum, iucundéque complexus, & tantum ei profectum gratulatus, cum multis laudibus à sua disciplina tamquam rude donatum dimisit. Neque vero hoc tantum intra religionis ipsius septa valet, vt liceat nobis, nullo aduersante, omnibus approbantibus, humilitati, mortificationi, orationi operam dare, sed in oculis quoque externorum, ac secularium. Qui enim hâc vitam ingressi fuerint eos, deinde, si hæc opera exercere videant, non solum non contemnunt, sed laudant, atque etiam suspiciunt iidem illi, qui fortasse eadem opera in secularibus sui similibus ferre non possent, tantum nobis licentiæ dat hic status ad omnia bona, nullo interpellante, peragenda. Satis igitur dictum est de schola, & de condiscipulis. restat nunc de magistro, qui quidem in hac schola est duplex, alter qui oculis cernatur, id est, superior ac præpositus, de quo alias dicemus, neque ita multo post; alter inuisibilis, qui mente tantum, ac intelligentia percipitur, & intelligitur, qui quidem ita verus est magister, vt potius ipse solus sit, Sic enim ait veritas ipsa, Ne vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Hic igitur nullum officium,

2.Reg.6.

Mat.23.

nullamve partem omittit boni, ac seduli præceptoris. Nam rudes informat, proficientes prouehit, perfectis altiora lumina impertit. Idem etiam modo errantes arguit, modo languentes exstimulat, modo etiam mœstos, aut fatigatos recreat, solatur, erigit. Denique, vt eum Thomas de Kempis, bonus in primis auctor, de se loquentem facit, duplici quotidie schola discipulos suos exercet, vel castigando, & corripiendo, si quid à via deflectant, vel animando, & confirmando, vt non deflectant, potiusque semper alacrius procedant. Quid igitur deesse possit religioso, tali magistro, tantaque commoditate eum audiendi, & exequendi eius præcepta? Nam quod vnum timeri fortasse possit, ne sibi ipse desit, id quoque ipsum ad magistri huius prouidentiam, ac curam pertinet, vt non eueniat. Etenim homo quidem homini doctrinam impendere potest, voluntatem autem discendi, aut ingenium, si desit, conferre non potest: huic vero facillimum est, ipsam quoque voluntatem, ac facultatem etiam proficiendi, quibus velit, impertiri.

3. de im. Christ. cap. 3.

Decimus fructus ex vberiori influxu gratiæ.

CAPVT XXII.

HÆc commoditas proficiendi in spiritu, & eundi de virtute in virtutem, de qua modo dixi, est ea quidem plena salutaris vtilitatis, sed tamen studium, exercitationem, laboremque requirit. Ideo enim scholam appellamus, in qua nihil profici potest sine attentione, atque etiam contentione. Quare multo maius est id beneficium, de quo nunc agemus, quo videlicet multa alia spiritualia bona non nostro labore, ac conatu acquiruntur, sed ab ipso statu vltro nobis quasi in sinum congeruntur, quæ bona, quamquam varia, ac longe, lateque patentia, vno generali Gratiæ nomine comprehenduntur. Hoc enim nomine omne id genus continetur, quod est supra naturam, nostramque salutem æternam vel omnino efficit, vel aliqua ex parte adiuuat, & promouet. In quo genere prima est qualitas illa cœlestis, quæ in anima inhærens, nouam ei vitam, nouamque essentiam tribuit diuinæ similem: deinde sunt habitus illi sancti, qui à Deo infunduntur, vt fidei, vt spei, aut aliarum virtutum, etiam moralium: postremo sunt intimi afflatus Spiritus sancti, siue ad mentem illuminandam, siue ad voluntatē incitandam, atque roborādam. Quæ duo posteriora genera quamquam & dignitate, & efficientia longe distent ab illa qualitate,

qualitate; quæ animam Deo gratam, Deique amore dignã facit,tamen ipſa quoque vim habent ſupernaturalem, vtque dixi, magnopere conferunt ad illum diuinum habitum, in quo animæ vitam conſiſtere oſtendimus, vel efficiendum, vel ſi iam effectus ſit, augendum, ac multiplicandum.Quare cum tanta ſit totius huius gratiæ tum neceſſitas, tum præſtantia, nihil maius dici poteſt de laude, & vtilitate cuiuſpiam ſtatus, quam hoc, quod quãplurimas habeat vias ad eius quam maximam abundantiam hauriendam: quod quidem in religioſo ſtatu agnoſcendum,& prędicandum eſt. Etenim,ſi conſiderare voluerimus,quatuor in ipſo fontes reperiemus,ex quibus ea manat,fluitque vberrime.Primus autem fons eſt ipſiuſmet ſtatus natura, ac vis. Hic enim cum ſit ex genere ſupernaturalium, & inter cetera ſupernaturalia tantopere emineat,non ſolum gratia conſtat,ſed magna etiã gratiæ copia; quam gratiam, & quam copiam religioſo aduenire neceſſe eſt vna cum ipſo ſtatu.Nam cum religioſa vita, atque ipſa religionis ineundæ voluntas tam multa contineat, contemptum in primis omnium rerum terrenarum,odium diuitiarum, honoris gloriæ humanæ, deinde amorem caſtitatis,& continentiæ perfectiſſimæ, tum abnegationem propriæ voluntatis, ſtudium humilitatis, deliberationem multa,& grauia perferendi,crucisque complectẽdæ,& portandæ,denique reſignationem totius vitæ,,ſuique ipſius traditionem perfectam,& perpetuam,rem ita arduam, & difficilem; cum igitur ex his,& alijs eiuſmodi plurimis tota hæc diſciplina compoſita, & quodammodo conflata ſit,ſequitur vt Deus, cum religioſam vocationem inſpirat, hæc etiam omnia ſimul inſpiret,ſimulque omnia largiatur.Quod ſi ita eſt,quid maius,aut melius eſſe poteſt hoc ſtatu,in quo tot dona, tot chariſmata, adeo ſalutaria, adeo etiam neceſſaria, vltro,& gratis deſeruntur, & ita deferuntur, vt non tam in ſingulis acquirendis laborandum ſit,quam ſinus animæ laxãdus, & expandendus ad ea accipienda, ac deinceps fruenda? Fit enim hic quoque quiddã ſimillimum, vt cum ſtatua ex ære funditur,quæ tota ſimul,& integra funditur,cum brachijs,& cruribus,& reliquis omnibus partibus, nec aliud ſupereſt,niſi vt ad eam expoliẽdam lima adhibeatur,aut particulæ fortaſſe aliquæ,ſi quæ imperfectiores remanſerint,ſuppleantur. Verum hic quidem minimus eſt labor,cum ipſius corporis maſſa tota iam conſtet. Sic enim cum diuinus ille ſpiritus nos ad religionem vocat,ipſe hoc ſuum tam præcla-

rum, ac ſupernaturale opus in nobis efficit; quod opus, cum vt diximus, omnia, quę ad religioſæ vitæ profeſsionem neceſſaria ſunt, neceſſario complectatur, nimirum hæc quoque omnia ab eodem Spiritu in nobis effici neceſſe eſt. Quare ne nobis quidem aliud in tota vita agendum reſtat, niſi vt hæc dona de cœlo data expoliamus, & perficiamus, atque in dies augeamus; quod tamen ipſum eadem vocationis gratia tribuit. Hæc enim gratia ſua illa beneficia vniuerſa ſecum inuehit, & importat in animā, atque vt ab initio importat, ſic deinceps ſemper tuetur, & conſeruat, vt in hoc quoque fontis ſimilitudinem habeat perenniter fluentis.

Pſal. 1. Quamobrem iure, & vere religioſam animam dicemus lignum illud, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, id eſt, gratiæ huius tam multiplicis, ac multiformis, quæ tanta *Apocal. vlti.* copia decurrit, vt fluminis more (eſt enim fluuius aquæ viuæ qui procedit de ſede Dei, & Agni) numquam ceſſet, ſed vt vnda vndam, ſic gratia gratiam ſubſequatur: ex quo etiam illud in eiuſmodi anima ſequitur, vt det fructus vberrimos in tempore ſuo, nullumque eius folium defluat, & omnia quæcumque faciat, proſperentur.

Mat. 18. Alter huius gratiæ fons is eſt, quem ipſa Veritas indicauit, cum dixit, Vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Nam Dominus, etſi multæ ille quidem miſericordiæ eſt, diueſque in omnes, qui eum inuocant, tamen hanc ipſam miſericordiam, ac diuitias largiꝰ aperit ijs, qui in aliorum cœtu conuiuunt, ſancto caritatis *In vita S. Ioſaphat.* vinculo colligati. itaque merito Damaſcenus diuinum hoc, vt ipſe appellat, oraculum in religioſis proprie, & vere cōpleri confirmat: neque quod duos, vel tres dixit, idcirco maiorē numerum excludi, ſed eo numero finito indefinitū quemuis ſignificari. Immo vero, ait Baſilius, ſi hoc Dominus promiſit, *Conſt. Mon. c. 15.* vbi duo, vel tres fuerint cōgregati, multo veriſimilius eſt, idē facturum, vbi multo copioſior, ac frequentior hominū multitudo congregata ſit. Ex quo is etiam veriſſime argumētatur, ſi Chriſtus nobiſcū affuerit, nihil nobis deeſſe poſſe, quē admodum Iſraëlitis in vaſta ſolitudine, propter Dei præſentiam, nihil vmquam defuit. Cum igitur ſe Saluator in medio religioſorū fore, & ſemper fore pollicetur, vno verbo omnia, quæ optari poſſunt, pollicetur, lumen in obſcuritate, robur in infirmitate, ſolatium in mœrore, dolorū ſi qui ſint abſterſionem, victoriam in dæmonum prælijs, conſtātiam, ac firmitatem animi, acceſſionem virtutum: denique quod bonum nō

habeant,

habeant, qui cum habeant, in quo sunt omnia bona? Sed huius promissi magnitudo eo magis apparebit, si eius etiam causam inquiramus. Causa vero hæc est, quod religiosi cœtus nullo alio vinculo colligantur, quam caritatis. Non enim natura, non propinquitas, nec alicuius studij, vel disciplinæ similitudo, qualis est inter milites, & mercatores, eos coniunxit, sed vna, vt dixi, caritas. Atqui, vt docet Ioannes Apostolus, Deus ipse nihil est aliud, quam caritas: ex quo sequitur, quod idem etiam Apostolus adiunxit, vt qui manet in caritate, in Deo maneat, & Deus in eo, & inter quos caritatis glutinum intercedat, inter eos etiam Deus ipse intercedat. Sic fit, vt non modo Deus religiosæ cuius sodalitati præsens adsit, sed multo propius, multoque interius adsit, quam alter alteri, qui in ipsa sodalitate conuiuunt; vt cum lapides calce colligantur, calcem ipsam ijs coniunctiorem esse necesse est, quam lapidem lapidi. Et quidem si ad Christianos vniuersos hæc Saluatoris pertinet promissio, qui iam nihil ferme commune habent præter fidem, & quæ ex fide consequuntur, aut ad eam spectant, & tamen si in horum quoque medio Christum esse credimus, quanto hoc magis in religiosis familijs, quibus sunt omnia communia non spiritualia modo, sed etiam externa, eadem domus, idem habitus, idem victus, eademque studia, denique nihil discretum, ac separatum? Neque vero cuicumque cœtui, ac concilio tãtam rem promisit Dominus IESVS, sed ijs solis, quæ in suo nomine congregata essent, vt sunt omnes religiosi ordines, qui ad vnum eius obsequium, & famulatum sunt instituti. Quare cũ omnes tã ingentis beneficij participes sint, tamen hæc ipsa vox admonere nos videtur, nostram hanc Societatem IESV, quamquam ceteris rebus infimam ac minimam, peculiare quoddam tenere huius gratiæ pignus ex ipso nomine, quod præ se fert, & quo tamquam insigni, notaque propria à ceteris ordinibus discernitur. Quæ nostra spes, & fiducia ea quoque re confirmari debet, quoniam non humano id consilio factum est, vt hoc nomine appellaretur, sed Dei instinctu, certaque voluntate, quã Ignatio, capiti, ac parenti nostro, dum inter orandum à sensibus abstractus esset, visione quadam demonstrauit. Merito igitur huius nominis sanctitas nos omnes, qui sub hoc quasi vexillo militam', maiorem in modum recreare debet, quod nobis præsentem Dei tutelam, ac patrocinium, præsidiumque in rebus omnibus certissimum spondet. Hic enim etiam conuenit quod à

1. Ioan. 4.

Sapiente scriptum est: Turris fortissima nomen Domini, ad
Pro.18. ipsam currit iustus, & exaltabitur.

Tertia causa, quæ hanc gratiæ abundantiam efficit in religiosis est influxus quidam spiritus, & auxilij interni à tota communitate in singulos. Sic enim cogitandum, sicque sentiendum est, ordines omnes quasi corpora quædam esse, quæ quot hominibus, tot videlicet membris constent. Atque hæc quidem corpora suum quæque spiritum habent, quo viuant quo agantur, seque moueant; isque spiritus partim communis est cum aliis ordinibus; in ijs scilicet rebus, quæ sunt omnibus tamquam essentiales, vt tria vota, vt virtutes, partim etiam proprius, & peculiaris, vt sunt certi ritus, officia, ac studia quæ pro suo quisque instituto complectitur. Quemadmodū igitur, si fieri possit, vt manus, aut membrum quodpiam in hominis alicuius corpus inseratur, in quo antea non fuerit, eadem anima, quæ reliquum corpus format, ac regit, nouo illi membro infusa id quoque iam formare, ac mouere inciperet: sic cum aliquis, & sua voluntate, & eorum, ad quos id pertinet, potestate, in ordinem aliquem religiosum rite, ac legitime asciscitur, idem ille spiritus, qui ordinem ipsum totum vegetat, & animat, hanc etiam recentem eius partem ita peruadit, vt eadem opera efficiat, quæ
1.Reg. 19. reliquæ partes. Erat David in cuneo prophetarum vaticinantium, Deique laudes celebrantium, cum Saul Rex ad eum interficiendum satellites quosdam misit, qui vt accessere, factus est in illis spiritus Domini, atque ipsi quoque psallere, & prophetare cœperunt. Hoc Saul audiens, iterum, ac tertio alios misit ad facinus paratiores, quibus idem omnibus euenit, vt ipsi quoque furore repente deposito, propheticam pietatem induerent. Tum vero improbus Rex eam sibi ipse prouinciam deposcens, scelere ardens, accurrit ad locum, eoque cum venisset, ne ipse quidem resistere potuit diuino spiritui, qui in eius animum insiliens, ita eū mansuefecit, vt regijs vestibus exutus, abijciens se in terram, totam illam diem, ac noctem in Dei laudibus transegerit. Magnum certe, atque euidens documentum huius rei, quam tractamus, quam certa, atque efficax via sit, ad gratiæ copiā consequendam, aggregari ad eos cœtus, qui sunt ipsi pleni gratia. Etenim si illi scelerati, cum maxime in facinus incumberent, ac ne animo quidem, sed solo corpore cuneo illi se adiunxissent, eius tamē quasi flamma calefacti sunt, idque tā subito, quid putandum est fore in ijs, qui toto animo

eam

eam aggregationem expetiuerunt, seque ei totos, ac penitus tradiderunt, & quidem non ad breue tempus, sed in perpetuum? Nam si nolentes, & resistentes, tamen inuasit gratia, multo magis, & multo abundantius replebit volentes, & ad eam votis omnibus aspirantes.

Extremum illud est vtilitate quidem præcipuũ, quod cũ Ecclesiæ vniuersæ tot beneficia, tot dona à Christo Domino, qui eam sanguine suo acquisiuit, tam liberaliter erogata sunt, ea tamen omnia ad solos propemodum religiosos redacta videntur. Nam etsi communia sunt omnibus Christianis, tamen multi omnino non vtuntur, multi vix vtuntur. Certe illud negari non potest, quin religiosis omnium optime, & commendatissime ijs perfrui liceat. Ex hoc genere sunt in primis sacramenta, & præsertim illa duo tam plena gratiæ, eóque insuper saluberrima, quod sola inter alia quotidiano vsu frequentari possunt: alterum, quo anima peccatis confessione expiatur; alterum, quo expiata ipso Dei corpore pascitur, ipsóque sanguine potatur; ex quo innumerabilia in eã bona, & gaudia manare necesse est. Hic ergo tantus thesaurus licet fidelibus omnibus propositus sit, tamen quis non videt quanto commodius, ac melius eo religiosi potiuntur? Nam seculares quidem vt plurimum & curis, & affectibus, & molestiis, ac perturbationibus, quibus vita illa assiduè iactatur, magnopere impediuntur, vt vel ad sacramenta illa non adeant, vel non ita adeant, vt eorum requirit maiestas. Contra verò religiosos omnes in hoc quoque, vt in ceteris, status ipse adiuuat, semotus à negotiis, ac turbis, totúsque factus ad gustandum Deum. Idem dici potest de aliis spiritualibus bonis, & maximè de scripturis sacris, in quibus cum tantum fit vtilitatis ad omnem vitam, tantum etiam voluptatis, ac solatij, tamen in earum lectione, ac commentatione solos ferè religiosos, certè præterea paucissimos, versari videmus, eo quidem sensu, atque eo spiritu, quo diuinæ illæ litteræ tractandæ essent. Verè autem, & aptè dictum est ab optimo spiritualium rerum auctore, vt corpus ad vitam tuendam duobus indiget, cibo, quo reficiatur, lumine, quo dirigatur: sic ad vitam animi suum item cibum, suúmque lumen esse necessarium: alterum autem esse ipsum Domini corpus, alterum Domini verbum, quod est lucerna pedibus nostris, vt ait Propheta. Hæc igitur tam necessaria, tamque salubria munera, etsi, vt ante attigi, omnibus communiter proposita sunt, non tamen omnes vel

Kempis 4. de imit. Christi. cap. 11.

Psal. 118.

sciunt,

sciunt, vel volunt vti, religiosi verò ita vtuntur, vt nihil ferme aliud agant. Ex quo fit, vt, quemadmodum dicere cœperam, quicquid sanctum, quicquid fructuosum, quicquid pretiosum hominum generi de cœlo tributum est, omnia illa charismata, & illa veluti monilia, quæ Christus quasi sponsus Ecclesiæ sponsæ tam large, ac liberaliter elargitus est, agnoscendum sit à religiosis abunde teneri, & possideri. Posset etiam dici, vt paulo ante dixi, à solis penè religiosis, quoniam pauci præterea vel voluntatem habent, vel facultatem eis fruendi: sed quoquomodo hoc sit, id religiosis sufficit, quod ipsi ea, quam ostendimus, tantarum rerum abundantia potiantur. Hæ sunt igitur religiosi status diuitiæ, quæ animam
Gen.2. ita ornent, tamque multis rationibus locupletent. Hæc appellare possumus quatuor illa flumina ex paradiso erumpentia, quod nimirum quatuor hi, quos descripsimus, gratiæ fontes, ipsi quoque ex hoc nostro Religionis paradiso prodeuntes, animas Deo dicatas & abluendo quotidie nitidiores, & irrigando fœcundiores efficiant.

Vndecimus fructus vberius meritum ex vi status.

CAPVT XXIII.

VT sol iste, qui terras illuminat, propriam, atque innatam lucem gerit, reliquæ verò stellæ à sole mutuatam, ita Deus solus ex sua natura tum essentiam habet, tum beatitudinem, cetera verò omnia, quæ sunt, vel beata sunt, id eius munere, ac participatione consequuntur. Sed hoc interest, quod vitam quidem, atque essentiam nullo suo opere acceperunt: prius enim, quàm essent, nihil agere potuerunt, vt essent: ad beatitudinem autem acquirendam sic à Deo institutum est, vt necessariæ essent actiones aliquæ, neque eæ cuiusuis generis, sed vltimo illi fini similes, certáque proportione congruentes. Nam & hoc ipsum tum ad Dei iustitiam, quàm ille semper retinet, tum ad nostram quoque dignitatem quandam pertinebat, vt tantum bonum non quasi dormientibus donaretur, sed in eo adipiscẽdo aliquid etiam virtutis, atque industriæ nostræ eluceret. Itaque hanc vnam ob causam præsentis huius peregrinationis cursus institutus est, & ad hoc vnum tota hominum vita dirigitur, vt rectè
Iob. B. Iob & seipsum, & nos omnes mercenario compararit, qui nihil habeat aliud, quam quantum brachiis, & diurno la-
Mat. 25. bore comparauit. Saluator autem cunctos etiam homines mercato

mercatoribus ſimiles facit, inducta illa ſeruorum parabola, in qua paterfamilias,talentis vnicuique diſtributis, illud inſuper mandatum adiungat. Negotiamini vſque dum venio. Quo dicto indicat vitam hanc nihil eſſe aliud, quàm negotiationem,ac mercaturam, non terrenarum quidem opum, ſed cœleſtium. Quamobrem, vt mercatores huius ſeculi omni ſtudio id agunt, vt quàm maximè diteſcant, eámque ob cauſam à reliquis ſtudiis,vt venandi, vel equitandi, aut militiæ, ſeſe remouent,nullas verò lucri occaſiones oblatas prætermittunt, ſed eas potius ſtudioſiſſime captant, & inquirunt, quin etiam iucundi eis videntur labores omnes, & vigiliæ, quæ modo rem augeant;ita hoc, & multo etiam magis faciendum eſt in hac ſpirituali mercatura, cuius ſcilicet fructus ſunt ſempiterni. Quo quidem poſito, duo euidenter apparent; alterum eſt ſeculi miſeria, in quo omnes ferè ad terrena conuerſi in ſumma inopia horum meritorum viuunt? alterum contra eſt Religionis felicitas, in qua tanta ſit facultas augendi,atque in ſingula momenta multiplicandi cœleſtem hanc mercedem. Ac de priori quidem multa dici poſſent, quibus eorum, vt verè dicamus, cæcitas, & amentia cognoſceretur, qui tempus hoc tam breue, & anguſtum,ad æternitatem promerendam datum, inutiliter perdunt, dum id in res temporales, & perituras conferunt: de qua ſtultitia (cur enim non ſtultos appellemus, qui tantam ſibi iacturam afferant in re tanta?) cùm multa, vt dixi, diſputari poſſint, vnus tamen Gregorij locus pro omnibus ſufficiet, in illis B. Iob verbis, Ambulabunt in vacuum,& peribunt:In vacuum,inquit.ambulant, qui nihil ſecum de fructu laboris portant. Alius námque adipiſcendis honoribus exſudat, alius multiplicandis facultatibus æſtuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia hæc cuncta quiſque moriens deſerit, labores in vacuum perdidit, quia ſecum ante iudicem nihil tulit. Quo contra bene per legem dicitur,Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendo non prouidet. in conſpectu Domini vacuus apparet. Hinc de iuſtis per Pſalmiſtam dicitur, Venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.Ad examen quippe iudicij portantes manipulos venient,qui in ſemetipſis recta opera, quibus vitam mercantur,oſtendunt.Hinc de vnoquoque electo Pſalmiſta iterum dicit, Qui non accepit in vano animam ſuam. In vano quippe animam ſuam accipit, qui ſola præſentia cogitans,

7.Mor. 13. *Deu. 16.* *Pſal.25.* *Pſal.25.*

táns, quæ sequantur in perpetuo, non attendit. In vano animam suam accipit, qui eius vitam negligens, ei curam carnis anteponit. Sed animam suam iusti in vano non accipiunt, qui intentione continua ad eius vtilitatem referunt quicquid corporaliter operantur, quatenus, & transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post mortem pareat. Igitur ex horum iustorum numero, quos Gregorius hic laudat, sunt præcipuè religiosi: quod quanto eis ex ipso statu facilius, ac procliuius sit, demonstrandum est. Etenim ad meritum duo sunt in primis necessaria, res quæ agitur, & causa, vel finis, propter quem agitur. Has enim Bernardus binas esse ait Sponsæ genas, quarum alterutra qui caruerit, insignem habeat deformitatem, multo autem maiorem, qui vtraque. Nam qui rei temporalis amore in re temporali laboret, huic quidem vtrumque deesse: qui verò in re spirituali, sed propter temporale præmium, huic alterã genam turpem esse. Igitur, quod ad materiam ipsam attinet, quàm religiosi tractant, & in qua versantur, ea nihil ferme aliud est, quam Dei ipsius negotia; in quo certè vix dici, & vix credi potest, quanto melior sit eorum conditio, quam sæcularium. Nam sæcularium actio, & occupatio vt plurimum duo habet, quæ cœlestis mercedis meritum vel imminuunt, vel etiam omnino tollunt. Primum quod in rebus terrenis, & temporalibus distinentur, idque necessitate, vt liberos, vt familiam alant, vt filias collocent, ceteriq; domestici sumptus suppetant. Deinde quod suas quisque res agit, suisque consulit vtilitatibus, eóque studia, & cogitationes suas dirigit, vt sibi, ac suis bene, cõmodéque sit. Qui autem ob propriam causam, suique respectum operatur, is non alteri seruit, sed sibi ipsi: quare impudens sit, & iniustus, si ab altero mercedem repetat. Ex quo quidem efficitur, vt pleráque hominum opera cassa sint, & inania, cùm ad diuinæ iustitiæ trutinam ponderantur: quod aliquando mirabili quadã visione ostensum est magno illi Arsenio, qui eremũ sanctitate illustrauit. Primum enim visum est ei videre hominem, qui lignis cædendis admodum intentus erat, ex quibus cum fascem confecisset, cúmque in humeros rollere adnisus, non potuisset, alia denuo ligna cædere, onúsque oneri addere pergebat. Rursus alterum vidit, qui magno studio, ac labore aquam haurire, & in vas pertusum infundere satagebat, quæ statim tota efflueret. Quam speciẽ ita interpretatus est ei Angelus, vt priores esse diceret, qui peccata peccatis cumularent, posteriores,

Ser. 40. Cant.

ſteriores,qui humanum aliquid ſpectantes, opera efficiunt, quæ ſtatim pereant,& ad vitam æternam nihil valeãt.Quod ſi qui ſunt,qui pauci ſunt in ſeculo,ita cauti, itaque in poſterum proſpicientes,vt in ſuis actionibus ad Deum referendis elaborent,tamen cùm eæ actiones natura ſua terrenæ ſint, vt diximus, tantum eas à terra excitant, quantum ſtudio, ac contentione adhibita nituntur: quæ violentia cum perpetua eſſe non poſſit, ac ne admotum quidem diuturna, ſic fit, vt facile, ac breui ſuo pondere ad terram relabantur. Contra verò omnia in religioſis. Nam in primis, propria domo, & bonis propriis relictis, in Dei domum, Deique familiam commigrarunt, & in ea degunt. Itaque quæcumque hîc negotia occurrant, omnia ex ſuo genere, ſuáque natura, Dei ſunt negotia, & dum iis procurandis immorantur, Dei cauſam agunt, non ſuam. Itaque hoc differre videtur ſecularis hominis quamuis probi ſtatus à ſtatu religioſi, quod amici obſequia à famuli obſequiis, amicus enim quamquam vel amici rogatu, vel ſua ſponte aliquid obſequij amico impendat, de reliquo tamen ſibi viuit, ſibíque proſpicit: famulus autem,qui in domini ipſis ædibus ſedem habet, vel nihil agat oportet, vel quicquid agit hero ſuo agat. Sic enim religioſus, cum, ſuis abdicatis, diuino ſe famulatui mancipariti etiam ſi nollit, vt ita dicam, cogitur tamen Dei rem procurare, & in eius ſeruitio ſemper occupari, ei nocte, ac die præſto eſſe: ac ne licet quidem aliud ei facere, quoniam à ſuis ſe negotiis non ſolùm voluntate,ſed re ipſa, ac loco ipſo penitus ſegregauit.

Accedit deinde alterum,quod hæc ipſa, quæ in religione tractãtur,non ex genere terrenorũ ſunt,ſed maxima quidem ex parte mere ſpiritualia,cætera etiã cum ſpiritualibus valde coniuncta.Nã;ſi omnia colligamus religioſi hominis officia, & functiones,triplex genus inueniemus.Primũ eorũ eſt,quæ proximè ad Deum diriguntur,vt oratio,contemplatio,ſacramentorum vſus,virtutum etiam exercitatio, vt caritatis,humilitatis,vel pœnitentiæ; quæ vel animum contritione, vel corpus aliquo macerat cruciatu. Ac de his quidẽ actionibus, in quibus tota penè religioſorum vita conſumitur, nihil eſt dubitãdum,quin per ſe, nullo etiam noſtro conatu adiuncto, ad Deum euolent, ac mercedem ab eo reportent. Alia ſunt opera externa illa quidẽ,ſed tamen è media natura religioſi ſtatus,vt concionari,præbere aures peccata cõfitentibus, adhortari alios ad pietatem,dare conſilium petentibus, ac non petentibus

1.Tim.4. petentibus etiam sæpè, vt monet Apostolus, opportune, importune ingerere, denique in quocumque officio proximorũ causa versari: tum illa deinde, quæ ad hæc ducunt, vt dare operam studiis vel priuatim, vel in schola, disputare, scribere quæ sibi, vel aliis prosint, aliáque huiusmodi plurima. Hæc igitur tametsi non adeo cõiuncta sunt cum Deo, vt superiora illa, tamen ipsa quoque vi sua eodem tendunt. Itaque, nisi alieno fine extrinsecus ascito adulterentur & corrumpantur, per se quidẽ bona sunt, & Deo grata, & accepta. Quamobrẽ hoc maximum est discrimẽ inter seculares, & religiosas occupationes, quod hæ sua natura spirituales sunt, & nisi aliũde vitientur, gratiam, & meritum habent: illæ contra natura sua terrenæ, & tẽporales, & nisi aliunde excitentur, humi semper serpunt, humíque moriuntur. Quod autem est tantũ robur, præsertim in hac seculi imbecillitate, quod in eo studio, perpetuaque vigilia durare valeat, vt semper intentũ animũ tãquam arcũ habeat, quo opera sua semper in sublime iaculetur? Tertium denique genus est infimum, & omnino naturale, vt cibo refici, vel somno, corpus curare, vel ægrũ, vt sanetur, vel sanũ, ne ægrotet, insuper etiã necessaria ad victũ, & cultũ prouidere, quod negotiũ latet patet, multaque complectitur: quæ omnia, si nihil altius spectes, omnino nihil sunt, sed in religioso facile nobilitari, & illustrari possunt, vt gratiã apud Deum acquirãt. Cũ enim se totos, nec animã modo; sed corpus etiam Deo tradiderint, quicquid ei obsequij, ac curæ sic impendunt, gratum est Deo, nec caret sua mercede. Totũ ergo positũ est in intentione, ac fine, quæ erat altera illa Sponsę gena, de qua ante diximus ex Bernardo. In quo itẽ quanta sit in religioso statu facultas, ac commoditas probãdi se Deo, ac Domino nostro, ita apertum est, vt nostra non egeat oratione. Nam seculares quidem etiam si non semper prauum, & improbum, fere tamen temporalem, & terrenum finem suis operibus præfigunt, ad familiam, ad filios alendos, & honestandos. Religiosus autem quidnam eiusmodi spectare potest? Itaque, etiamsi quidpiam aliquãdo temporale tractet, finis tamen spiritualis est, quia non ad propriũ quæstum, sed ad communem fratrũ vtilitatem spectat, quæ ipsa ad Dei obsequium, & honorẽ refertur. Docet hoc egregie, ac diserte S. Bernardus, adhibita etiam hac eadem seculariũ cõparatione, quorum laborem duplicẽ esse ait, alterum peremptorium, qui pro iniustis reb⁹ susceptus æternã mortẽ afferat, alterũ etiamsi, nõ peremptorium, tamen periturum, vt eorũ, inquit,

Serm. de ingrati.

inquit, quos videmus subditos curis terrenis, etsi non culpis, corporalibus officiis, etsi non flagitiis implicatos, & in ea, quæ præterit huius mundi figura, pro sua, suorúmque præsenti sustentatione laborantes: quorum vtique labor, etsi non ad damnationem, minime tamen pertinet ad salutem, ita vt etsi conseruauerint fundamentum, detrimentum tamen patiantur, pereuntibus, quæ superædificauerunt, ipsi vero salui sint, sic tamen, quasi per ignem. Nobis autem quid dicitur? *Ioan. 6.* Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Nec cessamus ab operando hoc cibo, etiam cum terrenis forte occupamur operibus aut obedientia dictante, aut fraternæ charitatis intuitu, quoniam dissimilis est nobis intentio ab iis, quorum laborem periturũ esse dicimus. Dissimili proinde radice inhærens labor similis, non similiter habet perire, quoniam radicatus est in ea, quæ non perit, charitate. Huic Bernardi sententiæ concinit etiam apta Anselmi similitudo, quo in genere ille, vt notum est, excelluit. Sic enim scriptum est in eius vita, cum ad eum nescio quis religiosus consilij gratia adisset, eíque querelam quandam exposuisset, quod à suis præpositis, tẽporalibus curis impediretur, quas ipsas vt vitaret, seculum antea fugerat, sic eum respõdisse sícq; religiosum illum animasse. Omnis hominũ vita simillima est rotæ frumẽtariç, quç nunquã moueri, & versari desinit. Sed interest inter homines, qui eam curant. Alij enim sic farinam defluentem negligunt, vt tota in flumen elapsa pereat. Alij partem seruant, partem negligentia perdunt. Alij demum subiecto sacco totam excipiũt. Ex primo genere sunt ij seculares, qui nunquam mentem, ac cogitationem ad æterna erigunt, intenti caducis, & terrenis. Ex secundo sunt qui licet in seculo degant, aliqua tamen bona, & salutaria peragunt, eleemosynas tribuunt, frequentes sunt in templo, ægrotos visitant. Atque ij pro operum mensura tantundem præmij accipient. Vltimi sunt religiosi, qui quoniam ex superiorum suorum iussu, eiusmodi rebus implicantur, quamuis temporale sit quod agunt, nihil tamen eis de suo labore deperit. Quin etiam, licet, negotiis id exigentibus, quidpiam cogantur vel præter communem disciplinam agere, vel de communi disciplina remittere, hæc tamen omnia obedientiæ virtus compensat, eáque farinam defluentem totam, ac purã ita colligit, & recondit, vt ad illos in omnem æternitatem alendos sufficiat. Postremo illa quoque magnopere perpendenda, & potius ante oculos tenenda sunt,

2. senten. dist. 41. artic. 1. quæst. 3. quæ sunt à Bonauentura de hac ipsa re conscripta, eóque magis, quod à tanto Theologo ex theologicis regulis: sic enim disserit, non esse necessarium ad meritum, vt opera singula actu in Deum referantur, sed sufficere, vt habitu. Habitu autem referri, non eo quod anima charitate sit prædita: non enim hoc satis esse: sed quia in exordio illius operis, vel alterius, ex quo illud consequatur, id rite Deo oblatum, & dicatum sit. Declarat id exemplo; si cui propositum est centum drachmas Dei causa elargiri, etiamsi deinde in singulis largiendis nullam de Deo cogitationem habeat, non ideo fit, vt omnes illæ drachmæ non sint benè, & fructuosè collocatæ quod tamen non esset, si nouum aliquod opus alterius generis inchoaretur. tunc enim renouanda, atque iteranda esset voluntas illa faciendi id quoque ad Dei obsequium. Ex quibus deinde conficit Doctor ille, hoc idem valere in religiosis hominibus, qui initio sese deuouerunt ad deferendum religionis pondus. quicquid enim deinceps faciunt, quod suæ disciplinæ limitibus contineatur, conferre ad meritum; ídque ex primæ illius voluntatis impulsu, ac vi, nisi forte eius voluntatis cursus contraria deliberatione interruptus fuerit; quod quidem nemo faciat, nisi plane perditus. Hæc Bonauentura totidem ferme verbis, quibus ad extremum hoc etiam corollarij loco adiungit, apparere hinc, quantæ tum vtilitatis, tum etiam securitatis sit viuere in religione. Sed quod ad meritum attinet, de quo agimus, illud quoque pro cumulo adiungendum est, non solum opera, de quibus loquuti sumus, tãtum pondus habere, sed ipsos etiam interiores affectus, pene dicam, naturales. Nam, si recte aduertimus, religiosi cum sua relicta domo, ac re, vt supra diximus, in Dei domum, ac rem se transtulerint, ita se totos in Dei causam demittunt, vt Dei negotia sua iam negotia efficiant, & vicissim ipsorum quoque negotia ad Deum pertineant, & in summa, eadem fere vtrisque sint commoda, eádemq; vtilia. Ex quo fit vt cum etiam de suis rebus, quę simul etiam Dei res sunt, vel gaudent, vel tristantur, cupiunt, aut timent, ille timor, illud desiderium, illa etiã tristitia, siue gaudium, quæ ex eiusmodi radice procedunt suum meritum habeant. Et tamen inter hos affectus omnis pene vita traducitur. Itaque, si boni ratiocinatores esse volumus, atq;, vt mercatores faciunt, quasi calculis subductis lucra nostra supputare, quis dies erit, in quo non ad vesperam magna quædam meritorum summa ex tot religiosis actionibus confecta reperiatur?

periatur? quod si vnus dies tam plenus est, quid faciet mensis, quid annus, tot diebus, tótque dierum questu accumulato? Quod si etiam contingat, vt plures anni in religione transigantur, quem tandem cumulum, quam summam ex tot laboribus, tot virtutum officiis tam frequentatis colligi necesse est? Quare cum hæc omnia tam vera sint, & ipsius fidei nostræ principiis nixa, quanti æstimanda est ea ratio, quæ labore nihil adaucto, adeo tamen præmia, & coronas augeat, quæ hominem breui tempore tam diuitem, plenúmque faciat thesauris illis, quos neque ærugo, neque tinea demolitur, nec fures effodiunt, & furantur? Quæ religiosorum felicitas eo etiam magis eminet, si cum secularium, qui huic mundo addicti sunt, miseria comparetur, qui cum tot incómoda, tot labores, atque ærumnas perferant, tamen, vt antea dixi, omnis eorum fructus misere perit in terra, quia videlicet, cum ex hoc mundo exeunt, opera illorum non sequuntur illos. Itaque ipsi quoque, vt piger ille, de quo est in Prouerbiis, qui arare noluit, mendicabunt in æstate, tum, cum alij labores manuum suarum manducabunt. Iure igitur in hos cadit illa Bernardi obiurgatio, qui homines istos iumentis, & bestiis similes facit, qui præsentia tantum cogitent, futura non attendant, perinde, ac si sensum solum, vt illa, haberent, mente autem, intelligentiáque carerent. Sic enim ille Gualterum iuuenem ingenio, ac doctrina florentem, hanc ipsam ob causam ad seculum deserendum, & religiosam vitam subeundam grauissime hortatur. quia doleret, quod bona illa, vt ipse ait, inanibus studiis attereret, dum de tantis muneribus non eorum auctori, sed rebus transitoriis deseruiret; quam in sententiam, tum alia, tum illa præcipue scribit. Vide, inquit, quid tibi ante tribunal illud terrificum respondendum sit de eo quod acceperis in vano animam tuam, & animam talem, si tamen inueniaris nihil egisse amplius de immortali, & rationali spiritu tuo, quam quoduis pecus de suo, cum brutus vtique spiritus non viuat, nisi quandiu viuificat, & vno, eodémque momento & viuificare pariter desinat, & viuere. Quid quæso dignum te iudicabis, qui factus ad imaginem factoris, tantæ in te maiestatis non defendis dignitatem, & tu homo cum in honore esses, honorem tuum non intelligens, comparatus iumentis insipientibus, & similis factus sis illis, dum nihil spirituale videlicet, aut æternũ elaboraueris, sed instar belluini spiritus, qui vt à corpore, ita cum corpore

Matt. 6.

Pro. 20.

Epi. 104.

Ioan.6. diſſoluitur, ſolis fueris contentus corporalibus, ac tempora-
Pſal. 23. libus bonis, Euangelici illius ſurdus auditor conſilij, Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Scriptum eſt autem, quod non aſcendet in montem Domini, niſi qui non accepit in vano animam ſuam, ſed ne is quidem, niſi fuerit innocens manibus, & mundo corde. Sin autem, attende quid mereatur iniquitas, ſi ſola inutilitas ſufficit ad damnationem. & ve vera ſecura non erit ſpina, vel tribulus, vbi ſecuris infructuoſæ arbori poni videbitur, nec parcet pungenti, qui minatur & ſterili. Væ igitur, & væ iterum de quo dicetur, Expectaui vt faceret vuas, &
Eſa.5. fecit labruſcas. Hæc Bernardus, cuius tam ſeuera reprehenſio & ſeculares omnes commouere debet, tum periculo, tum pudore, ne factis in bruta degenerent, & omnes religioſos in tam ſalutari conſilio magis ac magis confirmare.

Duodecimus fructus ex ductu, & gubernatione Præpoſiti.

CAPVT XXIIII.

SEQVITVR nunc alia quædam ingens Religionis vtilitas, quæ percipitur ex cura, inſtitutione, præceptis ſpiritualium rectorum; in qua vna re multa, & magna inſunt commoda. Primum illud eſt, quod cum totum hoc virtutis inter multa obſcuritate & caligine ſeptum ſit, nihil eſt adeo neceſſarium, ne erretur, quam ductoris alicuius opera, & lumen. Nam ſi ſcientiæ omnes, vt philoſophia, vt ius ciuile, immo vero infimæ etiam quæuis, & mechanicæ artes ſine magiſtro diſci non poſſunt, cum tamen ſint omnes naturales, & naturali lumine ab hominibus inuentæ, & perfectæ quanto magis hoc ſtudium, quod eſt ſupra omnem naturam, quódque tam aſſidue, ac pertinaciter ab hoſtibus noſtris oppugnatur, ſi ſine duce, & ſine interprete ſuſcipiatur, erroribus patebit, nec in eo progredi poteri-
Epiſt. 4. mus? Quam in ſententiam recte Hieronymus, Nulla ars, inquit, abſque magiſtro diſcitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges, ductores ſuos ſequuntur. In apibus principes ſunt: grues vnam ſequuntur ordine litterato. Imperator vnus. Iudex vnus Prouinciæ. Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri: & omnis ordo eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. In mari vnus gubernator, in domo vnus dominus, in quouis grandi exercitu vnius ſignum expectatur. Et ne plura replicando faſtidium legenti faciam, per hæc

omnia ad illud tendit oratio, vt doceam', te non tuo arbitrio dimittēdum, ſed viuere debere in monaſterio ſub vnius diſciplina patris, conſortióque multorum. Præclare etiam Nyſſenus quamuis multa de ſpir.tualis vitæ methodo, ac ratione tradita, & ſcripta ſint, tamen multo minorem vim habere hæc præcepta litteris conſignata, quam quæ factis ipſis, & voce traduntur id autem fieri in religione, quam ille virtutum officinam appellat, in qua nimirum vita hæc, quam diximus, ſpiritualis ad ſummam quandam integritatem progreſſa, & omnibus ſordibus purgata effloreſcit. Ac quemadmodum qui externum aliquod idioma diſcere inſtituit numquam proficere poterit, niſi ab iis, qui eius ſermonis periti ſint inſtituatur, ſic vitam hanc à nemine rectè teneri poſſe, niſi ducem aliquem habeat: alioquin magni diſcriminis eſſe, rerum incognitarum ſuo periculo velle facere periculum. Vt enim medicina longo prius vſu ab hominibus eſt inuenta, nunc autem ineptum eſſet, aut ſtultum potius, antequam medicamentis vtamur, omnium prius vim tentare velle, ſed quæ ab aliis iam cognita, & teſtata ſunt; iis, fidem habere oportet: ita in hoc virtutum ſtudio qui ſuo ipſius iudicio regi velit, eum in multis labi, & errare neceſſe eſſe. Contra autem, ſi aliorum monitis, conſiliiſque vtamur, & illorum luce nos etiam illuminemur, illud commodi euenire, quod ſæpe videmus, vt, vna lampade accenſa, in multas alias lumen deriuetur. Sic enim vitæ grauitatem, & ſanctitatem ab vno communicari cum aliis, qui cum eo voluntate, atque imitatione ſeſe coniunxerunt. Hæc Nyſſeni omnia. Climachus autem hoc etiam audet confirmare, ſicut nauis perito gubernatore inſtructa facile ad portum peruenit, ſic animam, quæ paſtorem bonum delegerit, licet per ſe rudis ſit, aut etiam vitiis, prauíſque moribus onuſta, facile verum cœleſtis gloriæ portum aſſequi: Vt contra, inquit, ſicut qui ductore caret, etiamſi ſapiens ſit, ſæpe tamen errat in via, ſic qui ſuam voluntatem, ac iudicium in hac via ſpirituali ſequi decernit, licet omnem omnium ſapientiam ſolus obtineret, facile tamen in animæ exitium ruet. Optime etiam S. Bernardus harum rerum peritiſſimus: Quam multi, inquit, ex hoc à recto tramite perículoſiſſime aberraſſe comperti ſunt, nimirum ignorantes aſtutias Satanę, & cogitationes ipſius, factũ eſt vt qui ſpiritu cœperant, carne cõſummarentur, abducti turpiter, lapſi damnabiliter. Seductori dat manum, qui dare diſſimulat præceptori, & qui dimittit

De virg. cap. 23.

Gradu. 25.

Ser. 77. Cant.

L 3 oues

oues in pascua absque custode, pastor est non ouium, sed luporum. Igitur quam magnum, & quam euidens est horum periculum, qui sibi ipsis auctores esse volunt: sequitur, vt tam certa sit Religionis securitas, in qua tã multos habemus, qui in hac nocte huius vitæ facem nobis præferant, & qui nostram ignorantiam optimis præceptis instruant. Altera commoditas ex Præpositorum magisterio consistit in vincendis, & profligandis tentationibus malignorum dæmonum, quarũ cum aliç aperto nos impetu, aliæ occultis cuniculis petant, vt aduersus priores magno robore, aduersus posteriores magna sapientia, ac peritia opus sit, vtrumque in Rectorum prçsidio, ductuque abunde constitutum est. De quo luculenter Cassianus, tum alibi sæpe (multus est enim in hoc præcipiendo (tum in eo sermone, quo Abbatem Ioseph ita loquentem
Coll. 61. cap. 11. facit. Ipse Sanatas transfigurat se in Angelum lucis, vt obscuram, ac tetram calliginem sensuum pro vero lumine scientiæ fraudulenter offundat. Qui nisi humili, & mansueto corde suscepti mansuetissimi fratris, vel probatissimi senioris reseruentur examini, & eorum iudicio diligenter excussi, aut abiiciantur, aut recipiantur à nobis, sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro Angelo lucis Angelũ tenebrarũ, grauissimo feriemur interitu: quam perniciẽ impossibile est euadere quempiam in suo iudicio confidentem. Hoc idem, quod Cassianus, omnes etiam alij spiritualium rerum auctores tradunt. Ex quo hoc ita tenendum est, ad has dæmonum pugnas tam assiduas, tam periculosas, tam difficiles superandas, nullum maius, aptiusque præsidium esse posse, quam vt aliquem patris, ac rectoris loco habeamus, cuius ad sinum confugiamus, & cuius sub alas, quasi parui pulli, cum miluus ingruit, nos recipiamus. Itaque hoc quotidiano vsu euenire, videmus, vt grauissimæ, maximeque hominum tentationes quæ nulla industria, nulla contentione fugari potuerant, vno superiorum congressu ita debilitatæ, & fractæ sint, vt ne vestigium quidem permaneret. Quin etiã, quod maius est, magisque huius medicinæ præsentem vim indicat, non id tãtũ eorũ consiliis, & cohortationibus consequimur, quamquam hæc quoque adhibẽt, sed plerumque vel solo aspectu, ipsaq; morbi ostẽsione: melius sane, & felicius, quam in corporum
Col. 2. ca. 16. morbis, qui postquam medicis patefacti fuerint, multa tamẽ arte, & labore opus est ad eos sanandos. At vero in his animarum morbis ferme perpetuum est, quod alio quodã loco docet idẽ Cassianus, vt cogitatio maligna, simul ac patefacta

fuerit,

fuerit, illico marcescat, & prius etiam, quam remedium proferatur, serpens teterrimus, velut è tenebroso, & subterraneo specu, virtute confessionis protractus ad lucem, confusus quodammodo, & dehonestatus aufugiat. Confirmat id etiam illustri Serapionis Abbatis exemplo, quem ait hoc de seipso narrare solitum, cum adolescens esset, in eam prolapsum consuetudinem, vt gulæ intemperantia victus, panem vnum occulte comedere: cumque hoc vitium quotidie desieret, & quotidie tamen recidere, demum aliquando in plurimum patrum consessu, interioribus stimulis adactum, prodiisse in medium, suamque hanc culpam coram omnibus professum esse. Tum vero ipsius Magistrum, prudentem hominem, & spiritualium rerum gnarum, iussisse eum bono esse animo, quoniam aduersarium, à quo antea suo silentio victus esset, nunc præclara illa confessione certissime triumphasset; quibus verbis vix ab eo finitis, quandam quasi sulphuream facem ex iuuenis sinu, in quo antea panem condere consueuerat, exiliisse, quæ tanto locum illum fœtore repleuit, vt vix vllus consistere posset: id autem ab omnibus sic acceptum esse, vt intelligerent, dæmonem esse, qui superatus abscederet; idque Serapionem ipsum sæpe testatum esse, se ab illo temporis puncto numquam deinde amplius in vita sua vllam furtiui illius desiderij vel minimam titillationem sensisse. Hæc igitur de tentationibus vincendis dicta sint, in quarum, vt constat, victoria nostræ salutis summa est posita. Neque tamen hoc tantummodo tempus, cum ab hoste agitamur, superiorum adiumento indiget, sed omnia plane tempora. Semper enim communem hanc infirmitatem nobiscũ gerimus, in qua concepti, & in qua nati sumus, & quæ nos semper prosequetur, donec corruptibile hoc induat incorruptionem. In hac igitur tanta imbecillitate, tam inclinata ad vitium, sæpe in culpas agimur, etiam nescientes, sępe quidam inertiæ, torpor obrepit, qui nos ita ligat, vt etiam dormire delectet. Itaque magnum omnino est, eiusmodi monitores habere, qui nos & sine errore cognoscát, & sine assentatione nos nobis ostẽdant, & opportunas admonitiones, interdum etiam obiurgationes ad excitandum adhibeant: quo cõmodo qui carent, eos ob tenebras, suique ipsorum ignorationem in multa errata incidere necesse est. Recte enim Basili' de hac ipsa vtilitate, quam religio suppeditat. Illud, inquit, firmissimum tenendum, omnium difficillimum esse seipsum cognoscere, & curare, propterea quod naturaliter seipsum quisque *Consti. mon. ca. 22.*

quisque amet,& quia in seipsum quisque propensus est,ideo in veritatis iudicio fallatur. Porro ab alio cognosci,& curari facile est,cum ijs qui ceteros curant,ad discernendam veritatē nequaquam obstet amor sui ipsorum. Hæc Basilius,ex quibus hoc probat,moderatores,qui in religione sūt,vniuscuiusque mores,& affectus,& animi motus diligenter exquirere, & ad hæc accommodatum singulis remedium adhibere. Ac ne quis existimet rudibus tantum, & imperfectis,aut tepidis in Dei amore necessariam esse huiusmodi disciplinam Æque enim necessaria est etiam feruentibus,& perfectis. Nisi quis fortasse existimet nauim, quæ in alto feratur, tum egere tantum moderatore, cum aduersa tēpestate iactatur, ventis autem proprijs non egere. immo vero hi ipsi propitij venti,quo vehementiores sunt,eo maius est periculum. sunt enim multi scopuli,sunt syrtes.&,vt hæc omnia cessent,tum ipsa ventorum vis sufficit ad demergendum, tum etiam necessarium est,vt sit qui rectum dirigat cursum, ne nauis huc, illuc, errore delata, numquam ad portum veniat. Atque vt equus,quo incitatius currit,nisi habeat à quo scienter gubernetur,in maiori est discrimine, sic iste feruor per se quidem præceps est. &,nisi alterius iudicio & scientia temperetur,in
Ser.19. Cant. mala multa incidet. Hanc enim causam Bernardus existimat, cur ab Apostolo dictum sit, obsequium nostrum rationabile
Rom.12. esse debere, quia facillime zelo nostro spiritus erroris illudat,si non scientiæ lumen adhibeatur. Nec habet,inquit,callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem,quam si efficere possit, vt in ea incaute,& nō cum ratione ambuletur. Quam eādem vtilitatem in religioso statu inesse sentit etiam Hieronymus, cum Rusticum ita
Ep.4. adhortatur; Mihi quidem, inquit, placet vt habeas sanctorum contubernium, nec te ipse doceas, & absque doctore ingrediaris viam, quam numquam ingressus es statimque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas, plusque aut minus ambules, quam necesse sit,ne aut currens lasseris,aut moram faciens obdormias. Denique in toto isto genere illud grauissimum, & maximum est, quod constat, hunc Dei esse morem certum,perpetuum,& fixum,vt cū ipse vel per se,vel per Angelos illuminare omnes possit,malit tamen homines ab hominibus doceri,atque institui, siue vt ea ratione mutuam caritatem quasi inter membra deuinciat,si-
Coll.2. ca.14. ue vt alterū alteri subijciendo,humilitatē exerceat. Bene hoc Cassianus Samuelis pueri exemplo confirmat, quem Domi-

nus

nus suamet doctrina erudire noluit, sed semel, & iterum ad senem Hely passus est recurrere, & quem ad suum vocabat colloquium, eius tamen, qui ætate superior, sanctitate, inferior erat, institutione formari voluit. Cũ vero Cornelio Cẽturioni astitit Angelus, an non eadem opera, omnia illi fidei mysteria reuelare potuisset, idque vtrique commodius & ad breuitatem aptius fuisset? Et tamen eum ad Petrum alle gat. Accerse, inquit, Simonem, hic dicet tibi quid te oporteat facere. Sed admirabilius etiam est, quod de Paulo in ijsdem actis legitur, quem vnum cum tanti Christus Dominus fecisset, vt non Angelis è cœlo missis, sed ipsemet per se eum conuenire, & ad sese inuitare suamque ei præsentiam adhuc blasphemo, & persequutori ostendere voluisset, hunc tamen ipsum, quem momento temporis cœlesti disciplina imbuere potuerat, ad Ananiam reijcit ijsdem pene verbis, quibus Cornelium; Surge, inquit, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Quod merito sane miratur Bernardus, eamque ciuitatem religiosis interpretatur ipsam esse religionem; sic enim ait, O sapientia suauiter vere vniuersa disponens, eum, cui tu loqueris, erudiendum de tua voluntate mittis ad hominem, vt socialis vitæ commendetur vtilitas, & edoctus per hominem discat & ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subuenire. Ingredere ciuitatem. Videtis fratres non sine diuino consilio factum esse, vt hanc ciuitatem Domini virtutum ingrederemini, diuinam discere voluntatem? Idem quoque confirmat Augustinus, qui cum eadem exempla Pauli, & Cornelij commemorasset, hæc aptissime adiungit: Poterant vtique omnia per angelum fieri, sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nollet. Deinde ipsa caritas, quæ sibi inuicem homines nodo caritatis astringit, non habere aditum refundendorum & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent. Ex his igitur talibus, tantisque exemplis plane colligere licet, nullius vel tantam sapientiam esse posse, vt suo lumine niti possit, vel tantam sanctitatem, vt eam ordinarie Deus per se illuminare velit, sed per alios homines; vt in hoc quoque illa diuinæ prouidentiæ suauitas extet, de qua alio loco diximus. Quibus positis, illud etiam videtur consequens esse, vel studium virtutis deserendum, omnemque spiritualis disciplinæ curam abijciendam, quæ tamen adeo omnibus necessaria est, vel eam certi alicuius

Act. 10.

Act. 9.

Ser. de conuers. S. Pauli

In prol. de doct. Christ.

magiſtri,& moderatoris doctrina,præceptiſque dirigendam
id vero omnium commodiſſime fit in Religione eorum,du-
Luc.12. ctu, quos Deus poſuit ſuper familiam ſuam vt dent illis mē-
ſuram tritici in tempore. Quod illi quidem officium ita ex-
plent, vt non digito tantum viam monſtrent,ſed ipſi inſuper
comitantur, deducunt, pene etiam perferunt,& certe perfe-
runt,& conſolando, & conſulendo, & monendo, & cohor-
tando. Sic enim exiſtimant, quod res eſt, non ſubditos ſe re-
gere, ſed conſeruos, & fratres, omnes autē eſſe Dei filios ab
ipſo Deo ſuæ curæ, fideique traditos, vt ijs non ſolum amo-
rem, ſed honorem quoque debere ſe ſentiant. Itaque nulla
vmquam nutrix tanta cura alumnum enutriuit, neque vlla
mater vnicum filium, atque ipſi eos, quos à Domino tam a-
mari,tamque ſibi commendari intelligunt,aſſidue inſtituunt;
docent,& ad omne officij munus inſtruunt,quæ ratio exuē-
di vitia,quæ virtutes acquirendi, quæ etiam reſiſtendi, ac
repugnandi diabolo. Denique in rebus omnibus, & in om-
nibus ſtudijs eos quaſi manu ducunt,aut etiam,vt modo di-
xi, tamquam ſinu geſtant,ac tum ſecure,& ſine errore, tum
etiam ſuauiſſime, ac molliſſime paulatim ad omnem perfe-
ctionem prouehunt. Extremum illud eſt in hoc capite vtili-
tatis,quod non hoc modo, de quo diximus, virtutis, perfe-
ctioniſque ſtudium,ſed reliqua etiam tota vita noſtra, eiuſ-
que actiones omnes præpoſitorum noſtrorum ductu guber-
nantur, neque tam præpoſitorum, quam per eos,quod om-
nium maximum eſt, ipſius Dei. Etenim cum in hac vita de-
genda tam multæ ſæpe incidant dubitationes,quo loco ma-
nendum,quæ occupationes, ac negotia ſuſcipienda, & quo-
modo tractanda, in quibus rebus quotidiani errores quam-
plurimi,ac ſcopuli latere ſolent,certe nihil melius optari po-
teſt,quam à Deo ipſo ſemper perduci; quoniā ſi ab illo per-
ducamur,ſine dubio numquam errabimus. Hoc vero iā an-
te ſatis probatum,& ſtabilitum eſt, quicquid rectores noſtri
de bonis conſtituant (modo, quod abſit,non ſit expreſſe di-
uinis legibus contrarium) à Deo ipſo conſtitui. Quid enim
De præ. intereſt (ait Bernardus) vtrum per ſe,an per ſuos miniſtros,
& diſp. ſiue homines,ſiue Angelos, hominibus innoteſcat ſuū placi-
tum Deus? Sed homines, inquis,facile falli in Dei voluntate
de rebus dubijs percipienda poſſunt. Sed enim quid hoc re-
fert tua,qui conſcius non es,præſertim cum teneas ex ſcriptu
ris,quia labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam & legē ex ore
Mal.2. eius requirent,quia Angelus Domini exercituum eſt? A quo
denique

denique diuina potius consilia requirentur, quàm ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tamquam Deum in iis, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus. Hæc Bernardus. Quare si vtilitatem quærimus, quid vtilius, & salubrius, aut quod maius beneficium in hac vita esse potest, quàm inter has tenebras, non nostrum consilium, sed Deum ipsum habere nostrarum actionum moderatorem, vt eius sapientia regamur, eius etiam ope, auxiliísque subleuemur?

Decimus tertius fructus vtilitas ex regulis scriptis.

CAPVT XXV.

PRæpositorum viuæ voci proxima, & simillima est omnino scripta vox regularum, quæ sunt quasi ossa, neruíque religionis, vt sine iis nulla possit bene consistere. Quod si ex hominum rectorum consilio, & ductu tanta percipiuntur commoda, quanta modo diximus, non minora, atque etiam vberiora fortasse ex his regulis percipi necesse est. Primum ob eam rationem, quam de omnibus legibus scripsit Aristoteles, quod affectibus, & perturbationibus careant, idémque & eodem modo cum omnibus loquantur, neque vllius gratia, aut odio varientur. Ex quo is effici vult, cum lex dominatur, ipsum Deum dominari, in quem item nulla cadit perturbatio, aut variatio. Deinde hoc etiam habent regulæ amplius, quam rectores ipsi, quod hos quoque illarum præscripta sequi conuenit, vt, si quid boni præcipiunt, id ex illarum fontibus hauriant. Quare idem Philosophus reipublicæ formam, quam optimam quærit, sic instituendam putat, vt lex ipsa vigeat, & quodammodo sola regnet, magistratus autem, & princeps sint tantum ministri, & custodes legum, sed ita, vt auctoritatem habeant eas & interpretandi, & supplendi etiam, si quid emergat, quod sermone illo generali, quo lex vtitur, minus prouideri, & comprehendi potuit. Hanc autem formam in omni religione vigere constat. Accedit etiam quod legibus condendis plus sine dubio meditationis, & deliberationis tribuitur, quam ei, quod voce præcipitur. Præterea hæ nec vni perlatæ, nec ab vno probatæ sunt, sed & toti cuipiam vniuersitati feruntur, & ab ea tota approbantur. Itaque maior est etiam earum auctoritas, & reuerentia quædam, quod nemo sit tam impudens, qui non iudicium suum tot aliorum iudiciis facile obrui patiatur. Neque verò illa parua est regularum vtilitas,

3. Pol. 11.

vtilitas, quod ea præscripta ferunt, quæ quodammodo nos ex virtute viuere cogant. Verùm enim, & scitum illud est,
10. Eth. cap. vlt. quod est ab eodem Arist. in alio libro scriptum de legibus, eas omnino necessarias esse: neque enim aliter posse homines rectam, & honestam vitam ducere: reddit autem caussam, quoniam virtus sit bonum arduum, & difficile, ac laboriosum, non enim eiusmodi est, quod nobis ingeneretur, aut nobiscum nascatur, sed studio, ac sudore acquirẽdum est Itaque cum plerique hominum laborem fugiant, & vtilitatem, quæ tam caro constet, negligant, aliquid requiri, quod eós impellat ac pene cogat. Hanc autem bene viuendi necessitatem à lege imponi: qua tamen illud assequimur, vt cum initio necessitate hac coacti bene viuere cœperimus, assuetudo deinde, & ipsa exercitatio, & quasi experientia quædam eius suauitatis, quæ in virtute latet, eam nobis voluntariam, amabilemque reddat. Huic Aristotelis sententiæ omnino congruit etiam ille Platonis locus, in quo disserit, necessarium
Dial. 9. de legi. esse, vt hominibus leges ponantur, quo secundum leges viuant; quoniam nullius hominis ingenium ita natura institutum sit, vt quæ ad humanæ vitæ bonum conferunt, sufficienter cognoscat, aut, si cognouerit, semper exequi possit, aut, si possit, velit. Cum ergo hoc ita sit, non potest dubitari quin nihil salutarius, & ad omnem spiritualem profectum aptius sit religione, quæ nobis necessitatem afferat bene viuendi, eámque necessitatem deinde etiam voluntariam efficiat; quod confirmat Hieronymus in epistola ad Rusticum:
Ep. 4. Tibi, inquit, cum in monasterio fueris, hæc facere non licebit, & inolescente paulatim consuetudine, quod primum cogebaris, velle incipies & delectabit te labor tuus, oblitúsque præteritorum, semper priora sectaberis. Hoc igitur faciunt religiosæ leges, atque instituta omnia, vt doceant quid sit agendum, quæve totius vitæ ratio tenenda, deinde vt hoc ipsum, quod docent, etiam exigant. Tanta est enim ipsarum potestas, & maiestas nescio quæ, vt quibus impositæ sunt, iis omnes parere debeant, nec liceat vel latum vnguem recedere. Ita autem descriptæ, itaque factæ sunt, vt nullam partem vitæ nostræ relinquant, quam non informent, interiora, exteriora, animum, corpus, publice, & priuatim, domi, & foris. Quare hoc mihi videntur hæc religionum præscripta, quod medicorum aphorismi ad tuendam sanitatem, vel quod est in longo, ac dubio itinere, si quis accuratam totius viæ descriptionem, & indicem secum ferat. Vt enim illud ad morbos,

bos, hoc ad errores vitandos vel plurimum conferat, ita ad animum suis item erroribus, suísque languoribus, qui multo sunt grauiores, liberãdum, incredibilem in modum prodest, talem inuenisse vitæ degendæ rationem, ac methodum, ex qua te ipsum cõponere, & quasi ad speculum fingere queas, & in qua meditari quid tibi amandum, & inquirendum, quid contra exuendum, quid fugiendum sit. Itaque ne illud quidem verendum est, ne vlla regularum, aut legum multiplicatio grauis, atque odiosa videatur eis quidem, qui se ipsos, & qui sua cõmoda, & vtilitates verè ament. Hoc enim illud est, quod Solonem, qui inter veteres Sapientis nomen obtinuit, dixisse ferunt. Nam cum leges Athenienfibus scriberet, Anacharses autem philosophus eius familiaris, qui scribenti interuenerat, illius operam irrisisset, cum diceret, leges aranearum telis similes esse, quæ infirmiores tantum bestiolas retineant, à valentioribus autem rumpantur, respõdit Solon, quemadmodum pacta, & conuenta tum maximè seruari solent, cum vtrique parti sunt vtilia, quia neutra pars ea rescindi velit, sic ea decreta condere, quæ omnibus magis expediat seruari, quam non seruari. Hoc igitur si in prophanis legibus verum est, quanto magis in sacrorum ordinum canones, & instituta valebit? Constat enim, in his nihil aliud spectari, nihil quæri præter bonum & omnium, & singulorum, & certè verum, & sempiternum bonum: itaque ea tantum ab vnoquoque diligi, & curari necesse est, quantum quisque proprium bonum amat, & curat. Quamobrem non illa modo decreta, quæ sunt in religionibus maiora, & de rebus maioribus, vt de tota communitate, aut quæ ipsam earum essentiam attingunt, sed etiam minima quæque, si modo minimum aliquid dici potest, quod ad æternitatem conducit, sed certè quæ ita humano iudicio æstimari solent, ingentem tamen habent vtilitatem. Nam vt in vite, aut in arbore quauis frugifera, superflua fortasse cuipiam videri possint folia, quæ sunt tamen necessaria, quoniam cum ad ornatum, tum verò, quod maius est, ad fructus ipsos cõseruandos faciunt: ita hæc fructuum spiritualium seges, in quibus salus nostra consistit, habet etiam alia quædam minuta quidem in speciem, sed tamen eiusmodi, vt ab iis & defendatur, & ad maturitatem perducatur.

Illud autem totius huius vtilitatis caput est, quod, vt paulo ante de præpositorum institutione dictum est, eam Dei ipsius esse institutionem, idem etiam de regulis hisce nostris di-

cendum, ac tenendum est. Ac, quo minus dubitetur, non est hoc nostrarum legum tantummodo proprium, sed commune omnibus legibus, etiam prophanis, modo istius, & æquis, etiam quæ à populo, vel à principibus feruntur. Quod
1.2.q.93. art.3. cùm alij Theologi, tum omnium princeps B. Thomas luculenter docuit, qui ita scripsit, legem omnem, modo, vt diximus, bonam, & iustam, nihil esse aliud, quam deriuationem, & quasi radium illius æternæ legis, quæ est in Deo; idque duplici modo, primum participatione eius potestatis, quæ necessaria est ad leges condendas, de qua dictum est ab
Rom. 13. Apostolo Paulo, Omnis potestas à Deo est. Deinde ob id, quod illud ipsum, quicquid est, quod à legitimo rectore decernitur, consentaneum, & congruens est cum eo, quod in Dei mente fixum, & constitutum est. Nam cum certum sit, omnia à Deo gubernari, & ad suos quæque fines dirigi: certum etiam sit, oportere huius gubernationis in Dei mente rationem aliquam comprehensam esse; quos deinde ad hanc gubernationem exequendam, quasi instrumenta, adhibet, cum iis etiam oportet, vt suam illam rationem, quantum cuique opus est, communicet, vt per eorum iussa, & decreta, suas quoque voluntates, & decreta, quæ in ipsius mente latebant, euoluat, atque explicet. Quæ cum, vt dixi, omnibus legum latoribus conueniant, tum verò in religione præcipuum locum habent, quod omnia hic magis ordinata sunt, ac ne vlla quidem est perturbationis causa, vbi nullæ opes, nulli opulenti magistratus, vel alia huiusmodi ambiri possunt, quorum gratia sæpè in legibus ferendis peccatur in Republica. Atque hoc tum rationibus, quas dixi, tum etiam expressis miraculis sæpè constitit, quibus Deus se religiosi cuiusque instituti auctorem declarauit, vt in Pacomio cui, vt legimus, Angelos regulam vniuersam ipsi, ipsiúsque fratribus tenendam tabulis descriptam attulit, in qua singulatim omnia explicabantur, quis habitus, quæ munerum distributio, quæ in victu, quæ etiam in accubitu seruanda esset ratio. Recentius verò est, quod de Francisco accepimus, quem ad suam regulam conficiendam tali visione Deus animauit. Videbantur ei tum ipse, tum socij eius fame admodum afflicti, nec aliquid habere, quo se, & illos reficeret, præter multas panis micas, quæ quoniam admodum minutæ essent, vereretur, ne inter partiendum ex digitis elaberentur, quare cum de hoc solicitus esset, vocem audiuit, qua monebatur, vt ex micis illis collectis hostiam vnam

vnam conficeret, quam cum deinde suis porrigeret, aduertit, qui eam reiicerent, aut contemnerent, eos statim turpissima lepra operiri, quæ visio nocte postera ita ei exposita est, vt amicæ illæ essent consilia euangelica, hostia verò ipsa regula, lepra denique malitia. Quin etiam cum deinde ad hanc regulam conscribendam in montem quendam per quadraginta dies, tamquam alter Moses, secessisset, & ad eum aliquot ex eius familia adeuntes, de nimia, quam timebant, seueritate conquesti essent, ecce vox de cœlo ruit, eadémque tertio repetita est, Francisce nihil tuum in hac regula: tota mea est, eámque totam seruari volo ad litteram. Ego noui quid hominis vires ferant, quidve ego ei auxilij, atque opis collaturus sim. Denique, iam confecta regula, & ad Pontificem Honorium delata, cum multa quæstio iniecta esset illi paupertatis generi ita rigido, & ita nouo, B. Franciscus iterum grauissime, sanctissiméque confirmauit, ne verbum quidem vnum de suo ibi positum, sed omnia, vt erant, à Christo Domino inuenta, & dictata. Hoc igitur, quod Francisco contigit, vt ex Dei mente, certóque instinctu, & afflatu, leges suas conscriberet, idem de aliis quoque credendum est, qui sacros ordines fundarunt, eosque suis institutis temperarunt, vt Basilius, Benedictus, Augustinus, & ceteri, nam & causa eadem est omnium, nec religionibus propter illos, sed magis illis propter religiones id lumen, eaque dona de cœlo impertita sunt. Certe de parente, & fundatore nostro Ignatio hoc confirmare possum, quod ego ipse vidi, extare adhuc commentariolum ipsius manu scriptum eo tempore, quo in cōstitutiones condēdas incumbebat, de vno dumtaxat capite, in quo propter quasdam dubitationes multis diebus hæsit. In eo igitur libello annotata sunt per dies singulos lumina, raptus, & visiones, quæ illi contingebant, modo B. Virginis, modo sanctissimæ Trinitatis certis symbolis adumbratæ, modo etiam aliæ. Ex quibus aperte constat, non tantum id caput, de quo hæc scripta sunt, sed alia etiam, de quibus nihil extat, non humano sed planè diuino consilio constituta; idque de ceteris quoque religionibus tanto etiam magis intelligendum est, quanto hæc nostra illis de dignitate, & sanctitate concedit. Cum S. Benedictus vita functus est, eodem die, vt narrat Gregorius, duobus ex eius grege monachis visum est videre viam quandam amplam, & rectam, palliis stratam, innumerisque luminibus coruscantem, & senem quēdam astantem, qui *2. Dial. cap. 37.*

qui diceret. Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus ascẽdit in cœlum. Hanc igitur viam Bernardus nihil ait aliud esse, quam vitæ formulam ab eo institutam, quam vt ille seruans ascendisset in cœlum, sic omnes, qui eum sequerentur. Neque enim, inquit, venire, in dubium aliquatenus potest, quin omnino sacer sit modus conseruationis, & diuina magis inspiratione, atque consilio, quam humana prudentia, vel adinuentione formatus, quo nimirum tantam in vita gratiam sanctitatis, tantum post obitum gloriam felicitatis idem Benedictus obtinuit. Quod ergo Bernardus de illa, hoc religiosus quisque de sua item regula credere, ac profiteri debet, qua ingrediens, & sine errore, vt in tanto lumine, & cum magna etiam ac perpetua voluptate, ad immarcessibilem cœlestis patriæ voluptatem perueniet.

Hom. Ecce nos reliq.

Decimus quartus fructus ex bonis exemplis.

CAPVT XXVI.

MAGNAM esse exempli vim in vtramque partem, tum ad virtutem, tum vero ad vitium quoque impellendi, nemo est, qui ignoret. Hanc enim ob causam scriptum est in Prouerbiis. Qui cum sapiente graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur. Quare hoc quoque saluberrima est religio, primum quod mala omnia exempla, quibus secularis vita adeo plena est, ab oculis remouet, deinde quod tantam sanctorum exemplorum copiam semper, & assidue ob oculos proponit: quod quidem ita vtile, ac fructuosum est animæ ad cœlestia bona aspiranti, vt inter præcipua huius generis numerari debeat. Testis est Antonius ille magnus, de quo Athanasius, optimus in primis auctor, hoc tradit, de industria eum inter multos potius, quam solitarium viuere decreuisse, quoniam ex omnibus, quibuscum viuebat, bonum aliquod elicere studebat, ita vt, quasi vniuersarum virtutum fontibus irrigatus, omnium in se dotes exprimeret. Nec solùm hoc ipse exequi, sed idem etiã aliis præcipere & inculcare consueuerat. Quod eius institutũ vberius exponens Cassianus, Vetus, inquit, est B. Antonij, admirabilisque sentẽtia, monachum, qui post cœnobiale propositũ fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere, minime debere ab vno vniuersa genera virtutũ expetere. Alius enim sciẽtię floribus exornatur, alius discretionis ratione robustius cõmunitur: alter patiẽtiæ grauitate fundatur; alius humilitatis,

Prou. 13.

Lib. 5. cap. 4.

tis,alius continétiæ virtute præfertur, alius simplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis ,ille misericordiæ, iste vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris studio supereminet ceteros;& idcirco monachum spiritalia mella cōdere cupienté, velut apé prudétissimam, debere vnāquāq; virtuté ab iis,qui eam familiarius possident,decerpere, & in sui pectoris vase diligéter recōdere.Hæc quidé Cassian⁹ex Antonio.Nos aūt videamus,quibus modis,aut quib⁹ viis Religio alienis exéplis nos informet,& ad virtuté erudiat.Hoc.n.primū efficit,quod quasi lumine adhibito certū iter ad virtuté demonstrat,. in quo itinere magna solet esse obscuritas,& caligo,vtpote in rebus spiritualibus,quę sunt à sensib⁹ remotissimæ,& quas insuper tenebrarū princeps ille tenebris suis perpetuo magis obscurare conatur. Itaq;,vt dici solet, picturam, atq; imagines rudibus hominibus libri instar esse,sic exempla quoq; ipsa libri sunt grādibus quibusdā litteris conscripti,quæ in ipsos oculos etiā negligētis,& aliud agētis incurrere possint.Est prętcrea ille quoque exemplorū duplex fructus, qui à Seneca paucis verbis optime indicatur: Plus tibi,inquit, viua vox, & cōuictus,quā oratio proderūt. primū quia homines pl⁹ oculis,quā aurib⁹ credūt:deinde quia longū iter est per pręcepta,breue, & efficax per exépla. Breue, inquit, quia sine multa verborū circuitione,vt fit in cōcione, vel in disputatione,nec definiendo,aut diuidédo,virtutis natura aperitur,sed potius eā ipsam exhibédo,& repræsentādo:vt exépli causa, si Cæsaré dicendo describere velis,lōgo sermone opus sit,neque tamé adeo perfecte pingere eū possis:sin vero ipsūmet sistas mométo téporis ex ipso cōspectu multo clari⁹,& certi⁹ cognoscetur.Sic enim,cū Frácisc⁹ leprosum lauabat,cū Catharina Senésis maledicæ,ac pene furiosæ mulieri tā constanter famulabatur, haud paulo melius, & cōpendiosius etiā docebāt quid amor proximi,quid sui ipsi⁹ odiū postulet,& quaten⁹ progredi debeat,quomodo humilitas,& patiétia exercenda,quam si longa, & accurata oratione hęc omnia declarāda suscepisset. Accedit deinde illud etiam, quod idé Seneca addit de hoc doctrinæ genere,vt nō solū breue sit,sed insuper efficax.Primū enī, quod certe maximū est, hoc docetur,quicquid illud sit,cū ab aliis factitari videamus,non adeo arduū esse, atque à nobis quoque fieri posse.Nā quæ libris,vel quæ voce dissetūtur,prosunt illa quidé ad mété instruédā,sed plerūq;dif *Epist.6.*

M ficultas,

ficultas,quam ostendunt,rudibus præsertim,& nondũ ex-pertis,asperum quiddam, & odiosum obiicit. Quod cessat,cum eadem illa iã alterius,vt nos sumus,hominis consuetudine expressa, & in rẽ,vsumq; perducta nos ipsi spectamus: non secus ac si de montis iugo dubitetur,sit ne su-

9. Mor. 35. perabile,nihil certiorẽ facit fidẽ,quã si multos iam superasse,& in eo iam stare conspiciamus.Docet hoc Gregorius, qui verba illa B. Iob, Instauras testes tuos contra me, ita interpretatur, vt hi testes sint homines recti, & iusti, qui vita ipsa Dei præcepta,atque etiã præceptorũ præmia contestantur,vt qui præceptis non accẽdimur,saltẽ exẽplis excitemur, atq; in appetitu rectitudinis nil sibi mens nostra difficile æstimet,quod perfecte peragi ab aliis videt.Quin etiã illa maior est exẽplorum vis in religione,vt nõ modo hũc,quẽ diximus,difficultatis metũ adimãt;sed etiã ad eadẽ agẽda occultis quibusdã stimulis incitẽt. de quo præcla-

Serm.de S, Laur. re sanctus Leo,Facilis,inquit,ad exhortandũ sit ratio,efficax ad suadendũ:validiora sunt tamẽ exempla,quã verba, & plenius est opere docere,quã voce.Habemus autem huius rei certissima in multis experimenta , qui è profundo voluptatũ,aliorũ ve cœno vitiorũ,hominũ exẽplis incitati,facile,ac breuiter emerserũt .E quorum numero fuere

8.Cõf.6. duo illi,quos Augustin⁹ cõmemorat,ex aula Imperatoris Theodosij,cum in vitã Beati Antonij scriptã incidissent, inter legẽdũ cœpisse mirari,& accẽdi,denique ita exarsisse;vt ambo in eodẽ loco,in quo cõstiterãt,seculari militia relicta, nouã militiam in Dei famulatu exorsi sint. Quod factũ cum in sermone familiari Potitianus Augustino enarrasset,simulq; Antonij, cuius adhuc ei nomẽ ignotum fuerat,ĩstitura,& Aegyptiorũ monasteriorũ greges,ac mores illos,vt ipse ait suaue olentiæ Dei vberi⁹ exposuisset,tãtos ea res igniculos,vel faces poti⁹,Augustini pectori subiecit,vt nũquam animo nũquam cõsciẽtia cõquiescere potuerit, donec ipse quoq; seculo renunciare, & cælesti vitæ adhærere decreuerit.Ita Antonij exẽplũ duos illos, vtriusque vero Augustinũ pertraxit,Augustini itẽ multos alios. Idẽ sæpe pluribus alijs contigit,quos longũ esset numerare;sed insignes illi duo,Ioannes Columbinus,is qui clericis Apostolicis,& Ignatius,qui Societati nostræ initiũ dedit;quorũ alter Mariç Aegyptiacæ,alter sanctorũ Patrũ vitas legẽs,idque casu potius,quã consilio , repente vterque immutatus,ad tantam deinde sanctitatẽ peruenerũt.Ergo

si tantum

ſi tantum poſſunt exempla omnia,etiam ſcripta, & quidē antiqua,atque ex annalium memoria eruta,ſine vlla dubitatione multo magis poterunt recentia, & viua,maximeque domeſtica,quibus ipſi aſſidue interſumus. Manifeſtū eſt enim quanto nos vehementius ea mouent, quæ nos ipſi ſpectamus,quam quæ ab alijs audimus,quo acrior eſt oculorum ſenſus,quam aurium:præſertim cum ſcriptura, vt diſerta ſit non ita rem repræſentare,eiuſque omnes circumſtantias, in quibus præcipuus eſt animorum motus, expingere poſſit.Quin etiam ſi hæc in ſeculo valuerunt,vt ſeculum ipſum deſereretur, tantis vinculis, tamque fixis radicibus,tam multis etiam retinentibus,& renitentibus, lumine vero adhuc tenui,& infirmo,non multo magis valebunt in religione,vbi oĩa faciliora,vbi maius lumē,mai⁹ robur ad promouendum modo humilitatis,modo obediētiæ,modo aliarū virtutū profectum?Sine dubio, & id quidē ſuauiſſime omnino,& placidiſſime. Hic enim exēplorū tractus non aſper eſt,nec violētus,ſed plane mollis, & dulcis,vt pote noſtræ naturæ maxime congruēs.Deniq; illud etiam in hac re optimum,quod nihil eſt quod ita iuuet ad nos ipſos cognoſcēdos,& veriſſime,atque intime humiliādos,quā ſi cū ijs viuamus, quibus cōparati inopiam noſtram,præ illorū copia,& diuitiis,quaſi oculis ipſis intueamur.Eſt apudBernardum de quodam monacho,eoque laico, qui ad eius ſe pedes abiiciens cum magna confuſione ita ſeipſum accuſarat,Væ mihi,quia fratrem vnum hac nocte conſideraui,in quo triginta virtutes numeraui, quarū ne vnam quidem in me inuenio.Hęc ergo tāta humilitas: quę ſola fortaſſe triginta illis virtutib⁹,quas in alio aduerterat, præpōderare potuerat, vnde in hui⁹ animo effecta eſt,niſi ex aliorum aſpectu,& comparatione;Hoc enim ipſum eſt, quod monet B. Gregori⁹: Qui, inquit,pleniſſime intelligere appetit,qualis eſt,tales nimirum debet conſpicere,qualis non eſt,vt ex bonorum forma metiatur quanto ipſe deſerto bono deformis eſt.Ex ijs quippe,quib⁹ pleniſſime bona adſunt,perpēdit recte quæ ſibi min⁹ ſūt,atq; in illorum pulchritudine conſpicit fœditatem ſuā, quā in ſemetipſo & perpeti poteſt,& ſentire non poteſt.Iuſtorū ergo debemus vitam conſpicere, vt ſubtiliter deprehēdam⁹ noſtram.Illorū videlicet ſpecies,quaſi quædam forma,nobis imitanda proponitur;quia viua lectio eſt vita bonorū. Hoc igitur,quod Gregorius præcipit, nuſquā certe meli⁹,

Ser. de altit. ac baſsit. cordis.

24. Mo. cap.6.

& commodius fieri potest, quam in religione, vbi tanta est copia hominum bonorum. Itaque videamus quo-
Ser. 54. modo id faceret S. Bernardus, & quomodo ad idem faci-
Cant. endum suos exhortetur. Alium, inquit, intueor singularis abstinentiæ, alium vero patientiæ admirandæ, alium autẽ summæ humilitatis, & mansuetudinis, alium multæ misericordiæ, & pietatis, istum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulsare cœlos orationum instantia, aliosque in aiijs præeminere virtutibus. Hos inquam, considero omnes feruentes, omnes deuotos, omnes donis cœlestibus, & gratia affluentes, tamquam spirituales reuera mõtes, qui à Domino visitantur. Ego autem, qui horum in me inuenio nihil, quid me aliud putem, quam vnũ de mõtib⁹ Gelboe, quem præterit in ira, & indignatione sua ille cæterorũ benignissimus visitator? Filioli, hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam, Sponsi saltibus pręparat. Hactenus Bernardus. Est autẽ hic fruct⁹, quẽ ipse commemorat, magni omnino in religione æstimandus. Nã pręterquã quod hoc ipsum, se ex aliorũ collatione despicere, seque odisse flos quidã est humilitatis, Deo gratissimus, & iucundissimus, hoc etiam affert ista intima nostri cognitio, in quo vno audeo dicere nostri profect⁹ fere sũmã cõsistere, vt semper nos incitet ad ea comparanda, quę nobis deesse sentimus, idq; eo magis, quod hæc ipsa, quæ nobis desunt, in aliis abũdare videmus: ex quo honestissima quædã, & sãctissima existit inter fratres cõcertatio ad virtutẽ, qualis inter cõdiscipulos ad doctrinã, inter milites ad coronã, inter cursores ad præmiũ. Vt enim, si plures stadiũ currant, tunc optime quilibet tarditatem suam videt, cum videt quãto interuallo alij præcedãt, & hoc ipsum vehemẽti⁹ stimulare solet, ita in hoc spirituali curriculo vix aliud est, quòd adeo nobis tepiditatẽ nostrã & ĩdicet, & exprobret, vt aliorũ feruor; vt, nisi oĩno saxei, aut plũbei sim⁹, hęc vna res sufficere possit ad nos incitãdos. Quamobrem hoc statuendũ est, magnũ oĩno lucrũ, idq; quotidianũ, & perpetuũ accipi ex fratrũ, quibuscũ viuim⁹, exemplis, quæ nos cessare nõ sinũt, sed in oẽm partẽ erudiũt, & instruũt, atque etiam impellunt. Quod quidem tanti est, vt etiam si solitaria vita, qualis fuit veterũ anachoretarum, omni virtutũ copia abundet, eam tamen hoc tanto cõmodo carere
Ep. 4. necesse sit: vt sapienter S. Hieron. ob hanc ipsam causam Rusticũ hortetur, vt in monasterio potius viuat, in multorum,

rum,vt ait,cõſortio,vt ab alio humilitatem,ab alio diſcat patientiam,hic ſilentium doceat, ille manſuetudinẽ. Quo eodẽ pertinet etiã,quod Theod. antiquus auctor , æqualis nimirum veterum illorum Patrum,quorum etiam pleroſq; vidit,de Publio ſanctiſſimo homine narrat,eum,cum ſenatorio,atq; in primis claro genere ortus eſſet,ex ciuitate Græciç,quç Zeugma dicitur, in iugo quodam proximo cõſediſſe, moxque ad eum multorum concurſu facto, initio quidẽ ſingulis ſingulas caſas ædificatas eſſe,deinde vero melius viſum,vt iis dirutis in vnã omnes domum cogerentur,vt conuiuendo ſe ſimul ad pietatẽ inflammarẽt.Itaque ipſam deinceps ſçpe eos cohortari ſolitum,vt alter ab altero aſſiduam vtilitatem haurire conarentur:atq;hic quidem illius manſuetudinem imitaretur,ille contra manſuetudinem ſuam huius zelo roboraret:alius porro ab alio vigilantiam diſcens, illum viciſſim ieiunij auſteritatem doceret:denique omnes ſibi inuicem & diſcipuli fierẽt,& magiſtri.Sic enim fore aiebat,vt alter ex alteri⁹ vitã,quæ ſibi deerant,deſumẽtes,perfectiſſimum virtutis cumulum cõficerẽt.Quod documẽtum prçclarum aptiſſima etiam ſimilitudine cõfirmabat.Nã vt in ciuitatis forum plurimi opifices cõueniunt,alij qui panes,alij qui olera, aut veſtes, aut calceos vendãt,nec vllus eſt,qui ſufficiat ad omnia,quç vitæ neceſſaria ſunt,per ſe paranda,ſed potius aliis impertiẽdo,quibus ipſe abundet,vt panem, vt veſtẽ, ſumit ab aliis, quæ ſibi deſint,oleum,vinum,calceos , & ſimilia:ita õnino oportere Dei famulos in vnũ quaſi mercatum conuenientes,cum nemo ſolus omnia obtinere poſſit,hoc ſtudioſe agere, vt virtutis partes pretioſiſſimas inter ſe commutent ; & alij ab aliis accipiant quod per ſe non habent.

Decimus quintus fructus vnitas quam maxima religioſorum inter ſe.
CAPVT XVIII.

IN tota Saluatoris noſtri lege hoc conſtat,nihil eſſe aliud vel grauius præceptum,vel crebrius commẽdatum, quã mutuam coniunctionem cum fraterna caritate.Quam cõiunctionem quantopere ille arctam eſſe voluerit , aperte indicauit , cum in vltimo illo quaſi voluntatis ſuæ teſtamento precatus eſt à Patre , vt ſui omnes electi ita eſſent inter ſeſe vnum, ſicut ipſe cum Patre vnũ eſſet.Nihil enim maius , nihilve ſignificantius dicere potuit , cum inter Fi- *Io.18.*

M 3 lium,

lium,& Patrem, vt est vna omnino,eademque natura, sic etiam indiscretam,& indiuiduam esse necesse sit & sententiam,& voluntatem.Atque hæc quidem concordia, & vnitas diu viguit,maxime primis illis, quod vere dicere possumus, aureis temporibus, quæ recentibus adhuc Domini

Act.4. præceptis flagrabant, cum, vt est in Actis Apostolorum, vnum erat credentium cor,& anima vna,& vna etiam res,

In Apolog.cap.39. ac facultas in commune collata.Itaque Tertullianus, auctor grauissimus, non dubitauit dicere, totam euangelicam legem constitisse in caritate inuicem exhibenda, ita vt in Gentilium ore multum esset,Vide vt se diligant,vt alter pro altero mori sint parati.Quin illud etiam cõmemorat,Christianis omnibus tunc solemne fuisse,vt se fratrum vocabulo appellarent,neque id solum verbo,sed factis etiã testarentur: siquidem omnia illis præter vxores communia fuisse,nec quempiam fuisse,qui aliquid haberet, quod suum esse mallet,quam proximorum; cuius tam communis caritatis, ac beneficentiæ non solum exemplum,sed vis quoque apparuit in Pacomio,de quo sic accepimus, cum gentilis adhuc in Constantini Magni exercitu militaret,& deficiente victu, fame omnes enecti essent, peruenisse ad ciuitatem quandam,vbi omnis statim eis commeatus suppeditatus est,idq; tãta volũtate,cura,ac solicitudine,vt Pacomius intuens,satis mirari non posset:cum autem quęsisset, quænam ea gens esset adeo ad benefaciẽdum propensa,essetq; ei dictũ Christianos vocari,quorũ hoc esset institutum,vt omnes homines complecterentur,& officiis prosequerentur,illico eius religionis,de qua numquam antea aliquid audierat, amore incensus, manibus in cœlum sublatis,teste inuocato Deo,ei se in perpetuũ deuouit. Hãc igitur euangelicã vnitatẽ, rẽ vnam omnium præstantissimam,& Christo Saluatori nostro acceptissimam, quę prisca illa ætate adeo culta, nunc autẽ in hac fece temporum ita obscurata,ac labefactata est,vt vix reliquiæ maneant,religios' stat' abunde instaurat,perfecteq; redintegrat.Itaq; hanc ipsam dicere possumus vnam esse ex maximis eius vtilitatib',quod nos ad eam exactissimam societatẽ,vitęq; communitatem,& perfectissimam caritatem reformat,ac reuocat,in qua Dominus noster notam,ac symbolum inesse voluit,ex quo veri eius discipuli agnoscerentur.Sed hoc ipsum plani' constabit,si religiosæ societatis vinculum cũ aliarũ societatum vinculo cõferam', vt intelligatur quanto

tò id præstet interuallo. Duplex enim est hominum nexus, quo inter se alij cum alijs astringi solent: alter, quã ipsorũ voluntas instituit, vt inter amicos, aut milites, vel mercatores: alter, quem natura ingenerauit, cuiusmodi est inter fratres, sobrinos, aliosve consanguineos. Ac priorem quidẽ illam necessitudinem certum est cum religionis coniunctione nullo modo cõparari posse. Illa enim certos limites habet, eosque valde angustos, in aliis militiæ, in alijs mercimonij, vel consuetudinis tantũ, ac familiaritatis cuiusdã, extra quos limites cetera cuique propria, & separata sunt. At inter Dei famulos nihil vlli suum, nihil discretũ, & distinctum ab alijs, sed omnium omnino rerum, & negotiorum, ac studiorum sine vlla exceptione communitas. Præterea illa omnia vincula, vt voluntate suscepta sunt, sic voluntate deponi possunt, & plerumque deponuntur, alias morum, aut fortunæ mutatione, alias ætatis conuersione, interdum vero contentione alicuius cõmodi, quod plures adipisci non possint, vt nihil difficilius sit, quam hæc beneuolentiæ genera longius prouehi. Religiosi vero nõ solum instituti, sed voti quoque vinculo colligati sunt, vt quemadmodum à Dei seruitute, ita ne inuicem quidem à se disiungi possint. Verum quid mirum est, has omnes voluntarias societates à religiosa caritate adeo vinci, cũ ipsam etiã naturalem coniunctionẽ sine vlla dubitatione vincat? Quæ enim maior esse potest coniunctio, quã fratrũ, qui ex eodẽ principio fluxerunt, & in eadem aluo habitarũt, &, vt scriptura loquitur, eadẽ caro, idemque os videntur? Sed tamen inter hos quoque rara gratia, crebra iurgia, studiorũ vero dissimilitudines magnæ, tum vero aut nulli, aut paucissimi, quibus res familiaris diutius possit durare cõmunis. Contra vero in religione, vt paulo ante diximus, communia omnia: vt de vtriusq; cõparatione rectè dictũ sit ab Augustino; Melior est, inquit, fraternitate sanguinis Christi fraternitas, quoniã illa interdũ sibi inimica est, Christi autẽ fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cũ æmulatione diuidit: hæc etiam cum gratulatione cõmunicat. Illa in consortio sæpe despicit germanos: hæc assumit frequenter alienum. Quin etiam ex ipsis ethnicis philosophis fuere qui scripserint, omniũ societatũ nullã esse vel præstantiorem, vel firmiorem, quam cũ viri boni moribus similes sunt familiaritate cõiũcti. Quo in genere illa etiã laudari solet Antistenis sẽtẽtia, quem aiunt solitum

Gen. 29.

Ser. 27. de verb. Apost.

Cic. 1. offic.

solitum dicere, virum iustum pluris faciendũ, magisq; diligendũ esse, quã cognatum, arctioraque esse virtutis, quam sanguinis vincula, propter animorum similitudinẽ. Quod ipsum, & grauius, ac melioribus etiam verbis, confirmauit
1.offi.c.7. Ambrosius, cum ita ait, Nõ minus vos diligo, quos in euãgelio genui, quã si in coniugio genuissem: nõ enim vehementior est natura ad diligẽdum, quã gratia: plus certe di-
Col. vlt. ligere debem⁹ quos perpetuo nobiscum putamus futuros,
ca.vlt. quam quos tantũ in hoc seculo. Vberius vero, & expressius Abbas Abrahã apud Cassianũ in quadã collatione, in qua nostram hanc coniunctionem, quã efficit religio, lõge prȩfert cuiuis coniunctioni, quã natura effecerit. Hanc siquidem, inquit, quam inter parẽtes, ac filios, atque germanos, cõiuges, vel propinquos, siue societas copulæ, siue consanguinitatis necessitudo coniungit, satis breuem esse cõstat, ac fragilem. Deniq; etiã boni, ac pij, cum adoleuerint, filij à parentum domibus, nonnumquã & substãtijs excluduntur: Communio quoque consortij cõiugalis interdũ etiam honesta causa interueniẽte diuellitur: fratrum dirimit caritatem cõntẽtiosa diuisio. Monachi soli perpetuã coniunctionis retinẽt vnitatem, atque indiscrete possidẽt vniuersa, qui omnia sua esse, quæ fratrum, omnia fratrũ esse cre-
Col. 16. dunt, quæ sua sunt. Accedunt etiã ad huius coniunctionis
c.6. firmitatem stabiliendã illa, quȩ sunt ab eodem Cassiano ex sermone Abbatis Ioseph egregie tradita, in quo sermone sic differit: Vt concordia diutius retineatur, necessarium esse, vt omnes vel diuitiarum, vel cuiuscumque rei terrenȩ cupiditates funditus eiiciantur; deinde illud quoque, vt ita suas quisque resecet voluntates, vt alterius potius, quam suo, arbitrio stare velit. Quæ si vera sunt, vt sunt certe verissima, iam in promptu est videre, quã arduum, & difficile sit, vt in seculo plurium animi vere, apteque conglutinentur: hoc vero idem in religione quam procliue, ac ferme etiã, vt ita dicam, sit necessarium, vbi voluntaria paupertas omnium litium materiã, vbi voluntaria obediẽtia omnem
Hom.58. volũtatis propriæ impetum, atque etiã vsum sustulit? Quo-
ad pop. circa recte Chrysostomus de hoc ipso religiosorum bono. Quid mirum est, inquit, quod vna sit omnibus vestis, & mensa, cum vna sit omnibus anima, non tantum natura (nã hoc commune est omnibus hominibus) sed etiam caritate? Quomodo igitur contra seipsum quispiã consurgeret? Sic igitur Chrysostomo ita nõ fieri posse videtur, vt religiosus

aduersus

aduerſus religioſum litiget, vt fieri non poteſt, vt aliquis aduerſus ſeipſum litiget. Quemadmodũ enim in vno homine plura membra ab anima vna retinẽtur,ſic in religione plures homines vnius quaſi animæ conſenſione,& caritate. Magnum ergo beneficium, ac non vtilitate ſola, ſed etiam iucunditate pleniſſimum,&,ſi vere cõſideremus, pene etiã miraculum,cum tanta ingeniorum,naturarum,ætatum,ac nationum quoque diuerſitas, gratiæ tamen diuinæ vi adeo colligetur,vt tanti vbique, tantaque amoris conſpiratione cõſentientes viſantur ſodalium greges ita inter ſeſe omnibus deuinctis,ac multo etiam magis, quam ſi ex eodem vtero prodiſſent,eodemque lacte aliti eſſent:quod merito commendat,& miratur Baſilius:Homines, inquit, ex diuerſis nationibus,& regionibus profectos, per exactã morum,ac diſciplinæ ſimilitudinem,adeo veluti in vnum coaluiſſe, vt in pluribus corporibus vnus tantum animus ineſſe videatur,viciſſimque plura corpora vnius animi inſtrumẽta. Hæc autem tam arcta religioſorum coniunctio, etiamſi in animis præcipue conſiſtat,vt idem ſapiãt, idemque velint,quemadmodum ait Apoſtolus,prodit tamẽ foras ad externa,immo vero ab externis ipſis opem, ac vim non mediocrem accipit. Itaque in his etiam externis, ac temporalibus magnopere apparet hæc vnitas, de qua loquimur,vt eſt vno loco degere,vno etiam,ac ſimillimo veſtitu vti,eadem munera,& eodem fine profiteri, denique vnã omnibus eſſe rem; ex quo fiat,vt eadem omnibus ſint commoda,& incommoda, eadem proſpera, eadẽ aduerſa. Hæc enim omnia,quæ ad genus hoc tẽporaliũ rerum pertinent, etſi infima ſunt,& minima in toto religioſo ſtatu, eiuſmodi tamen ſunt,vt coniunctionẽ hãc oſtendant,& ad eandem tuendã magnopere conferant.Quamobrem recte Laurentius Iuſtinianus hanc ipſam communionem rerum temporalium,quæ eſt inter religioſos,ita laudat, vt dicat, imitari perfectiſſimũ naturæ exemplar;quoniã ſicut in humano corpore ciborum nutrimentũ in ſingula membra diuiditur,vt cuiq; opus eſt,idque iudicat,& diſtribuit natura ipſa tamquam ſapiẽs paterfamilias, nulla membrorum inter ſe diſceptatione,& lite, ſic in religione ſingulis æqualiter neceſſaria tribuuntur,eoque quiſque cõtentus eſt.Quæ cum ita ſint,nihil eſt dubitãdũ,quin ſi quid eſt in hoc mundo pulchrũ,aut vtile,id maxime eluceat in hac cõmunitate, & in hac tãta pluriũ inter ſe in rebus omnib⁹ cõiunctione.

Cõſt.mo. cap.19.

Phil. 2.

De obed. c.18.

ne.Nã quid plura dicam?Ipsimet philosophi ethnici, cum eam ciuitatem ingenio suo fingerent ita perfectã, & absolutam,vt animo magis optari,quã reipsa perfici posset,nullam aliã formam vel commodiorem, vel præstãtiorem reperire potuerunt. Sic enim Platonem videmus suam illam Rempublicã instituisse,vt priscum illud,vt ipse ait,prouerbium,Amicorum omnia communia,quã maxime vigeret; in eoque tum virtutis,tum felicitatis summam in ciuitate collocandã putat,vt quicquid proprium dicitur,omni studio vndique è vita remotum sit:neque solum agri, aut pecunia,aut domus cum omnibus communicentur, sed illa etiam,quæ ita propria sunt, vt cum alijs communicari non posse,videantur.Itaque & oculos,& aures, & manus cuiusque in communem vsum videre,audire,operari debere, & animorum quoque sensus,ac iudicia communia esse oportere,vt eadem ab omnibus laudentur, eadem vituperẽtur, ijsdem omnes & gaudeãt,& doleãt.Hanc ergo ciuitatem, ac Rempublicã,ait ille,siue Dij alicubi, siue Deorum filij vna plures incolãt, certe beatos,omnique gaudio cumulatos fore.Hæc Plato omnia;quæ cum dixisset, illud etiã adiungit, talem quidem ciuitatẽ neque vnquã fuisse, neque vnquã in terris futurã.Quanta igitur religiosæ cuiusq; societatis felicitas,ac præstãtia, in qua hoc ipsum tam perfecte insit;quod hic philosophus ne fieri quidem posse existimauit,&,si fieret,qui in eiusmodi cœtu viuerent, vel Deos esse, vel Deorũ filios, in perpetuo gaudio,ac felicitate viuentes?Quod autem tantũ hoc bonum tam perfecte in religione teneatur,etsi vnusquisq; nostrũ ex sua magis experientia,quã ex alterius oratione discere id potest,iuuat tamẽ duos locupletissimos testes adhibere,qui ita hoc describunt,vt pene etiã verbis ipsis cum Platone conueniant.Sic enim Basilius;Vbi,inquit,omnia cõmunia, animi,mentes, corpora,eaque quibus necessario ad victum,& cultum vtimur.Communis Deus, communis pietatis mercatura, cõmunis salus, communia certamina, communes labores, cõmunia præmia,& certaminũ coronæ; vbi multi vnus,& vnus nõ solus,sed in pluribus.Vberius autẽ Chrysostomus aureũ eloquẽtiæ flumen fundẽs tum semper tum maxime vbicũque religionis causam agit,vt in Apologia vitæ monasticæ,in qua,plurimis incõmodis, ac procellis secularis vitæ cõnumeratis,hæc subiicit.Atqui, inquit,nihil horum malorũ penitus in monasteriis inuenies; sed dum alij procella,

Dial. 5. de repu.

Const. mo. c. 19.

cella,fluctibusque iactantur,soli in tranquillo portu, & securitate summa residentes,veluti ex cœlo ipso ceterorum naufragia prospectant.Nam conuersationem plane cœlestem elegerunt,nihiloque deterius Angelis effecti sunt.Vt enim illis nulla inest inæqualitas,nec alij successibus, secūdisque rebus elati gloriantur, alij incommodis , & malis oppressi gemunt, sed omnes pariter in gaudio , & quiete, summaque illa cœlesti gloria exultant,ita fieri quoq; perspicias in monasteriis. Nullus ibi paupertatem exprobrat, nullus ob diuitias magis honoratur. Inde duo illa , quæ omnia peruertunt,& perturbant,Meum,& Tuum, penitus eliminata sunt.Cuncta quippe illis communia sunt,mensa, domus , indumentum , &, quod sane mirabilius est , vnus etiā,idemque animus omnibus est.Omnes eadem sunt nobilitate nobiles , omnes eadem seruitute serui , eadem libertate liberi.Vnæ illic omnibus diuitiæ,quæ veræ diuitiæ sunt,vna omnibus gloria, quæ vere gloria est. Vna ibi voluptas,vna iucunditas,vnæ deliciæ,vnum desiderium , vna spes omnibus inest.Ibi veluti quadam ex regula , & libra, cuncta sunt diligentissime ordinata : nulla ibi inæqualitas, ceterum ordo summus,& moderatio , & conuenientia , & ineffabilis concordiæ seruandę diligentia,iugisque ac perpetua lætitiæ materia.Illic solum videas id perfecte contingere,nusquam alibi,non modo quod præsentia omnia contemnant,omnemque à se rixæ,& pugnæ materiam abscindant,certissimaque cœlestium bonorum spe beati sint, sed quod ea quoque,quæ singulis contingant,& tristia , & læta,communia esse omnium existiment. Quippe & mœror facilius fugatur,cum pro virili sua omnes comportent onera,lætitiæque occasiones habent innumeras , non in suis modo lætis, sed in aliorum quoque , & quidem non minus,quam in suis quisque gestientes. Hæc ad verbum Chrysostomus.

Decimus sextus fructus ex mutua ope in omnibus rebus.

CAPVT XXVIII.

HAec vnitas,de qua modo loquuti sumus , tum per se ingens bonum est,& omnino tale,quod nos Domino Deo maiorem in modum commendet, tum vero duo etiā bona adiūcta habet,maxima,& maxime necessaria;de quo vtroque

vtroque separatim dicendũ est. Alterum enim est mutuum illud auxilium, quo se in rebus omnibus inuicem adiuuãt, & subleuant religiosi. Res certe magna, ac non solũ ad proprias vtilitates, sed plane ad omnia magnopere apta, vt multi simul coniuncti vires quisque suas, ac talenta coniungant. Sic enim existet illud, quod recte scripsit Aristoteles, vt, licet singuli minus boni sint, ijdem tamẽ in vnũ collecti meliores sint, quã singuli etiam optimi: vt fit, inquit, in cœna, quæ ex multorũ symbolo, & contribulatione lautior euadit, quã si ab vno instruatur; quia cum vnusquisq; aliquid virtutis, ac prudentiæ habeat, si id in cõmune conferãt, perfectum quiddã efficietur; quæ etiam causa est, cur melius in musicis multi iudicent, itẽque in poesi, quia alij aliud, cuncti cuncta discernunt. Hæc autem Aristoteles valere putat, etiam si singuli per se non perfecti sint: quanto igitur magis, cum ea, quæcumque sit, multitudo, ex selectis hominibus cõflata sit, & qui per se separatim quisq; excellant, aut certe excellere studeant? Ex quo manifeste apparet quid lucri, & id quidẽ in omni genere rerum, religiosis accedat ex ipsa consociatione multorum, quod non possũt habere seculares, qui suis quisque opibus separatim nituntur. Vt enim nauigij alicuius tabulæ, si per se sint, nihil fere sunt, coniunctæ vero tam multos habent vsus, ad nauigandum, ad merces inuehendas, ad fluctus superandos: vt etiam lapides soluti, ac diuisi nihil prosunt, at vero compositi, & compage aliqua coniuncti quã speciem conficiunt, ædium, ac palatiorum, quæ munimenta turrium, & mœnium, vt etiam tormentis, machinisque resistant? sin autem rursus resoluantur, ad aceruum saxorum redeunt. Sic etiam homines seorsim quidem aut nihil valebunt, aut tantum valebunt, quantum in vnoquoque sit roboris, ac neruorum, coniuncti vero alter alterius ope adiuuantur. Atq; hoc etiam quotidie videmus in operibus laboriosis, veluti in magnis ponderibus vehendis, aut trahendis, vt multorum manus ea efficiant, & quidem facile, quæ nulla humana vis efficere valeat, si solitaria sit. Quæ cum in vniuersum de vi multitudinis conglobatæ dicta sint, licet tamen hanc vtilitatem duplici capite distinguere, quorum alterum propriam salutem, propriumque profectũ attingit alterum ea spectat, quæ pro aliorum salute, & commodo geruntur. De priori illud in sacra scriptura diuinitus traditum est, Melius est duos esse simul, quã vnum. habent enim emolumen

Marginal notes: 3. Pol. ca. 7. — Eccl. 4.

emolumentum societatis suæ;si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli,quia cum ceciderit,non habet subleuantem se.Et,si dormierint duo,fouebuntur mutuo;vnus quomodo calefiet?Et,si quispiam præualuerit, duo resistent ei. Funiculus triplex, difficile rumpitur. Quibus verbis tres magnæ vtilitates descriptæ sunt,sine quibus spiritualis vita consistere non potest.Primum enim,cum & imbecillitas nostra per se tãta sit,& locus,in quo sumus, adeo lubricus, vt sæpissime omnes prolabamur,quid vtilius,quam habere nobiscum,à quo quasi porrecta manu rursus erigamur?Atque hoc eo magis necessarium est in animæ lapsibus,quam corporis,vnde hæc est petita similitudo;quoniam corporis casus ignorari non possunt,animus autem præ cæcitate, & tenebris,quibus tenetur,crebro corruit, atque etiam diu iacet omnino nesciens,& adhuc vel maxime stare se putãs. Quin etiam ipse lapsus ita animum affligit sæpe,& quodãmodo frãgit,vt,nisi externa ope adiutus, seipsum subleuare non valeat:quam opem Deus quidem præcipue, sed hominibus administris,& adiutoribus,suppeditat.Sed tamen, etiamsi sit aliquis adeo felix,vt numquã labatur, quod fieri non potest,huic alterum imminet periculum à spirituali frigore,maxime in hac mundi huius hyeme,donec ab illo sole peregrinemur, qui reserata facie nos calefaciat. Ad hoc igitur frigus repellendum, vitalemque calorem ciendum,nihil aptius,quam,quod ait Sapiens, vt duo foueãtur mutuo: quo vero plures etiam fuerint, eo calorem magis augeri,ac multiplicari necesse est. Vt enim videmus interdum viridem adhuc stipitem per se etiam in igne ardere non posse, at inter alios ardentes stipites eadem illorum flamma facile conflagrare,sic prorsus euenit in animis,qui separatim degentes langueant,alijs autem hominibus pietate incensis permixti,illorum consuetudine, cohortatione,atq; exemplis,de quibus multa ante diximus, nullo labore incalescant.Vnus autem,ait Salomon,quomodo calefiet?Restat tertia vtilitas:Et,si quispiam præualeat, duo resistẽt ei:quo indicatur pugna illa perpetua,quam gerimus, vt ait Apostolus,aduersus potestates,& rectores tenebrarũ *Eph 5.* harum: in qua pugna non dici potest quanto securior sit plurium coniunctio.Præclare enim S.Leo,vt omnia;Ecclesiasticus,inquit,miles,etiamsi specialibus prœliis possit fortiter facere,tutius tamẽ,& felici⁹ dimicabit,si contra hostẽ palã in acie steterit, vbi non suis tantũ viribus certamen ineat,

Ser. 4. de ieiu. sep. mens.

ineat, fed fub inuicti Regis imperio fraternis confociatus agminibus bellum vniuerfale conficiat. Minore enim difcrimine multi confligunt cum hofte, quā finguli, nec facile patet vulneri locus, quem oppofito fcuto fidei, non fua tantum, fed etiā aliorum fortitudo defendit, vt vbi vna eft omnium caufa, fit vna victoria. Ac Bernardus quoque nihil periculofius effe homini ait, quam folum velle luctari contra antiqui hoftis verfutias, à quo videatur, & quē videre ipfe non poffit. Itaque, qui de Dei feruitute amplectēda cogitat, ei afcifcēdam effe fortitudinis virtutem, & multorum pariter pugnantium aciem quærendam, vbi, inquit, tot funt funt auxiliarij, quot focij, & tales, qui dicere poffint cū Apoftolo, Quia nō ignoram⁹ aftutias inimici. Congregatio enī pro fortitudine fua terribilis vt caftrorū acies ordinata. Vę autē foli; quia, cū ceciderit, nō habet fubleuātem fe. Hæc Bernardus. Poftremo hoc ipfum idem Sapiens cōfirmat & fua auctoritate, quæ diuina eft, & exēplo aptiffimo: Funiculus, inquit, triplex difficile rūpitur: quafi hoc dicat, Quemadmodū funis intortus ex pluribus filis fpartheis cōficitur, quę fila, fi feiūcta fint, tenuia sūt, & infirma, cōnexa autē, & implicata omnē machinā, & molem teneāt; fic nos, etiamfi imbecilli, & debil e, tamē fi bene cohærētes, fi confentiētes, & quodā modo cōpacti cum alijs fuerimus, nihil erit, quod non fuftinere, aut vincere poffimus.

Ser.4. Circum.

2.Cor.2.

Hactenus de ope illa, quam fibi mutuo in fuis profectibus religiofi præftant, vt hoftē fuperent, vt in omni virtute crefcant, vt quam maxima caritate ferueant. Sed tamen, quoniam hoc ipfum, quicquid eft opis, ad externa etiam cum aliorum fructu deriuantur, de hoc quoque aliquid dicendum eft. Eft autem magnopere cogitandum illud, quod à B. Gregorio homilia quadā in Ezechielem dicitur. Hoc, inquit, omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namq; vni cuilibet regioni fructus omnes tribuere; fed fi vna quælibet regio alterius fructu non indigeret, communionem cum altera non habuiffet; vnde fit, vt huic vini, alij vero olei abundantiam tribuat, hanc multitudine pecudum, illam vero vbertate abundare fructuum, vt cum illa defert, quod ifta non habet, & ifta reddit, quod illa non detulit, per communionem gratiæ, fibi fimul etiam terræ coniunctę fint. Sicut ergo regiones terrarum, ita funt mentes fanctorum, quæ, dum viciffim fibi conferūt quod acceperunt,

Hom.10.

perunt,quasi fructus suos regiones regionibus impendũt, vt in vna omnes caritate iungãtur.Hoc idem, quod regionum exemplo docet Gregorius, docuit antea Paulus Apostolus notissimo illo humani corporis exemplo;quod idem Gregorius in moralibus quasi exponens ait, Quid sancta Ecclesia,nisi superni sui capitis corpus est?in qua alius alta videndo oculus,alius recta operãdo manus,alius ad iniuncta discurrendo pes,alius præceptorũ vocem intelligendo auris,alius malorum fœtorem, bonorumque flagrantiam discernẽdo naris est:qui corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta officia impendunt,vnũ de semetipsis omnibus corpus reddunt,& cũ diuersa in caritate peragunt,diuersum esse prohibent,vbi cõtinentur.Denique omnibus locis hoc à Gregorio differitur,diuini fuisse consilij,ne omnib⁹ omnia cõcederet, vt qui extolli poterat ex dono,quod habet,humiliaretur ex virtute,quã non habet, & interposita quadam caritatis necessitudine fierent omnia singulorum,& vnusquisque sic,quod non accepit,in altero possideret,vt ipse quod accepit, alteri possidendũ impenderet.Itaq;,vt ille ait,alius verbo sapientiæ pollet, nec tamen sermone scientiæ,id est,doctrinæ fulcitur:alius sermone scientiæ fulget,nec tamen in verbo sapientię conualescit,quia & explere sufficit quantum didicit,& tamen ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per discretionem spiritus subtiliter mentes conspicit, sed tamen diuersi generis linguas nescit. Ille in vna lingua, quã nouit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit,& tamen reliquis bonis,quæ non habet, patienter caret.Hoc igitur stabilito,& cõfirmato,apertum, atq; euidens est quod sequitur.Sequitur enim nullum hominẽ esse posse in hac vita ita per se comparatum, & instructum, vt solus sine aliorum adiumentis ad præclara quæuis agenda sufficiat,sed necessariũ esse,vt cum alijs societatem ineat, quorum subsidijs suppleat quæ sibi desint. Itaq; hoc quoq; inter cetera inferior est stat⁹ secularis statu religioso,quod seculares,cum soli sint,& vnusquisq; cogitationes suas sequatur,& quod sibi ipsi maxime cõmodũ,vel vtile, vel etiã amplum,& gloriosum est,id spectet,etiãsi interdũ ad optima quæque ferãtur, pro Dei obsequio, pro Catholicæ Ecclesiæ incremẽto, non tamen satis viriũ habere possunt ad ea perficienda.Ex quo etiã,fit,vt illud ipsum,quod habent virium,ferme inutile,& otiosum maneat:vt si quis grandi

Rom. 12.
1.Cor. 12
28.Mo.c. 6.

saxo

ſaxo mouendo ſolus inſiſtat,fruſtra laboret, qui ſi operam hác ſuã cum aliorum opera coniunxiſſet,aliquid effectum eſſet,& in id factum ipſius quoq; labor aliquid cõtuliſſet. Addamus etiã illud,quod vere addi poteſt,hoc quoque ſępe euenire,vt virium ſuarũ ignari,ſibique,vt fere fit, pluſquam oportet fidentes,ea aggrediantur,quibus ſint impares,maxime cum ipſe appetitus excellentiæ, quo vniuerſa hominum natura laborat, in maxima quæque adigat, & quę plurimum habeant ſplendoris,ac plauſus:quo fit,vt ijs relictis,quæ poſſunt,operam,& tempus perdant in ijs,quæ
28. Mo. ca.6. non poſſunt:de quo ſcite,& eleganter Gregorius poſt illa ſuperiora:Cum miro,inquit,conſilio,auctor, & diſpoſitor noſter huic illa largitur,quæ illi denegat,alij hæc denegat, quæ iſti largitur,menſuras ſibi poſitas egredi nititur, quiſquis poſſe,pluſquã acceperit, conatur. In pręcipitio enim pedem porrigit, qui menſurarum ſuarum limitem non attendit,& plerumque amittit & quod poterat, qui audacter ea,ad quæ pertingere non valet, arripere feſtinat. Nam & membrorum tum bene miniſteriis vtimur,cum ſua eis officia diſtincta ſeruam⁹:lucem quippe oculis cernimus, vocem vero auribus audimus.Si quis autem,mutato ordine, voci oculos, luci aures accommodet, huic incaſſum vtraque patent.Si quis odores velit ore diſcernere,ſapores nare guſtare,vtriuſque ſenſus ſibi proprium miniſterium interimit:dum enim proprijs hæc vſibus non aptantur,& ſua officia deſerunt, & ad extranea non aſſurgunt. Hic igitur error,& hæc confuſio,ac perturbatio, qua, ſi vere cogitemus,totum ferme ſeculum plenum eſt, longe abeſt à religioſis cœtibus. In his enim vnuſquiſque ſuum ſtatum, ac locum,munuſve accipiunt, non quem ipſi ſibi optent, ſed quem ipſorum rectores, vt in exercitu duces, aſſignent: hi autem aſſignant quem Deus ipſe decreuerit, ac ſtatuerit: hoc enim ſupra ſatis confirmatum eſt, religioſos omnes à Deo per eorum præpoſitos regi, ac diſponi. Itaque cum à Deo,qui omnium naturam fecit, omnibus ſuum captũ dedit, ita gubernentur, non eſt,credo, timendum,ne nõ quiſque in ea ſtatione collocetur,quæ ei quam maxime congruat.Deinde illud etiam maius, & huic, de quo agimus,aptius, quod cum vnus ſit in religione finis, iſque cõmunis,quem omnes petunt,& quo omnes ſua ſtudia,& actiones dirigũt,neceſſe eſt,vt alter alteri ita præſto ſit,tam prompte,tam impigre, tamque alacriter,vt manus oculo,

oculo, vel oculus manui, vel pedes capiti, plus etiam dico, vt manus ipsi sibi, aut oculus, & reliquæ partes sibi ipsis; quia commune lucrum, singulorum est etiam lucrum, & quicquid singuli aliis impendunt, sibi etiam sine dubio impendunt. Quamobrem, id quod adeo optabile, ac fructuosum est, hic & facillime, & perfectissime efficitur, vt quæcumque vni desunt, aliorum abundantia resarciantur, & compensentur. Nam cum aliqui sint, qui doctrina polleant, non prudentia in rebus agendis, alij hac peritia instructi, doctrina destituantur, quidam vero bene intelligant, sed quæ intelligunt, non satis eloqui possint, & in ipsis scientiis, atque artibus alius alia instructior sit, quoniam nemini datur in omnibus perfectum esse; in hac fraterna communitate ita hæc bona, & talenta omnia permiscentur, vt quæ per se aliqua sui parte laborarent, alienis auxiliis sese mutuo sustentent, illúdque existat, quod initio ex Aristotele posuimus, vt alij aliud, cuncti cuncta assequantur. Atque hanc ego quidem ipsam esse causam crediderim, cur ex religiosis ordinibus tam multi semper in omni genere homines præclari, támq; multa præclara extiterint opera, tum in proximorum fructu amplissimo, de quo erit alius dicendi locus, tum in doctrinarum studiis, in quibus innumeri floruere, eáque posteris illustriora tradidere, tum denique in omni virtute, & sanctitate, nimirum ob illam consensionem, ac nexum, quo fiebat, vt omnes aliorum bonis ipsi quoque augerentur, & locupletiores euaderent, & quæ suis non poterant, aliorum, vt ita dicam, manibus præstarent. Cuius quidem rei insigne exemplum scriptura proposuit in illa turri Babel, quæ nec alio modo ad tantam excreuit altitudinem, quam consensu multorum operariorum idem spectantium, eidémq; operi, ac negotio seruientium, nec alio modo disiecta, ac distributa est, quam eodem illo consensu per linguæ dissimilitudinem ita dissipato, vt alter alterum adiuuare non posset. Idem autem in omnibus rebus, quæ ab hominibus aguntur, euenire intelligendum est. *Gen. 11.*

Decimusseptimus fructus communio omnium bonorum operum.

CAPVT XXIX.

ALTER effectus religiosæ vnitatis est ea communio bonorum operum, quam esse oportet inter eundem ordinem, eandémque familiam, Cuius beneficij magnitudo

vt magis appareat, videndum est & quid in eo communicetur, & qua ratione communicetur. In primis enim hoc certum esse debet, in omnibus, quæ pie, ac sancte agantur, tria quasi lucra, & commoda inesse. Primum hoc, quod, quicquid illud sit, nouam gratiæ accessionem meretur, cui deinde sua in cœlo totidem gradibus merces, ac præmium respõdebit. Sed hoc commodum ille solus percipit, qui eius operis auctor est, Vni enim Christo vt capiti, ac mediatori hoc datum est, vt suo labore gratiam aliis, & gloriam compararet. Secundum bonum, quod bona opera afferunt, est satisfactio pro culpis commissis; quod quidem, qua[illegible]mcumque est, cum aliis communicari, ac totum etiam, si ita placeat, in alios transfundi licet Tertius denique fructus, in quo magna quædam vis ad salutem inest, & impetrationis. Quicquid enim agitur, quod Deo gratum, & acceptum sit, non modo remunerationem præteriti meretur, sed certam etiam opem in futurum, id est, ad perseuerandum, & ad progrediẽdum in virtute, ad resistendum aduersario, ad comprimendas cupiditates, ad dura tolerãda, & in summa, ad omnia, quę saluti nostræ conducant, obtinenda. Atque hoc etiam ex eo genere est, quod eius voluntas, qui in his versatur, à se ipso in alterum transferre, & alteri donare possit, si velit. Quod quidem magnum, atq; adeo maximum existimari debet beneficium, cum proxime distet ab illo primo fructu, in quo ipsa vita consistit. Nam etsi, vt diximus, gratia iustificans aliis acquiri non potest hæc tamen acquiruntur, ex quibus eadem ipsa gratia facile augeatur. Est autem duplex modus ista cõmunicandi, vnus voluntate, qua quispiam, quasi donando, suas has opes alteri impertitur: alter sine expresso actu voluntatis, sed quasi naturali quadam consequentia, vt coniunctione aliquorum inter se posita, etiam si deinde ipsi non agant, per se tamẽ, & sua sponte, omnia eorum opera, ac merita commisceantur. Quocirca fundamentum huius cõmunionis proximum nullum aliud esse potest, quam cõiunctio: quare vbi ea fuerit, & quo maior, strictiórq; fuerit, eo magis oportet, istam de qua agimus, participationem efflorere. Licet autem exemplum capere ex hominum externa, & naturali societate, vt per eam interioris, & supernaturalis societatis nexus illustretur. Nam in illa naturali plures gradus esse videmus. Primus est ille in ipsius naturæ similitudine fundatus, qui latissime patet, nempe ad omne hominum genus. Itaque in eo etiam multarũ rerum communitas retinetur,

vt mari

vt marium, vt littorũ, & plurium eiusmodi. Propius deinde est, eiusdem esse nationis quæ iam plura habet communia, vt linguam, vt multa iura. Interius etiã est, vni⁹ esse ciuitatis, in qua maior adhuc copia rerum communium, vt fôra, vt vici, templa leges, consuetudines. Arctior quoq;, quam hæc, est cõiunctio inter propinquos, & affines: arctissima vero vnius domus, ac familiæ, in qua omnia plane communia, agri, pecunia, suppellex, nobilitas etiã, & honor. Eadem igitur ratione in spirituali coniunctione est primũ latissima quædã consociatio omnium eorum, qui gratiæ, & caritatis habitu præditi sunt, qui sine dubio vt multis communiter fruuntur, sic etiam hoc, vt ex omniũ bonis, & sanctis actionibus aliquid in singulos redundet: quod cum gaudio cognoscebat Dauid, cum diceret, Particeps ego sum omnium timẽtium te, & custodientium mãdata. Sic enim hunc locũ, tum alij, tum Ambrosius in eius psalmi interpretatione intellẽxit. Post hanc vniuersitatem omniũ hominum piorum, & iustorum, est etiã quædam maior propinquitas omniũ religiosorum, cuiuscunque sint instituti, aut ordinis, nempe fundata in professione eiusdem formulæ euangelicæ, iisdémq; votis, eadem abrenũciatione terrenarũ rerum. Extremum demq; est in hac religionum varietate, vna, eadémq; familia cõtineri, in qua iam omnia cõmunia, propositi, regulæ, ritus, finis, commoda etiã, atq; incommoda. Ex quo hoc sequi oportet, vt quemadmodum in bene morata domo, quicquid frater acquirit, nõ sibi soli, sed omnibus fratribus acquirit, aut in mercatura, si qui societatem inierunt, eorum lucrum in commune cedit, &, si quæ fiat rei accessio, ea omnes æqualiter augẽtur, ita & multo magis inter eos socios, & inter eos fratres, qui spirituali nexu colligantur, spirituales hi quæstus ad omniũ quæstum pertinebunt. Atque hoc ipsum meli⁹ etiã apparebit ex humano corpore nulla enim est coniunctio, quæ religiosorũ coniunctionẽ clarius, atq; expressius repræsentet. Igitur in corpore ita videmus accipi cibum vt etiãsi aliud membrum in eo quærendo laboret, aliud in conficiendo, aliud in decoquẽdo, succus tamen, & alimentum ad omnia mẽbra æque deriuetur, omnia eo vegetẽtur, ac confirmentur, sine vlla differẽtia, ac discrimine. Ergo si hoc efficit natura, non idẽm quoque efficiet gratia? Illa vero etiam melius, & perfectius, quo eius vis efficacior, ac maior. Itaq; recte S. Leo, Etsi, inquit, nõ eadem est mẽbrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium meritorũ potest esse parilitas, cõmunionem

Psal. 118. *Serm 10 Quadra.*

tamen obtinet decoris connexio charitatis. In ſancto enim amore conſortes, etiãſi eiſdem non vtatur gratiæ beneficiis, gaudent tamen inuicẽ bonis ſuis, & non poteſt ab eis extraneum eſſe, quod diligunt, quia incremẽto diteſcunt, proprio, qui profectu lætantur alieno. Hoc vero faciebat Auguſtin᷑,
Epiſt. 81. qui ad Monachos inſulæ Caprariæ in ſolitudine, & quiete conſidentes ipſe paſtoralibus curis exercitus ita ſcribebat. Quando quietem veſtrã cogitamus, quã habetis in Chriſto, etiã nos, quamuis in laboribus variis verſamur in veſtra charitate requieſcimus. Vnũ enim corpus ſub vno capite ſumus, vt & vos in nobis negotioſi, & nos in vobis otioſi ſimus: quia ſi patitur vnum membrũ, cõpatiuntur omnia membra. Atq;
Libr. 50. Homi. 15. idem Auguſtin᷑ alio loco, Congaude, inquit, illi cui Deus aliquam gratiã dedit, & potes in illo, quod in te non potes. Ille habet forte virginitatem, ama illum, & tua eſt. Iterum tu habes maiorem patientiã, diligat te, & ſua eſt. Ille poteſt ſatis vigilare; ſi non inuides, tuum eſt ſtudium eius. Tu forte potes amplius ieiunare; ſi amat te, ſuum eſt ieiuniũ tuum. Hoc ideo, quia in illo tu es: per proprietatẽ enim nõ es tu, per charitatem tu es. Hoc ergo facit charitatis nexus, qui cũ ſit intimus, & corda in ipſa inter ſe conglutinet, & commiſceat, ſequitur vt ipſa quoq; opera commiſceãtur, fiántq; communia omnium. Sed ſi hoc poteſt habitus ſolus charitatis, quid poterit ſtatus ipſe in charitate fundatus? Nam illud quidẽ vinculum diſrumpi aliquádo poteſt, hic ſtatus inſolubilis eſt, & non ſolum omnem charitatis vim ex natura ſua in ſe cõplexus eſt, ſed addit etiã firmitatem, addit perpetuã obligationẽ, à qua non liceat recedere. Quamobrem, ſi recte cogitemus, quot ſocios in religione habemus, tot animis Deum amare, tot brachiis operari, tot pedibus ad bene agendum currere, tot etiam humeris grauia quæque ſuſtinere videmur, quádo hæc omnia, quæ illi agunt, non ſibi ſolis, ſed nobis etiam
1. Re. 30. agunt. Ducebat Dauid exercitum, cuius cum pars defatigatione ſubſtitiſſet, altera pars hoſtem perſequuta, vicit, & ingentem cepit prædam; qua capta, non defuere qui litigarent, ne cum aliis qui remanſerant, communicaretur: nec omnino immerito vt quidem prima ſpecie videri poſſit. Cur enim ij, qui laboris & aleæ expertes fuerant, fructum eius laboris perciperent? Cur autem, qui victoriam ſanguinis, & vitæ ſuæ periculo emerant, præmium deinde victoriæ cum aliis diniderent? Sed tamen quomodo hos, qui ita differebant condemnat ſcriptura, & quod in ea cauſa fuit Dauidis ſapientiſ-

ſimi

ſimi hominis iudicium? Scriptura quidem illos appellat viros peſſimos, & iniquos; adeo illud eorum factum improbat. Dauid vero hanc in eos tulit ſententiam: Iniuſte, inquit, facitis: protſus enim æqualis eſſe debet pars euntis ad prælium, & ad ſarcinas remanentis. Quod ergo clarius eſſe poterat noſtræ huius communionis documentum? Etenim ſi in militibus hoc valuit, & ita valuit, vt in militari diſciplina perpetuæ legis vim deinceps obtinuerit, propter eam, quæ eſt in vno exercitu, ſocietatem, cur non idemius, eadémque ratio valeat in religioſis, vt quod vnius labore quæſitum eſt, eius etiam alij ſint participes? Eſt enim hic quoque quædam ſpiritualis militia, & ſpirituales copiæ, quarum ductor, & imperator eſt verus ille Dauid, Chriſtus Dominus: neque hic vlli, qui litigent, ne ſuorum operum participatio in alios deriuetur, cum potius id omnes velint, tum ob fraternum lucrum, quod charitas amat, tum etiam ob proprium. Cum enim ſuos quiſque labores in communi exponit vnius hominis exponit, viciſſim autem tot hominum laboribus fruitur, quot ſunt in eadem religione. Itaque optime illa à B. Machario dicta ſunt in quadam homilia ad ſuos. Debent, inquit, fratres in dilectione, & gaudio ſimul conuerſari, & qui operatur, de eo qui preces fundit ita dicere, Nempe particeps ſum theſauri, quem comparat frater meus, quia communis eſt. Qui vero preces fundit, de legente ita ſecum reputet, Fructus, quem ille capit ex lectione, lucrum meum eſt. Qui autem miniſtrat, ita cogitet, Miniſterium, quod exhibeo, cedit in communem vtilitatem. Quemadmodum enim corporis membra, cum multa ſint, vnum ſunt corpus, & ſe mutuo iuuant, & vnumquódque proprio fungitur officio, verbi gratia oculus pro vniuerſo corpore videt, manus pro omnibus membris operatur, pes, quocunque pergat, vniuerſa membra circumfert, ſic & fratres ſibi inuicem cedant, & qui legit, orantem amore, & gaudio complecti debet, ſecum hoc reputans, quia pro me precatur. Hæc Macharius. Quæ cum ita habeant, cogitandum iam eſt, quam amplos, quam ingentes neceſſe ſit eiuſmodi eſſe theſauros, ſi ex tanto exercitu, vt ſunt omnes fere ordines religioſi, omnium diuitiæ in vnum aceruum, ac cumulum conferantur. Hic enim ſunt illa primum interna, oratio, & contemplatio, perpetua cupiditatum mortificatio, pugnæ, & victoriæ tentationum, denique cogitationes omnes incenſę charitate, humilitate, aliiſq; virtutibus. Deinde illa etiã, quæ iam foras prodeunt corporis

Homi. 3.

maceratio, ieiunia, vigiliæ, quotidiana incommoda, officia humilitatis, tum ea, quæ in proximorum causa tolerantur, labores, æstus, frigora, itinera, sæpe etiam pericula ipsius vitę. Quid autem maius, aut optabilius in hac vita, quam in suo quemque, si ita iubeatur, cubiculo considentem, participem esse omnium laborum, quos ordo vniuersus per tot vrbes, tot prouincias diffusus, in Dei obsequio perferat, meditando, concionando, animabus iuuandis, & postremo vel multis pie, sancteque agendis: vel multis fortiter, cōstanterquè patiendis? Neque vero vel dictu, vel ęstimatu facile est, quam ad multos vsus aliena merita in religiosa communitate conferant. Nam si tentatio irruat, hæc nobis arma impetrant, quibus muniamur: si propria imbecillitate fluctuemus, hæc efficiunt, vt firmitas, & constantia tribuatur: si aliquid à Deo petendum est, vel ob aliam causam coram Dei maiestate apparendum, non verendum est, ne vacui appareamus in eius conspectu, quando non nostra solum, sed aliorum etiam benefacta nos ei commendant, & in nostras preces influūt, eisque gratiam, & pondus addunt. Quid plura? ipsa nostra tepiditas, ipsæ culpæ, ac peccata his eisdem eorum, quibuscum coniuncte viuimus, officijs ita compensantur, vt plus hæc officia possint ad Deum conciliandum, quam illæ culpæ ad irritandum. Quam in sententiam optime, vt accepimus, Didacus Guia ex primis fere hui⁹ nostræ Societatis patribus, & certe insigni vir sanctitate, ita dicere solebat, vt nummus attritus, & diminutus, si solus sit, ab omnibus reijcitur, si autem inter duo, triaue milia nummorum, facile addmittitur, sic homines imperfectos, qui alioquin per se parum Deo grati essent, tamen in religione, quia cum alijs perfectis coniunguntur, hoc lucrum facere, vt horum abundantia ipsorum suppleat, subleuetque inopiam. Declaratum est hoc aperte, cum Abrahamo quinque illarum infamium vrbium exitiū deprecante, ita se Deus paratum ignoscere ostendit, si nō modo quinquaginta, aut triginta, sed vel decem iusti inuenti in ijs essent. Nam si ob eam coniunctionem, quæ est in vno populo, tam paucorum virtus tam multis sceleratis profuisset, quanto magis in ea coniunctione, quæ tanto maior, arctiorque est in religione, plurium virtus, & sanctitas, pauciorum non quidem scelera, sed infirmitatem subleuabit? Quin hoc etiam videmus vsitatum esse Deo, vt ob vnius culpam sæpe totam familiam, vel ciuitatem, aut exercitum afflixerit, idque tum alias, tum præsertim, cum

Gen.18.

propter

propter cupiditatem Achan, qui de hostili anathemate quiddam sustulerat, totas Hebræorum copias fugandas, cædendasque hostibus obiecit. Igitur si vnius crimen redundauit in tam multos, non poterit multorum probitas, & pietas redundare in vnum, præsertim cum Dei bonitas infinitis partibus propensior sit ad miserendum, quam ad puniendum, & libentius occasiones captet benigne faciendi, quam pœnas, & supicia irrogandi. *Iof. 7.*

Decimusoctauus fructus ex vinculo votorum.

CAPVT. XXX.

AD superiores omnes vtilitates accedit etiam ea vtilitas, quæ ex votorum vinculo capitur. Est autem votum, vt à doctis definitur, religiosa promissio maioris alicuius, excellentiorisque boni Deo ipsi facta, idque libera voluntate. Ex qua ipsa definitione, quæ omni votorum generi communis est, magna ostenditur voti vtilitas, cum & materiam ipsam non vulgarem, sed omnino excellentiorem esse oporteat, & contractum nescio quem contineat inter animam, & Deum ipsum, cuius cum numine contrahere, & pacisci, non modo fructuosum, sed etiam gloriosum est.

Cum igitur inter omnia vota, sine vlla controuersia, principatum obtineant vota religiosa, multa in ijs, & præclara commoda inesse necesse est: idque primum, S. Thoma auctore, quod quicquid illud sit, quod ex horum votorum obligatione fiat, multo est præstantius, ac Deo gratius, quam si libera, ac soluta voluntate fieret. Necesse est enim opus quodcumque inferioris virtutis, si ad superiorem virtutem referatur, vel à superiori virtute imperetur, eo ipso nobilius, ac laudabilius effici, vt iustitia, aut fortitudo, si ex caritate exerceatur, eiusque functiones ad caritatis imperium exigantur. Cum igitur religionis virtus sine dubio virtutibus moralibus antecellat, votum autem sit pars quædam, vel actus religionis, sequitur vt moralium omnium virtutum officia voti vi expressa quiddam maius acquirant, quam si à sua quæque virtute elicerentur. Docet hoc Augustinus, cuius illa sunt in libro de virginitate, Neque enim ipsa, inquit, virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur: quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione, ac deuotione, seruatur: ac per hoc etiam virginitas corporis spiritualis est, quam vouet, & seruat continentia pietatis. Idemque paulo infra, Honoratius *2. 2. q. 88. ar. 6. & opusc. 18. c. 12.* *Cap. 8.*

in animi boni illa continentia numeranda est,qua integritas carnis ipsi Creatori animæ, & carnis vouetur, consecratur.seruatur.Hæc igitur,quæ ab August.de vna continētia dicuntur, eadem de alijs virtutibus dici possunt, vt obedientiæ quoque, vel humilitatis opera, vel temperantiæ, & similia, religionis splendore per voti vim adiuncto,multō magis illustrentur. Accedit etiam altera ratio.

Nam bonum quodlibet accessione alterius boni augeri, meliusque fieri necesse est. Atqui ipsa quoque promissio boni bonum quoddam est; quod etiam apparet ex hominum more,qui, nisi omninò rustici, & barbari sint,non solum de beneficio, sed etiam de ipsa beneficij promissione & gratias agere, & amare solent:ex quo efficitur, melius esse, Deoque acceptius, vouere, & facere, quam facere tantum. Illud autem maius,quod incredibile est, quanto præstantius sit, quod per votum donatur, quam quod per opus ipsum, donatur enim non solum factum, sed etiam vis, & potentia, quæ facit, nempe voluntas,& libertas,qui ita renunciatur, vt deinceps non possit non velle,nec possit non facere. Quo pertinet illa Anselmi nota similitudo,vt, si quis non fructus modo arboris, sed ipsam etiam arborem totam largiatur. Egregie autem Bonauentura de hoc ipso: Virtutum, inquit, functiones vel ex mera voluntate obeuntur, & hoc ipsarum tantum virtutum perfectionem importat; vel præter voluntatem addita est etiam obligatio superinducta ex voto emisso; & hæc quidem importat etiam perfectionem status, quod aliter in statu perfectionis esse possit nemo, quamdiu libertatem retineat illa faciendi vel non faciendi. Hæc vero necessitas, quam status affert, tantum abest, vt aliquid de perfectione imminuat, vt etiam mirum in modum eam augeat, atque consummet, quia de temporali facit æternum, & de nostro facit diuinum; quandoquidem nō ipsam modo actionem,sed voluntatem quoque Deo dedicat,eamque mactatam nobili quodam sacrificio ei plene, atque integre offert. quæ quidem voluntas cum inæstimabile quoddam sit bonum, & homini intimum, & ita carum,vt præ hoc omnia facile contemnat, ex hoc ipso sequitur,non posse donum hoc non Deo gratissimum,& incūdissimum accidere. Itaque vt perfectius rē possidet,qui eius & vsum,& proprietatem possidet, quā qui solo vsu fruitur, sic multo perfectius se Deo donat,qui nō solum opera,sed etiā voluntatis arbitrium donat. Hæc fere Bonauentura. Iam

In lib. simil.

In Apo. paup.

vero

vero illud etiam magni ponderis esse debet, quod cum præcipua operum laus ex radice fluat voluntatis, quanto hæc melior erit, tanto illa quoq; & meliora, & laudabiliora. Nec dubitandum, quin inter alias bonæ, ac rectæ voluntatis qualitates illa sit vel maxima, vt firma, vt stabilis, constans, ac perpetua sit, ne in illud incidat, quod scriptura reprehendit, Vult, & non vult piger. Quin etiam Aristoteles ad virtutem hoc requiri censuit, vt firmiter, & immobiliter, vt ipse ait, operetur. Licet vero id conijcere ex contrario. Vt enim aliquid turpiter facere ex fragilitate, aut ex consilij imbecillitate, malum id quidem est, sed multo peius, multoque flagitiosius idem facere obstinata voluntate & peccandi, & in peccato persistendi: sic in virtutis muneribus omnia quidem bona, & laudabilia sunt, sed tamen sine cōparatione meliora, quæ animo deliberatius obfirmato peraguntur. Et omnino illi in hoc pene similes sunt diabolo, & damnatis cum eo, qui à sua peruersitate flecti non possunt: hi similes beatis quorum volūtas ita cum bono colligata est, vt ab eo discedere nō possint. Quæ autē est alia ratio voluntatis nostræ stabiliendæ, ac ligandæ, quam certa ac solemni promissione, eaque perpetua? Vt enim corporum, sic animorum quoque sunt sua vincula: sed hoc differunt, quod corporibus vt extrinsecus iniici possunt etiam inuitis, sic etiam externa vi abrumpi: animus autem nulla re teneri potest, nisi se ipse ligarit, sed cū semel se ligarit, nulla humana potestas, vel propria, vel aliena sufficit ad soluendum. Atque huius etiā diuini beneficij magnitudo eo magis elucescet, si & nostram infirmitatem, ac fragilitatem, & ex altera parte dæmonis in nobis oppugnandi insolentem pertinaciam cōsideremus: quæ cum vtraque in suo genere summa sit, nihil hoc præsidio opportunius esse potuit, quo nimirum altera confirmaretur, alteri aditus ad nos obstrueretur. Nā vt proci, cum virginem, quam ambiunt, vni nuptam vident, alio cogitationes transferunt, sic cum hostes illi nostri nos Deo desponsatos vident, spes quodammodo illis præciditur implicandi nos rursum rebus hisce terrenis: atque ob idipsum sæpe nos solicitare desinunt, ne nihil aliud consequantur, quam vt cum suo ipsorum cruciatu coronam nobis augeant. At vero ad nostram voluntatem, quæ tam lubrica est, retinendam, quid aptius est, quam id quod non modo nos inducat, aut impellat, sed insuper etiam cogat? Hoc enim significat illa Bernardi sententia; Felix necessitas, vt quidam san-

Pro. 13. *2. Eth. 4.* *De pra. & disp.*

ctorum ait, quæ ad meliora compellit. Ille autem quidam, cuius nomen Bernardus reticet, Augustinus est, qui in epi-
Ep. 45. pistola ad Armentarium, Non relinquit, vouisse pœniteat, immo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque interpidus, & dicta factis imple; ipsa adiuuabit, qui vota nostra expetit. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Itaque sicut vites, & aliæ teneriores arbusculæ vinciri solent ad stipites firmiores, à quibus sustententur, sic homines, si naturæ inconstantiam, & leuitatem agnoscunt, quam agnoscere omnes debent, facile intelligent, nihil salubrius esse posse, quam si hanc adeo futilem, & incertam voluntatem destringant in Deo, votique sponsione stabiliant, qua eius numini in perpetuum obligentur. Le-
Gen. 22. gimus in Genesi, cum Isaac immolandus esset, ligatum esse; nec dubium, quin ipsius consensu. nullæ enim alioquin Patris iam grandæui vires id potuissent in filium ætate, & robore florentem. Igitur cum tam animo paratus esset, vt hic ipse consensus testatur, quæ fuit causa, cur vel pater filio, vel ipse quoque filius sibi ipsi vincula adhibenda iudicarent? nimirum, vt illa bona, & recta voluntas iisdem quasi nexibus, quibus ipsæ etiam manus, deuinciretur, ne vllo deinde casu, aut perturbatione elaberetur, aut diffugeret. Itaque non id timoris fuit, sed potius fortitudinis, nec remissiorem indicat voluntatem, sed promptiorem, quæ nempe adeo voluerit, vt etiam prouiderit, quo semper vellet, nec posset non velle. Quamobrem hoc idem etiam in Republica quauis videmus, non solum leges præscribi ad homines in officio retinendos, sed in maioribus quibusdam, grauioribusque functionibus, etiam iuramenti sanctitatem interponi consueuisse. Nam & milites cum conscribuntur, & magistratus cum creantur, & cum matrimonia ineuntur, & denique quicquid ferme cum altero maioris negotij contrahatur, vel vendendo, vel emendo, vel omnibus modis, ita omnium gentium vsus obtinuit, vt solennis sacramenti formula adiungatur. Sic enim homines tum suæ, tum aliorum etiam firmitati, & constantiæ consulendum putarunt. Et tamen hæc humana sunt, & naturalia, ad quæ & natura satis fere virium per se habet, & in quibus oppugnandis non magnopere laborat dæmon. Quanto ergo magis in iis, quæ adeo supra naturæ nostræ captum sunt, vt ad ea conniti arduum ab iis relabi, & recidere
Psal. 118. maxime procliue sit, conferent hæc, de quibus loquimur, voluntatis vincula, vt cum Propheta nos quoque dicamus,

Iuraui:

Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ? Denique illa etiam magna ex votis manat vtilitas, quod per hunc quasi canalem abundantius multo, & copiosius cœlestis in nos gratia deriuatur: tum quia illa ipsa nostra in Deum liberalitas vicissim Dei in nos liberalitatem prouocat, atque elicit: tum quod animam diuinæ illi bonitati ita applicatam, & quodammodo immersam, omnibus ab ea bonis impleri necesse est, vt vas in aquam immissum: tum denique quia, cum per vota iam à Deo possideri incipiamus quicquid nobis impendat, sibi ipsi penè impendit, idque ipsum sine dubio la[r]gius cum inuitat ad benefaciendum.

Sed tamen quo magis hi votorum fructus stabiliantur, ille quoque indoctorum planè hominum error eripiendus est, qui ita putant, aliquid de operum dignitate imminui, propterea quod si sine voto, voluntaria, si cum voto, necessaria sint. Hi scilicet in nomine necessitatis errant: non enim aduertunt aliam esse necessitatem, quæ ex natura oritur, aliam, quæ ex voluntate. Illa libertatem adimit, atque eligendi facultatem, vt in lapide, vt in iumento: quicquid autem hoc modo fiat, nullam laudem, vel præmium meretur. Atque eiusmodi est, si quis externa vi adactus aliquid faciat. At illa necessitas, quæ oritur ex obligatione sponte suscepta, non modo non imminuit operis meritum, sed auget potius, & quidem magnopere: vtrumque enim voluntatium est, & opus ipsum, & obligatio, quæ scilicet, vt voluntatis inclinatione suscepta est, sic etiam eadem inclinatione perfertur. Quid igitur, si pœnitere quempiam cœperit, vt etiam inuitus præstet, quæ vouit? Tunc nimirum adhibenda est optima B.Thomæ distinctio, quod ita accedere possit, vt materia quidem voti non placeat, placeat tamen ipsum votum, quemadmodum si ieiunium, quod aliquis promisit, graue, ac molestum esse incipiat, eámque ob causam illibenter, & cum tristitia persoluatur, sed quia votum vrget, seruare vult, idque ipsum satis est, vt non modo non peccetur, sed etiam plus meriti consequamur, quam si sine voto ieiunaretur. Præclare Anselmus de hoc eodem; Sæpè, inquit, euenire videmus, vt cum secandus est aliquis, alligari se prius velit, insuper etiam cōtestetur, nolle se solui, etiamsi petat. Itaque, si postea accidat, vt dolore adactus clamet vt soluatur, sector tamen pergit, donec curatione peracta, ipse quoque ægrotus gaudet se non auditum, proficit ei sectio, quamquam inuito animo admissa: & tamen in ipso quoque

Op. 13. cap. 12.

In lib. simi.

eiulatu non tam medicinam, quam medicinæ asperitatem recusabat. Simillime igitur is, qui initio religiosum iugum sponte subiit, seque alienæ potestati quasi medicandum tradidit, etiamsi deinde quædam incidant, à quibus voluntas abhorrere videatur, perfert, quia vinctus est, & illud ipsum medicamentum, quamquam non adeo libenti animo receptum, prodest tamen, & sanitatem affert, quam fortasse solutus refugisset, vt denique depulso morbo gaudeat etiam, sibi non aliter licuisse. Hæc Anselmus. Cùm igitur ad astringendam fidem nostram, quam Deo debemus nullum sit vinculum maius, & arctius, quam voti, manifestum est, quam ingentes fructus ex vno hoc fructu proficisci necesse sit, tum ob hoc ipsum, ne vllo vmquam tempore, aut vllo tentationis impetu constantia nostra labefactetur, tum verò ob alia etiã bona & numero, & magnitudine præstantia, quæ est tam arcta cum Deo coniunctione consequuntur. Nam vt si quis columnæ alligetur, non tam is columnæ, quam etiam columna ipsi alligatur, sic qui se cum Deo astringit, vicissim etiam sibi quodammodo Deum astringit, & cum Deo omnia, vt dixi, bona, omnésque thesauros cœlestes. Itaque nihil dubitandum est, quin hunc quoque vel præcipuum diuinæ gratiæ fontem in religiosa disciplina existimare debeamus, quo in nos charismata illa vberrime deriuentur. Hinc lumen ad intelligendum, feruor ad amandum, robur ad exequendum hauritur. Hinc denique vires illæ ad currendam viam Domini in omni lætitia, & cordis latitudine; quæ omnia in nos ab illo Patre luminum, & Patre totius consolationis redundare necesse est, cum triplici hoc funiculo, qui difficile
Eccl.4. rumpitur, & nos illi, & eum nobis deuinxerimus. Merito igitur ad hæc salubertima sapientiæ vincula etiam vltro induenda nos hortatur Spiritus sanctus, & inuitat his verbis, Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius
Eccl.6. collum tuum. Subiice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris in vinculis eius. Felices verò cathenæ, & optanda vincula, quæ ideo Scriptura non cathenas appellat, sed torques, quia collum ornent potius, quam ligent. Non enim ferreæ, ac duræ, vel seruiles cathenæ sunt, sed aureæ, nobiles, & suaues, quæ hominem non onerant, sed honorant, nec libertatem imminuunt, sed augent potius, & confirmant.

Decimus nonus fructus mortis securitas, & tranquillitas.

CAPVT XXXI.

QVamquam hæc beneficia, de quibus hactenus à nobis dictum est, ita magna sunt, vt dictum est, tamen quid prodessent omnia, si vt nauigium magnis mercibus onustum, sic vita nostra virtutibus, ac Dei donis referta, in mortis agone, tamquam in portus faucibus, naufragium faceret? Quare, quo illa certa, & perpetua essent, hoc etiam à Domino præter cetera religiosis adiungi oportuit, vt eorum insuper mors singularibus præsidiis, atque adiumentis muniretur: quod quidem inter maxima eorum bona merito numerari debet. Etenim tria in morte inesse solent grauissima incommoda; primum quod acerba, atque, vt Sapiens dicit, amara est, non ipsa modo, sed vel ipsius memoria, deinde quod periculosa ob infestas dæmonum tentationes, qui tum maxime sæuiunt, versántque homines in omnem partem. Denique quod etiam horribilius est, propter illud tribunal, illúdque districtum iudicium, quod, vt ait Gregorius, quanto magis iam iamque quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Hæc igitur omnia tollit religio, & ita tollit, vt pro acerbitate etiam iucunditatem, pro periculo securitatem, pro illa tanta formidine spem afferat certissimam. Neque de hoc dubitare possumus, si rerum naturam attendamus. Nam quæ eo tempore homines angere solent, illa sunt, discessus à diuitiis, ab honoribus, & deliciis, & commodis: tum verò etiam ab iis, qui cari sunt, vt amici, aut propinqui, vt fratres, liberi, coniunx; postremo illa quoque direptio animæ à corpore, quicum tam diu, & tam iucunde vixit. Hæc verò in religiosis partim nulla sunt, partim pene nulla. Nam externa quidem illa, quæ diximus, iam ante omnia reliquerunt, cum seculum reliquerunt; tum enim & opes, & honores, atque omnem quoque carnalem propinquitatem exuerunt. Itaque, quod ad hoc quidem genus tam varium, & tam multiplex attinet, & quæ tam magna esse solet secularium hominum carnificina, ipsi quidem pene soli omnino liberi, ac vacui sunt. Quare non eos angit diuitiarum amissio, non impuberum liberorum desiderium, vel etiam cura solicitat, non cogitatio condendi testamenti, vel familiæ ordinandæ, non facultatum iactura, quæ sæpe in patrisfamilias capite vertitur. Quam quidem religiosorum felicitatem pulchre S. Chrysostomus homilia quadam

Eccl. 41.

24. Mor. 7.

Ho. 14. 1. Tim.

quadam deſcribit, in qua multa quoque alia de huius vitæ laudibus. Moriuntur ſane, inquit, ex eis aliqui: non enim immortali ſunt corpore. Sed illi mortẽ non exiſtimant mortem. Cum hymnis proſequuntur abeuntes, eámque rem non elationem funeris, ſed pompam, & præmiſſionem vocant. Immo verò ne mortuum quidem aliquis appellare audet, ſed conſummatum. Inde gratiarum actio ſequitur, & gloria, ingénſque lætitia, cum optet vnuſquiſque tali ſe exitu donari, ſic exire certamine, & à laboribus, ſudoribúſque quieſcere, ac denique Chriſtum videre. Porro ægrotanti non vxor aſtat crinibus ſolutis, nec pueruli imminentem fluentes orbitatem, non famuli expirantem importunis precibus pulſantes, vt ſe cuipiam commendatos relinquat. Sed his impedimentis omnibus ſolutus animus id vnum tantummodo cogitat, quomodo cum maiore gratia extremum Deo ſpiritum reddat. Hic eſt igitur, auctore Chryſoſtomo, fructus inter alios multos, relinquendi mature terrena cum gaudio, & cum merito, ne nos in ſuprema illa hora torqueant, ac crucient, cum neceſſitate relinquenda ſunt, magno cum dolore, nullo cum merito. Vnica ergo religioſis reſtat moleſtiæ cauſa, nimirum ipſius vitæ amiſſio. Verum huius quoque exiguus admodum eſt ſenſus; quoniam religio ita animum aſſuefacit, vt etiam dum his corporis compagibus incluſus eſt minima ſui parte teneatur, ſed potius foras promineat, dum ſe amore in Deum, & deſiderio in res cœleſtes effundit. Vt enim qui carnis curæ, vel voluptatibus, vel terrenis quibuſcúmque rebus ſe dedunt, eorum animus totus in hoc quaſi luto demerſus inhæret, ſic contra, qui ſe integros, caſtóſque ſeruant, qui carnem coercent, & in ſeruitutem redigunt, animum autem ſanctis ſtudiis excolunt, eúmque in res ſpirituales erigunt, ibique defixum tenent, iis minima eſt cum corporibus ſuis contagio, cum potius, vt ait Paulus, eorum conuerſatio in cælis ſit. Quamobrem cum mori nihil aliud ſit, quam animum à corpore ſecernere, quod religioſi in tota vita fecerunt, non tum primum mori incipiunt, cum ſpiritus migrat, ſed multo ante id meditati ſunt, idque ſemper egerunt: ex quo fit, vt nullus eos in huius vitæ exitu moleſtiæ ſenſus mordeat, quaſi res aliqua difficilis, aut inſueta contingat. Accedit etiam quod non ab ea vita auelluntur, in qua multa ſint, quæ eos retineant, ac delectent, quæ quidem vel præcipua ſolet eſſe cauſa huius præſentis vitæ diligendæ; ſed potius in qua multa ſint incommoda, paupertatis, vigiliarum,

Phil. 3.

liarum, laborum, multa voluntatis, multa ſenſuum mortificatio; qui ſunt omnes tamquam ſtimuli, qui ad illam quietem ardentius concupiſcendam, alacriúſque complectendam impellunt. Denique illud etiam magnopere adiuuat religioſos, quod non ſubito, & imparati ad illam extremam horam perueniunt, quin potius quotidie, non ſolum hoc ſibi euenire poſſe propter huius vitæ fragilitatem reputarunt, ſed etiam vt eueniret, optarunt, quia cupiunt apparere ante faciem Dei, totaque illorum vita nihil eſt aliud, quam recta præparatio ad mortem. Verè enim Franciſcanus quidam paucos ante annos in India, vbi diu, & ſtrenue laborauerunt, admonitus à medicis, vt ſe ad obitum cõpararet, Ego verò inquit, nihil aliud egi toto hoc tempore, quo hunc habitum geſtaui, quam hoc ipſum, vt ad hanc ipſam migrationem paratus eſſem. Atque hoc commune eſt etiam religioſis omnibus. Ipſe enim ſtatus ita eos inſtruit, vt Dominus iuſſit ſe, ſuúmq; aduentum expectari, lumbis præcinctis, & cum ardentibus lucernis? quorum alterum ad caſtitatem, alterum ad bonorum operum aſſiduam exercitationem retulit Gregorius; vtrúmque autem maxime viget in ſtatu religioſo. *Luc. 12.* *Hom. 13 Euang.*

Quod autem ad dæmonum tentationes attinet, quibus omnium obitus infeſtus eſſe ſolet, hoc verè dici poteſt, ſi quis ſit, qui vel eas minime ſentiat, vel eis maximè reſiſtat, eum eſſe religioſum. Primum enim & ad Dei bonitatem pertinet, vt cuius vitam tot donis cumulauit, eius ne mortem quidem deſerat, & ad nonnullam etiam iuſtitiam, vt qui Deo ſemper ſeruiens ipſius honorem propugnauit, tunc eius viciſſim ſalutem Deus propugnet. Itaque non dubitãdum eſt, quin imminente præſertim illa tam ancipiti, tamque formidabili lucta, ille, qui eſt fortitudo noſtra, & firmamentum noſtrum, præſto nobis futurus ſit, vt in tempore tam opportuno mentes ſuorum inſtruat, & cõfirmet, timorem abſtergat, doceat manus noſtras, & digitos noſtros ad prælium: quin etiam ſcuto bonæ volũtatis ſuæ circundet, & tegat tum verò etiam infuſis ſolatiis animum recreet, eúmq; erigat ad fiduciam æternitatis. Quod quidem ſi ita eſt, quæ regna, quæ imperia ſunt cum hoc vno beneficio cõparãda? Nec vllus eſſe poteſt, qui huius vnius gratia non rectè collocatũ putet, non modo quod vnum mundum reliquerit, ſed ſi innumerabiles mundos relinquere potuiſſet, ſi ſolus omnes tenuiſſet, quo in tanta trepidatione, tantiſq; anguſtiis, tam firmo præſidio, ac ſolatio frueretur. Itaque hoc primum. Accedunt deinde etiã fratrum

fratrum auxilia, cohortationes, consilia, preces assiduæ, in quibus tum semper, tum nescio quo modo in illo articulo maximum est momentum & ad nos confirmandos, & ad
4. Dial. c. 37. & hom. 38. Euang. dæmonũ impetus frangendos. Docet hoc Gregorius exemplo Theodori adolescentis, qui cum in eius cœnobio puerili quadam licentia vixisset, cum ad extrema venisset, multíque monachi astarent, precibus pro eo fundendis intenti, desperabundus clamare cœpit, vt recederent, quoniam draconi traditus esset, vt deuoraretur, quod propter eorum præsentiam facere prohiberetur. Illis igitur humi stratis, & feruentius orantibus, paulo post æger idem iam quietus, & hilaris, confirmauit, dæmonem aufugisse, victúmque, ac pulsum eorum precibus cessisse. Simile quiddam, & aliquanto etiam horribilius est quod traditur de Cunone Malburchensis oppidi domino, qui cum quadraginta annis in seculo, secularibus pene moribus, vixisset, religiosam deinde sequutus disciplinam, triennio post pie defunctus est. Quo tempore narrauit dæmon, qui energumenam obsidebat, se, & alios ex suis quindecim mille (tot enim fuisse fassus est) in morientis cellam conuenisse: sed tamen tantum abfuisse, vt ei nocuerint, vt ne propius quidem accedere potuerint, repulsi, vt aiebat, clamoribus validis, quos tõsurati illi (sic enim Dei hostis famulos Dei, eorumque orationes ludibrio appellabãt) lectulo assistentes fundebant. Adiecit etiam magnam querelam, ex qua ipsa querelà religionis vis constare nobis possit, de insigni iniuria à Deo sibi facta, quod cum Cuno ille annis quadraginta ipsis dæmonibus Deo autem tantummodo tribus seruisset, eum tamen inferni pœnis ereptum in cœlum euexisset.

Restat tertium caput de fiducia tam certa felicitatis æternæ, quam fiduciam duæ potissimum causæ in religioso efficiunt; primũ nullius sibi criminis consciũ esse: deinde tot ante partorum bonorũ memoria, & copia: quod vtrumq; abũde præstat religiosus status. Non enim hic mercaturæ rationibus implicamur, non obscuris illis, & ambiguis contrahẽdi formulis, non ambitione seculi, non aliis eiusmodi peccandi occasionibus. Contra vero hic multa, & perpetua materia & patiendi, & virtutes omnes exercendi, de qua antea à nobis
Epi. 34. vberius dictum est. Quamobrem recte Hieronymus in epistola quadam ad Iulianum, citius animũ ad religiosam vitã impellebat, Felix, inquit, & omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat seruientẽ, quem extrema dies Sal-
uatori

uatori inuenerit militantē, qui non confundetur cū loquetur inimic.s suis in porta, cui in introitu paradisi dicetur, Recepisti mala in vita tua, nunc autem hic lætare. Bernardus quoque in eandem sententiam Romanum vrgens, vt seculi moras rumperet; Moritur quidē & iustus, sed secure; quippe cuius mors, vt præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors, si peccato moriaris, vt iustitiæ viuas. Hæc mors necesse est vt præcurrat, vt sequatur illa secura. Dum viuis in carne, morere mundo, vt post mortem carnis Deo viuere incipias. Recte igitur, & vere ab eodē Bernardo alibi dictum est, O vita secura, vbi pura conscientia. O inquā, vita secura, vbi absque formidine mors expectatur, immo & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione. Quamobrem de religiosis nescio quo modo pręcipue illam vocem, quā de cœlo Ioannes audiuit, accipere iuuat, Beati mortui, qui in Domino moriuntur. quoniā, vt ait idem Bernardus, pro Domino mori martyrū est, in Domino autem mori cōfessorum. Vt enim Romæ mori non potest, qui Romæ non erat, sic qui in Deo non vixit in Deo mori non poterit; & cōtra, qui cū Deo coniunctus vixit, in Deo etiā morietur. Quis autem magis in Deo viuit, quam is, qui nullā omnino in terris aliam rem habet, in qua viuat? Ergo illud etiam sequitur, vt opera illorū sequantur illos, non quemadmodum secularium, qui terrenis laboribus vitam attriuerunt, ipsis abeuntibus in terra permaneant. Magna igitur res est, magnúmque beneficium in illo tali, & tanto, támque communi omnium animarum periculo, cum reliqui homines illius iudicis, ac iudicij expectatione timere, & horrere, & tremere solent, nō modo sine metu esse, sed etiā cum gaudio, hilaríq;, ac fidenti animo, ad mortē appropinquare, quasi vel illam vocem audiant, qua tāquam operarij ad denarium accipiendū inuitātur: vel tamquam boni, ac fideles serui, vt intrent in gaudium Domini sui, vel denique vt sponsa ad æternos sponsi cōplexus ita inuitentur, Surge, propera amica mea, veni de Libano, coronaberis. Sic enim de Libano, id est, de perfectionis mōte, in quo vitam vixerunt, ad coronam, quæ tantæ perfectioni respondeat euocantur. Hinc ille Francisci cantus, qui, cum grauissimis arderet totius corporis doloribus, nullum aliud fomentum habeat eorum dolorum, quam vt & ipse diuinas laudes caneret, & alios canentes audiret. in quo cū ab Helia pene obiurgaretur, quod potius præstaret extremum illud tempus lacrymis, & pœnitentiæ impendere, respondit, non

Epist.105 *Ad mil. templi. cap.1.* *Apo.14.* *Epi.212.* *Mat. 20.* *Mat. 25.* *Canti.2. & 4.*

licere sibi aliter facere, cum sciret se breui cum Deo fore. Si-
4. Dialo. 47. milia multa narrat Gregorius in Dialogis, sed illud iucundum de monacho, cui Antonij nomen erat, ex ipso Gregorij cœnobio, qui nocturno viso admonitus, vt paratus esset ad migrandum, cum præ humilitate negaret viaticum sibi ad illud iter suppetere, responsum est ei, si de peccatis ageretur, ne dubitaret, quia iam antea dimissa essent. Metuenti vero, & adhuc trepidanti postera nocte eadem vox, eadémq; monita iterata sunt. Quare cum post dies quinq; in febrim incidisset, in fratrum corona lętus, & gaudens tam certa spe felicitatis æternæ, ad eam perfruendam discessit. Alterum etiam commemorat, Merulum nomine, feruentem hominem, qui aliquando videre visus est delabi sibi è cœlo in caput candidam coronam. Nec mora, morbo correptus, cum magna hilaritate abiit ad Dominum: eiúsque è sepulcro post annos quatuordecim, cum circumfoderetur, tãtam ait odoris flagrãtiam manasse, ac si omnis illic florum, aromatúmque copia collecta esset. Hæc, & plura alia Gregorius. Nicolaus verò Tolētinas, vt scriptum est, sex totis ante obitum mensibus, paulo ante nocturnas preces singulis noctibus, suauissimum Angelorum concentum audiuit, qui illi quasi prægustationem futuræ vitæ præbebat. Itaq; quo illum eius vitæ desiderio arsisse credimus, ad cuius iucunditatem tam iucunde inuitabatur? Declarauit ipse, qui frequenter illud
Philip. 1. Apostoli dictum in ore habebat, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quin idem etiam, cum resolutionis tempus instaret, in extremo spiritu voces fundere cœpit lætantis, atq; gestientis: cuius inusitati gaudij cum fratres, qui aderant, causam quæsissent, attonitus ille, víxq, sui compos præ magnitudine rei, Dominus meus Iesus Christus, inquit, sanctissimæ Matri suę, & Augustino Patri nostro innixus dicit mihi, Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui; in quibus verbis expirauit. Reginaldus vero vnus ex ipsis B. Dominici discipulis, cum moneretur, vt se extrema vnctione, vt moris est, ad luctam cum dæmone præpararet, Ego, inquit, hanc luctam minime reformido, quin potius lætus expecto. Iam enim dudum Mater misericordiæ me iunxit, in qua plurimũ confido, & ad quam cupide proficiscor. Quod autem se prius ab ea inunctum dicebat, id ita habuerat. Cum ante annos multos grauissime ægrotaret, vigilãti de nocte apparuit Regina cœli cum aliis duabus virginibus, ipsáque ad eum accedens iacentis oculos, aures, os, & manus vnguento, quod
attulerat,

attulerat, propriis illis manibus liniuit, denique & pedes in præparationem Euangelij, vt ipsamet, quasi ex formula orans, adiunxit. Simile etiam quoddam eiusdem Virginis beneficium extitit in Adulphum Franciscanum, qui cum, relicto Alsatiæ principatu, sanctam, & humilem in illa familia vitam egisset, moribundo denique astitit hæc communis omnium religiosorum patrona, ac mater, innumerabilium Angelorum comitatu stipata, cúmque trepidantem ita confirmauit. Quid times fili? aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam filius meus, cui fideliter seruisti, dabit tibi coronam gloriæ. Quibus ille Virginis verbis, & aspectu adeo recreatus est, vt omnis horror mortis in ingenuem lætitiam versus sit. Videmus etiam quæ de Gerardo fratre suo dicat S.Bernard⁹, qui media nocte pene animam agens in illam ex Psalmo vocem eruperat, Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Iam tibi, inquit, frater mi, nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, insultantem morti. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Atque eiusmodi quidem exempla multorum, qui tranquillissime, ac suauissime, quin etiam cum multis ingentis gaudij signis ex hac vita abierunt, idque etiam in ipso ætatis flore, cum vita dulcior esse solet, quotidie in religiosis ordinibus suppeditant pene sine numero. Certe in hoc nostro ordine, quamuis vltimo, & minimo, partim mihi ipsi plurima videre, partim ab iis, qui viderant, audire contigit, vt eius, cui cum denunciatum esset, instare discessum, ter præ gaudio illum, qui hoc denunciabat, arcte complexus est. Alter cum idem audisset, quicquid habuit voculæ infirmæ, ac pene consumptæ, id totum collegit ad recitandum hymnũ Te Deum laudamus cum maxima lætitiæ significatione. Alium etiam scimus, fugiente iam anima, inflexa in cantum voce pronunciasse versiculum illum, Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, & in eo ipso versiculo expirasse. Multos præterea commemorare possem, sed ne longior sim, vno recentissimo contentus ero. Gulielmus Elfinsthonius, patria Scotus, sanguine, & ingenio, & virtute admodum nobilis, cum pene adolescens nondum integro mense, postquam in Societatem nostram admissus esset, in lethalem febrim incidisset, incredibilem semper alacritatem

Serm. 26 Cant.

& verbis, & vultu, & factis ipsis præ se tulit, cum satiari non posset, gratiis Deo agendis, quod in religione moreretur. Extremo autem ferme spiritu, cum fratres in cubiculum confertim introeuntes videret, in hanc ipsam vocem erupit, O gloriosam, inquit, mortem tot Angelorum agminibus constipatam. Quin etiam ingenti, atque insolito elatus gaudio, Non videtis, inquit, non videtis Angelos? simúlque Angelum suum custodem compellans, aliquandiu cum eo ita loquutus est, quasi eum oculis aspiceret, à quo sibi deinde denunciatum narrauit, se per purgatorij quidem loca transiturum, sed celerrime euolaturum. Quærente autem nescio quo, qua specie, & qua forma is Angelus esset, adolescentem quendam, qui tum aderat, indicauit, cui simillimum esse dixit. Mox etiam dulcedine quadam, mixtóque feruore ita completa est eius anima, vt corpus ipsum, licet grauitate morbi, & mortis propinquitate fractum, aliquandiu tamen insolitis motibus super lectulum quasi exiliens, & gestiens agitaretur, cum omnium admiratione, qui nunquã simile aliquid viderant. Simul etiam oculos retro post ceruical cum magna quadam exultatione reflectens, ac nescio quæ, quæ à nullo percipi potuere, submurmurans, indicabat, se aliquid ibi spectare, quo maiorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia repente consistens, tamquam placidissimo somno consopitus, spiritum exhalauit. Quid tali morte felicius, vel optabilius? aut quis sit, qui non multo hanc mortem malit, quam eas, quæ in magnis palatiis sub auratis conopæis, in purpura, & serico, inter famulorum greges, obiri à satrapis solent? Atque in hoc quidem, vt in tyrone, ac nouitio, non longi temporis exercitatio, non virtutis habitus diuturni valere potuerunt, vt ei vltimum illum, & à corpore discessum, & cum hoste congressum tam facilem, támque suauem efficerent. Sed, si causa vlla reddenda est, ipsa sola religionis vis, & in primis Dei gratia per religionem ei vberius communicata: vt vel huius vnius documento euidenter constare possit, quanto securius, atque etiam iucundius extremus ille huius militiæ (vt eam Iob appellat) actus in hoc religioso statu concludatur.

Iob.7.

Vigesimus

Vigesimus fructus, quod sit signum diuinæ prædestinationis.

CAPVT XXXII.

REGNVM cœlorum adeo magnũ, vel potius infinitum est bonum, contra vero tenebræ illæ exteriores tam magnum, atque infinitum malum, vt homini, qui hoc credat, nulla alia cura, aut metus esse debeat, quam ne bonum illud perdat, & ne in hoc malum incidat, præsertim cum vtrumque necessario sit coniunctum. Itaque si aliquod tale oraculum à Deo datum esset, fore ex tota hominum vniuersitate, qui vmquam fuissent, vel futuri essent, vt vnus omnino ad pœnas illas damnaretur, tamen vnumquemque in perpetuo timore, & tremore viuere oporteret, ne ipse videlicet is esset tam infelix, ac miser, in quem tam horribilis sors caderet. Nunc autem cum tam sæpe, tam certo, tam expresse contestatus sit Dominus, multos esse, qui viam perditionis inueniant, paucos esse, qui viam salutis, magna merito omnium esse debet solicitudo, & angor, & trepidatio. In hac igitur trepidatione tam iusta, támque graui, nullum maius solatium in hac vita inueniri potest, quam si indicia aliqua salutis nostræ, & prædestinationis diuinæ consequamur. Verissimum enim est, quod ait Bernardus; Quando, inquit, sine testimonio electos suos deserat Deus? aut certe, quænam eis esse poterat consolatio inter spem, & metum, solicitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mererētur? Nouit Dominus, qui sunt eius, & solus ipse scit, quos elegerit à principio; quis vero scit hominum, si est amore dignus, vel odio? Quod si, vt certum est, certitudo nobis omnino negatur, numquid non tanto delectabiliora erunt, siqua forte electionis huius signa possimus inuenire? Quam enim requiem habere potest spiritus noster, dum prædestinationis suæ nullam adhuc spem tenet? Quare hic est fructus religiosi status, ísque facile vel maximus, quod tam certam spem, támque expressum signum contineat huius diuinæ prædestinationis, sit sine vlla dubitatione, citra reuelationem quidem, nullum expressius, & certius haberi possit. Primum enim inest in hoc statu illud ipsum, quod à Domino prolatum est tanquam salutare indicium, Qui ex Deo est, inquit, verba Dei audit. Itaque Bernardus ipse alio quodam loco fratres suos monachos, quos alloquebatur, ita confirmat, vt

Matt. 7. Luc. 13.

In Octa. Pasc. ser. 2.

Ioan. 8. Serm. 1. sept.

credere debeant se ex electis esse, quoniam tam libenter, & cum fructu verba Dei acciperent. 1. Atque hoc quidem intrinsecum est toti statui religioso. Eorum enim quasi perpetuus pastus est quicquid procedit de ore Dei, meditando, orando, legendis diuinis libris, maxime vero, ac præcipue in eo Dei verbo audiendo, quod eos ex Ægypto ad diuinum obsequium euocabat. hoc enim ipsum, quod huic verbo obedierint, idque sequuti sint, optimum est huius argumentum,
Ioan. 10. ex illa Saluatoris regula, Oues meæ vocem meam audiunt. Quamquam hanc quidem vocem non eo tantum tempore audierunt, eique obedierunt religiosi, cum è mundo exiere, sed semper etiam deinceps audire pergunt, dum se in religione eius vocis vi continent, maxime cum præterea tota etiam eorum vita in Dei vocibus exequendis traducatur, quas obedientia interprete excipiunt, Itaque in nullos potius
Luc. 10. illa Domini sententia cadit, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Sunt præterea alia quoque diuinæ prædestinationis argumenta, eaque præcipue, quæ Bernardus ad fratres suos copiose disputata, ad extremum tribus illis
In oct. Pas. ser. 2. colligit. Si contines, inquit, à peccatis si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ. Quæ quidem tria vbi vberius, melius, perfectiusque fiunt, quam in religione, aut vbi hæc sunt, si non ibi sunt? De quibus singulis satis multa à nobis etiam supra commemorata sunt. Illud vero optimum sine dubio, magnaque fiducia plenum, quod à Domino dictum est, quasi pro euidenti indicio tum salutis, tum damnationis sempiternæ: Lata, & spatiosa via est, quæ ducit ad
Matt. 7. perditionenem. Et contra, Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam? Hanc enim semitam, & hanc portam adeo angustam, esse ipsam religionem aperte testatur
32. Mo. cap. 17. Gregorius, vbi de religiosis disserens, Quid, inquit, angustius est humanæ menti, quam proprias voluntates frangere? de qua fractione Veritas dicit, Intrate per angustam portam. Quid autem latius, quam nullis proprijs voluntatibus reluctari, & quaqua versum impulsus arbitrij duxerit, se sine retractatione diffundere? Has igitur ob causas, aliasque simi
De perfect. mo. con. c. 7. les, inest in religioso statu tam expressum prædestinationis argumentum. Itaque recte de hoc B. Laurentius Iustinianus, Secure, inquit, speret, post hanc peregrinationem, ad illam supernam intrare Hierusalem, quicumque in iustorum congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe electionis indicium est, huius fraternitatis habere consortium, facileque

ab illa

ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus.

Verum quid hac in re, vel rationum momenta, vel coniecturas inquirimus, cum ipsius Domini, ac Saluatoris nostri apertissimam promissionem teneamus? Sic enim ait, Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, & fratres, aut domum, & agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Hoc Matthæus, hoc Marcus, hoc etiam Lucas, iisdem fere verbis commemorant, vt hoc ipso ostendatur quam id certum, & notum etiam esse voluerit Spiritus sanctus. Ac de centuplo quidem, quod præsentis est vitæ, alias dicetur; cum de huius status iucunditate disseremus: nunc de promissione beatitudinis, in qua tam luculentum inest prædestinationis signum. Videndum autem quis promiserit, & qua formula, & quam rem promiserit. Nam qui promisit, est De⁹ ipsa veritas, qui nec falli, nec mutari potest, nec obliuisci, neque vero impediri, quo minus quæ velit, & quæ dixit, efficiat. Quare vt de hac re quiddam humano loquamur more, videtur mihi religiosis tam bene cautum, vt nihil amplius desiderare eis liceat, cum habeant ipsius Christi syngrapham, quam etiam ad eius tribunal proferre, & cum Deo disputare possint, vt aiebat B. Iob, atque ex ipso eius chirographo æternam gloriam exigere. Verum id minime quidem opus erit, eadem enim bonitas, quæ illum impulit ad promittendum, impellet etiam ad præstandum, & perficiendum abundantius, quam promiserat. Sed videnda est etiam promissionis huius formula, quam ampla, & magnifica sit. Omnis, ait, qui hæc reliquerit. quo verbo, vt per se sonat, tam expresso, tam generali, cunctos comprehendit, neminem excludit, ne locus relinqueretur vel Satanæ ad cauillandum, vel cuiquam religioso ad diffidendum. Itaque clarius etiam apud Lucam, Nemo est, inquit, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam. Constat igitur neminem ab hac promissione exceptum esse, non pauperem, non diuitem, non nobilem, non ignobilem, non qui multa, non qui pauca reliquit, modo quicquid habebat, reliquerit: denique non etiam eum, qui ad nonam horam vocatus, breui tempore in hac vinea operari potuerit. Et quidem multę sunt etiam virtutes, quibus beatitudo cœlestis promissa est, vt mansuetudo, vt paupertas spiritus, vt humilitas; præ omnibus autem caritas, quæ numquam excidit, vt ait Apostolus. Sed hac

Mat. 19. *Mar. 10.* *Luc. 18.* *Iob. 13.* *Luc. 18.*

tamen omnia incerta sunt nobis, & ambigua. Quis enim nouit, vtrum amet quantum opus est, & eo caritatis habitu, quo opus est? atque idem de reliquis ferme dici potest virtutibus, quæ cum in animo lateant, vix suspicione attingi possunt, vix etiam credi de nobis ipsis, sine assentationis, & temeritatis periculo. Ex quo fit; vt nostra spes omnis semper fluctuet. Non ita hoc religiosi opus, cui tanta merces proposita est. Non enim dubium est, aut occultum, vel obscurum, sed apertum, ac manifestum, ipsisque oculis; non animi modo, sed etiam corporis expositum, vt neque de facto, neque de facti mercede ambigendum sit, si modo nec animus desit, qui requiritur, nec deinde desit perseuerantia vsque in finem. Superest id quod promittitur, vita æterna, id est, beatissima quædam felicitas, & perfectissima, bonisque omnibus cumulatissima, eaque immortalis, & sempiterna; quæ ideo à Saluatore vita dicitur, quoniam illa demum vera, & sola est vita, quam anima viuet, cum admixtione corporis liberata, vel certe ipso corpore spirituali effecto, pura, & integra Deum videbit, sicuti est, & ipsa quoq; in eius claritatem transformabitur. Hoc ergo promittitur, in quo vno omnia, quæ desiderari possunt, & multo etiam plura, quam mens nostra capere, vel desiderare, aut etiam intelligere queat, promittuntur. Quanti igitur æstimanda est tanta spes, tamque certa, & ipsius Christi, qui dominus est huius vitæ, & huius gloriæ, promisso, ac iuramento etiam quodã sancita, & confirmata? Antonium Patauinum ferunt, cum reuelatione cognouisset laicum quendam, & quidẽ, vt tum erat, moribus nõ optimis, ex numero electorũ esse, tanto eũ honore, & reuerentia colere cœpisse, vt non modo alij mirarẽtur, sed ille etiam ipse laicus stomacharetur. Sed Vincentius, vt illi indignanti, ac pene minitanti respondit, tenere se non poterat, quin eum, quem illi gloriæ prædestinatũ cognouerat, omni studio iam nunc in terris veneraretur. Franciscus autẽ, cum aliquando in extasi de sua prædestinatione certior factus esset, vt sibi redditus est, exclamauit statim, Laudetur Domin⁹ Deus meus: ipsi gloria, & honor sine fine. quin etiam proximos octo dies sic transegit, vt nec vlla de re loqui, ac ne horas quidem canonicas recitare posset, sed hoc solum in ore haberet, idque semper repeteret, Laudetur Dominus: tanta eius animus lætitia, atque exultatione, & quidẽ iure, ac merito gestiebat. Igitur si Francisco, & omnibus, quibus eiusmodi facta sit à Deo promissio, tantam attulit gaudendi,

dendi, & exultandi materiam, quanti etiam religiosus quisque æstimare debet hanc eiusdem Dei vocem, qua eadem plane beatitudo sponderetur? Hoc enim tantum interesse videtur, quod illa promissio facta erat homini, hæc autem facta est statui. Verum quid hoc refert, modo statum non deseramus, eique conuenienter viuamus? Sic enim etiam in humanis rebus videmus; vbi reges, ac principes quasdam immunitates, ac beneficia hominibus concedunt, quasdam autem locis ipsis; quod idem est, quoniam qui in ijs locis habitant, ita iis fruuntur omnes, ac si ipsis nominatim essent cõcessæ, neque ijs aliud agendum, aut laborandum est, nisi vt ab eo loco non recedant. Quid ergo maius, vel ad solatium nostrum aptius in hac peregrinatione, vel potius hoc exilio, contingere homini potest? Venerant aliquando Apostoli ad Dominum cum gaudio, quoniam in eius nomine etiam dæmones eis subiicerentur, quibus Dominus, Nolite, ait, in hoc gaudere; gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Luc.10.* Hoc idem videtur mihi religiosis dici posse. Gaudeant alij vel auro, vel hominum plausu, aut dignitate modo sperata, modo adepta. Nos autem multo maiorem multoque veriorem habemus gaudendi causam, ex eo quod tam certo indicio credere possumus, & vero etiam debemus, nomina nostra descripta esse in illo vitæ libro, qui Agni sanguine in Dei pectore exaratus est. Atque hoc quidem beneficium non ad alteram tantum vitam pertinet, sed in hac ipsa vita omnium beneficiorum fons est. Nã quos Deus prædestinauit, eos deinde & vocat, vt scripsit Apostolus, & vocatos cõseruat, confirmat, *Rom.7.* augetque donis suis, eos à dæmonum impetu defendit, vel illos arcendo, vel certe suppeditanda suis gratia, vt faciant cum tentatione prouentum; denique ita in eis & interna, & externa disponit, vt omnia ipsis in bonum cooperẽtur, illudque extet, quod Saluator ad Patrem passione imminẽte *Ioan.18.* loquutus est, Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quẽquam. quoniam iustorum animæ, vt scriptura dicit, ita in manu Dei sunt, vt nulla creata vi inde erui, & extorqueri *Io.18.* queant. *Sap.3.* Quare cum hæc omnia prædestinatio complectatur, sequitur, vt religiosus status, quantam nobis prædestinationis spem affert, tantam etiam afferat horum omnium. Quin etiam vt hæc ex parte Dei in nobis efficit, sic ex parte nostra aduersus Deum illa efficit optima, & saluberrima. primum vt eum redamare cogamur, qui nos amauit tam magno, tamque vetusto amore, nempe ante mundi constitutionem,

credendum de ceteris omnibus religiosis ordinibus, cum omnium par sit, eadémque ratio. Itaque hoc etiam inter cetera magnum quoddam est religionis bonum, esse in tutela, ac patrocinio magni Dei, cuius sapientiam nihil fugere, cuius potentiæ nihil resistere possit. Quare quos ille tuendos suscipit, cum ijs omnino pr. clare agi necesse est. Sunt autem causæ multæ, quæ Deum impellant, vt hoc patrocinium religionis suscipiat, eaque prima, quàm ille, vt diximus, B. Francisco indicauit, quod ipse huius operis auctor sit. Ipse primũ hæc viuendi instituta efformauit, ipse idem deinde singulos, qui ad ea se adiungunt, excitat, ipse solus hæc desideria inspirat, ipse perseuerandi gratiam, & opem præstat. Itaque vt pater filium, vt quiuis artifex opus suum, sic Deus hunc suum partum, talémque præsertim partum, & diligit, & protegit. Altera causa est fructus ipse, qui ex religiosa quaque familia existit ad augendam Dei gloriam. Nam vt agricola vineam, vt pastor gregem suum curat, & custodit, in eóque munere hybernas noctes, & æstiuos soles libenter tolerat, nec vllis parcit laboribus, nimirum ob commoda quæ percipit, sic Deus non solum ob suam bonitatem sanctis hisce gregibus prouidentiam suam impertit, sed, si hoc dicere licet, ob aliquam etiam vtilitatem. Cur autem non liceat hoc dicere, cum Paulus Apostolus tales Dei famulos appellet vas sanctificatum in honorem, & vtile Domino? Tertia est etiam ratio ob ipsam virtutem, ac pietatem, cuius vis tanta est, vt in quibus sit, eos quam maxime Domino Deo commendet, atque ob hanc causam numquam eos sua cura desertos esse patiatur. Vnde sunt illa Prophetæ, Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum, & alio loco, Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Item illud Ecclesiastici, Oculi Domini ad timentes eum. Illud verò maximũ, quod est apud Zachariam prophetam, Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Quid enim amplius dici potuit? Parum fuit dicere, Me tangeti sed eam partem nominauit, quæ est in homine carissima, eadémque ad sensum mollissima. Quæ quidem vt in eos omnes conueniant, qui pietatem ex animo colunt, tamen etiam præcipuo quodam modo religiosis conueniunt, quo hi diligentius, exactiúsque id faciunt, seque totos, ac totas suas vires huic vni impendunt. Accedit quarta causa propria ferme religiosorum. Ita enim obseruatum est,

2. Tim. 2. *Psal. 40.* *Psal. 31.* *Eccl. 15.* *Zach. 2.*

est, hunc esse Dei morem, vt qui maximè humanis destituuntur auxiliis, eos maxime in suam fidem recipiat, eorúmque propugnationem suscipiat. Nam de eo sic scriptum
Psal 9. est, Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. & ali-
Ps. 114. bi, Custodiens paruulos Dominus. Itémque, Dominus cu-
Ps. 145. stodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet: quæ videlicet hominum genera nullum habent hominum præsidium, quo nitantur. Hoc igitur eodem nomine religiosis quoque Dei patrocinium debetur. Ipsi enim verè sunt pauperes, qui neque habeant quicquam, & habendi etiam potestate se exuerunt; hi verè orphani, ac pupilli, qui non modo patrem, ac matrem reliquerunt, sed etiam res omnes creatas, hominum fauorem, principum gratiam, diuitiarum potentiam. Itaque verissime sunt orphani, & omnibus humanis auxiliis orbati: ijdem quoque sunt paruuli, cum se adeo abiecerint, & humiliarint: ijdem etiam verissime aduenæ, qui tamquam in hoc mundo hospites, & peregrini, nullam habeant hic ciuitatem permanentem. Quæ cum ita se habeāt, in religiosos maximè
Psal. 90. cōuenit, quod à Dauide propheta dictum est, Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Non enim quemadmodum seculares ad Altissimi auxilium subinde confugiunt, sed quia in eius domo, & familia viuunt, ideo & in eius adiutorio semper viuunt, & in eius protectione perpetua commorantur. Itaque illa etiam consequi necesse est, quæ ibidem copiosius commemorantur, vt scapulis suis eis obumbret, & scuto suo eos circundet, nec timeant à timore nocturno, id est, à clandestinis inimici insidiis, neque à sagitta volante per diem, id est, ab eiusdem congressibus manifestis.

Sunt autem innumerabilia beneficia, quæ in nos manant ex hac protectione Dei cæli, sed si certis capitibus restringenda sunt, ad quatuor ferme reuocari possunt. Alia enim ad animum, alia ad corpus pertinent, alia ad ipsorum ordinum perpetuam conseruationem; alia denique ad defensionem aduersus eorum hostes. Primum igitur curat Deus famulorum suorum animas, idque præcipuè, dum eas promouet ad virtutem, dum, vt antea dicebamus, non permittit tentari supra id quod possunt, & in eo ipso, quod permittit, gratiam præstat, vt multiplicata gloria superiores discedant, dum denique non aliter ac strenuus doctor in discipuli, quem valde diligat, profectus litterarios, ita eius maiestas in suorum profectus spirituales omni studio, ac vigilantia incumbit;

cumbit; vt rectè de ipsis dici possit, quod est in psalmo. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. *Psal. 93.* Sed hæc ipsa animarum cura eo etiam euidentius apparebit ex corporum cura, quæ cum tanto ignobiliora sint, atque ijs tamen tam diligenter, támque amanter à Domino consulatur, facile cognoscemus quid deinde prouidentiæ in spiritum ipsum collaturus sit. Ac de hac quidem cura verè dici potest, nullum vmquam patremfamilias liberis, quos ipse genuisset, alendis, & sustentandis tantum solicitudinis impendisse, quantum Deus alendis religiosis. Habemus autem huius exemplum quoddam in Saluatore, cùm multitudine, quæ illum in desertum sequuta erat, conspecta, dixit, Misereor super turbam, quia *Mar. 8.* ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. Quanto enim magis nunc de cælo idem dicet, idemque sentiet de religiosis omnibus? Nam turbæ quidem illæ, nec amplius triduo durauerant, neque adhuc sua reliquerant, & ad ea paulopost redituri erant. At qui se Deo in religione dicarunt, non tribus tantum diebus, sed tota vita illum sustinent, nec sibi quicquam reliqui faciunt, aut facultatem ad sua redeundi retinent, quæ iam & deliberatione, & voto etiam expresso reliquerunt. Igitur ad Dei prouidentiam pertinet, necessaria eis vitæ præsidia suppeditare; quod quidem ita assidue, & diligenter facit, vt ea procuratione etiam delectari videatur. Facit autem eodem modo, quo ceterum suæ prouidentiæ ordinem & suauiter, & constanter exequitur. Vt enim frumentum, vt vinum, quo hominum vsus indiget, non de nihilo repente creat, aut de cælo miraculose demittit, sed alterum ex agris, alterum ex vitibus profert; sic religiosis necessaria suppeditat, ipsis quoque per secundas causas, nimirum per aliorum hominum manus, quorum ille quidem mentes ad hoc impellit, & mouet: cuius specimen in Helya videmus, quem Dominus in tempore famis aluit, sed per mulierem, idque ipse indicauit his verbis, Præcepi, inquit, mulieri viduæ vt pascat te. *3. Reg. 17.* Quamobrem commode, & verè S. Franciscus, vt accepimus, illum psalmi versiculum, Panem angelorum manducauit homo, applicare solebat ad eum panem, qui eleemosyna quæsitus esset; *Psal. 77.* propterea quod is Angelorum instinctu donaretur. Hanc verò Deus ordinariam curam, ne vlli dubia esset, quibusdam etiam extraordinariis, & mirabilibus documentis sæpè demonstrauit.

Quo

Quo in genere narrat Palladius, cum Abbas Apollo vna cum ſuis diſcipulis in deſerta regione verſaretur, & inſtante Paſchate, cibaria defeciſſent, non defeciſſe tamen Domini benignitatem, repente enim affuiſſe viros quoſdam ignotos, qui ſe ex longinquo loco venire dicerent, multámque attuliſſe annonam, panes prægrandes, vrnam recentis lactis, aliquantum etiam mellis, varios præterea fructus, mala punica, ficus, vuas & alios, qui planè in Ægypto non naſcuntur, nec ab ijs vmquam viſi erant, idque ea copia, vt ad Pentecoſten vſque ſuffecerint. Quod ad hanc Domini bonitatem addi poteſt, qui nō modo ſuis in tempore prouidit, ſed etiam, vt tali tempore, lautius, & copioſius? Nec diſſimile eſt, quod de ſancto Benedicto narrat Gregorius, cum in magna caritate eius cœnobium omni fruméto deſtitutum eſſet inuentos eſſe ante fores ducentos farinæ modios, nullo planè conſcio, vnde, aut à quo allati eſſent. Idem contigit etiam Columbano viro ſanctiſſimo, qui ſede inter ſolitarias rupes fixa, cum ipſe, & eius fratres plures iam dies famem toleraſſent, repente hominem conſpiciunt cum aliquot iumentis pane, pulmentóque onuſtis. Is autem referebat, ſe ſubito mentis inſtinctu commotum, vt ad eos commeatum illum afferret. Atque alio quoque tempore, cum ceteris iam deficientibus, diutius ægram vitam ſylueſtribus herbis, atque arborum corticibus ſuſtentaſſent, Salicenſis Abbas per quietem à Deo admonitus eſt, vt famulis eius fame laborantibus ſubueniret; quin etiam oneratis vehiculis, cum via ignoraretur, equi ipſi permiſſis habenis, Angeli ductu, ad eum locum euaſerunt, vbi Columbanus cum ſociis latebat. Illuſtre autem huius ipſius diuinæ prouidentiæ monumentum in S. Franciſco oſtēſum eſt, tum alias ſæpè, tum maximè in generali conuentu fratrum, quem is primum Aſſiſij habuit, quo cum ad quinque millia confluxiſſent, ſeuere omnibus interdixit, ne de rebus ad corpus pertinentibus ſoliciti eſſent, ex illa pſalmi ſententia, quam ſæpè in ore habebat, Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Aderat huic Franciſci edicto B. Dominicus, eíque hoc nimium viſum eſt, cum vereretur, ne quodammodo Deus tentari videretur, ſi non tantæ multitudini alimenta pararentur. Nec multo poſt, ecce ex omnibus finitimis vrbibus, & pagis, concurſus hominum, ac iumentorum omnem omnis generis commeatum, ſupellectilem, & vaſa deferentium: quæ res ita Dominicum permouit, vt ab eo tempore conſtituerit redditus omnes

2. Dial. cap. 21.

Pſal. 44.

omnes à ſuo quoque ordine, qui tum naſcebatur, remouere, diuino fretus præſidio, cuius tam inſigne indicium oculis ſuis viderat. Quin ipſi quoque Dominico quidpiã eiuſmodi experiri contigit. Nam Romæ cùm eſſet in ſuo Monaſterio, nihilque penitus ad victum ſuperfuiſſet, quin etiam duo, qui tota vrbe oſtiatim mendicauerant, nihil retuliſſent, vt tanto illuſtrius eſſet Dei beneficium, nihilo tamen minus iuſſit omnes ſuos ad menſam adhuc vacuam conuocari: cui vt accubuerunt, ſtatim duo adoleſcentes, egregia forma, medio cœnaculo apparuere, qui ſingulis ſingulos panes miri candoris appoſuêre, initio facto ab eo, qui infimus ſedebat, eaque diſtributione peracta, ſubmiſſis honoris gratia capitibus, ex omnium oculis euanuêre. Mox Dominicus vinum poſtulauit: reſpondentibus verò miniſtris nullum eſſe, iuſſit ex vacuo dolio peti, ad quod accedentes, optimo vino redundans inuenerũt. Quantum igitur in illa menſa gaudium fuiſſe putamus? quas lachrymas præ lætitia profuſas, cum tantam Domini benignitatem, tantam ipſorum curam viderent? Poſſent ſimilia multa commemorari de omnibus ordinibus, poſſent etiã de hoc noſtro, ſed pleraque nota ſunt, nec eſt ferè in ſanctorum hiſtoriis, quod crebrius occurrat.

Tertium caput erat conſeruatio, & propagatio iſtarum omnium familiarum, in quo certè multum elucet diuinæ caritatis, atque huius ipſius, de qua agimus, prouidentiæ. Quis enim non valde miretur, cum videat, per tot iam ſecula, tam multa prodiiſſe alia alio tempore religioſæ vitæ inſtituta, partim inter ſe diſſimilia, partim etiam finitima, at omnibus tamen perpetuo ſuffeciſſe homines, ita vt nulla propter vetuſtatem exoleuerint, nulla propter nouitatem repudiata ſint? Nam vt in fontibus aliquam vim latere neceſſe eſt, quæ perennem illam gignat aquæ copiam; vt etiam in ciuitatibus ne omnino incolis orbentur, aliis cadentibus, alios generari oportet, & eſſe qui generent: ſic in his cœtibus aliquid ſine dubio eſt, quod eos cõſeruet, multiplicet, & opportunis ſupplementis inſtruat. Hoc autem nihil humanum eſſe poteſt, ſed totum diuinum eſt. Vnus enim, vt ante diximus, Deus eſt, qui ſalutaria hæc conſilia animis inſtillet, atque eos ad quam maxime velit vitæ rationem inclinet. Addam etiam illud, cum ex tam multis ordinibus aliqui aliquando fuerint, quorum diſciplina à priſtina ſanctitate deflexerit, ac degenerarit, in eo etiam ipſo hanc Dei bonitatem apparere, quæ illis, qualeſcumque ſint, tamen operarios ſuppeditat,

vt

vt stent, suúmque locum, ac stationem in Dei Ecclesia tueantur: quasi id agat Dominus, vt intelligatur, quam constanter fidem, ac patrocinium præstet ijs, quos semel in suam clientelam acceperit, & quid integris, atque incorruptis ordinibus facturus sit, quando etiam remissos, & penè labentes non negligit.

Superest quartum ex propositis, perpetuum quoddam Dei studium in protegenda omni religiosa familia aduersus improborum impetus, & contra in omnibus improbis, qui eis infesti essent, seuerissimo supplicio vindicandis. Magnum verò huius vtriusque exemplum vidit terrarum orbis in Columbano, de quo paulo ante mentionem fecimus, qui cùm è Luxouiensi monasterio à Theodorico Rege Burgundiæ impulsu aulæ Brunechildis, præter ceteras iniurias, in exilium pulsus esset cum aliquot è suis, primum in ea fuga satelles, qui per insolentiam vnum ex eius fratribus fuste ceciderat, paulo, post ipso eodem loco, aquis suffocatus est, vt ei prophetice prædixerat Columbanus. At Theodoricus, inito bello cum fratre Theodeberto, in Metensi vrbe, incendio, seu casu, seu diuinitus excitato, absumptus est: cuius regnum inuadens Clotharius Rex Franciæ primum sex eius filios captos omnes interemit, deinde Brunechildem pene alteram Iesabelem camelo impositam ignominiose per totum exercitum spectandam circunduxit, denique etiam indomitorum equorum caudis alligatam discerpi iussit; qua pœna & illa miserrime vitam finiuit; & ea tota familia radicitus extincta, regnum omne in Clotharium translatum est. Nec valde dispar fuit tempore Antonij Magni exitus Balatij, qui Aegypti præfectus cum modis omnibus catholicos vexaret, in primis autem monachos, vt etiam publice eos virgis cædi iuberet, his commotus Antonius breui epistola ad eum scripta cœlestes iras imminentes denunciauit: quam ille epistolam irridens abiecit in terram, additis minis, se cum ipso quoque Antonio, quando monachorum causam suscepisset, breui rem habiturum. Cuius quidem arrogantiæ cito eum pœnituit. vix enim quatriduo elapso, cum animi gratia ex vrbe rodisset, & vna cum illo familiaris quidam, huius equus, quo nullus ad eam diem mitior fuerat, repête in eum insiliit furens, dentibúsq; arreptum, atque in terram detractum, vngula insuper ita contriuit, vt ei nulla vi eripi posset. Itaque non multo post fœde expirauit, admirantibus omnibus, diuinámq; vltionem manifeste agnoscentibus. Mirabile

etiam

etiam fuit quod de Florentio Benedicti ęmulo commemo rat Gregorius in dialogis ,& nos alio loco perstrinximus, 2.Dia.8.
qui tum illius vitæ per venenum,tum discipulorum pudicitiæ per obscœnum spectaculum exitium molitus erat. Nec impune.Nam cum Benedictus illius improbitati cedendum ratus,cum maiore suorum parte abcessisset,vix aliquod spatium confecerat,cum perditus ille repentina tecti ruina oppressus,tum temporalem,tum simul etiam ęternam pertulit mortem. Illustre etiã fuit,magnoq; theatro spectatũ,quod hoc in genere accidit, anno post Christum natum millesimo ac trecẽtesimo quinquagesimo sexto, in Armacano Hyberniæ primate,qui primũ in Anglia , deinde Auenione,vbi tum Põtificia sedes morabatur,in publico Cardinalium cõuẽtu multa cõtra Mẽdicãtium statum euomit:quã causam cum obstinate vrgeret,nõ multo post è vita sublatus est,& vna cum ipso ipsius quoq; criminationes sepultæ. Annis autem ferme viginti post hoc factum, aliud etiam euenit admodum memorabile.Prælati quidã, nescio quo spiritu inducti, de Franciscano ordine abolẽdo cõsilia inter se cõtulerunt , & ad eam rẽ perficiendam quoddã aliquot Episcoporum cõuenticulum coegerũt.Erat autem in eadem vrbe ecclesia præcipua , & in ecclesiæ fenestris vitreis duæ imagines pictæ,vna sancti Pauli, qui ensem,altera S. Francisci,qui crucẽ manibus tenebat.Nocte Aeditu9 visus est sibi Paulum audire hæc dicentem, Quid agis Francisce?cur tuam nõ defendis familiam?Cui ille,Quid faciã:nihil habeo præter crucẽ , & hęc ipsa me admonet de patientia seruanda.Tũ Apostolus hortari, ne tantam ferret iniuriam,suumque ei offerre gladium.Territus Aeditu9simul ac illuxit,accurrit in templum,certoq; vidit vtramque imaginem insignia inter se commutasse, atque in Pauli dextera crucem adhuc esse,Franciscum vero gladium haberi cruore stillãtem:quod dum secum taci tus miraretur,increbuit rumor,Episcopum illũ,qui ei9 cõ silij auctor fuerat,repertũ esse mortuum, præcisis ceruicibus.Ac ipse quoque nocturnum visum narrare cœpit , ac pro eius fide ipsas imagines omnibus ostẽtare.Multa alia his similia sæpe cõtigere iis,qui molestiam religiosis exhi bere non veriti sunt,quorum haud fere quisquam eiusmo di interitum effugit;nimirũ pugnãte pro suis Domino,cuius causa ita cũ religiosorũ causa cõiuncta est,vt simul vtrãq; oppugnari necesse sit.Quare gloriẽtur sane ,qui volent

lent,Regum,ac Principum hominum gratia,atq; in ea colligenda studium,operamque omnem collocēt. Nostra autem gloria hæc sit,vt cum propheta dicere possimus, Anima nostra sustinet Dominum,quoniam adiutor, & protector noster est: in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperabimus. Et ille vicissim vnicuique nostrum dicat quod olim Abrahæ,Noli timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.Nam & horum vtrumque coniunctū est,& vtrumque,si cui alij in hac vita,præcipue religioso conuenit,vt quoniam nullam aliam mercedem, aut vllum bonum expetit præter Deum,ideo eius protector,ac propugnator sit idem Deus.

Psal. 32.

Gen. 15.

Vigesimussecundus fructus patrocinium Beatissimæ Virginis.

CAPVT XXXIV.

PRAETER hoc,quod diximus,tam certum, & euidens Dei patrocinium,illud quoq; ad cumulum tum solatij tum vtilitatis consequuti sunt omnes religiosi, vt essent in tutela Beatiss.Virginis Mariæ, eiusque tamquā vmbra recrearentur,eius præsidiis munirentur. Nā vt in magna domo præter patremfamilias,qui caput est, & princeps, matrem etiam aliquā esse necesse est,nō solum ad gignendos liberos,sed ad eos deinde lactādos,& alēdos,sic in hac Dei domo,quæ est Ecclesia,etsi communis omnium parens est Christus,qui suo omnes sanguine regenerauit,tamē decuit suā quoq; esse matrem, quæ ad spiritualē hanc vitam efficiēdam,& ad eandem nutriendā,& propagandam, aliquid ipsa quoq; virtutibus,officiis,meritisq; suis conferret.Hęc autē est salutifera hæc Virgo,vt eam appellat S.Leo,de qua Germanus Patriarcha Cōstantinopolitanus vetus,& grauis auctor hoc scripsit,Quemadmodū continua respiratio non solū est signum vitæ,sed etiam causa,sic sanctissimū Mariæ nomen,quod,vt ipse ait, in Dei seruorum ore assidue versatur,simul argumētū esse,quod vera vita viuāt, simul etiā hanc ipsam vitam efficere,& cōseruare,omnemq; eis lætitiam,& opem ad omnia impartiri.Hoc igitur cunctis præstat, qui modo vere viuant;sed tamen vt sol, qui in omnes naturales effectus influit,eo vberius influit, quo hi maiores, sic illius lumen, & auxilium in omnes Ecclesiæ status deriuatur,verū in eos præcipue,& maxime, qui gratiæ, & sanctitatis

Ser. 1. de passi.

In or. de Deip. Vir.

sanctitatis gradu excellũt. In religioso autem statu illud insuper accedit, quod magnã quandam habet cum illius vita similitudinẽ, in qua verè gloriari possum⁹ expressum quoddam religiosæ vitæ exemplar præfulsisse. Nam paupertatem quidem eius & præsepe, & duo pulli columbarum, & cetera multa testantur, obedientiam vero ipsum coniugium, quod eã viro subiiciebat, cum esset ipsa & sanctitate, & sapientia tanto superior. De continẽtia autẽ nihil attinet dicere, cum ipsa omnium princeps hoc pudicitiæ signũ si sustulerit, & quidem non sola voluntatis deliberatione, sed voto nuncupato. Sic enim, tum alij omnes, tum Augustinus docet, qui de ea sic loquitur. Ipsa quoque, inquit, virginitas eius gratior, & acceptior, quia non eã conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse præripuit, sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum nuncianti Angelo Maria reddidit, Quomodo fiet istud, quoniã virũ non cognosco? quod profectò non diceret, nisi Deo virginitatẽ ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarũ mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violẽter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Simile quiddam est etiam apud Bernardum, qui inter cetera hoc quoque in ea laudat, quod legis Mosaicæ, vt ipse ait, decreta transcendens illibatam Deo corporis simul, & spiritus sanctimoniam vouisset; hoc enim propositi inuiolabile fundamentum ex eo probari, quod promittenti filium Angelo tam constanter responderit, Quo modo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quamobrẽ cum similitudo adeo amorem conciliare soleat, atque in B. Virgine tam euidenter religiosa quædam formula eluxerit, quis possit dubitare, quin religiosos omnes tum singulos, tum vniuersos, ipsasque eorum familias totas amore præcipuo, & singulari cura complectatur? Hoc enim est, quod alibi ait Bernardus, placere illi nuptias nostras spirituales, multo magis, quam illas carnales, quib⁹ eam cum filio interfuisse legimus: illis enim homo homini, his anima Christo eius filio copulatur.

Lib. de Virgi. cap. 4.

Serm. signũ magnum.

Serm. de vino in aquam cõuerso.

Atque hoc etiam manifestius erit, si multorum ordinũ initia inspiciam⁹, quę cũ ex huius sanctissimę Virginis pietate, & caritate fluxisse cõstet, ab his, de quibus id constat, argumentari etiã licebit, de quibus nihil scriptum est, nullum esse ex his ordinib⁹, qui nõ ipsa adiuuãte fundatus sit,

eaque item adiuuante consistat. In primis enim de Tarthusiensi familia antiqua, & nobili, hoc memoriæ traditum est, cum adhuc recens, & tenera esset, in Grationopolitana diœcesi, vbi nata est, & multa, vt fit, instigante dæmone, aduersus illud institutum vbique iactarentur, absente præsertim Bruno ne fundatore, quem Vrbani II. imperiũ Romæ retinebat, pusillum illum gregem mãgna tempestate iactatum esse. Itaq; cum ex vna parte vitæ austeritas, loci horror, & vastitas, ipsamet insuper paucitas molesta, & odiosa, ex altera interior Dei spiritus, stellę duces, Iuris illi⁹ consulti Parisiensis tam dirus exitus, alternantes in eorum animis cogitationes efficerent, constitisse inter eos virum quendam senio venerabilem, caluo capite, capillo crispo, qui omnipotentis Dei nomine polliceretur, sacratissimam Dei Matrem ipsos in loco illo deserto semper conseruaturam, eisque aduocatam, & custodẽ futuram, si in eius honorem horarias preces quotidie persoluerent. Quibus dictis cum euanuisset, remansit tamen in omnium mentibus noua lux quædam spei, gaudiique ingentis: nihilque addubitantes, quin senex ille esset Apostolus Petrus, statim cõmuni consensu illam Dei, & fidelium omnium parentẽ sibi patronam delegerunt: quæ quidem quam fideliter promissa præstiterit, etiam nullo monẽte, res ipsa declarat. Nam ab eo tempore ita semper solitudinem illam tenuerunt, vt etiam magnopere illustrarint, ipsique & numero, & nomine magnopere aucti sint. De Cistertiensib⁹ vero æquè certo idem affirmare possumus. Cũ enim eius Ordinis auctores duo fuerint, Robert⁹, qui initiũ dedit & Bernard⁹, qui adeo amplificauit; de Bernardo quidem qui modo ei⁹ scripta legerit, vel de eo aliquid audierit, dubitare potest, quĩ familia illa huic Virgini vel in primis cara fuerit, in qua hic eius tantus amator extiterit, & cui ipsa hũc suũ amatorẽ, & famulum donarit? Robertus autẽ fundator, vt dixi, eius familiæ etiam antequam nasceretur, à Dei Matre ad op⁹ illud destinat⁹ videtur. Sic enim scriptum est, eã prægnanti matri apparuisse, cum aureum teneret annulũ, itaq; loquutam. Engardis (id enim mulieri nomen erat) filium, quẽ geris, hoc mihi annulo despõsari volo. Hæc igitur cũ experrecta rẽ gaudẽs notasset, iterũ deinde ad eam cõfirmandam eadẽ est obiecta visio, eiusq; veritatem exitus demõstrauit. Ea enim desponsatio per religionẽ fuit: annul⁹ votum Castitatis. Eadẽ licet dicere de Ordine Carmelitano,

no;quod potiſſimum oſtẽſum eſt Honorij IIII. tempore, quo cum de illius inſtituto approbando ageretur,aſtitiſſe ei ferunt de nocte Deiparam,quæ eum impulerit,& plane iuſſerit vt & inſtitutum,& homines benigne complecteretur. De Seruitarum ordine nihil attinet dicere,qui ſe totũ hui⁹ Virginis numini ac nomini dicatũ profitetur,idq; ipſa eorum origo oſtẽdit.Sic enim fertur,Sodalitatẽ quãdã fuiſſe in ipſius honorẽ congregatã,qui cum ipſo die illius Aſſumptioni ſacro preces, & laudes ei perſoluerent, admonitos cœleſti voce ſeculum ſtatim reliquiſſe, ſeque ad vnius Dei obſequium contuliſſe, retento ſemper Beatę Virginis famulatu: ideo enim Seruitas appellatos,quaſi ipſius ſeruos.Quin etiam poſt annos ſeptem eadem Dei Mater nocte quadam ſingulis ſeparatim per quietẽ apparuiſſe dicitur,cum magno,& illuſtri Angelorum exercitu,quę vna manu pullã tunicam,altera librum apertum teneret, iubẽs eos deinceps illa veſte vti,& illa regula,quam ſancti Auguſtini eſſe aiebat. Itaque ſimul ac illuxit, congregati patres,alter alteri viſionem ſuam exponentes,cum magno gaudio decreuerunt omnia exequi, quæ cœleſtis Regina præceperat. Sed nihil illuſtrius,& notabilius, quam quod in genere hoc de Dominicano ſimul,& de Franciſcano ordine commemoratur præclara quadam viſione ipſi B.Dominico oſtenſum eſſe. Etenim cum ipſo tempore, quo de inſtituti ſui fundamentis iaciendis cogitabat,Romæ in Apoſtoli Petri templo orans pernoctaret,viſum eſt ei pandi totum cælum, Chriſtumq; Dei filium exurgere irato atq; inflammato vultu,ternas manu lanceas vibrantem ad perdendum genus humanum,vnam in ſuperbos, alteram in auaros, tertiam cõtra laſciuos.Cui⁹ iræ cum nemo obſiſtere auderet,ſola Mater miſericordiæ ad pedes ei⁹ accidens, rogauit,vt ignoſceret iis,quos ſanguine redemiſſet,quin etiã cũ à Chriſto reſpõſum eſſet,nõ eſſe iam iuſtitiæ ſuę,vt tãta orbis terrarũ peccata impunita relinqueret,addidit illa,habere ſe famulos duos,fideles,ac probos,qui in mortalib⁹ ad pœnitentiam reuocandis ſtrenuam operam impigre poſituri eſſent.Quib⁹ verbis placatus Dominus, cum illos videre voluiſſet,product⁹ eſt Frãciſc⁹,& Dominic⁹ ipſe,qui hæc videbat,cui etiã cũ die poſtera Frãciſcus forte occurriſſet,quem numquam antea aſpexerat,tamẽ ex nocturno viſo ſtatim agnouit,& arcte cõplexus,vt fratrẽ,tantique operis, ac muneris ſocium,expoſuit ei quid ſibi de v

vtroque à Domino esset indicatum. Atq; hoc quidem patrocinium tum alias sępe Virgo reipsa pręstitit, tum maxime Innocentio IIII. Pontifice, qui cum nescio quibus causis esset in vtrumq; ordinē nulla eorum culpa incitatus, & quibusdā etiā edictis eorum priuilegia, ac facultates impedisset, ij quidē ad cœleste auxiliū implorandum, inter alias preces, litanias etiā quotidianas indixere, quæ dum Romæ à fratribus Dominicanis in ecclesia recitarētur, vni ex ipsis contigit, vt ipsam Virginē videret super altari stantem vna cum Filio, ita vt ipso vultu eius familiæ mœrorē, ac lacrymas, quas vberius fundebant, miserari videretur, & ad Filium conuersa hæc verba, vt in Litaniis solet, iterare: Fili exaudi eos. Nec multo post ipsum etiam Innocentium ferunt, cum Neapoli decumberet, morte iam imminēte, grauiter pœnituisse, illaque verba ex psalmo protulisse, Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneā animam eius; statimque ex hac vita migrasse. *Psal. 38.*

Idem Deiparæ studium apparuit etiam in Oliuetanū ordinem, ipso eius initio, vt accepimus. Nam cum tres primi eius ordinis fundatores conuenissent, pluresque iam quotidie eorū sanctitatis bono odore illecti ad ipsos confluerent, nō defuere qui eos deferrent ad Pontificē, qui Auenione degebat, quasi nouarum rerum auctores: sed ab illo acciti, ac benignissime accepti, & ad Guidum Aretinū Episcopum remissi, dū in Italiā redirēt, apparuit Episcopo B. Dei Mater, Angelorū choro stipata, quę ei viros illos cōmendans, cādidum insuper habitum, & regulā S. Benedicti porrigeret, qua deinceps vterētur. Cuius rei monumētum hodieq; extare dicitur Aretij in tēplo sanctissimę Trinitatis, parietib⁹ pictū, quo in tēplo & vestis, & regula illa ab Episcopo eis rite tradita est, sub Virginis tutela. Hāc etiā tutelā eadē Virgo spopōdit, & exhibuit ordini S. Hieronymi, qui, vt in ei⁹ monumētis legim⁹, cū recēs esset in Hispania, nec plurib⁹ adhuc, quā duob⁹, aut tribus, iisq; paruis cōstaret monasteriis, aliquot fratres eā paucitatē moleste ferētes, cōmunicato inter se cōsilio, ad alium ordinem trāsire decreuerāt. Iamq; abibāt, cum in ipsa via hęc Dei mater visibili specie eis occurrit, monēs, atq; adeo etiā imperans, vt in suscepto instituto permanerent: breui enim fore vt id valde propagatum viderent: se vero ordinem illum totum in suum recipere famulatum. Quę cum dixisset, non solum illi in suo proposito confirmati sunt, sed ad hunc ipsum famulatum

mulatū Virginis cōtestandū, tota ea familia reliquis vestibus albam tunicā adiūxisse dicitur, quā adhuc retinēt. Denique in hunc quoque numerū referenda videtur nostra hæc Societas I E S V. Primū enim Ignatius ipse eius fundator, & auctor, quantuscūq; fuit, non est ambigendū, quin Virginis opus fuerit. Sic enim accepim⁹, cum adhuc in paterna domo secularis ageret, hanc ei astitisse clarissimo lumine collucentem, seque ei spectandā aliquandiu præbuisse; quo aspectu, ac colloquio totum esse mutatū, ac in alterum virum conuersum, paulo post etiam castitatis voto in eius honorē se obstrinxisse: quin etiā cū spiritualē militiā ingredi decerneret, eā in ipsius potissimū nomine auspicari statuit, idq; in illa nobili Montis serrati ecclesia, vbi totā noctē ante eius arā in somnis excubauit, veterē quemdam militarem morē imitatus, quo se ei in perpetuū dicaret, ac traderet. Vt igitur qui glandē serit, totā arborem serit, sic Dei Mater, dū Ignatiū peperit, in cuius pectore, vt in Abrahæ lumbis eius posteritas, nos omnes continebamur, nos quoque, & totum hūc nostrum ordinem peperisse credenda est. Atq; hoc quidem ipsum sacerdoti cuidā nostro insignis religionis, & sanctitatis viro diuinitus monstratū est. Hic erat Martinus Gutterus Hispanus, qui tum alias multas visiones, & reuelationes consequutus est, illamq; inter ceteras, quod per Galliā iter habēti, & ante Virginis sacellum equitanti, diuino lumine ostensum est, eū intra octo dies moriturū; quod euenit, cū ille paulo post ab hæreticis captus esset, inter quorū manus in summis omnium rerum incōmodis breui decessit. Is igitur tum alia, vt dixi, multa, præsertim autem de B. Virgine diuinitus reuelata accepit, tum illud etiam, quod nos omnes attingit. Vidit enim aliquando illam eximia admodū specie micantem, veste præterea in magnam latitudinem expansa, ac sub ea veste Societatem nostram vniuersam collectam cōtineri, quam illa materno affectu complecteretur, eoque quasi suæ gratiæ, & caritatis tegumento cōfoueret. Quibus omnibus rationibus, ac documentis, cū hoc euidenter cōstet; religiosos omnes greges sub cura esse huius sanctissimæ Virginis, est sane quod maiorem in modū omnes gaudeamus, ac nobis ipsis de tanto bono gratulemur, quod quā beati omnes in cœlo vt Reginā venerantur, eandem ipsam nos quoq; Reginam, & præsidem habeam⁹ in terris. Quid enim ei desit, qui huius præsidio fulciatur, cum nec malum vllū tantum

inueniri possit,quod non eius virib⁹ facile depellatur, nec vllum tantum bonũ,quod non eius gratia,& deprecatione facile impetretur?Nam cũ ad benefaciendum duo requirantur,primum potestas,deinde etiam volũtas, vtrumque in Maria tale,ac tantũ est,vt maius optari non possit. Nam potestatem quidem,vt vno verbo dicam⁹, eamdem habet, quam ipse filius:sed hic natura,& propriam, illa dono, & communicatam.De voluntatis autem pietate, & benignitate, quis satis vel loqui,vel etiam cogitare possit, eius videlicet,quæ diuinæ bonitatis abysso,cui ita coniuncta est, quodammodo absorbetur,& immergitur? Quamobrẽ recte Bernardus de vtroque,Regina,inquit,cœlorũ est,misericors est,deniq; mater est vnigeniti filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius,seu pietatis magnitudinem commendare:nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare matrem,aut dubitare quis potest omnino in affectũ caritatis trãsisse Mariæ viscera,in quibus ipsa, quę ex Deo est, caritas nouẽ mensibus corporaliter requieuit. Atque hæc quidẽ omnibus communia: sed videamus quomodo hanc vtramq; religiosis præcipue impẽdat.De potestate insigne est exẽplũ in Franciscanis annalibus,in quib⁹ ita legimus, Leoni,qui vnus fuit ex S.Francisci familiaribus, & quidem intimus,huiusmodi aliquando visionem obiectã.Erat magna planities,& in ea species quædam iudicij mox futuri. Magna aderat hominum multitudo, Angelorũ tubæ personabant; deniq; binæ scalæ è summo cœlo vsq; ad terram demissæ,altera candido colore,altera purpureo. Huic autem purpureæ imminens visebatur ex alto Christus,vultus habitu seuero,ac subirato. At Frãciscus paulo infra ipsum fratres suos euocabat,vt ascenderent fidenter,Dominũ ita velle,eosque inuitare.Cum autem illi se per scalas audenter efferrẽt,alius de tertio,alius de quarto, vel de decimo, alij de superiorib⁹, ac pene iam vltimis gradibus procidebant.Qua suorũ clade magnopere commotus B.Frãciscus, eos voce magna admonuit,vt ad scalam alteram cãdidam accurrerent,illic nihil fore periculi. Itaq; cum ad eam accessissent,Mariã ei incumbentem vident, quæ eos blandissime intuens,studiose etiam iuuaret, exciperetq; singulos, ita vt nullo negotio ad vnũ omnes in cœlũ euaserint. Hic igitur satis ostensa est eius potẽtia.Pietatis autẽ æque illustre argumentũ extat in historiis Cistercienfibus, vbi scriptum est,Reinaldũ vita plane,& moribus sanctissimũ,cum reliquis

Serm.1. Assump.

reliquis fratribus in messorio opere occupatis, ipse, vt erat iussus, propter ætatis grauitatem secessisset, ob eamq; causam sederet mœstus, vidisse chorũ fœminarum de proximo colle descendentium, omnes vestimentis candidis, vna præeunte, quæ reliquas omnes & proceritate, & pulchritudine longe superaret. Hæc igitur cum suo comitatu, vt ad Dei famulos propinquauit, singulos perhumane, & peramãter complexata, atq; etiam osculo dignata, insuper linteolis, quæ duæ comites deferebant, de illorũ frontibus sudorem, pulueremq; abstergere cœpit; quin, etiam cõtẽtius laborantes suauius, & largius recreare. Cum autẽ Reinaldus secum ipse inquireret, quænã illæ essent, & miraretur, tãtum audere fœminas aduersus religiosum morem, astitit ei quidam aspectu venerabili, à quo edoctus est, illam, quam videret, esse Dei matrem, reliquas vero virgines in cælo degentes: venisse autem eam ad suos illos messores (hoc enim verbo vsus est) visitandos. Hoc vidit Reinaldus iste; ceteri autem, illi ipsi, quibus hoc contingit, non oculis quidem viderũt, sed animis proculdubio persenserũt, dum corporis ipsius vires instauratas, dũ patiẽtiã adauctã, dum dulcedinis gustum quendam in illa molestia instillatũ perceperunt. Ex quo nobis quoque intelligendum est, etiamsi sacratissimæ huius Virginis beneficia sub aspectũ non cadant, ea tamen & frequentissima, & maxima, omni lòco, & tempore, maximeque in ijs laboribus, quos Christi eius filij causa toleramus, in animos nostros prouenire.

Vigesimustertius fructus, quod religiosorum preces facilius à Deo exaudiantur.

CAPVT XXXV.

RESTAT etiam illa religionis vtilitas certissima, ac non modo ratione, sed quotidianis experimẽtis confirmatissima, quod suorũ preces, cum aliquid à Deo supplices petunt, ita commendat, iisque tantam gratiam addit, vt omnia facile impetrent. Atque hoc quidẽ tum dignitatem magnam continet, nìmirũ adeo gratiosum esse apud summum illum Regem, ac numen, tum vero vtilitatem quoque incredibilem. Nam Omnipotentis opibus, & viribus vti, perinde ac suis, est quodammodo omnipotentem fieri. Certe in mundo ita posse apud principes, & reges mundi, res quædam amplissima, & maxima existimatur, ideoq; ab

omnibus expeti, & omnibus modis ambiri ſolet. Quanto ergo maius erit,eum locum tenere apud ipſum Deũ, vt & ius quoddam adeundi habeamus, & petendi fiduciam, & ſummã facultatẽ quiduis obtinẽdi? Hoc igitur, quod adeo ſalubre,& commodum,adeo etiam excellẽs, & honorificũ eſt,defert etiam præter cetera ſtatꝰ ipſe religioſis. Videtur enim eorum cuique illud Domini dictum aptiſſime cõuenire, Ego ſum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum,& implebo illud. Nam& amor Dei
Pſal. 82. in illum,quem tanto affecerit beneficio, vt eũ de terra Aegypti,id eſt,de ſeculo,tot alijs in illa miſeria relictis,eduxerit,hoc polliceri videtur:& illius obedientia, qui Dei voci in tanta reparuerit,hoc viciſſim mereri:& præterea multæ concurrunt cauſæ,cur illa bonitas,quæ diues eſt in omnes, qui inuocãt eam præcipue hoc faciat aduerſus religioſos. Eſt autem illa prima cauſa,quam indicat propheta Dauid,
Pſal. 33. cum ait,Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces
Pſal.144 eorũ:& alibi. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorũ exaudiet. Vbi autem magis vigeat iuſtitia, & Dei timor,quã in eo ſtatu,qui ſe ob hunc ipſum timorẽ, in arcem quandã iuſtitiæ recepit? Sic enim appellare licet, & decet,religionẽ,quæ ita nos ab occaſionibus peccandi, ita hoſtes à nobis remouet,vt pene difficilius ſit, malum eſſe, quã eſſe probum;adeo omnis propemodum male agẽdi facultas ſublata eſt. Altera cauſa eſt,quę religioſis magis etiã proprie conuenit,paupertas ipſa, de qua eſt apud eundem
Pſa. 9. Prophetam,Deſideriũ pauperũ exaudiuit Dominus,pręparationem cordis eorum audiuit auris tua. Igitur non ipſas modo preces,ſed etiam tacitas cogitationes, ac deſideria, antequã orando expromantur,præuenit Dominus in pauperibus,ſed iis tamen,qui vere ſint pauperes,id eſt, in pauperibus voluntariis. Nam aliorũ domus fortaſſe, & area inops eſt,animus vero diues,quia diuitias amat,& quærit. Igitur principes gentiũ,qui externo ſplendore omnia metiuntur,impenſius fauere ſolent locupletibus, ac potentibus,tenuiores vero ne ad cõgreſſum quidẽ, vel conſpectũ admittere. Non ita Deus;ſed his potius facillimos aditus & ad colloquendum, & ad impetrandum præbet,qui coram ipſo nudos ſeſe ab omnibus humanis rebus ſiſtunt,idque ipſum ob eius amorẽ. Cur enim illa miſericordia,& illa pietas non ſit in eos liberalis,qui in ipſam adeo liberales fuerũt,iiſque omnia tribuat,qui omnia ei vltro tribuerunt,

runt,quæ habebant, & quæ habere poterant? Nam in hoc etiā pro certo existimandū est,valere illam regulā, quam ipse iam sibi in beneficiis impertiēdis præscripsit. Qua, inquit,mensura mēsi fueritis,remetietur vobis, immo vero abundantius etiā:addit enim.Mensuram confertā, & coagitatam,& supereffluentem dabunt in sinum vestrū.Quod si hoc merentur officia hominibus impēsa propter Deum, quanto magis quæ ipsi Deo impenduntur? Sequitur etiam alia causa ex humilitate.Sic enim scriptum est,Oratio humiliātis se penetrat nubes:& alio loco,Respexit Dominus orationē humiliū, & non spreuit preces eorum. Sed humilitatis quidē duplex forma esse potest,altera ad tempus, & præsertim ad illud tempus, quo quis corā Deo apparet ad eum obsecrandum,quæ ipsa sine dubio tantum confert ad impetrandum,vt in ea omnia ferme posita esse videantur, quod apparuit in Achab rege impio,ac scelesto, qui tamen simul ac coram Deo,vt ait scriptura, humiliatus est, eum quo voluit inflexit. Sed si hæc tantam vim habet, vt etiam peccatores summo illi Iudici statim conciliet, quanto efficatior erit ad eos,qui iusti sunt,magis, ac magis cōciliandos humilitas illa,quæ & omnes actiones, & omnem vitæ conditionem,& tempus omne complectitur? Humilitatem status dico,qualis est religiosorum, quę nō solum omnem seculi honorem,& fastum aufert,sed etiam ad infimum locum redigit,nempe ad vitam pauperem,aliorumque imperiis subiectam,vt si eam humano iudicio metiaris, ad seruitutem proxime accedere videatur,etsi hæc seruitus summa libertas est, & ita honorata, vt regnis ipsis antecellat. Accedit etiā aliud,quod quātam vim habeat ad impetrandū, docemur ex psalmo,Delectare in Domino,& dabit tibi petitiones cordis tui:quod quidē si quis alius in hac vita,maxime faciūt religiosi. Hi enim alias sibi omnes delectationes eripuerūt,cōiugij,liberorum,diuitiarum,& quæ ex diuitiis consequi solent,vt venationū,cōuiuiorum, spectaculorum,magnificarum ædium,aut vestiū, & alias eius generis.Ac cum istas sibi omnes delectationes ademerūt, tum vero omnē suam delectationem in Domino collocarunt,cuius dulcedine partim orādo,partim legēdo, partim etiā aliis pluribus modis mirifice eis perfrui licet. Adiuuat etiā eos ipse status,qui quod omnino spiritualis est, & præterea totus in Dei seruitio,nihil eos ferme vel cupere sinit, vel petere,quod non spiritnale sit, vel ad Dei seruitiū pertineat,

Matt. 7. *Eccl.35.* *Psal.101.* *3.Re. 21.* *Psal. 39.*

tineat.Itaque eo faciliorem oportet esse Deum in iis concedendis,quæ ita petuntur,quia cum de his rogatus exaudit,se potius exaudit,suoque honori,ac dignitati consulim Tātum igitur refert,coniunctas , & permixtas habere cust Deo rationes,vt habēt religiosi,quorum ita communis ecausa cū Deo,cui seruiūt,vt tam aduersa , quam prospera, eadem sint vtrisque.Idem enim ijs euenit,quod etiam hominum famulis,qui du rem domini sui procurāt,quicquid in eo genere agunt,& quicquid ab ipso hero petunt,magis ad heri causam pertinet,quam ipsorum,isque eo concedēdo suum agit negotium. Ac licet hæc omnia apud Dei benignitatem tantum habeant momenti, duo tamen restant omnium grauissima,& maxima; alterum est volūtatis propriæ abnegatio;alterum caritas , & multorū fratrum vnanimis consensio.De priore illud extat apud Esaiā,qui quorumdam querimoniam,quod suæ preces cum multis ieiuniis,lacrymisq; coniunctæ,non essent à Deo auditæ, ita re-
Esa. 58. fellit, eamque causam reddit.Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra:quibus etiam pollicetur , si voluntatem suam facere destiterint,Tūc inuocabis, & Dominus exaudiet te,clamabis,& dicet,Ecce adsum.Et iure hoc quidem:nam vt inter amicos iniustus sit,qui alterum ad suam voluntatem semper præsto esse velit , ipse de sua decedere vnquā nolit ; æqualem enim esse oportet amicitiæ legem, vt eadem vtrique placeant , quod si fiat, auctoritas etiam quædam acquiritur non solum liberrime petendi , sed suo propemodum iure sumendi quicquid alterius est: sic in diuina amicitia nihil esse potest efficacius ad Dei volūtatem inflectendam ad nos,quam si nos, & totum arbitrium nostrum in magnis , & in minimis ei permiserimus. Quod si ita est,quis melius,perfectius,perseuerantius id facit , quā religiosus,qui etiam perpetuo voto omnem suam voluntatem sibi præcidit,& pro sua diuinam inseruit ? Igitur ex nonnulla etiam iustitia,quoad quidem inter hominem , & Deū intercedere potest ius vllū , licebit religioso à summa illa maiestate exigere , vt quoniā ipsi in omnibus rebus ei obsequatur,is vicissim aliqua in re sibi,quod tamen ipsū in Dei obsequiū recidit. Alterum erat fraterna coniunctio, de cuius vi quid attinet plura dicere , cum illam Domini
Matt. 18. vocē habeam' ? Dico vobis,si duo ex vobis cōsenserint super terram,de quacūque re, quam petierint , fiet illis à Patre meo,qui in cœlis est.Igitur si consensus quæritur, quis vel

vel maior,& arctior esse potest, quã religiosorum inter se, qui omnem omnium rerum communionem teneant, vel etiã firmior ac diuturnior, cum magno illo, & insolubili votorum vinculo sit ligatus? Ex hoc igitur fieri necesse est, vt singulorum preces gratiores, & efficaciores sint in Dei conspectu,tũ propter virtutem ipsam sanctæ caritatis, qua non potest Deus nõ summopere delectari, cum sit ipsa caritas,tum etiam propter illã,de qua ante multa diximus, bonorum operum cõmunicationem, quæ vnumquemque alienis quoque meritis ita ornat,vt eo etiam nomine multo plus possit.Beatũ Dominicũ accepimus Cistertiensi cuidam Priori,quo familiariter vtebatur, ingenue confessum esse,nihil se vnquam in hac vita à Deo postulasse,quod nõ accepisset;quod ille admirans,quęsiuit ab eo,cur non ergo ordini suo Conradũ Teutonem peteret,qui tum inter præcipuos Doctores ferebatur.Cui Dominicus, esse rem difficilem,sed tamen si peteret,nõ diffidere. Itaque cum totam illam noctem orando vigilasset, ecce primo diluculo Conradus in tẽplũ venit,abiicit se ad Sancti pedes, supplicat vt in suam se familiam asciscat,& cum ingẽti omniũ gaudio, & admiratione statim asciscitur. Multa alia afferri possent huius rei exempla:pleni enim sunt omnes libri, & omnes historiæ,nec vllius fere religiosi scripta extat vita,quę non referta sit eiusmodi beneficiis,quæ à Domino obtinuerit, partim supra naturã,quę sunt notiora,& illustriora,partim intra terminos,limitesque naturæ,quæ sunt sane quotidiana,sed minus cognita, ac sæpe ne cognita quidem. In quo genere illa etiam mihi admirabiliora videri solent, quæ Deus interdum suis concessit minuta,& minima, quasi ad hoc quoq; maiestatem suam demittens, vt eorum vel precibus,vel etiam tacitæ ipsi voluntati obsequeretur. Cuiusmodi est quod de Scholastica legimus, cum ipsa precante, subitos imbres de cœlo demisit, vt Benedictũ fratrẽ suum vna nocte retineret:& de S.Thoma Aquinate,cui ęgrotanti aleces extra tẽpus suppeditauit.itẽq; de B.Francisco,qui cum in graui morbo aliquid musice audire cuperet, angelus de nocte astitit,deambulans in cubiculo, lyrãq; pulsans sciẽtissime.Quæ,& alia innumera in reb⁹,vt dixi,minimis, eo magis illã Dei facilitatẽ testãtur,simulq; ostendũt, quãto is paratior futurus sit in maioribus, quæ eius magnitudinem magis decere vidẽtur,& quę præsertim cũ propria, vel cum aliorũ vtilitate cõiuncta sunt. Hanc enim ob cau-

sam

Hom. 41 in Genes. sam scribit Chrysostomus, tales homines non sibi solis salutem, & vtilitatem precibus suis afferre, sed aliis quoque, & quidem integris sæpe ciuitatibus, ac populis, Quare illa etiam merito idem adiũgit, Cum igitur, ait, virum videris externo habitu amictum vili, virtute vero intrinsecus vestitum, noli id, quod apparet, despicere, sed contẽplare animæ diuitias, internamque gloriam. Talis erat beatus Helyas, qui melotem tantum habebat, at purpuratus Achab illius melote indigebat. Vide Achabi inopiam, Helyæ autem diuitias.

Comparatio status Religiosi cum seculari laico.

CAPVT XXXVI.

EXPICATIS religiosæ vitæ fructibus, eiusq; tamquã amplissimis opibus expositis, per se iam apparere potest, quanto ea interuallo aliis omnibus vitæ rationibus, vtilitate quidem, & salutis adipiscendæ facilitate antecellat. Sũt autem hi status, qui in comparationem adduci possint, laicus, Clericalis, Episcopalis, Solitarius: de quibus singulis aliquid est dicendũ. Atque vt à laico, qui infimus est, incipiamus, magna est sine dubio, & euidens inter vtrũque distantia: quam distantiam illa mihi Saluatoris parabola docere videtur, in qua Dei seruitus magnę cuiusdam cœnę
Luc. 14. similitudine exprimitur, à qua tria omnino retrahunt impedimenta, quæ ibidẽ commemorantur: Villam emi, Iuga boum emi quinque, Vxorem duxi. Itaque etsi in laica vita multa sunt, & varia hominum studia, & occupationes, omnes tamen à diuina Sapientia tribus his capitibus breuissime comprehendi videntur: idque ita etiam Ambrosius in-
Lib 7. in Luc. tellexit, qui scribit, docuisse Dominum hoc loco, terrena omnia relinquenda esse, quod inquit, neque ille, qui studiis intentus inferioribus, possessiones sibi terrenas coemit, regnum cœlorum adipisci possit, cum Dominus dixerit, Vende quæ habes, & sequere me. Nec ille, qui emit boues, cum Elysæus occiderit, & populo diuiserit quos habebat, & ille qui duxit vxorem, cogitet quæ mundi sunt, non quæ Dei, non quo coniugium reprehendatur, sed quia ad maiorem honorem vocetur integritas; quoniam mulier innupta, &
1. Cor. 7. vidua cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore, & spiritu. Hæc Ambrosius. Nos autem singula hæc impedimenta, & quasi vincula, quibus seculares homines alij aliis alligat-

alligari solent, consideremus. Ac primi quidem generis pericula optime ab Augustino declarátur his verbis. In villa, *Ser. 33. de ver. Dom.* inquit, empta dominatio notatur: habete enim villam, & possidere, hominẽ sibi in illa subdere, & dominari delectat. Vitium malũ, & vitium primũ. Primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propria potestate gaudere? Est maior potestas, illi subdamur, vt tuti esse valeamus. His Augustini verbis & ambitionis malum indicatur, quę dominatum, & excellentiam inter homines appetit, & religiosorum fęlicitas, qui diuinæ potestati, vt ille monet, omnino, penitusque subdũtur, seque illi votorum vinculis insolubilibus constrictos tradunt. Ac illi quidem, qui dominandi cupiditate tenentur, quanto in discrimine versentur, diserte ostendit Gregorius, tum alias sæpe (nullũ enim aliud ferme vitium tam acriter exagitauit) tum vero in illa verba, quæ sunt in libro *24. Mor. 14.* Iob, Qui dicit Regi Apostata, qui vocat duces impios. Cuius sententiam si breuiter complecti velimus, tres maxime timendi causas inter honores, ac dignitates inueniemus. Primũ quoniã cum earum amor animũ alicuius occuparit, nullum decus, nulla honestas tanti erit, quam non ambitioni posthabeat. Hinç enim à Gregorio dictum est, Numerari culpæ nequeunt, quæ habẽdæ potęstatis amore perpetrantur. Deinde ipsemet excellentiæ appetitus, etiamsi nihil aliud peccetur, per se tamen in vitio est, & quidẽ magno. Ideo enim Gregorius idem dictum putat, Qui dicit Regi Apostata, quia, inquit, vnusquisque rector toties ad culpã apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur. Tertiũ periculum est ex officij suscepti magnitudine, si vel nõ iuuẽtur subditi ad bene viuẽdum, vel, quod est peius, etiam malis exẽplis deteriores fiãt. Quã ob causam, auctore ipso Gregorio, dictũ est de Deo. Qui vocat duces impios, Quia, inquit, dux est impius, qui à tramite veritatis exorbitat, & dum ipse in præceps ruit, ad ąbrupta sequẽtes inuitat. An nõ igitur miseri sunt, qui cœna illa neglecta, bonis omnibus referta, in horũ se malorũ turbam, & aliorum quoq; plurimorum volẽtes coniiciunt? Mihi quidẽ non solum miserrimi, sed etiã stultissimi videntur, qui cum ad regium conuiuiũ vltro, & gratis inuitẽtur, nullo ipsorũ sumptu, nullo labore, illi tamen tãto pretio tam infelicẽ villam emere malint. quo autem pretio? seruitutis, solicitudinis, plurimarũ curarum, & angorum

angorum,quæ carior est merces,quã auri,aut argenti:hęc enim exteriora sunt,illa interiora, & quænos penitus tangũt.Comparemus nunc religiosi hominis vitam remotam ab hac ambitione,tranquillam,sedatam,omnisque perturbationis expertem,denique cænæ plenæ,ac magnæ similitudine designatam. Sunt enim in cæna hæc tria præcipua, quies in accubitu,suauitas in epulis, iucunditas in conuictu,colloquioq; cõuiuarũ.Quæ autem maior animi quies, quã religiosi, qui nihil in hoc mundo appetit,omnia abie-
Rom. 8. cit,vno autẽ Deo fruatur,à quo certus est,vt Apostolus loquitur,neq; instantibus,neq; futuris separari se posse?Quæ autem dulciores epulę,quam cœlestiũ rerum tractatio,quę animæ palatum mirabiliter oblectant, & demulcent? qui enim tauri, quæ altilia,aut quę condimenta cum illis deliciis comparari possunt,quæ nobis ex illo superno beatorũ conuiuio cadũt?Atq; hæc deinde omnia augentur, magisque dulcescunt,suauissima sodalium, fratrumque coniunctione,qui nobiscum huius cœnæ participes sunt. Nam cũ omnis hominũ societas maxime iucunda, maximeque naturalis est,tum præsertim talium hominum, qui & virtute præditi,& nobiscum ita sint astricti.Hac igitur cœna fruitur religiosus quisque,totaque hæc vita perpetua est quædam cœna;quoniam, vt est apud Sapientem, Secura mens,
Pro. 15. quasi iuge cõuiuium. Hic sine periculo,& sine trepidatione viuitur,nulla etiam cogitatione rerum, ac negotiorum difficiliũ;hæc enim omnia, quæ molesta sunt, de industria remoueri à mensis solent,vt nulla ratione tantis, tamque securis voluptatibus comparari debeant illorũ occupationes tam anxiæ,& tam periculosæ, qui in villa emenda totam suam vitam impendunt.

Sequuntur alij,qui pluribus boum paribus emptis, toti sunt in lucro,& negotiatione,& rei amplificatione.Miserũ certe,&,si verũ quærimus,etiam vile hominũ genus, qui in rem tam contemptã curas, & cogitationes suas abiecerũt.Itaq; iure Saluator illius typo hos conclusit, qui boues ad hoc emisset,vt agros coleret,quod opus infimũ sine dubio est,& maxime ignobile.Vt enim qui id op9 faciũt, terram subigũt, terram oculis spectant,& animo etiam cogitant,sic qui diuitiis quærendis studet, quocũq; artificio id faciat,nihil aliud quam terrã tractat, quoniã hæc omnia, si recte ęstimemus,terrena materia cõstãt,sed externa specie insipientiũ oculos fallunt.Nam quid de peccandi periculis

culis dicamus, quæ emendo, vendendo, contrahendo, impendent, & quæ euitari vix possunt, præsertim cum habendi desiderium humano animo semel insederit? Itaque hoc constitutum sit, omnē hanc vitam, quæ cupiditate duce in quæstu faciendo versetur, ne vllam quidem partem habere cum religiosa vita conferendam. Illa enim semper inquieta, turbulenta, solicita: hæc semper in summa tranquillitate, & pace, nempe remotis iis causis, quæ cum perpetuæ casuum varietati sint expositæ, magnam afferunt perturbationē. In illa frequētissimæ sunt æternę mortis pericula, hic omnia salua, omnia tuta. In illa denique nulla, aut pene nulla spiritualiū rerum cogitatio; hic vnum earum studium, vna delectatio.

Superest tertium genus, eorum, qui vxorem duxerunt, de quorum vinculis alio loco copiosius dictum est, sed tamen hoc summatim dici potest, id quoque impedimentum maximam omnino vim habere, vt à cœna illa excludat. Etenim si boum negociatio, & thesaurizandi studium sufficit ad impediendum, quid faciet is, qui vxore ducta eadem primum thesaurizandi necessitate vrgetur, & præterea ipsis etiam vxoris, liberorum, familiæ, & multarum rerum, quæ hæc consequuntur, curis illigatur: ex quo magnam Dei obliuionem, & ignorantiam, atque ex vtraque magnam peccandi procliuitatem nasci necesse est. Quamobrem recte, & commode Bernardus ita religiosum ordinem cum ordine Prælatorum, & coniugatorum comparat, vt dicat, omnes quidem operā dare, vt hoc præsentis seculi pelagus magnum, atq; vndosum pertransēant, sed in modo multum interesse. Prælatos enim naui transmittere, quod omnino non vacat periculo, præsertim in tantis procellis, & tempestatibus, in quibus, vt ille ait, modo vsque ad cœlos ascendunt spiritualia tractantes, modo vsque ad inferos descendunt, infernalia facta diiudicantes. Secundos porro, qui sunt religiosi, ponte transire, quod iter & breuius, & facilius, & denique securius quoque esse constat. Tertium demum esse eorum statum, qui castum sequuti coniugium, terrenarum etiam rerum possessionem retinuerunt. & eos quidem neque ponte, neque etiam naui, sed plane vado transmeare, laboriosum prorsus, inquit, & periculosum habentes iter, quippe qui nulla viæ compendia captēt. Nam quod periculosum sit iter, in eo patet, quod tam multos in eo perire dolemus, tam paucos videmus, sicut necesse est, pertransire. Valde enim difficile est, præsertim istis diebus, quibus militia nimis inualuit, inter vndas huius mundi,

Serm. de tribus ordin.

voraginem vitiorum, & criminalium peccatorum foueas declinare. Hæc Bernardus, quæ sane admodum luculente & illorum miserā, & nostram nobis felicem sortem ob oculos ponunt, cum illi tam difficili, & periculosa, nos ea via ingrediamur, in quam tria illa concurrunt, breuitas, facilitas, securitas; quæ quicumque teneat, nihil amplius desiderare possit.

Quid igitur iam singulas viuendi formulas persequamur, quæ intra hæc, quæ diximus, genera continentur, vt mercatorum, vt militum, vt aulicorum, vt etiam iurisperitorum, & eorum omnium, qui in litteris ætatem agunt? Quod enim est ex his omnibus institutis, quod vel in comparationem cum religione venire audeat? Omnino ex his omnibus maxime ingenuum, ac liberale illud est institutum, quod in litterarũ cognitione versatur idque eiusmodi, vt in eo facilius aliquãto homines salui esse possint, si rerum, quas Deus condidit, sciẽtia ad eiusdem Dei earum auctoris amorem, & timorem sibi gradum facere velint. Sed tamen hoc ipsum quam difficile, & rarum in seculo, vbi suas quisque spes sequutus, alius honorem, alius quæstum, alius famam, & gloriam, corrupto scilicet fine, in magna omnes studiorũ, & cogitationum inanitate voluuntur? Itaque euenit in plerisque quod ait Bernardus, vt alij scire velint, vt sciantur, quod vanitas est, alij vt sciant, quod curiositas est, alij etiam vt scientiam vendant, quod mercatura quædam est. Quod si hæc secularis litteratura his periculis exposita est, vt iam fere nihil sit aliud, quam instrumentum vel auaritiæ, vel ambitionis, quid de aliis dicendum erit, & potissimum de iis, qui in principum obsequio vitam agunt, quorum quidem rationem si cum religiosorum ratione vel conferre velimus, iniuriam sine dubio huius sanctitati faciemus. Est tamen in hoc ipso similitudo nõnulla, quod vtrique seruiunt, vtrique etiam huius seruitij præmium expectant. Cæterum in rebus ipsis nulla comparatio. Nam & merces illis dubia, his certissima; illis fluxa, caduca, & quantacumque sit, pusilla, & exigua, his æterna, immortalis, & omnino maior spe, maior cogitatione nostra. Præterea illorum Domini mortales, mutabiles, ac plerunq; difficiles, & morosi, quibus etiam multo labore satisfieri nequeat, & sæpe gratiam multis annis collectam vna leuis offensio effundat: nobis autem tam pius, támque clemens Dominus, vt ipsas etiam culpas, ac negligentias facillime ferat, iísque potius vltro medeatur, is denique de quo vere,

Ser. 36. Cant.

& sapienter

& sapienter dixit B. Ambrosius, neque se mortem timere, neque recusare vitam, quoniam bonum Dominum haberet. Atque hæc vna cogitatio quantum interfit inter hominum seruitutem & seruitutem Dei, multos, qui hoc attétius considerassent, sæpe impulit, vt hanc cum illa cupidissime commutarent. Ita fecere illi duo, quos narrat Augustinus, cum in Imperatoris aula haud mediocrem tenerent locum, commotos lectione libelli, in quo descripta erat Antonij vita, subito & tanti Principis gratiam, & sponsas, quas recens duxerant, & quicquid in mundo habebant, reliquisse. Quorum ratiocinatio, cum se inuicem ad hoc impellerent, his verbis ab Augustino expressa est. Dic quæso te, inquit omnibus istis laboribus nostris quo ambimus peruenire? Quid quærimus? cuius rei causa militamus? Maior ne esse poterit spes nostra in palatio, quam vt amici Imperatoris simus? Et quid ibi non fragile, plenumq; periculis? Et per quod pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quandiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Hanc mentem, & hanc lucem sine dubio spiritus sanctus iis suggerebat. Itaque omnia verissima, & optima, ídque in primis, quod per multa pericula assentandi, obsequendi, alios etiam calumniis peruertendi, perueniatur ad eam principum beneuolentiam, in qua ipsa maius sit periculum. Atque hoc quidem magnis, ac diuturnis laboribus: tamen incertum est an aliquando consequuturi simus. Dei vero amicitia, ac beneuolentia certissima, statímque ac nos velimus, præsto est; neque vero locus est dubitandi, ne longa seruitus illi bonitati impensa, suo præmio, suáque mercede frustretur. Itaque vt antea de coniugio dicebamus, si vinculum aliquod subeundum sit, longe præstare ligatum esse cum Deo, qui non potest esse non bonus, quam cum homine, qui sæpe est malus, & ex bono fieri potest malus; item nunc de seruiendo dicimus, si ad alienam voluntatem viuendum sit, multo optabilius esse Dei voluntati, quod religiosi faciunt, quam hominis voluntati sese subiicere. Illa enim non potest esse nisi recta, & æqua, & nobis ipsis salutaris, hæc sæpe, atque adeo plerumque distorta est, & vitiosa, &, quod caput est, ad eius, cui seruimus, vtilitatem, commodúmque dirigitur. Ac de singulis quidem statibus hæc breuissime dicta sint. 8. Cõf. 6.

In vniuersum autem de omnibus hoc dicere licet, necesse esse secularium vitam pluribus malis patere, cum in ea vigeat, & regnet omnium malorum origo, & fons, nimirum

propria voluntas. Hæc enim nostra voluntas cum ita vitiata sit,& corrupta, cohibere se non potest, quin modo in hanc, modo in illam partem præceps ruat. Quinimmo cum ipsa per se à Deo cæca, & infirma sit,tum deinde accedunt affectus turpidi, & concitati,iracundiæ,odij,cupiditatis,ad quos comprimendos quoniam nullum studium, nullúsque labor adhibetur, sed potius ipso vsu corroborati ita dominantur in vita, vt ex eorum libidine cuncta gerantur, innumerabiles ab eis pernicies in animas primum, deinde etiam in corpora ipsa prouениunt. Nam vbi non ratio, & consilium,sed temeritas, & inconstantia valet, nihil tutum,aut stabile, sed omnia incerta, & miseriis plena. Hinc enim subiti impetus, hinc repentinæ, & præcipites deliberationes, quas quotidie videmus in seculo,cum vt se leuis offerat occasio, plerumque etiam sine occasione,noua suscipiantur consilia,modo militiæ, modo mercaturæ, modo aliorum negotiorum; quæ temere suscepta eadem temeritate deseruntur, vt nullum fretum, nullus euripus tot motus, támque varias habeat fluctuum agitationes ex quo etiam fit, vt sæpe homines & se, & familias suas magnis detrimẽtis atterant, & omnino perdant. Contra vero religiosi cum alieno regantur ductu, ab his erroribus longissime absunt, præsertim cum, vt antea dictum est (dicendum est autem sæpius, aut potius habẽdum semper ante oculos) non ab homine regantur, sed à Deo. Itaque nullum est periculum, ne sui amore decepti errent in eligendo: nihil enim ipsi eligunt, sed e aliorum præscripto pendent. quare tota eorum ratio in vita constans, & grauis, & plane vniformis reperietur. Sunt prætérea in seculari vita duo magni, admodúmque periculosi scopuli,quorum alterutrum nulli pene effugiunt, alter ocij, ac desidiæ, alter nimiarum occupationum. ille ferme locupletiorum, & pleniorum,hic vel tenuiorum, vel certe eorum, qui ditiores fieri velint, quorum magna est multitudo. Ac de otio quidem verum est quod Bernardus scripsit, esse id sentinam omnium tentationum, & cogitationum tum inutilium,tum etiã malarum, denique summam esse mentis malitiam. Quæ vero damna nimiis occupationibus efficiantur, idem Bernardus luculente describit initio eorum librorum, quos de consideratione ad Eugenium misit, cum ait, Ita earum quasi callo cor obdurari, vt neque compunctione scindatur, nec pietate molliatur, nec minis cedat, nec precibus moueatur, ingratum sit ad beneficia, inuerecundum ad turpia, impauidum ad peri-

Ad frat. de mon. Dei.

adpericula, denique nec Deum timeat, nec homines reuereatur. Rectè igitur etiam hoc Gregorius, qui secularem solicitudinem in Esau, religiosam autem quietem in Iacob expressam putat, quorum alter venationi deditus, & agricola fuisse scribitur, alter vir simplex, & domi, siue in tabernaculis habitans. Quid enim, inquit, per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse scribitur, quia amatores huius seculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta derelinquunt. In tabernaculis autem, vel in domo habitare est, se intra mentis secreta restringere, & nequaquam exterius per desideria dissipare, ne dum ad multa foris inhiant, à semetipsis alienati cogitationibus recedant. Denique illud extremum sit in hac comparatione, quod hi quidem seculares laici, vt nunc eunt tempora, vel omnino per vitiorum prærupta deferuntur, vel si qui sint, qui melius, honestiúsque viuant, satis habere videntur, si à peccatis abstineant, si furtum non faciant, si non occidant, & in summa si nulla re Dei numen offendant; quod qui assequuntur, ij inter reliquos eminere putantur, & tamquam mortalium optimi digito monstrantur. Religiosi autem hoc quidem primo loco, deinde verò illud etiam elaborant, vt virtutem virtute, merita meritis cumulent, nouásque quotidie coronas humilitatis, pœnitentiæ, mortificationis officiis multiplicent; quam ad rem magnam illis & facultatem, & stimulum quoque suppeditat ipsa religio. Vtra autem melior, salubriórque sit ratio, tum aliis multis, quæ breuitatis causa omittimus, ostendi potest, tum illa Hieronymi sententia, seu quis alius auctor fuit libelli ad Demetriadem; Neq; enim inquit, tibi sufficit à malis otiosam esse, si otiosa fueris à bonis. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Et blandimur nobis, si malis fructibus non grauemur, qui damnandi sumus, si à bonis steriles manserimus? Sic abscindet. Pater omnem palmitem non ferentem fructum in filio. Et qui acceptum talentum in sudario abscondit, quasi inutilis seruus, & nequam damnatur à Domino. Nec minuisse solum, sed & non auxisse, damnabile est. Hæc ille.

Matt. 7. *Ioan. 15.* *Mat. 25.*

Compatio ſtatus Religioſi cum ordine Clericorum ſimplicium.

CAPVT XXXVII.

POST laicorum ordinem ſequitur ordo ſimplicium clericorum, multo quidem perfectior, & cum Deo coniunctior, eoque religioſis ſimilior, quod ipſi quoque aliquam Dei ſeruitutem profitentur, & ei ſeruituti ſacro charactere conſignantur. Sed tamen multa ſunt, & magna, in quibus ſuperant religioſi. Primum enim, ſi de ſtatu ipſo perfectionis quærimus, eum non habent clerici, habent autem religioſi. Etenim ſtatum immobilem, fixum, immutabilem eſſe oportet. Non poteſt autem eſſe immobilis, niſi accedat voti nexus, & obligatio, qua carent clerici, non modo ſi nullam animarum curam gerant, ſed etiam ſi gerant: licet enim eam relinquere, nec vt eam ſemper retineant vlla promiſſione tenentur. Tractat hoc argumentum docte, & copioſe B. Thomas in libro, quem inſcripſit, de perfectione vitæ ſpiritualis, cui libro cauſam dedit quorumdam imperitorum, atque etiam improborum error, qui vt religioſis detraherent, clericos eis nón ſolum comparare, ſed etiam præferre auſi erant. Quorum temeritas tum expreſſe Pontificis decreto damnata eſt, tum etiam illo, quod diximus, B. Thomæ ſcripto luculentiſſime confutata. Affert autem hoc inter cetera, quod ijs quidem qui cuipiam muneri in perpetuum deſtinantur, ritus aliqui certi, ac ſolemnes adhibentur. Videmus hoc in Epiſcopis, quibus cum Eccleſiæ alicuius cura traditur, liniuntur, vnguntur, certæ etiam precum formulæ recitantur, tum virga, & panis, & vinum traditur, annulus in digitum inſeritur, aliaque eiuſmodi multa fiunt, quibus oſtendatur id agi, vt perpetuum vinculum, & quaſi deſponſationem cum ſua quiſque eccleſia ineat. Idem fit in religioſis, quorum profeſſio ſuis etiam, proprijſque ceremoniis ſancitur, neque id nouo, ac recenti, ſed antiquiſſimo inſtituto: quod declarat Dionyſius, qui veteres illos ritus commemorat, & ſingulorum etiam rationem exponit. Quæ ceremoniæ deinceps ſemper retentæ ſunt, aliæ ab alijs, aliquæ tamen ab omnibus. Atqui nihil eiuſmodi fit in clericis, cum aliquam animarum adminiſtrationem ſuſcipiunt: ex quo appareat eos in ſtatu perfectionis nō eſſe, immo vero ne ſtatum quidem habere. Hæc S. Thomas, Quanto autem inferius ſit munus hoc clericorum ſtatu religioſo

Ca. 20. & ſeq.

De eccl. Hier. c. 6.

gioſo, illud etiam apperte indicat, quod cum à maiori, & meliori ſtatu ad minorem nemini permiſſa eſſe debeat deſcenſio, licitus tamen, imo vero etiam laudabilis eſt ex cleri gradu in religionem tranſitus: idque ſacri canones ſanxerunt, non ſolum quia ſecurior, ſed ob id etiam, quia perfectior. Sic enim habetur quodam loco, clericos monachorum propoſitu appetentes, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, minime impediendos, liberumque eis ab Epiſcopis permittendum acceſſum. *19. q. 1. c. cleri-ci.* Gregorius autem Deſiderium Epiſcopum, qui ſuum quendam retinebat, de hoc eodem admonet, & ſane operæ pretium eſt videre, quo verborum pondere. Hortamur, inquit, vt tam promptæ deuotioni eius, quam in ſancto ſtudet habere propoſito, minime veſtra ſit impedimento fraternitas: magis autem, quibus valetis adhortationibus, paſtorali admonitione ſuccendite, vt feruor huius deſiderij in eo non tepeſcat, vt qui à turbulento ſecularium turbarum tumultu ſe ſegregans, quietis deſiderio, monaſterij portum appetit, rurſus in Eccleſiaſticarum curatum non debeat perturbationibus implicari, ſed in Dei laudibus permittatur ſecure ab iis omnibus remanere, vt poſtulat. *Lib. 10. Reg. ep. 40.* Hæc quidem Gregorius. & optime, illudque præſertim, quod religioſam vitam portum appellet, eumque ſecurum. & quietum; contra vero eccleſiaſticum illud munus & perturbationibus implicatum, & ſecularium turbarum tumultu inquietum. Extat etiam ſimillima Anſelmi doctiſſimi, & ſanctiſſimi viri epiſtola ad Gofridum Pariſienſem Epiſcopum, qua eum leniter ille quidem, ſed tamen grauiſſime accuſat, quod clericum ad religioſum iugum aſpirantem impediret, idque ab eo nec ratione, nec conſilio fieri, pluribus rationibus docet.

Verum vt hæc, quam tractamus, vtriuſque huius vitæ cōparatio clarior ſit, atque euidentior, conſideranda eſt omninò clericalis huius ſtatus difficultas, & periculum, quod ſane ex triplici capite oritur. Primum eſt ipſa ordinis dignitas; alterum officij, quod gerunt, grauitas, nempe curandarum animarum; tertium redditus, ac facultates eccleſiaſticæ. Nam dignitas ipſa, quis negare poſſit, quin eximiam quandam vitæ, morumque probitatem, integritatem, ſanctitatem requirat, & vitium quoduis, etiam minimum, eo turpius ei ſit, & indecentius? Atqui ſacerdotium tantæ dignitatis eſt, vt non modo in terris nulla ei par ſit, ne vllius quidem Principis, ſed ne in cœlis quidem vllius Angeli, quippe cum nulli eorum

datum sit, vt ipsius Dei corpus verbis conficere, manibus tractare, ore sumere, aliis ministrare possint. Itaque hæc plane diuina est potestas, & diuina vis, quæ eos, quibus ea tribuatur, Deos potius, quam homines faciat. Quod si ita est, quem animi, quem omnium morum candorem tale munus postulabit? Quo non oportet esse puriorem (ait Chrysostomus) tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem eam manum, quæ carnem hanc diuidit? os quod igne spirituali repletur; linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Iure igitur Bernardus magnam hominum culpam hac in re deplorat, quæ deploratio non in illa tantum tempora, sed nescio an etiam multo magis in nostra conueniat. Curritur, inquit, passim ad sacros ordines, & reuerēda ipsis quoque spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reuerentia, sine cōsideratione. Neque enim signum regni occupare cœlestis, aut illius timent imperij gestare coronam, in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, sed & iniquitas, & luxuria principatur. Ab hac igitur culpa longe remoti sunt religiosi, quorum etsi plerique ad hæc sacra accedunt (ne hic videlicet status hac etiam, quantacumque est, vel dignitate, vel vtilitate careret) alio tamen spiritu, alia præparatione accedunt, non solum nulla ambitione, aut auaritia impulsi, quam ipse status excludit, sed ne propria quidem voluntate. Verum vt in reliquis multo minoribus, ita in hac re tanto maiori, vel potius omnium maxima, illorum aguntur imperio, quorum eis vox instar est diuinæ vocis. Itaque cum ipsi sibi honorem non sumant, vt est apud Apostolū, sed vocentur à Deo, quemadmodum Aaron, non est dubitandum, quin Dei bonitas pro suo more, & instituto, congruentem quoque eis gratiam suppeditatura sit, & quidem abunde. Declaratum est id exemplo non iucundo minus, quam illustri Ruperti, eius, qui postea Tuitiensis Abbas fuit, multaque præclare scripsit. Is igitur hoc de se ipso, bonus vtique testis, ita commemorat, cum à superioribus suis vrgeretur, vt sacris initiaretur, & ille constanter indignitatis suæ conscientia recusaret, accidisse sibi nocturnum visum, quo plane intellexerit, Deo auctore id fieri. Visum enim esse sibi videre altare quoddam, & in eo imaginem Saluatoris crucifixi viuentis, & oculos apertos in se defigentis, cuius aspectu totus incensus, cum amplexum eius ardentissime expeteret, sed ab altaris crepidine, quod magnum, & altum erat, prohibere-

Hom. 83. in Matth.

Ad Cler. c. 29.

Hebr. 5.

Libr. 12. in Matt.

prohiberetur, sensisse se tamen à Domino interno instinctu inuitari. quare cum accessisset, medio altari scisso, viam ad Dominum patuisse, tumque se fidenter eum tenuisse, atque arctissime amplexum, osculatumque esse; ipsum autem Saluatorem, quo profundius oscula admitteret, diuinum os suum apertum, & hians præbuisse: simul etiam factum esse, vt inter eos amplexus, tum diuino amore maiorem in modum inflammaretur, tū etiam sacerdotij, quod antea fugiebat, desiderium sibi inspirari senserit; quod simul ac illuxit, cum suo Abbati indicasset, paulo post cum omnium gaudio exequutum esse. Adiungit etiam aliud, quo post eum ordinem susceptum, non minus sit confirmatus.

Nam iacenti in lectulo, hominis species apparuit de cœlo labens, capite obuoluto, quasi agnosci nollet, eaque se ita in eum tota demisit, vt caput capiti, pedes pedibus, reliqua membra cum omnibus membris intime commisceret: quin etiam ipsam animæ substantiam modo quodam, qui verbis exprimi non posset, ita peruaderet, atque imprimeret, & quidem citius, & profundius quam mollissima cera signo imprimatur. Addit vero, quod facile credi possit, sequutam esse tantam, tamque incredibilem iucunditatem, ac suauitatem, vt nisi ea celeriter à Deo inhibita esset, is quasi torrens voluptatis sine dubitatione animam de corpore abstracturus fuerit. Fuit igitur hoc totum expressum quoddam Euchatistiæ symbolum, in quo Dei filius, facie quidem tecta, sed vere tamen totum sese toti animæ infundit, eamque & in suam transformat similitudinem, & gaudiis cœlestibus complet, sed eorum, qui, vt Rupertus, non temeritate, nō alia terrena cupiditate inducti, sed à Deo per superiores suos inuitati, aut etiam coacti accedunt. Et reuera si muneris huius grauitatem, tamque diuinæ rei magnitudinem, vt decet, cōsideremus, ea quidem tanta est, vt qui hoc perpendat, numquam se satis tuto suscipere eam posse arbitretur, nisi tali oraculo accepto securus fiat.

Cum igitur hoc caput nihil dubitationis habeat, videamus iam alterum de animarum cura; quæ cura cuius oneris sit, conijci potest ex illa Sapientis sententia, qua ita monet, Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus, Fac ergo, quod dico fili mi, & temet ipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, ne dor- *Prou. 6.*

mitent palpebræ tuæ? His igitur curis, atque, vt hic dicitur, etiam laqueis innecti sese, qui pro altero spondet, & quidem non pro vno, sed pro multis, nec pecuniam, sed custodiam rei immortalis, atque æternæ cuiusmodi sunt animæ. Itaque qui tantum officij sustinent, non modo peccant, si prauo exemplo, & factis noceant, quo nihil est grauius, sed etiam ipsa cessatione, si non iuuent, si quod adeo reprehendit Ezechiel, infirmum non consolident, ægrotum non sanent, confractum non alligent, abiectum non reducant, perditum etiã non quærant. Vere enim, & grauiter Gregorius, tum sæpe alibi, tum vero in homilia quadam, Nullum, inquit, puto ab aliis maius præiudicium, quam à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mẽte captamus: & quia eo ipso, quo ceteris prælati sumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum, Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Igitur religiosi his omnibus periculis expertes sunt, qui nulla animarum curandarum obligatione teneantur. Quod quidẽ minus esset fortasse gloriandum, si nihil ipsi opis conferrẽt in animas. Si enim ita esset, carerent sane his incommodis, sed tamen carerent etiam ijs commodis, ac præmiis quæ Deus suæ vineæ operariis pollicetur. Verum, vt mihi videtur, ita fruuntur bono, quodcumque inest in tam præclaro opere, vt tamen eius malum omne effugiant. Nam quod ad proximorum salutem attinet, ita ei operam nauant, vt exactius, diligentius, laboriosius non possint. Sed quia hoc spõte faciũt, nullaque obligatione, ab iis etiam peccatis immunes sunt, quæ eam obligationem consequuntur. Itaque hoc quoque video à S. Thoma apertissime scriptum esse, huius ipsius perfectionis statum, quæ est in proximis adiuuandis maxima, magis teneri à religiosis, quam ab ipsis clericis: quoniam pleraque eorum instituta iis muneribus occupantur, non ex iustitia, vt clerici, sed ex caritate, qua Episcopos in animarum cura subleuant concionando, confessionibus peccatorum audiendis, publice, & priuatim exhortando, & reliquis tot eius generis officiis. Atque hoc quidem eiusmo-

Ezech. 34. *Hom. 17 in Euãg.* *Op. de perf. c. 23.*

eiusmodi est, vt oculis ipsis pateat.

Restat tertium onus clericorum ex redditibus ecclesiasticis, quod quidem tantum abest, vt à plerísque onus existimetur, vt etiam hoc vnum laborent, quomodo eos augeant, ac multiplicent: quod non facerent, si sentirent quam ipsos valde grauet. Est tamen onus, idque aliquando cognoscent, illa vectigalia Christi sanguine parta, & vni Christo à fidelium pietate consecrata, quos vsus, quàm pios, quàm sanctos exigebant. De quo cum plurima & à Theologis penè omnibus, & à sacris scriptoribus dicta sint, nobis in hac breuitate sufficiet vnica Bernardi auctoritas, cuius illa sunt in quodam sermone super Cantica, Timeant, ait, clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, vt stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti sint, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilegéque sibi retineant, atque in vsus suæ superbiæ, atque luxuriæ, victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus ac turpitudinibus abutuntur. Nec plura de hoc. Est enim euidens, ac manifesta ratio illa, quæ quosdam etiam, vt scimus, conuicit, vt religiosi fierent, cum ita secum ratiocinarentur, Vt quid istæ diuitiæ ex ecclesia, quas cum habuero, si non cum pauperibus communicem, in perpetua culpa viuam, si autem communicem, viuam in perpetua cura, & labore? Cur autem ego me cum meo ipsius detrimento pauperum procuratorem faciam? Itaque, vt dixi hoc ipsum eos impulit, vt, omnibus relictis, religiosam nuditatem amplecterentur. Sed concludamus iam omnia paucis hoc argumento. Sunt in Ecclesia vniuersa tres hominum status, qui si inuicem comparentur, alter alterũ clarius indicabit. Primus est secularium laicorũ, cui hoc inest incommodũ, quod pauca habet ad perfectionem adiumenta, multa verò impedimenta: sed hoc tamen cõmodi, quod nullã habet perfectionis obligationẽ, præter eam, quã Euangelicæ leges omnibus Christianis imponunt. Secundus est Religiosorũ, qui aliqua certè oblatione tenẽtur, non tam vt sint perfecti, quã vt esse cupiant, & conentur; sed ad hoc tam multa, & tam magna nacti sunt præsidia, itaque remoti sunt ab omnibus impedimentis, vt non solùm facile, sed etiã iucũde, ac suauiter id cõsequi possint. Tertius est hic, de quo agimus, Clericorũ, qui, si rectè perpendamus, vtriusque ferè incommodis premitur, vtrusque autem ferè commodis

Ser. 23.

modis caret. Primum enim eandem habent, quàm religioſi, obligationem perfectionis adipiſcendæ, ac ſine dubio aliquanto etiam maiorem ex miniſterij præſtantia, ex ſacramentorum quæ conficiunt diuinitate, ex animarum gubernatione: neque tamen habent ea, quæ religioſi, adiumenta, neque eum gratię vberioris influxum, de quo multa diximus. Rurſus hoc etiam deteriori conditione eſſe videntur, quam ipſi laici, quod nec illorum excuſatione vti poſſunt, ſi minus perfecti ſint, & tamen eadem penè omnia, quæ illi, perfectionis impedimenta patiuntur. Nam cum illis permixti in ſeculo viuant, atque, vt ita dicam, eodem vehantur mari, ijſdem etiam ventis, ijſdémque fluctibus agitari eos neceſſe eſt, auaritiæ, ambitionis, libidinum, quæ vitia cum omnibus hominibus innata, & inſita ſint, inflammantur etiam quotidie magis & ipſarum rerum, quæ delectant, obiectu, & occaſione, ac commoditate peccandi, & ipſa licentia. Quo enim modo inanis gloriæ ſtimulos euadere poterit, qui in mediis honoribus viuat? aut diuitiarum amore non tangi, qui eas & ſibi, & ſuis adminiſtret? aut quomodo illius continentia diu tuta eſſe poterit, cuius oculi earumdem illecebrarum aſpectu laceſſantur, cuius corpus eadem menſa, & cultu curetur, quo ſeculares, ſæpè etiam lautius, & mollius, quam multi ſeculares? Merito igitur Bernardus in iis libris, quibus multa Eugenium Pontif. monet, hoc etiam de hoc ordine. Quid ſibi vult, inquit, quod clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? Nempe habitu milites, quæſtu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque vt milites pugnant, neque vt clerici euangelizant. O miſerandam ſponſam talibus creditam paranymphis, qui aſſignata cultui eius, proprio retinere quæſtui non verentur. Atque idem Bernardus in quodam Sermone, Dati ſunt, inquit, ſacri gradus in occaſionem turpis lucri, & quæſtum æſtimant pietatem. Copioſiſſimæ ſiquidem pietatis inueniuntur in ſuſcipienda, immo accipienda magis, animarum cura, ſed hæc apud eos cura minor, & de animarum ſalute nouiſſima cogitatio eſt. An verò Saluatori animarum grauior vlla eſſe poterat perſequutio? Eſt ergo, ex Bernardi ſententia, hoc primum vitium in ordine iſto, cum ſuis commodis intenti animarum curam, diuini honoris propagationem, prædicandi, ac docendi munus omittunt, & cùm de altari viuant, nihil minus, quam de altaris ſeruitio cogitant, ſed de ſe, ac de ſuis vtilitatibus. Quod ſi quis ſit, qui hos eccleſiaſticos labores non recuſet,

Lib. 3. in fine.

De conu. S. Pauli.

qui

qui concionibus, qui sermonibus piis populos excolat, vbi inueniemus, qui hæc omnia faciat eo animo, quo fieri debent, qui gratis laboret in hac vinea Domini exercituum, qui verum Dei obsequium quærat, nihil sibi ipsi? Rara res, planéque difficilis, & ardua, vt se quis in seculo à seculo, id est, ab omni seculari cupiditate intactum conseruet; & contra, nimis facile, & procliue, vt inter illa ipsa opera, quamquam alioquin honesta, & laudabilia, tamen vel honoris, ac dignitatis alicuius ecclesiasticæ, vel opimi beneficij, aut alterius denique temporalis commodi desiderium obrepat. De qua re quid aliud dici potest, quàm quod præclare dictum est ab Augustino? Audi, inquit, Apostolum gementem de talibus. Dicit alios annunciare Euangelium per caritatem, alios per occasionem, de quibus dicit, Annunciant euangelium non rectè, rem rectam ipsi non recti. Quisquis à Deo præter Deum aliquid quærit, non caste Deum quærit. Si Deum quæreret, castus esset, quia legitimum maritum anima Deum habet. Denique, vt hæc omnia vitia cessent, eúmque fingamus clericum, qualis animo fingi potest, vt nihil ei in suo genere desit: hæc tamen perfectio multo inferior est perfectione religiosa, longéque adhuc distat à multis illis, & magnis vtilitatibus, quæ sunt à nobis supra copiosius demonstratæ. Caret enim superiorum ductu, caret æqualium exemplis, & incitamentis, caret etiam illa communicatione bonorum operum tam salubri, præterea copia illa gratiæ, ac spiritus, quæ vberior manat in plures; denique caret paupertatis commodis, & obedientiæ, in qua maximus est virtutis splendor, & quod omnium maximum censeri debet, quantuscumque ille est, adhuc suus est, neque adhuc eo peruenit, vt se omni suæ voluntatis vsu penitus exueret, eamque perpetuo, atque irreuocabili munere, Domino Deo offerret, ac traderet; quod quidem sola religiosa vota consequuntur. Quæ cum ita sint, tum hanc Clericorum, tum illam, de qua superiori capite loquuti sumus, laicorum cum religiosis comparationem concludere possumus aptissima quadam similitudine ex S. Bernardo, qui de Saluatoris processione disserens, tres hominum ordines in ea reperiri docet; alios, qui vestimenta sternunt, nimirum seculares, sed bonos, & pios, qui de terrena substantia, quæ quasi vestis adiacet quidem corpori, sed extrinsece, eleemosynas largiuntur: alios, qui ex arboribus ramos cædunt, quos ait esse bonos item, & feruentes animarum pastores, cum subditis suis

Ser. 49. de ver. Dom.

Philip. 1.

Ser. 1. in ramis.

suis euangelizant. Quod vtrumque genus licet in Domini comitatu sit, licet vtrumque sanctam ciuitatem ingrediatur, propinquius tamen esse Christo Domino iumentum ipsum, in quo sedet, multóque maiorem ferre laborem; quoniam illi ex eo, quod sibi abundat, mittunt, hoc verò semetipsum totum exponit eius obsequio. Hoc ergo iumentum ait esse religiosos, qui nimirum mites, &, vt animal illud, in speciem abiecti, fortes tamen, suóque domino vtiles, & ad portandum, atque obediendum facti sunt, & qui denique ipsi Dei filio tam coniuncti sunt, vt eum tangant, & intra se habeant, & ad alios etiam circumferant. Quam ob causam ita deinde vir ille sanctus fratres suos cum gaudio alloquitur. Silendum ne mihi est, vt elationem caueatis, an magis loquar, vt habeatis consolationem? Iumentum, cui
1. Cor. 6. insidet Christus, nonne vos estis, iuxta præceptum Apostoli, glorificantes, & portantes Deum in corporibus vestris?

Comparatio status religiosi cum statu Episcoporum, & Prælatorum.

CAPVT XXXVIII.

SEquitur nunc vt videamus vtrum melius, & optabilius, atque ad salutem aptius sit, religiosum esse, an Episcopum, & Prælatum. Facilis quæstio, ijs præsertim positis, quæ de clericorum omnium periculis proximè dicta sunt: quæ
Ep. 148. pericula tum eadem, tum multo maiora, & grauiora sunt in Episcopis. Vera sunt enim duo illa, quæ Augustinus in quadam epistola scripsit, nihil esse in hac vita facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atq; adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius, si
24. Mor. cap. vlt. sic agatur. Clamat etiam Apostolus de Præpositis omnibus, Ipsi, inquit, peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris. De quo scite Gregorius, Penset, ait, qui ad satisfaciendum districto iudici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, quod reddendæ apud Deum rationis tempore, vt ita dicam, tot solus animas habet. Chrysostomus etiam sex libros integros de sacerdotio scripsit, in quibus auream illam eloquentiam, vnde nomen accepit, eo omnem contulisse videtur, vt ostenderet quam arduam, ac periculosam prouinciam suscipiat, qui animarum gubernationem suscipit. Inducit autem inter cetera pastoris similitudinem

tudinem, eiusque pastoris, qui non suas, sed alienas curet oues, vt quicquid à bestia comedatur, vel furto pereat, vt aiebat Iacob, ab eo exigatur, qui scilicet eas custodiendas suscepit. *Gen.21.* Et quidem, qui timiditate, aut ignauia pecus perdiderit, eum vel facile veniam à domino impetrare, vel non ita grandi damno dependere: at qui Christi gregem pascendum admisit, nec impune laturum, talibus perditis ouibus, nec aliam pœna luiturum, quam animæ propriæ. Illum præterea cum lupis, aut furibus bellum gerere: his luctam esse, non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, & potestates, & rectores tenebrarum. Item aduersus immanem exercitum vitiorum, scortationem, immunditiam, lasciuiam, odia, lites æmulationes, & alia plurima. Quinimmo pecorum morbos apertos, & manifestos esse, & quibus facile applicari possit medicamentum, quippe cum ligari, & vri, & incidi, cum opus est, possint: at animi morbos & latere, occultósque esse, & difficillime medicinam admittere, aliquos etiam ipsa medicina exulcerari, & recrudescere. Hæc ille secundo libro. Tertio autem libro hæc ait, Si quis mihi magnam nauim mercibus onustam committere velit in Ægio, Tyrrhenove pelago gubernandam, nimium nihil dubitem valde recusare, nec aliam ob causam, quam metu naufragij, in quo tamen naufragio nihil præter aurum, & argentum periclitetur: vbi autem exitium imminet, non nauis, sed animæ, quo non in maris aquas, sed in ignis æterni abyssum corruendum est, vbi etiam mors manet, non corporis solum, sed cum ipso corpore etiam animæ, quis admiretur, si me tanto discrimini exponere detrectem? Bernardus etiam hanc omnem animarum administrationem depositum appellat, cuius insuper depositi dignitatem *Ser.66. Cant.* pluribus similibus exaggerans, Ciuitas est, inquit, vigilate ad custodiam, concordiámque. Sponsa est, studete amari. Oues sunt, intendite pastui, quæ deinde omnia pergit copiosius explicare. Multa alia ex omnibus sanctis auctoribus in hanc sententiam conferri possent, quia nihil est ab illis vel tam grauiter tractatum, vel tam seuere inculcatum; quæ si vera sunt, vt certè sunt, & quidem ita, vt ne verbis quidem satis exprimi queant, quid iam cum his periculis, cum hac solicitudine, ac perpetuis perturbationibus religiosæ vitæ tranquillitatem, securitatem, otiúmque sanctum conferamus? Magnus ad dicendum campus, sed quæ dici possent, omnia paucissimis collegisse mihi Bernardus videtur in epistola ad *Ep. 42.*

Henricum

Henricum Senonenſem Archiepiſcopum, cum ait, Si ego latens in cauerna, & quaſi ſub modio non quidem lucens, ſed fumigans, vetorum tamen impetus nec ſic declinare ſufficio, ſed continuis tentationum, variiſque fatigatus impulubus, inſtar vento agitatæ arundinis, huc, illúcque circumferor, quid poſitus ſuper montem, poſitus ſupra candelabrum? Solus mihi ſeruandus, ſolus tamen ipſe mihi ſum ſcandalo, ſolus tædio, ſolus oneri, atque periculo, ità vt propriæ gulæ, & ventri, & oculo ſcandalizanti frequenter iraſci oporteat. Quibus ergo moleſtiis angitur, quibus laceſſitur iniuriis, cui etiam ſi propria ceſſent, numquam tamen de alienis deſunt foris pugnæ, intus timores? Hæc ille.

Cum igitur nemo tam cæcus eſſe poſſit, qui non videat quanto tutior, & ſaluti æternæ propior ſit religioſorum ſtatus, quam Epiſcoporum, videamus nunc etiam quæ ſit vtriuſque in perfectione ipſa comparatio. Vterque enim perfectionem profitetur, ſed non eodem modo. Nam Pontificalis dignitas perfectionem exigit iam acquiſitam, iamque confirmatam. Eſt enim nihil aliud, quam ſpirituale magiſterium, cum ſcilicet Epiſcopi ſucceſſores ſint Apoſtolorum, è quibus vnus de ſe ipſo, Poſitus ſum, inquit, ego prædicator, & Apoſtolus, & Doctor gentium in fide, & veritate. Nemo autem perfectionis magiſter eſſe poteſt, qui non ipſe perfectus ſit quemadmodū nec philoſophiam docere, nec vllam artem etiam mechanicam, qui non eam ipſe didicerit. At religionis ſtatus non exigit perfectionē, ſed inducit. Hæc eſt enim quaſi ſchola, in qua perfectio tum aliorum doctrina, tum propria exercitatione paulatim acquiratur. Itaque benè à Theologis dictum eſt, alterum eſſe ſtatum perfectionis iam adeptæ, alterum adipiſcendæ; in quo ipſo nemo cogatur, vt ſtatim ſit perfectus, ſed ſatis ſit, ſi aſpiret, idque ſtudeat quo paulatim fiat. Quam ob cauſam, ait Bonauentura admitti ad religionem etiam peccatores, & imperfectos, nempe vt corrigantur, & iuſti efficiantur. De Epiſcopis autem illud ex Hieronymo adducit, Tanta debet eſſe ſcientia, & eruditio Pontificis, vt greſſus eius, & motus, & omnia vocalia ſint, vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina ſit Apoſtolorum. Hoc diſcrimen etiam docte S. Thomas elicit ex ipſis Domini verbis, qui cum paupertatis conſilium daret, ita loquutus eſt, vt eum cui id dabat, nondum eſſe perfectum, ſed futurum oſtenderet, ſi id faceret; Si vis, inquit perfectus eſſe, vade, & vende omnia. At vero in Prælato inſtituendo,

1. Tim. 2.

In Apoc. paup.

Epi. 138. ad Fabiolam.

De perf. cap. 19.

Instituendo, interrogauit non ſolum an diligeret, ſed an pluſ quam alij diligeret, idque ſemel iterum, tertio, vt vel charitatis magnitudo exaggeraretur, vel, vt docet Bernardus, intelligeretur, quiſquis aliis præficitur, diligere Deum debere pluſquam ſua, pluſquam ſuos, pluſquam ſe. Quamobrem, ne nos in re hac vocum ſimilitudo decipiat, eſt ſane hic ſtatus perfectus vterque, atque etiam Epiſcopi haud paulo perfectior; ſed ita vt hic requirat perfectionẽ, nõ conferat, ille conferat, nec tamen adeo magnam requirat. Atque aliud eſt etiam, in quo Prælatorum ſtatus à religioſo differat. Illum enim comitantur bona temporalia, diuitiæ, honor, hominum reuerentia eminentia ipſius dignitatis, & alia, ex quo hoc primum ſequitur, vt plerumque non diuini obſequij ſtudium ſed illarum rerum cupiditas animum illectet, deinde hoc etiam, vt quamquam aliquis magnam ad eum ſtatum perfectionem attulerit, ea tamen multo grauioribus machinis oppugnetur, mirúmque ſit ac rarum, ſi diuturnior eſſe poſſit. Euenit enim id, quod ſcripſit Gregorius in paſtorali, Plerumque, inquit, in occupationibus regiminis ipſe quoque boni operis vſus perditur, qui in tranquillitate tenebatur: quia quieto mari, recte nauem & imperitus nauta dirigit, turbato autem tempeſtatis fluctibus, etiam peritus ſe nauta confundit. Quid autem eſt poteſtas culminis, niſi tempeſtas mentis? in qua dum cogitationum ſemper procellis nauis cordis quatitur, huc, illúcque inceſſanter impellitur, vt per repentinos exceſſus cordis, & operis, quaſi per obuiantia ſaxa frangatur. Atque hæc quidem in prælato. Contra vero in religioſo. Nam cum huic ſtatui coniuncta ſit paupertas, humilitas, voluntatis abdicatio, nec appeti poteſt vllo alio ſtudio, quam ſolius perfectionis, nec patet iis, quæ diximus, tam infeſtis, perpetuíſque præliis. Quam ob cauſam Chryſoſtomus in illis libris de ſacerdotio cum multa diſſeruiſſet de laqueis, atque inſidiis, quæ epiſcopales inſulas circunſtant, confert ad extremum cum illis omnibus religioſum otium, & quietem immunem ab iis omnibus curis. Cui, inquit, etiam ſi aliquando abſurda quæpiã cogitatio tale quippiam obiecerit, ea tamen ſpecies ita infirma, atque imbecilla eſt, vt nullo negotio eam ſtatim repellere, ac fugare poſſit, propterea quod nulla adeſt extrinſeca materia, per quam flamma illa cogitationis vehementius adhæreſcat. Ac monachus ſibi vni timet. nam etiamſi aliquando aliorum ſui ſimilium curam gerere cogatur, non multum ei

Serm. 76 Cant.

1. Paſt. cap. 9.

Lib. 3.

R negotij

negotij facessit, cum neque liberorum, neque vxorum vinculis illigetur, & omnes illius oculis subiecti sint, vt eorum errata, si quæ sint, facile animaduertere, & corrigere queat. Hæc Chrysostomus, quibus hoc adiungere possumus, quod à nobis ipsis alibi vberius tractabitur, licet euangelica paupertas non sit ipsa perfectio, sed via ad perfectionem, ita vt aliis etiam viis (non enim negandum est) perueniri ad eam possit, hanc tamen eiusmodi viam esse tam facilem, & compendiosam, vt breuissime, & certissime ducat. Addo etiam illud, quiddam in se habere dignitatis, & ornamenti præsertim ex quo à Domino consecrata est, vt qui ea careant, nescio quo splendore carere videantur, etiamsi interioribus omnibus bonis vel maxime abundent.

Extremum argumentum in hac comparatione illud est, quod non tam ex rationibus, quam ex factis ducitur, idque hominum & sapientia, & sanctitate illustrium, quos in religione innumerabiles extitisse scimus, qui Ecclesiasticos honores, etiam vltro delatos, tam constanter repudiarunt, vt certe nobile huius rei documentum terrarum orbi reliquerint. Bernardus à tribus opulentis ciuitatibus in Episcopum, à duabus in Archiepiscopum electus, numquam adduci potuit, vt eam dignitatem admitteret, plures vero etiam elegissent, nisi iam omnibus constitisset, frustra eum rogari. Beatum quoque Dominicum quatuor Episcopatus vario tempore oblatos recusasse legimus, cum etiam diceret, malle se è vita exire, quam eiusmodi onere grauari. Quem quidem egregie imitati sunt duo eius disciplinæ alumni, Thomas Aquinas, & Vincentius Ferrerius, quorum ille Neapolitanam cathedram à Clemente III. oblatam fortissime reiecit, neque vllius vel precibus, vel auctoritate vinci se passus est: hic Valentinum primum, deinde Ilerdensem Episcopatum quin Cardinalatum etiam, quem Benedictus Pontifex parato iam pileo deferebat, inuicta virtute repudiauit. Similem animum præstitit etiam Bernardinus ille Senensis, qui à tribus populis, Senensi, Vrbinate, Ferrariensi, postulatus, nulli vmquam assensit: quin etiam cum Eugenius ipse Pontifex ad genua sibi prouoluto mitram imponeret, ille humiliter detractans, professus est, ideo se nolle ea dignitate illigari, quo vberius, & liberius mortalium saluti se impenderet. In quo etiam numero collocandus est Andreas ex eadem Franciscana familia Alexandri IIII. Pontificis Maxim. nepos, quem ferunt ab eo Cardinalem creatum,

creatum, & illi ipsi honori, & ceteræ amplitudini, quam ex tanta Pontificis propinquitate consequutus esset, constanter remisisse, cum mallet in religiosa humilitate, quam elegerat, permanere, vt suo tempore exaltaretur. Possent eiusmodi exempla multa ex aliis ordinibus vetera, quædam etiã ex nostro ordine recẽtia cõmemorari, vt Iacobi Laines, & Francisci Borgiæ, qui ad Cardinalatum, vt Claudij Iaij, qui ad Episcopatum electi, tanta omnes ope repugnarunt, vt denique vicerint. Neque hic ipsorum modo sensus fuit, sed idem etiam totius Societatis nostræ, cum omnes quasi ad commune incommodum, quod immineret, depellendum, & precibus, & multis missarum millibus, & variis etiam corporis pœnis ob eam causam vltro susceptis, concurrissent. Itaque re ex animo confecta, tam commune etiam omnium gaudium consequutum est, vt solennis hymnus in gratiarum actionem, quasi pro magno beneficio, pe solutus sit. Cui nostrorum inter se gratulationi, ac lætitiæ, cum nobilissimus quidam adolescens in Lusitania forte interesset, ita admiratum, atque ædificatum accepimus, vt ea re sola impulsus sit ad nostrum institutum, quod etiam perfecit, complectendum. Ex quibus omnibus exemplis, aliísque plurimis, quæ prudens prætereo, hoc constare potest, quod tractamus, quid hi omnes tam præstantes viri in hac horum statuum comparatione senserint, cum appareat ipsi quid fecerint. Idem etiam ex aliorum exemplis demonstrari potest, quos cum vel aperta Dei voluntas, vel maiorum imperium ad eam sarcinam subeundam compulisset, & plane coegisset, ita tamen religiosæ vitæ studium retinuerunt, vt facile ostenderent, alterum se vt onus perferre, alterum vero tãquam oneris leuationem conseruare. Sic enim de S Martino accepim⁹, qui cum dolo bono è cœnobio eductus esset, quo ægrotantem mulierem, vti erat rogatus, spiritualis officij causa inuiseret, à Turonensi populo, qui eum insidiis expectabat, raptus est vna omnium voce, & acclamatione, ad cathedram Pontificiam: in qua ille pristinæ quietis amorem retinens, duobus ferme ab vrbe milliaribus monasterium extruxit, vbi cum fratribus suis in summa humilitate, ac paupertate, quarum virtutum (sic enim scribitur) in primis studiosus fuit, ita viuebat, vt Rachelem à Lia non seiungeret, & hanc quidem gregi sibi commisso, illam sibi, ac Deo impenderet. Huic similem narrat Cassianus Archebium, quem scribit de Anachoretarum cœtu abreptum, & *Col.* 11. *cap.* 2.

Panephysi ciuitati præfectum, nihil vmquam de suæ pietatis, & humilitatis tenore laxasse, aut de adiecto honore sibi blanditum esse. Quin etiam solitum dicere, non se tamquam idoneum ad munus illud prouectum, sed velut indignum è religiosa disciplina eiectum, ad cuius (vt aiebat) tantæ professionis puritatem, triginta, & septem annis, quibus in ea vixerat, nondum peruenisset. Laudat etiam Bernardus Malachiam, qui primum Episcopus electus, diu ille quidem detrectauit, verum accedente & superioris sui, & Metropolitani etiam iussu, cessit denique, sed ita cessit, vt nihilo quam antea minus religiosis quoque officiis satisfaceret. Nam, vt iisdem Bernardi verbis vtar, ipse in ordine vicis suæ coquinæ ministerium obibat, ipse fratribus, cum recumberent, seruiebat, & inter succedētes sibi ad cantandum in Ecclesia, vel legendum, non se præteriri patiebatur; denique sanctæ paupertatis non modo participem, sed etiam principem, se exhibebat, ipsius præcipue super omnes abundantius æmulator existens. Eadem pene de Fulgentio traduntur, qui cum audisset, catholicos in Ecclesijs omnibus pastore orbatis, aduersus Trasamundi edictum Episcopos instituere decreuisse, fugit ex monasterio, tamque diu latuit, multis populis ipsum inquirentibus donec ab vno conscio admonitus est, omnibus Ecclesiis iam esse prospectum. Verum vbi ad cœnobium reuersus est, vniuersa Ruspensis multitudo, quæ casu quodam adhuc Præsule carebat, eum inuadunt, rapiunt, & Pontificem esse non rogant, sed cogunt. Is vero in illa sua molestia hoc primum à Rupensibus beneficij loco postulauit, vt monasterium ædificarent, in quo deinde ita Felici Abbati subiectus vixit, vt quiuis è grege, cum in iis, quæ ad domesticam disciplinam spectarent, ex illius ductu, atque obedientia plane penderet, & tamen interea de pastorali cura in populo regendo, assiduéque pascendo nihil remitteret. Quid Anselmus sol ille Angliæ, etsi non tam Angliæ, quam vniuersæ Ecclesiæ, qui quoties se negotiis subripere poterat, séque monasterio suo reddere, tum demum respirare videbatur? Quod quidem ille aliquando testatus est, qui cum in fratrum suorum concessu de religiosis institutis ex more disseruisset, magnopere illorum aspectu exhilaratus, ita per iocum quendam dixit. Similem se esse buboni, qui dum in cauerna cum pullis suis degit, lætatur, & suo modo bene illi est, cum vero prodierit inter ceruos, & corniculas, vexatur, & lacessitur ab omnibus: sic se, dum inter suos fratres

esset,

esset, magnam percipere voluptatem, dum autem inter seculares, torqueri ac cruciari illorum negotiorum concursu, ex quo etiam timere se, ac tremere animo, ne de sua salute periclitaretur.

Quæ dum diceret, in ipsa hilaritate prorupit in vberes lacrymas, vsurpans dictum illud, Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Antoninus *Iob.19.* quoque cum Florentinam Ecclesiam sibi ab Eugenio IIII. mandatam cognouisset ex ipso itinere Neapolitano, in quo tunc erat, fugam meditatus est in insulas nescio quas, idque iam cœperat, cum à propinquis Senas retractus, ibi litteris, obsecrationibus, deprecatoribus etiam adhibitis, omnem mouit lapidem, vt euaderet, donec Pontifex pene substomachans anathema etiam comminatus est. Tum vero concilio aliquot doctorum hominum aduocato, cum omnes ita sensissent, non ei licere diutius salua conscientia reluctari, in faciem procidens, multúmque illacrymans, pastorali sarcinæ humeros subiecit, quam tamen ita suscepit, vt religiosam non abiiceret. Nam neque de vestitu, neque de victu quippiam mutauit, suámque domum quasi monasteriũ instituit, in qua & culinam sæpe adire, ollas purgare, & alia id genus famularia ministeria sæpe obire mos ei erat, quo iis, quasi solatiis, pontificias molestias temperaret. Non potest igitur maius esse argumentum, quod religiósa humilitas multo optabilior sit episcopali dignitate, quam hoc, quod tam multi religiosi, iíque tam præstantes omni sanctitate, alij constanter hanc dignitatem recusarint, alij, qui recusare non potuerunt, atque etiam vsu ipso interius eam explorarunt, semper tamen & eam vt onus cum gemitu pertulerint, & simul religiosæ vitæ munera diligenter retinuerint, vel pro solatio quodam illius oneris, vel ne hac vtilitate carerent, quæ quanti facienda esset optime cognouerant.

Comparatio status religiosi cum vita solitaria.

CAPVT XXXIX.

ANACHORETICVM institutum magno olim in honore fuit, non solum apud homines, sed etiam apud Deum, qui & id illustribus viris, & viros ipsos illustrium virtutum magnitudine, & miraculorum etiam claritate exornauit; quorum etiam multorum perpetuus vitæ rigor, & asperitas ipsa perpetuum quoddam miraculum fuit. Hinc enim Pauli, & Hilariones illi, hinc Simeones, duóque

Macharij, & alij multi, quasi lumina quædam eremi eluxere, quorum & facta, & dicta etiam, ac vestigia quævis magnam semper in omni perfectionis via auctoritatem obtinuere. Atque hæc quidem ratio virtutis, & sanctitatis colendæ iam pene exoleuit, atque ex hominum more recessit. Sed tamen iuuat cum illa etiam præstantia, illoque perfectionis fastigio conferre huius vitæ nostræ vtilitates, vt tanto magis appareat, quanti hæ æstimandæ sint, quæ illi tam eminenti in omnibus rebus rationi nihil concedant, ac potius multis partibus superent. Qua in re, quem meliorem, aut certiorem adhibere possumus auctorem, quam Abbatem illum Ioannem, quem commemorat Cassianus, cum triginta annos in cœnobij congregatione egisset, deinde alio viginti in solitudine, vtrosque summa sanctitate, demum in illa ætate, in illa etiam sapientia ita prouecta, ad priorem vitæ communitatem sese vltro retulisse? Is igitur cum eius facti causam interrogatus, de vtroque instituto vberius dissereret ea quæ vsu ipso esset expertus, hanc solitudinis vtilitatem esse ostendebat, vt mentem rebus omnibus terrenis exutam, quantum humana ferat imbecillitas, cum Deo coniungat. Contra vero cœnobij hæc duo esse commoda primum vt hominem doceat suas mortificare, & crucifigere: vt ille ait, voluntates, vt ei liceat verbum illud humiliter dicere, Quia non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me, Patris. Deinde quod nulla de re, quæ ad corporis curam pertineat, soliciti, nihil plane de crastino, quod Dominus iussit, cogitemus, omni illa cura tam multiplici, tamque animos nostros distrahente, rectoribus nostris relicta. Hæc quidem Ioannes apud Cassianum. Basilius vero, hac ipsa quæstione totidem verbis proposita, Vtrũ magis expediat ei, qui mundum relinquere decreuerit, seorsum ne à ceteris degere, an vero cum aliis eiusdem consilij sociis, sine vlla dubitatione respondet, ita se sentire, itaque intelligere, ad multas res vtilius esse, si vno, & eodem in loco plures simul viuant. Neque hoc solum auctoritate sua confirmat, quæ, vt talis viri, sola conuincere possit, sed multo magis ratione. Complura enim enumerat socialis huius vitæ emolumenta, quæ si breuiter, & ordine comprehendamus, ad hæc fere reuocantur. Primum illud, est quod qui solus degit, multa ei deesse necesse est, & illa ipsa, quæ habet, nullum, aut certe exiguum habent vsum. Ratio huius est, quia nemini omnia vni data sunt, sed alia aliis distributa, vt officiorum

Coll. 19. cap. 3.

Iob. 6.

Reg. fus. q. 7.

ficiorum permutatione,dando,& accipiendo mutua coniunctio coalesceret; quibus autem aliquid da:ũ est,non in ipsorum tantum,sed aliorum quoque vtilitatem datũ est. Itaq; ait Basilius, in vita solitaria hæc duo maxima sunt incommoda, primum quod illud, quod abest, supplere ex aliis non possumus: deinde quod illud, quod nobis superat,ociosum, & inutile redditur,quia non exercetur, sed defossum tenetur, quod Dominus in Euangelio valde damnauit. *Mat. 25.*
Contra vero vbicumque multorum societas viget, & quod suum est, eo quisque fruitur, aliisque impartitur, & ex alienis nihilo quam ex suis minus fructum capit. Secunda vtilitas hæc est, quod qui in aliorum oculis viuit, si aliquid peccet, monetur, arguitur, corrigitur, in quo ipso, vt testatur Basilius, plurium consensus eò magis mouet, quod nemo sit tam obstinatus, qui non multorum iudicium suo ipsius iudicio anteponat, cedatque ei obiurgationi, quæ, vt Apostolus ad Corinthios scribit,fit à pluribus. At vero in illo secessu hoc valde difficile est, vt quis errare se intelligat; *2. Cor. 3.* quoniam & vitiorum natura ferme occulta est, & nos ipsi nobis libenter adulamur. Quin etiam accedit illud, quod etiam si vnus Dei iudicium, quam uam occultum, sufficere deberet, humana tamen infirmitas multo acrius exstimulatur eorum iudicio, quos videt, & quos audit: quoniam vt plurimum sensibus ducimur, minimam vero in nobis vim habent quæ sola ratione, aut sola fide percipiuntur. Itaque hoc quotidie experimur, quanto plus valeat ad nos in officio continendos hominum præsentia,isque respectus, qui ex illorum præsentia nascitur, quam præsentia Dei,& Angelorum, quorum in conspectu nos semper versari scimus.Itaque optime Bernardus de hoc ipso argumento, Malum, inquid,quod nemo videt,nemo arguit.Vbi non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conuentu vero bona si qua facis, nemo prohibet, malum autem facere si vis,non licet.Mox etenim à pluribus comperitur, arguitur, emendatur; sicut è contrario bonum, quod vident, omnes mirantur, venerantur, imitantur.Sic Bernardus, cui consonat illud Cassiani, qui plerisque vitiis humanum conuictum hoc conferre docet,quia, inquit, hominum frequentia magis arguuntur, & dum lacessita crebrius manifestantur,celeri medicina perueniunt ad salutem. Ad hæc illa etiam accedit tertia vtilitas ex coniunctione & animorum, & officiorum, & rerum omnium: quæ quidem *Ep. 113.* *Collo. 5. cap. 4.*

coniunctio cum in euangelio tantopere commendetur, tamen non adeo teneri poteſt,& certe non niſi voluntate teneri poteſt, & certe non autem re, & opere in illo genere ſoliuago; de quo ſic Baſilius ibidem, Si omnes, inquit, in vna ſpe vocationis aſſumpti vnum corpus ſumus, & caput Chriſtum habemus, ſinguli autem viciſſim alij aliorum membra, profecto niſi in hoc conſpirauerimus, vt ad ſimilitudinem corporis vnius, in ſpiritu ſancto nexi, aptique inter nos ſimus, ac non ſeorſim quiſque diſiunctam à reliquorum cõmunione vitam inſtituerit, qui fieri poterit, vt in eiuſmodi diſtractione, & quaſi auulſione mutuam inter ipſa membra conuenientiam, mutuaque præſtemus officia? Neque enim in tali ſeiunctione res patitur vt gaudenti quis congaudeat, aut patienti compatiatur, ſi quidem ea ſeparatio facit, vt alter alterius ſtatum ne norit quidem. Hæc Baſilius. Quarta vero commoditas, eaque per magna huius communis vitæ ea eſt, quod in hac pugna, quæ nobis perpetua eſt aduerſus dæmones, & quidem de tanta re, quanta eſt vita æterna, nihil periculoſius eſt, vt ait Bernardus, quam ſolum luctari velle, nihil tutius, quam multorum vna pugnantium manibus adiuuari. Declararunt hoc multorum triſtes exitus, qui cum in ſolitudine multos annos in ſummis ieiuniis, ac vigiliis tranſegiſſent, multaque feciſſent egregie, ad extremum verterunt omnia, decepti ab illo verſuto ſerpente, vel proſtrati ab illo leone, & dracone, vt Heron ille, quem narrat Caſſianus, poſt annos quadraginta, quibus Deo ſeruierat, ſe ipſum in puteum præcipitaſſe, & alter quem ſcribit Iudaiſmum, & circumciſionem non minus ſtulte, quam impie ſuſcepiſſe. Qui lapſus cum in omni genere, vt legimus, in ſolitariis illis ſatis frequentes eſſent, nullam aliam putare debemus cauſam, niſi hãc, quam diximus, quod qui ſolus ſit, nimis infirmus ſit ad ſuſtinendos tot hoſtium tam aſſiduos, tamque efferatos impetus. Senſit hoc Theodoſius ille, magnus plane vir, & magni cœnobij pater, de quo ita ſcribitur, cum adhuc adoleſcens à Simeone Stylite incenſus eſſet ad ſeculum relinquendum, hæſiſſe tamen aliquandiu ancipitem, vtram vitam eligeret, ſolitariam, an communem; ſed tamen, omnibus perpenſis, hanc illi longo interuallo prætuliſſe. Si enim aiebat, in exercitu nemo tam temerarius, aut tam ſtultus erit, qui ordinem deſerens, ſolus ſeſe in medios hoſtes coniiciat, quanto hoc minus faciendum eſt in iſto certamine tanto periculoſiore, & cum hoſtibus tanto horribilioribus? Nec minor

Iob.18. — *Ser. 3. Circun.* — *Coll. 2. cap.5.*

minor est, quam hæc, altera vtilitas, quod communis hæc vita non ita expolita est superbiæ cuidam spirituali, cuius vel maximum periculum imminet solitario. vere enim Hieronymus, In solitudine, inquit, cito obrepit superbia. Reddit autem huius causam Basilius. Cum enim, inquit, neminem habeat, qui iudicare possit de iis, quæ ab ipso fiant, facile putat se iam omnibus cumulate satisfecisse. Ex quo sequitur, vt cum animi statum apud se occultum & clausum teneat, neque quibus rebus destituatur intelligat, neque quem progressum in virtutibus faciat. Qua enim re humilitatis suæ documenta dabit, qui neminem habet, quo seipsum humiliorem declaret? Quod item specimen edet suæ in alios caritatis, qui seiunctus est ab aliis? Quomodo autem se ad patientiam exercebit, cum eius voluntatibus obsistat nemo? Atque his quidem Basilij dictis, non solum de patientia admonemur, quæ sine dubio facilior est in cœnobio ex aliorum congressu, & ex ipsa obedientia, sed de alia quoque vtilitate, quæ haud scio, an omnium maxima expellenda sit. omnes enim virtutes complectitur, quæ cum exercitatione indigeant, exercitatio autem indigeat materia, hæc quidem materia, vt Basilius addit, in vita solitaria omnino nulla est. Nam si de caritate agimus, in quem, ait ille officiosus eris? sin de humilitate, à quo vltimus numerabere? Eademque est ratio ceterarum virtutum pietatis, misericordiæ, obedientiæ, & aliarum huius generis. Idem vero licet dicere de vitiis ipsis, quibus cum desit materia, ne cognosci quidem possunt, an insint, nedum extirpari eradicari. Itaque sapienter Cassianus hoc affirmat, quæcumque vitia incurata in solitudinem deferantur, non solum non auferri temporis spatio, sed potius exaggerari. Tamdiu enim, inquit, sibi patiens quis videtur, & humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio, ad naturam pristinam mox reuersurus, cum interpellauerit cuiuslibet commotionis occasio. Emergũt quippe ex eo confestim vitia quæ latebant, & velut equi infrenes certatim è suis repagulis otio lõgiore nutriti, acrius ad perniciem aurigæ proprij, ferociusque prorumpunt. Magis enim exercitio, Vsque humano cessante, efferantur in nobis vitia, nisi fuerint ante purgata. Hoc igitur posito, quod ait Cassianus, magnum quendam errorem sæpe euenire necesse est, vt qui cum aliis hominibus aut nullum, aut breue commercium habent, aliquo se vitio carere putent, quo tamen vel maxime teneantur, &

Ep. 4.

Lib. 8. cap. 17.

rursum aliqua se virtute potiri, à qua tamen longe adhuc absint. Cuius erroris ea causa est, quod omnino perfacile sit, cum virtutis, aut vitij naturam cogitatione sola complectimur, alteram quidem probare, & amare, alterum odisse, & detestari, ea enim est vtriusque tum pulchritudo, tum deformitas, vt per se, ac sua sponte ita animum ab iis affici necesse sit. Quod qui non satis aduertunt, cum hunc virtutis amorem in se sentiūt, virtutem ipsam se tenere existimant, in quo plerumque decipiuntur. Aliud est enim iudicium de virtute, aliud ipse virtutis habitus; nam illud commune est etiam cum improbis, & momento fit, & est actio quædam rationis, atque intelligentiæ: hoc proprium est bonorum, & tempore, atque vsu acquiritur, & in voluntate, affectuque inhæret. Igitur solitarij illi, cum nihil habeāt, quo quasi lydio lapide, seipsos tentare, atque explorare possint, in his sæpe viuunt erroribus, quos errores sola prodit, atque retegit experientia, & occasio, qua oblata, si quid intus latebat, erumpit, seque ostendit. Sed eius nulla copia in solitudine, multa in congregatione Commode enim Cassianus eodem loco, in iis ait idem fieri, quod in serpentibus, qui quam diu in suis latibulis degunt, neminem lædunt, non quia virulenti non sint, sed quia deest in quem sæuiant, cum autem lædendi copiam nacti sint tum vero reconditā exercere feritatem Recte etiam Basilius in eadem disputatione, eorum studium irridet, qui sola meditatione, ac speculatione ad virtutem se peruenturos sperant, in quo ait similiter eos errare, ac si quis ædificandi artem, aut aliam quampiam ex nudis præceptis, nullo vsu, & praxi adhibita, consequi velit, quod fieri non potest; idque Paulum ostendere, cum ait, Non auditores legis iusti sunt apud Deū, sed factores: idem etiam ostendisse Dominum, qui non verbis solis documentum humilitatis dedit, sed etiam facti exemplum coniunxit, præcingens se linteo, suorum que seruorū pedes abluens. Sequitur etiā aliud, quo communis vita segregatæ illi anteponenda sit, quod hæc quidem, vt differit Basilius, suorum tantum bonorum procurationem propositam habeat. Hoc autem, inquit, ille, aperte caritatis legi aduersatur, quæ non quęrit quę sua sunt, quam perfecte obseruasse Apostolum videmus, qui non suā ipsis vtilitatem quæreret, sed multorum, vt salui fierent. Itaque idem paulo post inertem, & infructuosam appellare non veretur eam vitam, in qua scilicet Dei contemplationem nulla actio consequatur tuendis hominum commodis directa.

Cap. 18.

Rom. 2.

1. Co. 10.

Et Au-

Et Augustinus cum multa de eius laudibus diceret, hoc tamen etiam addit, videri quibusdam nimis eam deseruisse res humanas, quippe quæ nihil operæ, aut laboris conferat in proximos. Verum est autem quod ait S. Leo, Nullus bonus sibi soli bonus est, nec cuiusquam sapientis sibi tantum amica est sapientia: & hæc verarum natura virtutum est, vt multos à tenebroso abducant errore. Quamobrem hoc etiam nomine præferendi sunt, qui in aliorum consociatione viuunt, quoniam id agunt, vt pro sua quisque facultate de aliis quoque benemereri studeant. Cui bono illud etiam coniunctum est, quod Basilius haud parui æstimare videtur, vt horum lux, quæcumque est iuxta Domini præceptum luceat etiam aliis hominibus; ex quo sequatur vt glorificent Patrem, qui in cœlis est; quod contra euenit in illa solitudine, vbi licet multa fiant laudabilia, omnia tamen quasi in tenebris occuluntur, nihílque inde prodit, quo Dei bonitas manifestetur, nihil quo hominum studia ad imitationem accendantur. His igitur, aliísque de causis dubitandum non est, quin hoc virtutis curriculum, in quo multi simul decurrunt, multo maiores tum suauitates, tum vtilitates habeat, quam id, in quo per se quisque separatim. Quamobrem merito Bernardus duo illa tentationis genera commemorat æquè periculosa ei, qui Deo seruire statuerit, vt vel inter seculi turbas agere velit pœnitentiam, vel contra eligere velit solitudinem: quam tentationem eorum ait esse, qui non satis attendunt propriam infirmitatem, & ancipitem diaboli luctam.

De mor. Eccl. c. 31.

Ser. de S. Laur.

Matt. 5.

Ser. 3. Circunc.

Atque hæc quidem de illa solitudine dicta sunt, quæ olim in vsu erat. Nunc autem apud aliquos in vsu est alia quædã multo mollior, delicatiórque solitudo, qui in sua quisque domo spiritualem vitam instituunt, quietam & remotam à terrenis, turbulentísque negotiis; in quo sibi adeo placent, vt suam hanc rationem securiorem putent, minúsque expositam perturbationibus, quàm religiosa ipsa instituta. Sed longe falluntur. Etsi enim quod faciunt, si per se æstimetur, aliquid est: melius enim faciunt, quam qui vel ambitione, vel cupiditate ducti, aulas, fora, nundinas sequuntur: tamen si cum religiosis conferantur, tanto inferiores sunt, vt nulla sit comparatio. Primum enim his omnibus commodis carent, quæ socialis, & communis vita affert, de quibus toto hoc libro diximus; deinde iisdem ferè incommodis patent, quibus vitam solitariam laborare ostendimus. Denique hoc

etiam

etiam peius habent, quàm veteres solitarij, quod illi cùm in eremos, ac specus sederent, mundum omnem deserebant, diuitias propinquos. Isti contra hæc omnia retinentes, nec perfecte renunciaut omnibus, quæ possident, & inter illa viuentes, certè quot quot illa sunt, totidem inter hostes viuunt. Veritas enim dixit, Inimici hominis domestici eius.
Mat.10. Itaque illud etiam est periculum, ne ab iis hostibus victi, spirituale iter, quod aggressi sunt, deserant, & ad mundi, in cuius contubernio degunt, latas & spatiosas vias reuertantur. Et tamen etiamsi in eo genere semper perseuerent, vbi est obedientia tam ampla virtus, támque diues meritorum? vbi abnegatio propriæ voluntatis? vbi exercitatio verissimæ humilitatis, vbi centuplum, vbi denique cetera præmia, & ceteri honores religiosæ vitæ promissi? Quare si quis hoc animo sit, vt mundum ex sua domo vincere cupiat, huic consulendum est, vt si verè id cupit, potius in Dei domum, id est, ad religionem se conferat, & Dei castris se adiungat, vbi facilius, & perseuerantius vincet, multóque vberiorem gratiæ, & gloriæ materiam inueniet. Cur enim, quod facit, non perfecte faciat, & obsequium, quod Deo offert, non ita offerat, vt sit illi quam gratissimum, sibi quam fructuosissimum?
Deu.14. Meminisse enim debet veteris illius legis, quæ animalia omnia, quæ pennulas haberent, & tamen reptarent, immunda esse decernebat, eorúmque vsum prohibebat: nec sine mysterio. Illos enim homines indicabat, qui cum bonam voluntatem à Deo acceperint, qua se tamquam alis quibusdam altius à terra extollere possint, volunt tamen simul etiã in terra immorari, ac dum vtrúmque se tenere posse putant, vt pedem & in mundo, & in Dei obsequio habeant, à Dei obsequio tamquam immundi reijciuntur.

De beneficio vocationis religiosæ.

CAPVT XL.

His igitur positis, quæ de religiosi instituti vtilitatibus, tum per se, tum aliorum comparatione dicta sunt, hoc probatum, & stabilitum esse debet, nullam esse viam, quæ nos breuius, tutiúsque ad cœlum ducat, quam hanc, & potius reliquos omnes status in alto ferri expositos ventorum, & fluctuum, & scopulorum periculis: hunc autem vnum planè in portu nauigare, remotissimum ab illis periculis, proximum saluti æternæ, quæ est terra illa, ad quam nostra omnium tendit nauigatio. Ex quo fateri necesse est, & certè

certè ita nos æquũ est & agnoscere cum gratia, & prædicare cum voluptate, hoc beneficium summum esse inter omnia beneficia, quæ à Deo Domino hominis animæ in hoc mundo conferri possint, & quidem, quod ad vitæ genus attinet, nihil eum in hac nostra peregrinatione maius, aut melius habere quod adiungat. Differit de hac re S. Bernardus luculente quodam sermone, quo fratres suos magnopere monet, vt sint diuinæ bonitati hoc nomine quam gratissimi. *Ser. de ingrat.* Magna est, inquit, super nos, magna valde misericordia Dei nostri, quos tam ineffabili spiritus sui virtute, tam inæstimabili dono gratiæ suæ eripuit à vana nostra conuersatione huius seculi, in quo eramus aliquando sine Deo, aut certè, quod execrabilius est, contra Deum, non ignorantiam habentes, sed contemptum. Cuius vitæ, aut potius mortis (anima enim, quæ peccauerat, ipsa moriebatur) vtinam frequenter in oculis cordis nostri tetra versaretur imago, quanta videlicet cæcitas, quanta peruersitas illa fuerit, vt sedula meditatione pensantes misericordiæ pondus, etsi non tam perfectè sicut est, aliquatenus tamen æstimare possemus liberatricis misericordiæ quantitatem. Iam verò si quis ex nobis diligenter considerare non negligat, non modo vnde erutus, sed vbi sit constitutus, non solùm quid euaserit, sed & quid acceperit, non tantum vnde reuocatus sit, sed etiam quo vocatus, inueniet, sine dubio, cumulum huius misericordiæ omnino mensuræ prioris excedere quantitatem. Hæc Bernardus. Sunt igitur, ipso auctore, duo illa in hoc tanto beneficio æstimanda, primum terminus à quo, deinde terminus ad quem. Necesse est enim crescere hoc bonum, quod adepti sumus ex malo illo, quod effugimus, vt qui seruitute ereptus est, eo plus debet ei, qui eripuit, quo ergastulum, vnde emersit, tristius, ac miserabilius fuisse recordatur. Quod autem erat ergastulum nostrum? Mundus miserijs, & calamitatibus plenus, præsertim verò peccatis, quæ est summa omnium calamitatum, plenus ambitione, concupiscentia, & laqueis infinitis, vbi nullus ordo, sed omnium rerum confusio, vbi tenebræ, & cæcitas, & omnia lubrica, cuius & leges perniciosæ, & mortifera exempla, & innumerabiles ad malum impulsores, non dæmones modo, sed etiam homines. Credamus igitur S. Leoni, qui cum alibi multa sæpè de hoc ipso, tum hæc in sermone quodam, Magni est, inquit, operis, ac laboris, mobilitatem cordis ab omnibus continere peccatis, & cum vndique innumeræ vanitatum *Ser. 11. quadra.*

tatum

ratum illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorem animi relaxare. Quis picem tangit, & non inquinatur ab ea? quis non infirmatur in carne? quis non ſordeſcit in puluere? Quis poſtremo eſt tantæ puritatis, vt ijs non polluatur, ſine quibus vita non ducitur? Atque hæc quidem de malis, è quibus eruti ſumus. De bonis autem huius vitæ, ad quam tranſlati ſumus, breuiter Bernardus, ſed ea breuitate plurima complectens, Quæ eſt iſta quæſo, inquit, tam pretioſa margarita, pro qua vniuerſa dare debemus, id eſt, noſmetipſos; quia totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit, vt poſſimus eam habere? Nonne hæc eſt religio ſancta, pura, & immaculata, in qua homo viuit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quieſcit ſecurius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copioſius? Quid igitur amplius deſiderare poſſumus? aut quæ maiora, & maioribus de rebus eſſe poſſunt beneficia, quàm hæc tam multa in vnum cumulum congeſta? Quid porro reſtet homini in hac vita optandum vel ad ſalutem, vel etiam ad quandam perpetuam totius vitæ tranquillitatem? Atque huc pertinet etiam illa Chryſoſtomi longa, & accurata oratio, qua euidenter demonſtrat quanto plura, & certiora ſint naufragia in ſecularibus quam in religioſis: cuius triplicem cauſam affert, tum quod plura ſint, quæ eos perturbent, tum quod remiſſius, & negligentius viuant, tum denique quod imbecilli, & viribus ſint planè infirmis. Contra autem in Monachorum, ait, vita, profecto & fluctus tanti non ſunt, ſed potius ſumma ſerenitas, & tranquillitas, & ſtudium longè ardentius repugnandi, ac reſiſtendi his fluctibus. Optime autem, & diſertiſſimè de hoc ipſo B. Cæſarius in quadam homilia ad ſuos monachos, Scimus quidem, inquit, ſpirituali militiæ, cui nos mancipauimus, magnam eſſe in futurum repoſitam remunerationem. Sed ſi bene reſpicimus, in hoc ipſo opere, quod agimus, quodammodo etiam in præſentia præmij partem poſſidemus. Et planè magnus vitæ fructus eſt, ſeculum potuiſſe deſpicere, & Deo ſeruire cœpiſſe, euaſiſſe vitiorum infeliciſſimum dominatum, & fugiſſe gulæ, atque luxuriæ fœdiſſimam ſeruitutem. Quid ergo? Nonne magna iam pars præmij eſt, nihil habere commune cum mundo, vanarum rerum cupiditatibus non excruciari, ſceleribus non admiſceri, in innocentia diem transfigere, beatæ caſtitati operam dare, glorioſæ paupertatis ſufficientiam cum timore Domini poſſidere, de qua loquitur Sapientia, Melior eſt exigua

3. con. vit. vitæ mon.

Hom. 5. ad mon.

Prou. 15.

exigua portio cùm timore Domini, quàm thesauri magni sine timore? Intelligamus itaque quantum nobis Dominus pia vocatione contulerit numeremus, si possumus, ex illo tempore, ex quo hic conuersari videmur, quanta lucra fecerimus, de quantis fraudibus, de quantis adulteriis, rapinis, periuriis, sacrilegiis liberati simus, & tunc videbimus, quantùm etiam de præsentibus beneficiis Domino debeamus. Si nunc in seculo essemus, quid aliud ageremus, quam voluteremur in malis nostris & animas nostras quotidianis violaremus maculis, quotidianis confoderemus vulneribus, ita vt nec sentiremus? Habet enim hoc infelix consuetudo peccandi, vt quanto amplius quisque peccauerit, tanto minus peccata ipsa intelligat, & tanto plus eum peccare delectet. E contrario autem, quanto quisque solicitior circa se fuerit, tanto plus metuit. Hactenus Cæsarius. Nos autem illud etiã addamus, quo maiorem quẽdam in modum huius beneficij magnitudo exaggeratur. quod non hoc tantum animæ nostræ fecit Deus, vt eam à vitiorum, & dæmonum potestate liberaret, sed ad huius quoque euangelicæ perfectionis pulchritudinem, ac dignitatem proueheret. Hoc enim tantum est, vt ad declarandum verba non suppetant, sed hoc fortasse exemplo aliquid indicabitur. Nempe vt si rex magnus, & potens hostem, proditorémque suum, à quo innumera damna, fœdásq; iniurias accepisset, tamen redactum in potestatem eum occidere, & perdere posset, non modo vltro, ac facile ignouisset, sed insuper ad suam familiaritatem, & cõuictum admisisset, recepisset in domum, eique locum inter filios ipsos amplissimum, & honoratissimum dedisset. Sic enim diuinæ illi bonitati non satis fuit, si nos pauperes, nos inopes, nos suos hostes de terra inutilium cogitationum, aut etiam de stercore turpium peccatorum, suscitaret, nisi insuper ita nobilitaret, & illustraret, vt consedere nos faceret cum principibus cum principibus populi sui. id est, inter eos, qui primum, ac præcipuum locum, quod ad propriam perfectionem attinet, in Dei ecclesia tenent. Hoc enim illud est, quod suauissime S. Bernardus, vt solet, his verbis expressit. Denique, inquit, si forte priori fornicatione relicta, stetissemus in coniugij castitate, non capientes quod de cœlibe vita datum nouimus esse consilium, sed à rapinis, & fraudibus abstinentes, licite propriis rebus vteremur, nec dum tamen ad perfectionem euangelicam attingentes, sicut scriptum est, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quę habes, & sequere me:

Ser. de Ingrat.

Mat. 19.

me:hoc ipſum quantæ pietatis eſſet, ſi ex tantis criminibus, in quibus multi ex nobis inuoluti ſolùm in ſe reſponſum mortis,& iudicium certæ damnationis haberēt, datum eſſet vel in inferiori aliquo gradu reſpirare? Prodigus certè filius ad filiorum numerum aſpirare timebat,beatum ſe reputans, ſi forte vel in mercenariorum numero recipi mereretur. Minime tamen ſufficere potuit paternæ pietati,niſi tam copioſam ei miſericordiam exhiberet, cui poſſet & ipſe, qui numquā à patre diſceſſerat,ſenior filius inuidere. Sic & nos, dilectiſſimi abundanter effuſa ſuper nos miſericordia Dei noſtri,de filiis iræ,& diffidentiæ non ſolum ad electorum recepit numerum,ſed vocauit ad collegium perfectorum.Hæc Bernardus; quibus omnino conuenit egregium dictum Iordani, qui proxime poſt B. Dominicum Generalis Magiſter fuit ordinis Prædicatorum, magna vir ſanctitate, atque etiam, vt accepimus auctoritate. Hic enim cum nouitium quendam, ſpectantibus aliquot eius ſociis, ad religioſum habitum admiſiſſet, & deinde multa verba de religionis felicitate feciſſet, ad extremum eos vberius lacrymantes aſpiciens, ita ad illos ſermonem conuertit. non debere eos flere ex amici diſceſſu, ſed potius ex inuidia, quod ille quidē multo meliorem partem, quam ipſi, eligeret: religioſos enim Deo ſeruire tamquam cubicularios principis, qui ab ipſo intime, ac familiariſſime adhibentur,ſeculares autem,ſi modo famulantur,ita famulari, vt qui in coquina, aut aliis eiusmodi ignobilibus miniſteriis.Itaque vtilius,ac ſalubrius iis etiam ipſis fore, ſi oculos aperirent, & cogitarent, ſibi quoque ianuam patere, ſi ingredi velint, & ad tanti Regis menſam aſſidere. Nec ſurdis auribus dictum. Vnus enim eorum ſtatim, ne domo quidem reuiſa, alij paulo poſt omnes in eundem ſalutis portum ſe receperunt. Quamobrem ſi harum omnium tam ingentium vtilitatum ſummam, quaſi ratiocinando, computemus, id plane apparebit, quod nobis ante oculos, & in corde ſemper fixum tenendum eſt, hoc religionis beneficium tam multa in ſe continere beneficia, vt nihil fere ſit, quod amplius deſideremus. Hic enim primum eſt illa perfecta remiſſio culparum omnium, tamquam in altero baptiſmō, hic ſancta ſobrietas, quæ carnem coerceat, hic ſalutare otium ad cœleſtia cogitanda, hic fuga & ſeparatio ab omnibus rebus, quæ animæ nocere poſſunt. Deinde illa etiam adeo magna, & ſolida bona,certa diuinæ voluntatis regula,perpetua exercitatio omnium omnino vir-

no virtutum, præpositorum ductus, regularum lumen, interioris gratiæ cōpia, meritum maius, fraterna cōiunctio, mutuũ auxilium, mutua bonorum operum cõmunio. Quę omnia cum per se summa sunt, etiã singula, tum deinde & eo magis splendent aureo illo votorum nexu addito, & ad extremũ optime cōcluduntur illa mortis securitate quam afferre solet hic status ita à mundo remotus, ita cœlo, cœlestibusque propinquus: hisque omnibus, quasi coronidis loco, ad ea videlicet custodienda, accedit etiam Dei ipsius, & ipsius Beatissimæ Virginis amor, patrocinium, ac tutela; res tanta, tamque optabilis, non solum ob vtilitatem, sed etiam ob iucunditatem.

Cum igitur tot & tãta lucra, tot opes inesse videamus in statu religioso, quid eum aliud esse dicemus, quam thesaurum illum in agro abscõditũ, quem qui inuenit homo, præ gaudio, vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum: Est, inquã, verissime thesaurus religio, vel ipsa potius hunc thesaurum continet, quæ tam ingentes diuitias contineat, tantam bonorum abundantiam, non vnum, aut alterũ bonũ, sed omnia simul congesta, & accumulata. Hoc autem distat inter eum, qui thesaurũ inuenit, & qui mercatura, vel alia ratiõe ditescit, quod hic magno labore, & eo quidem multis iacturis exposito, & longo tẽpore, eas acquirit diuitias. At ille & multo plura acquirit, & sine periculo, & omnia simul. Itaq; cui id cõtingit, tẽporis momento locuples, & beatus efficitur: sed nõ omnibus cõtingit, at potius paucissimis. Sic igitur si qui seculares spiritualibus bonis augeri volunt, iis diuturno studio, magnaque contentione opus est. Sæpe etiã incidunt naufragia eiusmodi, vt vna hora omnia auferat, quę plures fortasse anni cõtraxerãt, si videlicet vel ad vnum mortale peccatũ impegerint; quod in tam scopuloso mari facile, & quotidianũ est. Religiosus vero multo felicior, quippe qui thesaurũ inuenit, quoniã collecta omnia, & cõgesta illi dantur. Ipse enim status, ipsaque vocatio & spiritum ei paupertatis, & quendam castitatis, atque obedientiæ affectum intimo cordi inspirat, quæ omnia in ipso religiosæ vitæ spiritu includuntur: idem etiã reliquas virtutes affert, quæ istas necessario comitantur, partim quod ab illis fluant, partim vt illas sustentẽt. Vere igitur thesaurus, in quo nõ chrysolithi, aut vniones, sed verio res illæ gẽmæ, multoq; pretiosiores congregatæ sint, quarum vsus, ac pretium non in terra tãtum, sed in cœlo quo-

Matt. 13.

que maximum est.Est tamen thesaurus absconditus, quia
Matt.19. pauci eũ cognoscunt,paucisque cõceditur. Oportet enim verum esse quod Dominus ipse de his eunuchis dixit,Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est à Patre meo.Vbi autem absconditus? Nempe in agro, in loco remoto à turbis,à strepitu ambitionis,à negotiationibus, ab aulis Principum.Nec tamen in sylua,aut in monte, sed in agro,qui locus & arari,& seri,& magno denique studio coli solet.Quæ omnia religioni aptissime conueniunt, quæ & à mundi tumultu remotissima est, & in qua omnis animi cultura viget,labor,cautio, mortificatio sui, denique omnes spirituales industriæ.Hic igitur thesaurus cum primum alicuius oculis Dei lumine patefactus affulserit, ita illius animum sui desiderio incendit,& rapit, vt nulla eum vis,nulla vincula tenere possint, quin ad eum accurrat,eoque potiri velit,idq; cum gaudio,vt dixit Dominus, id est, non gemens, quasi ad molestiã,aut ad crucem vadat, sed quasi ad rem lætam,& faustã,& in summa, vt ad thesaurũ. Sed quo hoc optabilius,eo magis cogitandũ,quæ via,queve ratio fruendi,tam felici agro, in quo hic thesaurus reconditus est.Nõ enim gratis donatur,sed emitur,& eo precio emitur,quod edixit ipse eius dominus, qui eũ venalem proposuit,nempe vt vendamus vniuersa quæ habemus ad eum emendũ.Omnia igitur relinquenda,si agrũ hunc possidere velimus,facultates,pecuniæ,honores,amici, parentes,quinimmo nos etiã ipsi.Atq; hoc quidem ita fit in religione,vt & hic perfectissime fiat, nec facile sit videre vbi fiat alibi.Et in hoc vtiq; bene etiã à Deo, & clemẽter actũ est,quod nõ certam aliquam auri,vel argenti summã constituit,ne qui eam fortasse non haberet, rei tam optabilis emptione excluderetur. Sapiẽter igitur eiusmodi pretium tanti agri definiuit,quod non in dando,sed in relinquendo consisteret:quo id egit,vt siue parum, siue multum habeamus,siue etiam nihil,modo vniuersa relinquamus, neque nobis rem vllam,aut spem vllam reseruem',omnes admittamur.Itaq; ne hęc quidem,quæ relinquimus, omnino relinquimus,sed commutamus in multo maiora,& meliora; quia pro exigua mercede tam magnũ,atque opulentũ thesaurum comparamus,in quo & illa ipsa merces, quã dedimus, & alia deinde infinitis partibus plura inuenientur:
Ep. 26. quod aptissime testatur Hieronymus,cum ait: Plus accipimus,quam dedimus;parua dimisimus, & grandia possidemus,

mus,centuplicato fœnore Christi promissa redduntur.

Quæ cum ita sint,atq; etiam cum tam vera, tamq; certa sint,quis huius adeo nobilis pretiosæque margaritæ,& huius adeo ingentis thesauri amore , ac desiderio non inardescat,vt si iam eum compararit,ita eum teneat,vt præponat regnis & sedibus,& omne aurum,aut argentum , quasi arenam exiguam , aut lutum æstimet in comparatione illius,ac illum denique super salutem,& speciem diligat? sin autem nondũ comparauit , nihil tam magnũ sit , quod pro ei' pretio non eroget,atq;,vt de hoc ipso ait B. Gregorius, ea quæ in terrenis amauerat , libenter cuncta derelinquát, deserat habita,cõgregata dispergat,deforme iudicet quicquid de terrenę rei placebat specie,quia sola pretiosę margaritæ claritas fulget in mente. Aegidiũ ferunt ; eum , qui vnus fuit ex primis Fráciscani Ordinis lapidib', tanta sanctitate,vt audito Dei,vel paradisi nomine,statim raperetur in ecstasim ; hunc igitur ferunt aliquando petenti cuidam consiliũ,num sibi in religionem ingrediendũ esset , ita respondisse,Dic,inquit,mihi, mendicus si certo sciret aliquo loco magnũ latere thesaurũ,an ille consultaret , expediret ne eũ effodere?Cum is negasset:quáto igitur,ait, alacrius, & promptius debent homines ad infinitum illum Dei thesaurum accurrere,in quo solo sunt veræ,& æternæ diuitię? Quod ille audiens,abiit illico , suisque omnibus diuenditis,& in egenos distributis , religiosam vitam iniit. Atque idem etiam vir sanctus alias interrogatus , an etiam in seculo Dei gratiam consequi aliquis posset,respondit, posse vtique:sed tamen malle se vnum gratię gradum in religione,quàm decem in seculo;quoniam gratia in religione facile conseruetur,& crescat,cum hic nimirum homo remotus degat à tumultu,& perturbatione mũdi,quæ hostis est capitalis gratiæ,tũ deinde à spiritualibus fratribus incitetur,& animetur ad virtutem : contra vero in mũdo gratia facile amittatur;quoniá solicitudo secularis,quę mater est distractionis,perturbat,& plane perdit gratię suauitaté , & homines ipsis prauis exemplis tũ abducũt à bono,tũ inducunt ad malũ,& quasi vi salutem animæ eripiunt,eamq; in sempiternũ exitiũ præcipitant. Quamobrem præstare sine dubio etiam multo minorem gratiam ita possidere, vt secura sit,& cum tot,tantisq; præsidiis,quæ eá augeant,quod fit in religione,quam vel multo maiorem cum tam euidéti periculo,vt est in seculo. Hæc ille ad verbũ. Quare con-

Sap. 7.

Hom. 11. Euang.

S 2 cluda

cludamus iam omnia, tum quæ hactenus dicta ſunt, tũ cetera quæ multa dici poſſunt, ſiue de ſeculi miſeria, ſiue de huius theſauri, ideſt, religioſæ vitæ felicitate, cœleſti quadam viſione B. illius Anſelmi, qua illi hoc vtrumq; coniunctim oſtenſum eſt. Ita enim ſcriptum eſt, hunc aliquando extra ſenſus raptum, vidiſſe fluuium immanẽ, atque præcipitem, in quem ſordes omnes, quæ vbique terrarum eſſent, confluerent. ita vt nihil aquis illius turpius, ac fœdi⁹ fieri poſſet, quæ etiam quicquid attingerent, raperent, ac deuoluerẽt, viros, fœminas, diuites, inopes. Quod ille ſpectaculum miratus, ac miſeratus, cum quæſiſſet quibus ii rebus alerentur, & quomodo viuerent, reſponſum eſt ei, infelices illos eodem ipſo cœno, quo trahebantur, potari, & delectari eſt. Quin etiã adiecta eſt myſterij hui⁹ interpretatio; torrentem illum, eſſe ipſum mundũ, in quo cæci mortales ſuis diuitiis, & honoribus, & reliquis cupiditatibus inuoluũtur, cumque adeo miſeri ſint, vt ne conſiſtere quidẽ poſſint, ipſos tamen ſe beatos, & fortunatos putare. Duct⁹ eſt deinde in ſeptum quoddam ampli, & ſpatioſi clauſtri, cuius omnes parietes argento obducti puriſſimo, mirum in modum nitebant. In medio pratum erat, & in eo herbulæ, non vt vulgares iſtæ, ſed oẽs argenteę, eædemque tamen viuentes, & molles, ita vt facile cederent inſidenti, eoque ſurgente, per ſe rurſum ſubrigerentur; aër autem placidus, & amœnus; denique omnia adeo iucunda, & ſuauia, vt nihil amplius ad felicitatem optari poſſe videretur. Atque hoc indicatum eſt ei eſſe religioſum ſtatum; vt ſine dubio eiuſmodi imagine docere voluerit Deus, in mundo omnia eſſe fœda, incerta, mortifera, & ſemper in præceps ruentia: contra vero in religione omnia pulchra, omnia iucunda, denique omnia vt argentum, & candida, & pretioſa.

***

DE



DE

BONO STATVS RELIGIOSI

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.



Cce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentũ in capite, quod descendit in barbam barbã Aaron: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Siõ. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum. *Psa. 132.* Magnæ hic omnino laudes in communẽ ac socialẽ vitam congeruntur, magna etiam promissa, ac pręmia fraternæ coniunctioni proponuntur; neque id ab homine, sed, quod maximum est, à Spiritu sancto, qui nec falli potest in laudando, nec fallere potest in promittendo. Verũ hæc quidẽ quæcunque sunt, vel præconia talis vitæ, vel promissa Spirit⁹ sancti, ita proprie, & aperte religioso statui cõueniũt, vt dubitari nõ debeat, quin cũ hoc vaticinũ à Propheta prolatũ est ãte eius oculos præclara hui⁹ instituti species in diuino lumine obseruaretur. Sic enim Basili⁹ de religiosis loquẽs, multaq; differens de eorũ felicitate, ad extremum ita concludit, de ipsis Dauidem in carminibus suis exclamasse: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum: quibus verbis, per bonum expressam esse vitæ probabitatẽ: per iucundum autem, illam lætitiã, quæ ex concordia, animorumque coniunctione gignitur. *Con me. c.19.* Quod idem confirmat Augustinus, doctor grauissim⁹, qui ita hunc ipsum psalmum interpretatur, vt sine vlla dubitatione totum de religiosis factum putet, simulque demonstret quanta sit eius boni, eiusque iucundi vis, quod hic *In Psal. 132.*

describitur, ad hominũ animos alliciẽdos. Ista (inquit) verba psalterij, iste dulcis sonus, ista suauius melodia tam in cantico, quam in intellectu, monasteria peperit. Ad hũc sonum excitati sunt fratres, qui in vnum habitare concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorũ. Sonuit per orbem terrarum, & qui diuisi erant, congregati sunt in vnum. Hęc quidem Augustinus, & vere. Primum enim hæc religiosorum consociatio nullo aptiori nomine exprimi, & quasi pingi potuit, quam Fratrum, quia ipsis quoque vnus, & idem pater, vna etiam, & communis est mater. Omnes enim eodẽm semine Spiritus sancti progeniti sunt, omnes ab vno Deo spiritualem hanc vitam acceperunt. Mater autem ipsa Religio, quæ eos omnes non sua vi, sed Dei vi, vt diximus, generatos, suo tamen vtero eodem omnes concepit, eodemque lacte aluit, & tãquam verissimos fœtus suos formauit, enutriuit, & ad perfectionem prouexit. Quanquam ne hoc quidem arctissimum propinquitatis nomen satis Prophetę visum est, vt qui tanto nexu deuincti essent, fratres appellaret: sed addidit, eos in vnum habitare, & vnum esse. Nam hoc quoque in religiosis non modo verum est, sed & ipsis quodammodo proprium, qui scilicet, vt idem Augustinus ait, ita in vnum viuunt, vt vnum hominem faciant, & sit in illis, vt scriptum est, vna anima, & vnum cor, & multa quidem corpora, sed non multa corda. Quæ vnitas eo etiam pluris æstimanda est, quod non tam loco nititur, quam spiritu, ac proinde ne loci quidem diuisione scinditur: quoniam, vt est apud Cassianum, morum cohabitatio, non locorum, fratres coniũgit in oculis Dei; quia vt nihil prodesset, si qui moribus, ac proposito dissidentes vna domo iungerentur, ita qui eisdem studiis, & voluntatibus coniuncti sunt, nihil iis obest, locorum interuallo disiũgi. Iure igitur talis vitæ vtilitas, ac suauitas tum vnguẽto comparata est, tum rori: & vnguento quidem non vulgari cuilibet, sed sacerdotali, quod nimirum & prę omnibus erat odoriferum, & eos, quibus adhibebatur, Deo consecrabat; quo intelligatur, illos omnes, qui religiosam suscipiũt vitam, dũ fraternæ huic societati se aggregãt, simul etiam domino Deo cõsecrari, & consecrari vt sacerdotes, qui se ipsos hostiam, & ex se ipsis plures quotidie hostias eius numini offerant. Nil igitur mirum, si ex tantę virtutis perfectione tanta boni, gratiq; odoris abundantia consequatur, vt totam Dei domũ, idest Ecclesiam sanctã, impleat, & ipsos religiosos,

Col. 16. cap. 3.

in

in quibus ea est, amabiles, & quasi admirabiles omnib⁹ efficiat, vt sint insuper multis aliis, vt Apostol⁹ dicebat, odor *1.Co. 2.* vitæ ad vitam, eosque eiusdem virtutis, ac perfectionis amore accendãt. Quin etiam vt sacerdotale illud vnguentum hanc ob causam adeo perfectum erat, tamque bene olebat, quoniam ex plurium odorum mixtione componi consueuerat, ita religionis quoque, quod alio loco vberius à nobis dictum est, ideo maior est pulchritudo, & vtilitas, quod in ea multorum virtus, & sanctitas coniuncta est, & quasi in vnum confluit. Itaque recte S. Basilius solitariam, *Reg. fu-* & anachoreticam illam vitam cũ nostra hac communi cõ- *si. cap. 7.* parans, hoc quoque istam præfert, quod bonum, vt ipse ait, & iucundum illud, fratrum scilicet in eadem domo cohabitatio, quam Spiritus sanctus vnguento suaue flagranti, & de capite summi sacerdotis aspiranti comparat, in separata vnius habitatione locum habere non possit. Hæc vero vnguenti sic cõditi summa, & acerrima suauitas nõ in solo capite residet, sed in oram ipsam vestimenti descendit, quã oram recte, vt cetera, interpretatur idem Augustinus vel finem temporum, quoniam tanta virtutis eminentia Euãgelij plenitudini seruabatur, vel ipsam perfectionem, quia in ora vestimentum perficitur, & illi (inquit) perfecti, qui norunt habitare in vnum, illi perfecti, qui legem implent. Verũ hic quidem odor ad delectationem potius pertinet, roris autem similitudo etiam ad vtilitatem. Vt enim ros miro quodam modo non nisi in sublimi generatur, & in æstu generatur, & ipsum tamen æstum suauissime refrigerat; sic spiritus iste, de quo loquimur, cœlestis, & de cœlò veniens, in eas mentes cadit, quæ ceteris omnibus relictis, vnius Dei amore ferueant, quas ipsas mentes ab omni infimarum rerum amore refrigerat, & in eis omnem aliã cupiditatem, omnemque inquietum ardorem extinguit. Cadit autem non in morem pluuiæ sonantis, aut imbris turbidi, sed, vt dictum est, roris tenuissimi, vt nemo sciat, nisi qui accipit, qui autem acceperit, non solũ illud ardoris terreni temperamentũ sentiat, quod iucunditatem continet, sed, quod vtilitatis est, fertilitate, ac fœcunditate omnium bonorum operũ augeatur. Neque tamen genus hoc roris tam salutaris omnibus promittitur, sed montibus Hermõ, & Siõ, editis, atq; arduis, quo ipso religiosæ animæ significãtur, quæ supra res omnes terrenas euectę, tũ omnia despiciunt tanquam inferiora, tũ etiam nullius fluminis aqua

irrigari possunt,id est,nulla transeŭtium, fluxarumque rerum,quas iam reliquerunt, delectatione teneri. Ijs igitur necessaria sunt,& certe si cui alij in hoc mundo, ijs etiam debentur hæc cœlestis roris solatia, vt iam nunc futuram illam beatitudinem quasi prægustantes,ad eandem amandam, & concupiscĕdam magis,ac magis incitentur. In hoc igitur statu, quem cœli stillicidia irrorant, & fœcundant, quem diuinorum vnguentorum flagrantia demulcet, iure mādauit Dominus benedictionem,& vitam vsque in seculum,id est non breuem,aut temporaneam, qualis est huius mundi,sed æternā,& immarcessibilem. Hic enim vera Dei cognitio viget,quę,vt Dominus dixit,vera est vita:hic Dei verba assidue percipiuntur,quæ spiritus, & vita sunt: hic fratres diliguntur,quo,vt ait Ioannes,scimus quoniā trāslati sumus de morte ad vitam. Verum de vtilitatis quidem bono dictum est à nobis toto superiore libro. Sed non omnes sola vtilitate ducuntur,suntque plurimi, qui minorem omnino huius rationem habeant, magis autem dignitatis, amplitudinisque splendore moueantur. Verum enim est quod ait Bernardus,Cupidi omnes sumus ascĕsionis, exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus,& magni cuiusdam animi,ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Non igitur verisimile est, cum Deus hunc religiosum statum tantopere adamarit,tamque multis aliis bonis locupletarit, hanc partem, quæ ad eius ornatum pertinebat,neglexisse,eumque inglorium, atque contemptum esse voluisse. Quin potius ita statuendum est, vel nullam in spiritualibus Dei operib⁹ inesse dignitatem, quod stultum est opinari,vel si in illis insit,eam quoque in religioso statu,quod vnum est ex præcipuis eius operibus, vel maximā inesse.Nam cum virtutis per se tantus sit splĕdor,vt reliquis etiam omnibus ornamentis spoliata,tamen quasi in tenebris fulgeat, atq; huius virtutis propria quodammodo sedes,& regnum sit Religio,ipsam quoque necesse est illius nitore,atque honore splendescere, cum ita coniunctæ sint,vt hæc sine illa necesse, ac ne intelligi quidem queat. Quamquam hoc etiam fortasse amplius habet religiosum institutum, quam virtus per se, quod virtutis dignitas non omnium oculis lucet, suntque multi ita hebetes,vt eam non capiant:religiosum vero institutum non solum interiora habet spectacula, quæ spirituales homines oblectent,sed etiam exteriora, quæ vel rudes admiratione afficiant;

Ser. 4. Ascen.

afficiant;vt in isto etiam nobilitatis genere non solū seculo ipsi se exæquarit,sed ipsum meo iudicio etiam longe superarit.Hanc igitur dignitatē,Dei aspirante gratia, secundus hic liber explicabit;rem plane iucundam, & in qua religiosus quisq; merito sibi gratuletur. Cuius dignitatis illud etiā præter cetera magnum est argumentū, quod tam innumerabiles homines præ religiosa vita, mundi huius honores, vel nondum adeptos tam alacriter contēpserint, vel iam adeptos reliquerint, alij relinquere ardentissime concupierint.Cum enim,vt ante dixi,adeo naturalis sit homini hic appetitus gloriæ,ita prorsus credendum est, non potuisse vtilitatèm solam tantum ardorem illorum animis iniicere, nisi cum vtilitate etiam amplissima quædā dignitatis species eis sese ostendisset. In quo genere ex multis mirabilibus exemplis,haud facile vllū maius inueniamus, quam Gregorij,qui cum ab-ineunte ætate monasticam vitam professus esset,postea etiā Ecclesiæ diaconus creatus, ita tamen eius amorem retinuit, vt cum Constātinopolim Legatus Apostolicus mitteretur,noluerit discedere, nisi cū aliquot suorum monachorum comitatu, vt quoniā in monasterio ipse esse non posset, quodam modo monasterium secum circumduceret.Illud vero maius,quod in ipsa Pontificia dignitate,qua nulla in terris altior,inque illo honoris fastigio,adeo tamen illius disciplinæ desiderio lugeret, vt omnibus pene suis scriptis testatur. Sic enim ipsemet in Dialogis, Infelix,inquit,animus meus, occupationis suæ pulsatus vulnere meminit, qualis aliquando in monasterio fuit,quomodo ei labentia cuncta subter erant, quātum rebus omnibus,quæ voluuntur,eminebat, quod nulla nisi cælestia cogitare consueuerat,quod etiam retentus corpore,ipsa iam carnis claustra contemplatione transibat,quod mortem quoque, quæ pene cunctis pœna est, videlicet vt ingressum vitæ,& laboris sui prēmium amabat.At nunc ex occasione curæ pastoralis, secularium hominum negotia patitur, & post tàm pulchræ quietis suæ speciem, terreni actus puluere fœdatur.Perpendo itaque quid tolero, perpēdo quid amisi,dūque intueor illud quod perdidi, fit hoc grauius,quod porto.Ecce etenim nūc magni maris fluctibus quatior,atq; in naui mentis tēpestatis validę procellis illidor,& cū prioris vitæ statum recolo, quasi post tergum reductis oculis viso littore suspiro.Hæc Gregorius,& alia alibi in eandē sententiā,eodemq; animi sensu:ex cuius hac

In proœ.

1. Regis ep. 4. & seq.

querela facile intelligi potest, aliquid illũ in religiosa di-sciplina pulchrũ, atque præclarum ipso suo vsu cognouisse, quod etiam in illo rerũ omniũ apice requireret, & quo se carere doleret. Itaque hoc quoque testimonium eo maius momentum habere debet, quod & tanti viri est, & eius. qui cum vtramque vitam ipsa re esset expertus, alterius tamen, & quidem præsentis, tãta, quæ videtur, amplitudine, alterius absentis amorem, & desiderium non extinguebat.

De vilitate rerum omnium temporalium.

CAPVT I.

TOTA religiosæ vitę ratio, ipsaque eius essentia in hoc consistit, vt terrena omnia à se quam maxime remoueat, non eorum solũ amore, quod omnes debẽt, sed etiam vsu, quod non omnes coguntur, quoad fieri possit, abdicato. Quare nihil magis necessariũ ad religionis vtilitatẽ cognoscendam, ac multo magis etiam dignitatem, quam hoc fundamentum, vt bene intelligatur, penitusq; perspectum habeatur, quam rerum omniũ huius mundi natura imperfecta, & vilis sit, quamque indigna hominis amore, & cura. Sic enim fiet, vt primũ religiosus quisque omnibus illis rebus facile careat, quibus nimirum amissis, nullam se iacturam fecisse videat. Deinde vt hoc etiã appareat, quod nũc quærendũ est, quæ sit hominis vera dignitas, & in quo reponenda. Primũ igitur hoc habent res istæ omnes, vt quæcumq;, & quantæcumque videantur, re vera exiles, & exiguæ, & pusillæ sint. quod quidem tum maxime cognoscimus, si non per se inspiciantur, sed cum reliquarum rerum vniuersitate conferantur. Nã cũ tota ipsa terra, si rectę ęstimetur, præsertim aliorũ elementorũ, ac cœlestium orbium comparatione, minima sit omniũ, admodumque angusta, terræ autem bona pars aquis demersa, pars montibus oppressa lateat, reliqua vero prouinciis, & regnis diuisa sit, regna autẽ ciuitatibus, ciuitates domib⁹, & possessionib⁹ singulorũ, quam tenues, & modicas esse necesse est particulas, quę singulis cõtingãt? Scite Socrates ille philosophus, & sapienter, qui, vt scriptum est, Alcibiadis superbiam aduertẽs diuitiarũ, & copiarũ fastu inflatam, adduxit eum ad tabulam, in qua descript⁹ erat totius terræ ambitus, rogauitque vt in ea Atticã inueniret, quã cum ille ostendisset, rogauit item vt suos fundos indicaret: cum responderet, nusquam

illic

illic esse pictos,cur ergo,ait,eorũ te possessione efferſ , qui nulla terræ portio sint ? Sed hic est hominum error , quod aurum,quod pecuniam,quod agros magnam rem reputãt, non quia hæc magna,sed quia ipsi parui,& minuti ; vt formicæ,quæ suas item cauernulas ita incolunt,quasi ingẽtes domos,& minima grana sic conuehunt, tantumque operæ ac laboris in iis insumunt,vt in ingenti præda.Quod si harum rerum essentia,mole quidem,& quantitate exigua,sed tamen vi,& pretio magna esset,aliquid fortasse habere viderentur,quo essent expetendæ.Peruidenda est igitur intima earum natura quæ sit,eiusq; principia , quibus constat, introspicienda.Hæc vero nihil aliud sunt,quam hæc , quæ scimus,elementa,tum illa subtiliora,ignis, & aer , tum illa crassiora,aqua,& terra.Ex his omnia , quæ videmus , quæ tangimus,quibus fruimur,composita,ac cõmista nisi quod in omnib⁹ longe etiam superat terra,infimũ omniũ,& maxime concretum elementũ. Quid ergo adeo admirandum existere potest ex iis rebus inter se confusis,quas per se singulas adeo cõtemnas?Aut quid stultius,quam terram,quæ cum aqua coniuncta lutum efficiat,pedibus conterere , & inter sordes habere , eandẽ autem colore immutato tanti æstimare,adeoque diligenter tot clauibus in arca seruare? Vere enim Bernardus,Aurũ,& argentũ,inquit , nonne terra est rubra,& alba,quam solus error hominum facit , aut magis reputat pretiosam ? Quod idem ante Bernardum confirmauit etiam quodam loco Chrysostomus. Bene autem,quod non fieri,sed potius reputari ait pretiosam. non enim hominum iudiciũ etiam rectum,& verum,non modo opinio desipiens,& cum errore,rerum pretiũ vel augere,vel minuere potest. Quod si propinquiorẽ quoque materiam rei cuiusq; pretiosissimæ spectemus,idem dicere licebit.Quid enim sunt vniones , qui iam etiam ad vultus hominũ ornandos adhibentur,nisi concharũ excrementa? In quo quidem illud est pene ridiculũ,quod conchas ipsas non adeo magnifacimus totas,hanc autem earum partem densiorem,& duriorem tanti æstimamus. Gemmæ autem quid sunt,nisi lapides?quid sericæ vestes , nisi viscera turpium vermiculorum?quid panni lanei , nisi ouium vellera, quas viuentes stomachemur?quid vestes pelliceæ, nisi bestiarũ pelles ? Denique ædes magnificæ, palatia,portic⁹,an aliud sunt,quã lapidũ congeries certo ordine coagmentata? In Iaponensium thesauris scimus pro ingentibus diuitiis

Ser. 4. Aduen.

Ser 2. Vidi Dom.

tiis numerari auiculas in cartha pictas,aut tripodes, vel lebetes quoſdam æneos,neque id ex elegantia, aut ex artificio,quod nullum habent,ſed ex antiquitate.Itaque ſi quid eiuſmodi ſit, quamuis attritum, & exeſum,venire tamen ſolet duobus,& quatuor, interdum etiam ſex millibus aureorum. Cum autem Europæi noſtri hanc pecuniæ profuſionem in res leuiſſimas rident, eos contra aiunt noſtrum ridere morem, qui in vnum lapillum, aut eiuſmodi rem, tãtum pretij inſumamus, nam illa quidem pleraque vſum ſaltem habere aliquem,noſtra vero nullum. Et illi quidem hoc merito de noſtro errore,ſi non ſimili in rebus aliis ipſi laborarent,vt amentes faciunt, qui ſe inuicem ludunt, & alter alterius inſanias videt,ſuas non videt.

Accedit ad hæc duo tertium quiddam aliquanto maius, quod illud ipſum bonũ,quod rebus ſingulis ineſt,tam contractum,vt diximus,& tam exiguũ,numquã in eodem ſtatu permanet, ſed quaſi perpetuo quodã fluxu eo decurrit, vt ad nihilum ſuum redeat,vnde aliquãdo prodiit. Ex quo
4.cõ.c.1. illa præclare apud Auguſtinum,Omnia,inquit,oriuntur, & occidunt,& oriẽdo quaſi eſſe incipiunt,& creſcunt, vt perficiantur,& perfecta ſeneſcunt,& intereunt.Etenim omnia ſeneſcunt,& intereũt.Ergo cũ oriuntur,& tendũt eſſe, quo magis celeriter creſcũt, vt ſint,eo magis feſtinant, vt non ſint. Sic eſt modus earũ.Cuius quidẽ modi eã deinde Auguſtinus reddit rationẽ, doctã omnino,& conuenientem, quod omnia iſta partes ſunt toti⁹ vniuerſi,quod vniuersũ cũ etiã præteritis,& futuris conſtet,neceſſe eſt, vt alia decedãt,alia ſuccedãt,quo totum compleatur.Vt.n.ſi aliquis orationẽ habeat,nõ poteſt tota intelligi,niſi trãſuolãtibus prioribus ſyllabis,ac verbis,aliiſq; deinceps veniẽtibus;ſic ſi in mũdo res aliquæ ſtarent,reliquas, quæ adhuc venturæ ſunt,impedirent,nec vniuerſitas iſta ſuas omnes partes acciperet.Itaque hoc vitium maximum, & maxime intrinſecum ineſt in rebus omnib⁹,quę tẽporis agitationi ſubſunt, vt tã velociter effluãt,quã ipſum tempus,quo nihil eſt velocius,& omnino iiſdẽ paſſibus,eodẽq; quaſi curſu deferãtur.Quã ob cauſam egregie S. Leo monet temporalia iſta
Serm. 1. pro tranſactis habẽda eſſe,additq; rationem,quoniã ex ma-
rejer. iori ſui parte nõ ſint:ſiquidẽ præterita iam fluxerũt,futurũ nondum aduenit;quod autem præſens eſt,vnius pũcti momentum eſt.In quam ſententiã illa quoque apte à B. Gregorio ſcripta ſunt,Quaſi in aquis defluentibus fundamentum

tum ponere, est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Stante enim in perpetuū Deo, transeunt omnia. *22. Mo. c.2.* Quid ergo ab stante fugere est, nisi trāseuntibus rebus inhærere? Quis nāq; vnquā decurrentium fluminum tumidis verticib⁹ raptus manere ipse fixus potuit, deorsum vnda defluente? Quisquis vero defluere deuitat, superest, vt quod defluit, fugiat, ne per hoc, quod amat, in hoc cogatur deuenire quod vitat. Qui enim rebus labentibus inhæret, illo videlicet trahitur, quo tendit, quod tenet. Simile est quod alibi ab eodem Gregorio dicitur de vita humana, *25. Mo. c.2.* quod idem congruit etiam reliquis omnibus: Hoc ipsum, inquit morituros viuere, quasi ad mortem ire est: & quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus. Ipsa quippe augmēta detrimēta sunt temporum; quia vitæ nostræ spatia, quanta esse cœperint, incipiunt, iam tanta non esse. Atque hic ipse rerum fluxus, si longior esset, ac diuturnior, esset tamen aliquid, quo se homines productiori illarum rerum vsura consolarentur. Verum hoc totum quā breue, quam fugax est: quāque cito euolat? Et adhuc pusillum, ait Propheta, & non *Psal 36.* erit peccator: & idem, Homo sicut fœnū dies eius, tāquam *Psal. 102* flos agri sic efflorebit. Iacobus autem Apostolus vaporem *Iac. 4.* appellat totam hanc vitam. Sanctus Iob etiam punctū vnū. *Iob. 21.* Quo loco Gregorius, Omnis, inquit, lōgitudo tēporis vitæ *25 Mo. c. 24.* præsentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur; quia quicquid trāsire potuit, subitum fuit. Quod ne à Gregorio de iis tantum dictū putemus, qui in ætatis flore præ- *15. Mo. c.2.* propera morte abrepti sunt, idem alibi hoc expressius; Si, inquit, ab ipso humani generis exortu vsq; ad hoc tēpus, in quo sumus, mētis oculos ducim⁹, omne quod finiri potuit, quā breue fuerit, videm⁹. Ponamus enim quēlibet hominē à primo die mundi conditum, vsq; ad hodiernum diem vitam ducere, hodie tamen eādem vitam, quam quasi longā ducere videbatur, finire: ecce finis adest, præterita iā nulla sunt, quia cuncta trāsierūt; futurum in hoc mūdo nihil est, quia nullum ad vitam restat momentum. Vbi est ergo longum tempus, quod inter initium, finemque deprehensum ita consumitur, ac si nec breue vmquam fuisset?

Ad hoc magnū incommodum illud quoque addi potest etiam grauius, quod ne hæc quidem ipsa tam exigui tēporis permansio, quæ his rebus à natura præscripta est, certa, ac stabilis esse potest: sed tā multis, & variis casibus extrinsecis

ſecis expoſitæ ſunt, vt ſæpe, atq; adeo vt plurimũ in medio curſu nos deſerant. Eſt enim earum natura ita fragilis, atque, vt ſic loquar, ita vitrea, vt leuiſſimo in curſu pereant: ſunt autem in hoc mundo tam multi, tamque frequentes incurſus, latronum, tempeſtatum, bellorum, hominũ potẽtiorum, & aliorum caſuũ innumerabilium, vt non modo facile ſit hæc vel interire, vel aliorũ manus transferri, ſed nihil difficilius, quã ea tueri, ac defendere. De quo Bernardus in ſermone quodam de fallacia prǫſentis vitæ: Gaudẽt, inquit, in cibis, gaudẽt in pompis, gaudent in diuitiis, gaudent etiam in vitiis homines: ſed luctus extrema occupat eiuſmodi gaudiorum, quia gaudium in materia conuertibili mutari neceſſe ſit, re mutata. Accenditur cereus: non paruum lumen eſt, ſed lucerna. ſi quidem ignis ipſe propria fomenta conſumit, nec niſi ipſa conſumptione fouetur: porro deficiente materia, etiã ipſe deficiet. Sicut ergo flãmæ illius nouiſſima fumus occupat, & caligo, ſic lætitia lætæ rei in triſtitiam commutatur. Hæc Bernardus, optime omnia, idque præſertim, quod eam quoq; oſtẽdit eſſe temporalium rerum miſeriam, quod non modo extrinſeca vi, ſed etiam ipſo earum vſu vel ſubito abſumantur, vel certę paulatim deterantur, vt epulæ, vt veſtes, vt palatia, & cũcta eius generis. Quomodo autem diuturnũ eſſe poſſit, quod ſeipſum conficiat, & deſtruat? Atque hoc illud eſt, opinor, quod Macharius ille Alexandrinus tribuno cuidam reſpõdiſſe fertur. Cum enim vna cum altero Machario Nilum trãsmiſſurus nauim conſcendiſſet, vterque pannis obſitus, habituque deſpicato, eademque naui duo quoque tribuni veherentur cum maxima pompa equorum, famulorum, aurearum veſtium, alter ex his Dei famulos conſpicatus ſedẽtes in angulo, Beati vos, inquit, qui mundum illuditis; cui Machari⁹, Nos quidem mundum, vos autem mũdus illudit. Quo ille tam breui dicto ita cõpũctus, & quaſi illuminatus eſt, vt domũ reuerſus, ſtatim omnibus, quæ habebat, diſtractis, monaſticam vitam ſequutus ſit. Fecit igitur, quod Bernardus quodã loco monet, melius eſſe hæc terrena relinquere, quã ab illis relinqui: idque vere intellexit, quod Gregori⁹ in Moralibus ſcriptũ reliquit: Diu, inquit, cũ noſtris rebus durare nõ poſſum⁹; quia aut nos illas moriendo deſerimus, aut illę nos viuẽtes quaſi deſerũt pereũdo. Sed fingam⁹ hęc omnia, quę mundus appellat bona, eſſe magna, eſſe certa, eſſe etiam diuturna, quanti tandem æſtimanrp

Ser. ecce nos reli. 18. Mo. 12.

manda est eorum possessio,ac fructus? Nam si hoc quoque ex veritate perpendamus, quis sit modus ijs perfruẽdi, primum inueniemus esse infimum, & ignobilem, quippe per sensus,quod est nobis commune cum brutis,ita tamen, vt ab illis etiam plerisque superemur:deinde, quod ad ipsam delectationem attinet,minima tantum ex parte à nobis illa attingi. Aliis enim fruimur tantum videndo, vt picturis, vt statuis,vt nemorum,& camporum viriditate. Aliis fruimur gustatu: aliorum nullus est vsus,nisi vt recondita in arcis seruentur.Alia longissime dissita sunt à possessore, atque ab illo nec videri,nec contrectari possunt. Sic autem se res habet,vt eorum quæ exempli gratia gustatu sentiũtur, solus sapor percipiatur, reliqua vt plurimum nobis inutilia sint,ideoq; à nobis nec vere possessa: in aliis odor tantum vsui est, in quibusdam color. Denique, si singula percenseamus,minimum quiddam ex omnibus istis rebus concessum videbimus,quod certe tanti non est, vt tam care à nobis ematur.

Postremo hoc etiã ad horũ terrenorum naturã & indicandam,& in odiũ adducẽdam vel maxime pertinet, quod certe quodcũq; est illud ipsum bonũ,quo Dei munere prædita sunt, idque tam exiguũ,tamq; fugax, quam diximus, obsessum semper est tantis molestiis, & tam multis permixtum malis,& quidem multo maioribus,vt ne illã quoque ipsam voluptatem,quæ ex his percipitur,integram, & solidam esse sinant, potiusque omnem eius sensum extinguant.Quam ad rem etsi multa ex communi hominũ vita desumi possẽt, in qua hoc quod dico oculis ipsis spectatur, vnius tamen Bernardi testimoniũ sufficiet in epistola, quã scribit ad Sophiam nobilissimam virginem de fallaci mũdi gloria:in qua cum prius de breuitate disseruisset, addit hæc de duratione ipsa.Ipse eius,inquit,qualiscumq; status nonne plus anxietatis,quam iucunditatis,habet?Dum vendicas,dum defendis,dum inuides,dum suspicaris, dũ semper ambis quæ non habes,& nonnullis adeptis, acquirendi non tepescit ardor,quæ requies in gloria tua? Siqua tamen est,præterit iucũditas non reditura,& manet anxietas non relictura.Sed neque hæc, neque vlla alia ratio ita euidẽter nobis creaturæ omnis conditionẽ patefacere potest,quam ea vilis,atq; imperfecta sit, vt ipsi⁹ creatoris collatio.Quẽadmodũ enim rusticus,& pauper in villula natus, suũ semper tuguriũ,suosque pannos aliquid esse putabit, donec in vrbem

vrbem adueniens, nobilium ædes, seruorum copiam, ceteramque magnificentiam aspiciat: sic homo, quamdiu eius mens in hisce infimis demoretur, non ea satis cognoscere poterit, sed oportet, vt sese ad illam Dei amplitudinē; maiestatem, infinitatem erigat. Etenim si terra tota, vt supra attigimus, cœli respectu, non amplius, quam punctum est, cœli autem ipsi, non modo qui nunc sunt, sed si alij multo plures, grandioresq; essent, tamen Dei respectu minus etiā essent, quam punctum, quid erit terræ exilitas Deo comparata? Et, si vniuersa terra Deo collata nihil est, quid erit tantulum vel terræ, vel pecuniæ, vel similium rerum? Accedit etiam mod⁹, quo hæc omnia existunt, omnino tam tenuis, & infirmus, vt propius ad id accedant, vt non sint, quam vt sint, præsertim si hic modus in diuinæ illius essentiæ nō dicam comparationem, sed in præsentiam adducatur. Hanc
16. Mor. enim ob causam dictum est à B. Iob de Deo, Ipse solus est;
18. quę verba exponens Gregorius, Numquid, inquit, non sunt Angeli, & homines, cœlum, & terra, aër, & maria, cuncta volatilia, quadrupedia, atque repentia? sunt hæc omnia, sed principaliter nō sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, & nisi gubernãtis manu teneantur, esse nequaquā possunt. In omni igitur causa solus ipse intuendus est, qui principaliter est, qui etiam ad Moysen dicit, Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos. Hęc igitur si colligamus omnia, facile quemuis conuincent, non modo vnū agrum, aut vnam domum, aut opes quascumq; cuiuspiam priuatas, quæ satis angustæ esse solent, parui omnino æstimanda esse, ac potius pro nihilo habenda, & tamquam nihilum contemnenda, sed si terrarum orbem, & quæ in eo sunt vniuersa, aut etiam, si hoc fieri possit, innumerabiles mundos vnus possideret.

In quo sita sit vera hominis nobilitas, & dignitas.

CAPVT II.

HOc igitur tamquam fundaméto posito, ac stabilito, facile iam intelligi potest, quibus in reb⁹ vera dignitas, & id quo homo vere nobilitetur, consistat. Ac vulgus quidem hominum alij hoc in opibus, alij in honoribus, alij in familiæ claritate reponunt; quia nimirum, vt ait Gregorius, ab internis, atque inuisibilibus oculos clau-
25. Mor. dunt, eosque visibilibus tantum pascunt, ex quo fit, vt ho-
cap. 1. minem, non ex eo, quod ipse est, sed ex iis, quæ circa ipsum sunt,

sunt, venerentur. Sed horum quidem error manifeste refellitur vel ex hoc, quod aliarum omnium rerum æstimationem non ex alia re sumimus, quam ex eo, quod in ipsis est. Eam enim domum probamus, quæ ad habitandum sit commodissima, illum bouem, illum equum, qui sit vel ad arandum, vel ad currendum aptissimus: denique etiam minima quæuis, vt gladium, & cultrum, tum laudamus, si congruant ad eum vsum, cui facta sunt. Quæ igitur est insipientia, vt soli homini e alienis, & quidem ex iis, quæ multo inferiora & ignobiliora sunt quam ipse, honor tribuatur? Hæc enim omnia, pecuniæ, vestes, domus honorata, & reliqua de hoc genere, non solum extra hominem, sed etiam infra hominem sunt: tantum abest vt ei ornatum, ac splendorem addere queant. Itaque hoc primum est, quod quicquid ista habent boni, paruum, & infimum est, minimeque gloriandum, homini præsertim, qui multo maior, ac excelsior est. Deinde quodcunque illud est, nihil ad Dominum rei. Vt enim inepte ac ridicule faceremus, si ego tua doctrina gloriarer, aut tu mea, sic isti faciunt, qui auri, vel argenti, aut agrorum possessione inflantur, cum siquid ista boni, aut pulchri habeant, id totum rerum ipsarum sit, non hominum. Recte enim Bernardus in vno genere, quod tamen in omnia genera conuenire possit, Indignum tibi, inquit, iudica formam à pellibus murium, & operibus vermium mutuari. Ille est verus, propriúsq; cuiusque rei ornatus, qui nulla interia cente materia per se inest. Restat igitur sola animi ornamenta, quę vere hominem ornent, eúmque honore dignum efficiant. Hæc enim & propria & perpetua, & certe ita magna sunt, vt merito ab omnibus coli debeāt. Quamobrem iure Ambrosius in libro, quem de Noë laudibus scripsit, hoc quoque inter cetera de illo commemorat, quod non generationis nobilitate, sed iustitiæ, & perfectionis merito celebretur: Probati enim, inquit, viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum gen⁹ homines, ita animarum genus virtutes sunt. Idem ferme dicit & Hieronymus. Nescit, inquit, religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum. Seruum, & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas est non seruire peccatis. Summa apud Deum nobilitas clarum esse virtutibus. Nam & alias frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cum vniuersi paris honoris, & eiusdem apud Deum pretij sint, qui vno Christi sanguine sunt redempti: nec interest

Epi. 113.

Cap. 4.

Epist. 14.

qua quis conditione natus sit, cum omnes in Christo æqualiter renascamur. Hoc igitur senserunt, & hoc scripserunt sancti hi Patres; neque vero aliter sentire liceat ei, qui Christiana fide imbutus verum à falso, inane à solido discernere norit. Videmus quid Agatha præstans virgo, eadémque martyr responderit Quintiano iudici, qui illi vt probrum obiecerat, quod cum claro genere nata esset. non eam puderet Christianorum vitam humilem, & seruilem agere: cui illa, se vero hoc ipsum putare summam esse ingenuitatem, & nobilitatem, seruam esse Christi. Atque, vt dixi, hoc eodem animo oportuit esse omnes Christianos, & illos præsertim Christianos. Illud magis mirum quod ab ethnicis philosophis scriptum de hac ipsa re inuenimus, in primísque à Platone in Dialogis de Republica, vbi ita disserit, Post Deum proxime nobis colendum esse animum nostrum, eum vero non recte, ac vere ab illo honorari, qui stulta sui opinione inflatus se ipsum laudet, vel animo suo permittat agere quicquid libeat, multo vero minus, qui voluptatibus indulgeat, cum hic potius ipsum deiiciat, malísque, ac pœnitentia impleat. Sed ne eum quidem, qui vitam hanc magnum esse bonum arbitratur, quod hic quoque eum potius dedecoret, atq; deturpet. Neque rursus qui virtuti formam corporis anteponit, vel qui pecuniam iniuste congerit. Hos enim omnes, quod est in animo pulcherrimum, & maxime venerabile, exigua, & leuissima mercede perdere, cum quicquid auri est in terra, aut sub terra, vna virtute compensari non possit. Quare honorem verum nullum esse alium, quam recta, & honesta sequi. Aristoteles autem non solum hoc ipsum confirmat, etiam expressius, sed causam addit, cur plerique hominum errent in huius rei iudicio. sic enim ait, Honorem soli virtuti deberi, vt eius præmium, etsi impar id quidem, & inæquale, quoniam perfectæ virtuti nullus dignus honor retribui possit. Quinetiam hoc docet, omne id, quod in bono excellat, dignum esse honore: vulgus autem, quia non alia bona intelligit, quam externa, vt nobilitatis, vt diuitiarum, vt imperij, eos, in quibus illa videat, honorare, quasi excellentiam aliquam inter alios obtineant: re tamen vera solum hominem bonum honorandum esse: eos vero, qui ista sine virtute possideant, non esse honore dignos; quod contra ipsi faciunt, qui sæpe efferuntur, vt, quoniam externa illa specie eminent, vere etiam se aliis eminere putent. Huic Aristotelis, aliorúmque auctoritati licet etiam rationem addere apertam

Dial. 5.

4. Ethic. cap. 3.

apertam, & euidentem. Etenim, si recte cogitemus, triplex omnino natura à Deo condita est; vna, quæ solo spiritu, atque intelligentia constet, vt Angelorum; altera omnino in corpore demersa, vt belluarum: tertia hominis, interiecta inter vtramque, vel potius vtramque continens, quæ & carnem habet, vt belluæ, & rationem, vt Angeli. Itaque vtriusque etiam opera exequitur. nam & res intelligit, principia, & causas videt, præterita retinet, futura etiam præcipit, vt Angeli. & rursum comedit, bibit, dormit, dolet, generat, vegetatur, crescit, moritur, vt belluæ. Ex quo fit, vt cum in hoc quasi biuio duplicis huius naturæ constitutus sit, vtram in partem moribus, & vita inclinarit, ei fiat simillimus: si in appetitum, ac sensum, si in carnis voluptates, plane degenerat in brutum. Sic enim ait Propheta, Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sin vitam ex ratione instituat, & carnis cupiditatibus edomitis, spiritualia sectetur, non modo Angelorum, sed ipsius Dei similitudinem retinet, & quotidie eam magis adauget. sic enim idem Propheta, Ego dixi Dij estis. Tantum igitur interest inter eum, qui secundum carnem viuat, vt ait Apostolus, & qui secundum spiritum, non dico quantum inter baiulum, & regem, hæc enim distantia, quantacumque est, est intra eandem naturam, sed quantum inter iumentum, & Angelum, quorum altero nihil abiectius, altero post Deum nihil altius. Itaque hoc plane constitutum sit, veram dignitatem, veram nobilitatem, verum decus in vna virtute situm esse; quod qui non satis intelligit, ea causa est, quod oculos non habeat, quibus virtutis splendorem videat. Nam de hoc quoque recte scriptum est à Gregorio, carnales quosque, etiamsi per humanam sapientiam rationales esse videantur, tamen à lumine veræ rationis eo cæciores esse, quod illis solis oculis vident, quos serpens aperuit. Nam si inquit, spiritualium virtutum fulgorem aspicerent, eum profecto in ornatu suæ mentis haberent desiderarent.

Psal. 48. *Psal. 81.* *Rom. 8.* *4. in lib. Reg. c. 1.*

De dignitate religiosæ paupertatis.

CAPVT III.

OMNIS quidem virtus, quoscumque complexa sit, euehit tam alte, vt eos reliqui homines cum admiratione suspicere, ac vel inuiti amare, & colere cogantur. sed tamen hoc multo magis efficiunt excellentes quædam, singularesque

virtutes, addo etiam, quæ ſint inter ceteras maxime difficiles,& arduæ. Neceſſe eſt enim, quo maior ſit earum ſplendor,& pulchritudo, eo maiorem in mortalium animis admirabilitatem gignant. Ex quo genere cum ſine vlla controuerſia ſint religioſæ virtutes, non eſt dubitandum, quin veram etiam afferant homini nobilitatem. Quamobrem de ſingularum dignitate aliquid dicendum eſt. In primis autem offert ſeſe Paupertas,quæ, vt ait Ambroſius, ordine prima eſt, & quaſi parens aliarum omnium virtutum. Cuius de vtilitate cum ſuperiore libro diſputatum ſit, nunc etiam dignitas,vt dixi,tractanda eſt,quæ facilius intelligetur, ſi hoc antea ponamus, excludi ab hoc ſermone eam paupertatem,quã vel neceſſitas, vel vis, aut caſus aliquis affert. Hoc enim paupertatis genus ignobile, & ſordidum,vulgóque odioſum habetur nec omnino immerito; quoniam nec laudem meretur, cum non voluntate ſuſcipiatur, & cum externis prematur incommodis, non tamen internis commodis recreatur; quippe quæ modo cupiditatem non tollit, ſed potius auget, nec quietem in animo efficit, ſed ſolicitudinem, curam, angorem. Alia vero longe eſt euangelica paupertas, quam religioſi profitentur, nimirum voluntaria, quæ vitro aſciſcitur, vltróque, ac libenter ſuſtinetur, quæ etiam oblatas diuitias, & ipſos auri montes, quaſi ſtercora, vt ait Paulus,abominatur, ídque propter Dei amorem, ſpémque bonorum cœleſtium. Hæc enim paupertas eo ipſo, quod omnia contemnit, omnibus eminet, itáque miro modo; vt quæ pedibus ſpernendo conterit, eiſdem eminendo omnia poſſideat. Itaque non eo contenti ſunt religioſi, vt ſuperflua tantum abiiciant, aut ſe ad eum ſtatum redigant, de quo dicebat Salomon, Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria: verum his quoque ipſis neceſſariis ſeſe exuunt, & in quadam rerum omnium nuditate conſtituunt: nec aliqua tantum reſecant, aut etiam multa, quod tamen ipſum laudabile, ac potius mirabile eſſet, ſed plane omnia, & in omni genere,& in perpetuum. Quinetiam licet hoc eiuſmodi ſit, vt nihil adiungi poſſe videatur, quoniam hoc tam generali rerum omnium verbo omnia penitus continentur, nihil excluditur, eſt tamen aliquid maius in paupertate religioſa. Nam non ſolum nihil habent, ſed in eo ſe ſtatu ponunt, vt ne habere quidem poſſint, cum omnem dominij facultatem à ſe præciderint. Declarant hoc Theologi iumentorum exemplo, apto omnino ad rem

Lib. 5. in Luc.

Philip. 3.

Prou. 30.

hanc

hanc iudicandam. Vt enim iumenta vti quidem possunt stabulo, stramento, fœno, tegumentis quibusdam, nec tamen hæc possident, cum ipsa potius possideantur ab hominibus, quia scilicet ratione carent, quæ est fundamentum dominij: sic religiosi singuli & cibo, & vestibus, & domo, reliquisque ad vitam necessariis vtuntur illi quidem, sed tamquam alienis, quorum vsu dumtaxat habeant, non autem eorum Domini sint. Eam enim vim habet paupertatis votum, quo religiosi rite se obstringunt, vt non magis, quam iumenta, de quibus diximus, habiles sint ad legitimum rerum dominium. Ex quo illud existit, quod adeo Cassianus in monachis suæ ætatis laudat, vt ne verbo quidem quispiam auderet suum aliquid dicere, magnúmque esset crimen ex ore monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, tunicam meam. Quæ igitur perfectior esse possit paupertas, aut quis altior sit gradus, quo ea ascendere possit? Quanta vero sit eius eminentia, ac splendor quidam, declarat primum ipsa difficultas, quæ tum ex rei ipsius natura cognoscitur, tum ex eo quod hoc gemmæ genus (sic enim appellanda est) tam rarum sit in terra. Hinc enim est illud eius encomium in Ecclesiastico, Beatus vir, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic? & laudabimus eum. fecit enim mirabilia in vita sua.

Lib. 4. cap. 13.

Eccl. 31.

Quasi enim inter homines nullus inueniri possit, ita quærit, Quis est hic? Et quidem Sapiens iste laudes tantas in eum congerit; qui aurum non desiderarit, eíque cumulando, & augendo non studuerit. Sed religiosi aliquid etiam amplius faciunt, qui scilicet, quod habent, insuper abiiciunt, séque ad eam, quam diximus, perfectissimam nuditatem redigunt. Itaque hoc etiam multo mirabilius est, quod isti faciunt in vita sua.

Sed erit hoc expressius, si cogitemus, quam multa sint, quæ hanc habendi cupiditatem incendunt, quos omnino quasi acerrimos hostes profligat, & vincit ista paupertas. Primum enim est in nobis, atque in natura nostra penitus insita propensio quædam ad multa habenda, cuius propensionis pondus recte Augustinus reuocat ad illam Dei similitudinem, quæ nobis ita impressa est, vt etiam peccando ab ea recedere non liceat. ex quo fit, vt, quoniam Deus omnia teneat, sic homo quamplurima habendo illum imitari velit. Hanc deinde auiditatem multo magis lacessit ipsa rerum, quas videmus, pulchritu-

2. Conf. cap. 6.

T 3

pulchritudo, fulgor auri, gemmarum nitor, species vestium pretiosarum, vel magnificarum ædium, & reliquorum eiusmodi. Accedunt multæ commoditates, quæ sine dubio nascuntur ex diuitijs, dum & incommoda vitæ aut omnia, aut pene omnia depellunt, & multam deliciarum, ac voluptatum copiam suppeditant, mensarum lautitia, hortorum amœnitate, supellectilis abundantia, omnique cetero luxu. Contra vero paupertas tum hæc omnia adimit, quæ molestia per se magna est, eoque maior, quod perpetua, tum vero quoddam etiam extremum vitæ periculum repræsentat, quippe quæ omnibus præsidijs orbata sit, quibus ea sustentatur. Itaque quantum vita amatur, cuius amori omnia cedunt, tantum hæc fere à natura reijcitur, ac repellitur. Accedit honor, cuius eadem hominis natura est auidissima. nihil est enim, quod magis ab hominibus honoretur, quam diuitiæ, nihil quod magis despiciatur, quam paupertas. Denique accedit communis quædam, & generalis opinio, qua à pueris omnes imbuimur, & in qua & domesticorum, & vulgi sermonibus, multoque magis moribus, confirmamur, nihil melius, nihilque beatius esse, quam redditus habere quam amplissimos, auroque, & argento, & his rebus omnibus affluere. Cuius igitur roboris, aut cuius constantiæ illum esse animum oportet, qui hæc omnia quibus natura adeo ducitur, ac trahitur, simul abijciat, & conculcet, & omnia contraria, quibus natura adeo abhorret, vltro complectatur? Optime hoc, & diuine B. Nilus antiquus Pater, qui ideo castitatis, & paupertatis excellentiam commendat, quoniam, inquit, pulchritudo, & diuitiæ æque appetantur, & vtriusque horum illecebris non irretiri fortis animi est. Sed qui institutum nihil possidendi ceperunt, multo maiori admiratione digni sunt, quippe quos opum æstimatio non traxit, nec mentem inanibus curis illigare voluerunt. Nam cum cetera sensui iucunda facile hominem inuitent, multo etiam magis hoc faciunt diuitiæ, quia ad voluptates, & honores magnopere accommodatæ sunt, & quod longa consuetudo insipientes docuit, beatos eos existimare, qui opulenti sunt, tum propter gloriam, & splendorem, tum propter voluptates, quibus fruuntur. Excellentes itaque putandi sunt, qui tamquam in palestra cogitationes illas vicerunt, quæ mentem impellunt ad assentiendum populari opinioni de amplectendis diuitijs, quasi veris bonis, quæque omnium sententia magni æstimandæ esse videantur. Hæc Nilus ad verbum.

In lib. ad Magnã,

bum. Itaque hoc ita constitutum esse debet, in hac voluntaria paupertate elucere magnopere eximiam quandam animi altitudinem, ac magnificentiam, qua se animus super omnia, quæ in hoc mundo sunt, longe efferat, eaque tanquam se inferiora despiciat. Atque hic mentis habitus tum per se admirandus, & in magno pretio habendus est, tum ob id quoque, quod omni indignitate eripit, quam eos perpeti necesse est, qui pecuniæ quærendæ student. De qua comparatione egregie Chrysostomus extrema in Matthæum homilia; Diuitem inquit, necesse est multis indigere, & turpiter seruire, formidare, & suspicari, & timere eorum, qui suspicantur, oculos, & calumniatorum ora, & auarorum concupiscentiam. At non paupertas: hæc enim regia est, non subiecta furibus, sed bene munita portus tranquillus, palestra, & gymnasium sapientiæ. Ac idem Chrysostomus alibi vberius. Si intueri volueris animam hominis aurum amantis, inuenies eam, vt vestimentum à decem millibus vermium corrosum, ita eã perforatam vndique à solicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine plenam. Verum haud talis est anima pauperis voluntarij, sed potius fulget vt aurum, splendet vt gemma, efflorescit vt rosa. Non est illic tinea, neque fur, neque solicitudo negotiorum huius vitæ, sed sicut Angelus, ita conuersatur. Non subiacet dæmonibus, non assistit Regi, sed assistit Deo, non militat cum hominibus, sed cum Angelis: non habet thesaurum terram, sed cœlum: non indiget seruis, magis autem habet seruos possessiones, & cogitationes, quæ rebus dominantur. Quid igitur hoc paupere melius? At non habet equos, & currum. Quid vero his opus est ei, qui super nube vehi debet, & esse cum Christo? Magna hæc sunt, quæ Chrysostomus de paupertate prædicat, sed multo maiora Sanctus Paulus vnica illo verbo complexus est, Nihil habentes, & omnia possidentes. Cui verbo si credamus (quis autem nisi impius non credat Apostolo?) nihil esse potest, quod maiorem habeat maiestatem, quam paupertas, quæ scilicet totius mundi possessionem sibi vendicet. Quæ enim diuitiæ, aut quæ regna ei comparentur? Nam regna, vt grandia sint, certa orbis parte definiuntur, paupertatis autem regnum nullis terminis clauditur, & eo ipso, quod nihil habet, omnia habet, omnia possidet. Totum enim positum est in animo, qui possidere non potest, nisi dominetur, non potest autem dominari, nisi sit superior. Itaque quanto superior, tanto verior dominus,

Ho. 47. in Matth.

2. Cor. 6.

ac possessor. At ij, qui diuites esse volunt, non possunt non amare ea, sine quibus esse nō possunt: quantum vero sit amoris, tantum etiam curæ, & solicitudinis, & denique seruitutis. contra autem animus ille, qui ista abiecit, non modo superior, sed etiam contemptor eorum est. Quare grauiter sane, & magnifice illa à Climacho scripta sunt, Pauperem monachum dominum esse mundi, & quia iactauit in Deum curam suam, possidere per fidem omnes gentes in seruos. Idēque addit, pauperem Dei famulum nullam rem amare vitiose, omnia enim, quæ habet, aut habere potest, reputat quasi non sint, & si recedere contingat, æstimat vt stercora.

Gradu. 17.

Quo eodem sensu egregie Bernardus, vt semper, quod ab Vnigenito, vt ipse loquitur, dictum est, Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, idem omnibus quoque eius fratribus ait esse commune, quibus omnia non solum adiiciuntur, sed etiam subiiciuntur, si modo terrenis rebus spoliari ac super illas altius elati fuerint. Quod si ita est, inquit, non putent diuites huius seculi, fratres Christi sola possidere cœlestia, quia audiunt dicentem, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non eos, inquam, æstiment sola cœlestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione. Possident & terrena, & quidem tamquam nihil habentes, & omnia possidentes, eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus diuitiarum est. Totus plane, quia tam aduersa tam prospera ipsius, æque omnia seruiunt ei, & cooperantur in bonum. Ergo auarus terrena esurit vt mendicus, fidelis contemnit vt dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo seruat. Hæc Bernardus, quibus nihil vel elegantius, vel verius dici potuit.

Ser. 21. Cant.

Matt. 5.

Verum hoc quoque ad paupertatis huius gloriam magnopere pertinet, quod in terrenis diuitiis nemo est ita instructus, & copiosus, vt non ei aliquid interdum desit, aut certe deesse possit. pauperi autem euangelico quomodo necessaria deesse possunt, quem diuina prouidentia tuendum, alendumque suscepit? Habemus hoc quoque ex psalmo: Diuites, inquit, eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Itaque Chrysostomus homilia quadam hoc etiam inter commoda religiosæ vitæ in primis commemorat. Deo, inquit, pascente, non est opus non esse solicitos. Nam quemadmodum si Rex promiserit quotidianum victum ex cellariis suis

Psal. 33.

Hom. 57. ad pop.

suis se præbiturum, iam in futurum confidis; multo magis, cum Deus præbeat, & omnia tibi tamquam ex fonte fluant, conuenit te ab omni cura, & solicitudine solutum esse. Si autem pascit omnem carnem, multo magis sibi dicatos. Atque hoc quidem, quod ait Chrysostomus, eiusmodi est, vt omnium iudicio, non ad vtilitatem modo, & ad animi tranquillitatem referri oporteat, sed etiam ad hanc, de qua agimus, nobilitatem, & gloriam paupertatis. Quæ enim gloria talem habere nostri victus quasi œconomum, & procuratorem, qui Angelis in cœlo præsidet & sub quo curuantur, qui portant orbem? Sed nihil adeo statum hunc nobilitauit, quam exemplum filij Dei, qui, vt ait Apostolus, cum diues esset, factus est pro nobis egenus, atque etiam mendicus. Ipsius enim est vox illa in psalmo verius quam Dauidis regis, Ego sum mendicus, & pauper. Nam & tenuem matrem, & eum qui pater putabatur, fabrum habere voluit, ac ne in hominum quidem domo nasci, sed in stabulo, eoque alieno: totam autem ætatem sic egit, vt quemadmodum ipse contestatus est, cum vulpes foueas habeant, & volucres cæli nidos, ipse nec haberet vbi caput reclinaret. denique non puduit eum, in cuius manu erant omnes fines terræ, aliorum eleemosynis suam, suorumque vitam sustentare. Quid ergo amplius quærimus? Nam neque Dei Verbum, Deique sapientia, & Deus ipse, statū talem elegisset, nisi & nobilem, & Deo dignum cognouisset & certe, vt antea esset infimus, & abiectissimus, tamen vel solo ipsius exemplo illustrari, & in summum honorem adduci potuit. Saluatoris vero exemplum sequuti sunt & Apostoli. Quid enim aliud discerent in illa schola? aut cur non libenter imitarentur discipuli magistrum, serui dominum? Itaque vnus ex illis, & quidem omnium princeps, palam professus hanc auream paupertatem dicebat, Aurum, & argentum non est mihi. Alter etiam de se ipso, In fame, & siti, in frigore, & nuditate: & de reliquis Apostolis, Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus. Denique omnibus illa formula ab ipso Domino præscripta est, Nolite possidere aurū, neque argentum, neque duas tunicas. Itaque tum horum, tum præcipue Christi, eiusque Matris quæ cœlorum Regina est, exemplo ita honorata est hæc sancta paupertas, vt eam religiosi quique non modo adamarint tamquā vtilem, sed etiā coluerint tamquam diuinum quiddam. Quo animo fuit Isaac ille, quem narrat Gregorius, cum multæ possessiones

[Margin notes: Iob 9. — 2. Cor 8. — Psa. 39. — Mat. 8. — Act. 3. — 2. Co. 11. — 2 Co. 4. — Luc. 9. — 3. Dial. cap. 14.]

pro monasterij vsu offerrentur, numquam induci potuisse, vt eas admitteret; quoniam, vt ille ait, sic metueret paupertatis suæ securitatem perdere, vt auari solent perituras diuitias custodire. Idem pene de Clara virgine, & multarum virginum matre legimus apud Antonnium, & alios, quæ aliarũ quidem omnium, sed huius præcipue virtutis amore exarsit, de qua hoc suis sororibus prædicare solebat, tum demum suum illud Collegium stabile, ac firmum futurum, si propugnaculis, ac mœnibus paupertatis quam maxime muniretur. Quin etiam cum ab Innocentio IIII. priuilegium, vt illa appellabat, paupertatis perpetuum supplex precata esset, delectatus Pontifex noua illa priuilegij formula, cuiusmodi numquam ab Apostolica sede ad eam diem postulatum affirmabat, non solum concessit, sed cum incredibili voluptate totum propria manu ipse conscripsit. Nec mirum, tantum fuisse in Virgine ista huius virtutis studium. Fuerat enim Francisci alumna, qui non solum paupertatis commodis libentissime fruebatur, sed eam ita honorabat, & colebat, quasi rem eximiam, & cui nulla humana digni-tas posset comparari. Itaque, vt Bonauentura scribit, eam in omni sermone modo matrem, modo sponsam, modo dominam appellabat, sæpe etiam reginam, propterea quod in Rege Regum, eiusque Genitrice, adeo insigniter effulsisset. Quam ob causam cum mendicum quempiam pauperiorem aspiceret, quam ipse esset, ita sancta quadam inuidia commoueri solebat, ac si in re magna, multumque expetenda vinci se videret. Insuper etiam cum ad principum hominum mensas inuitaretur, non ante eas adisset, quam aliquot panis frustra per viciniam mendicasset, quæ deinde in mensa cum gaudio exponebat. Qua de re cum aliquando Cardinalis Hostiensis, is qui postea fuit Honorius Pontifex, amanter cum eo questus esset, quasi nonnullam iniuriã domui suæ fecisset, respondit ille, Immo vero magnum tibi ipsi honorem detuli, dum maiorem, quam tu sis, dominum honoraui. Mihi vero certum est, dignitatem hanc regiam, quam pro nobis Dominus Iesus egenus factus assumpsit, nullo modo relinquere pro vsu falsarum diuitiarum ad breuissimum tempus concesso. Hunc vero B. Francisci sensum nihil dubitandum est quin alij quoque omnes sancti viri habuerint. neque enim sancti esse potuerunt, nisi mundo contempto, nec mundum contemnere, nisi hac certa opinione, iudicioque adducti. Inter quos videamus quid dicat magnus ille Nazianze-

In vita S. Francisci.

Nazianzenus, vtque hoc ipso glorietur. Sed paupertatem, inquit, & inopiam exprobrabũt. At istæ sunt diuitiæ meæ. Hæc me non solùm gloriantem, sed & arrogantem facit. Videntur enim mihi inimici, dum hoc obiiciunt, id obiicere, quod in vestigiis illius incedam, qui propter nos inops factus est, cùm esset diues. Atque vtinam exuere me possem panniculis istis, quibus circundari videor, vt nudus effugerem spinas seculi, quæ retinent, & reuocant pergentes ad Deum. *in Apol.*

Quid autem mirandum est in Euangelij luce ita paupertatem enitere, cum etiam in infidelitatis tenebris tantopere emicuerit? Nam etsi paupertas illa, quam vel conditio vel necessitas attulisset, odiosa semper fuit, & despicabilis, voluntariam tamen paupertatem, & ipsam, & eos, in quibus fuit, omnes semper gentes, ac nationes magnopere suspexerunt. Aristides vir summus Athenis in tanta viuebat egestate, vt in attrita lacernula incederet, frigúsque, & famem sæpè domi pateretur. Quare cum Callias quidam propinquus eius, homo ditissimus causam diceret, inter alia obiectum est ei ab accusatoribus, quod Aristidem tantum hominem non releuaret. Quo reus cum iudices offensos ex eorum admurmuratione sensisset, ipsum adiit Aristidem, obsecrans vt in iudicio testificaretur quam multa, & quam sæpè à se illi oblata fuissent, quibus ille semper remiserat, cum diceret magis se sua tenuitate, quam Calliam tantis diuitiis, gloriari. Nam qui pecuniam, qua abundent, in paruos vsus conferant, passim reperiri; qui paupertatem generose ferant, esse paucissimos: esse autem paupertatem iis tantum dedecori, qui inuiti essent pauperes. Quæ cum Aristides coram iudicibus cum summa autoritate affirmasset, nemo ex illo concilio non ita discessit, vt magis Aristidi talem inopiam, quam Calliæ suas opes inuideret. Nota est etiam, multisque rebus nobilitata tum Diogenis egestas, ad cuius dolium reges ipsi accedebant, tum aliorum plurium philosophorum, vt Cratetis, quem narrat Nazianzenus, relictis possessionibus suis, ad aucupandam ex eo facto gloriam, in editum locum ascendisse, & publice proclamasse, Crates Cratetem libertate donat; quod non fecisset, nisi & in eius animo, & in omnium aliorum insitum fuisset, vt sponte pauperem esse, rem putarent gloriosissimã. Tractat hunc locum diserte etiam Chrysostomus secundo libro aduersus vituperatores vitæ monasticæ, quem librum totum instituit ad gentiles, & ethnicos, neque in eo aliis rationibus vtitur, quam quæ naturali lumine *Ora. 30.*

mine

mine comprehendi poſſunt. Comparat autem Platonem cum Dionyſio, Socratem cum Archelao, Diogenem cum Alexandro, quos omnes glorioſiores effecerit paupertas, quam illos ipſa regna. Narrat etiam de Thebano Epaminonda, qui in concionem vocatus, cum venire non potuiſſet, quia veſtem lauerat, nec aliam haberet, omnibus qui eo venerant principibus viris inſignior, & ſpectatior fuit. Ex quibus effici vult Chryſoſtomus etiam naturali ratione, non modo euangelij teſtimonio, religioſæ paupertatis cognoſci præſtantiam.

Quæ quidem omnia ſi vera ſunt, quid aliud reſtat, niſi vt hoc etiam fateamur, paupertatem hanc ne paupertatem quidem eſſe, ſed diuitias veriores, & maiores, quàm omnes Regum gazas, & theſauros? Nam qui iſta poſſident, eorum potius arcas diuites eſſe dicemus, non ipſos, cum ſcilicet eorum animi bonis vacui ſint, itaque ſemper cupidi, ac ſi parum vel nihil haberent. Quamobrem & de his falſo appellatis diuitibus, & de illis euangelicis pauperibus illud ſcriptũ *Prou. 13.* eſſe videmus in prouerbiis, Eſt quaſi diues, cum nihil habeat, *Hom. 15. Euang.* & eſt quaſi pauper cum in multis diuitiis ſit. Ob hanc etiam cauſam rectè adnotat Gregorius terrenas haſce diuitias non ſimpliciter, ſed fallaces diuitias à Domino eſſe appellatas. Fallaces enim, inquit, ſunt quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt: fallaces ſunt quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. Solæ autem diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Atque Ambroſius etiam, qua ſolet vbertate, hoc ipſum argumentum tractans, ſapientem ſola ſapien- *Lib. 3. Epi. 1.* tia diuitẽ eſſe, hæc ſcribit, Verè diues, qui in conſpectu Dei poteſt diues videri, in cuius conſpectu terra exigua, mundus ipſe anguſtus eſt; ſed ſolum illum Deus diuitem nouit, qui ſit diues æternitate, qui non opum, ſed virtutum fructus recondat. Nonne tibi videtur diues, qui habet pacem animi, tranquillitatem, quietem, vt nihil concupiſcat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera faſtidiat, nec noua *Phil. 4.* quærat, & ſemper deſiderando fiat in ſummis diuitiis inops? Ea eſt pax verè diues, quæ ſuperat omnem ſenſum. Hæc ergo eſt religioſæ paupertatis dignitas, hic ſplendor, cui, ſi ſapiant, omnes huius mundi diuites, ipſique principes inuidere debeant.

Poſtremo illud etiam breuiter hoc loco attingendum eſt, vt intelligatur, duplicem eſſe huius paupertatis religioſæ formam, vtrámque præſtantem, vtrámque in euangelica perfectione

perfectione eminentem, alteram, qui nihil omnino nec cõmuniter, nec priuatim possidetur, quam Sanctus primum Franciscus, eiusque exemplo permotus Dominicus, deinde alij complures tenuere: alteram, qua in commune tantum necessarij reditus possidentur, sed nihil priuatim; qua quidem forma veteres omnes patres vsos esse constat vt Benedictum, Bernardum, Brunonem, & his omnibus antiquiorem Basilium, quorum familiæ non solùm annua vectigalia habuerunt, sed tam opulenta habuerunt, quàm adhuc eorum reliquiæ, & quasi fragmenta testantur, vt certè de solo suo Ordine non dubitaret Tritemius affirmare, si omnes ei suæ possessiones manerint, futurum sine dubio, vt Sanctus Benedictus (sic enim loquitur) tertiam Christiani orbis partem possideret. Quod nemo mirabitur si temporum illorum pietatem attendat, ex qua illa liberalitas in Deum, Deique famulos existebat. Itaque Reges ipsi, ac principes gloriosum sibi ducebant in suis fundis, ac patrimoniis amplissima, excitare cœnobia, eaque vberrimis vectigalibus stabilire: & prætereaa si qui diuites in ipsos religiosos ordines ingrediebantur (multi autem ingrediebantur) suas secum diuitias deferebant, nec erat qui contradiceret, aut litigaret, quin potius vltro fauebant, & iuuabant omnes. Quamobrem illud in vita Placidi legimus de B. Benedicto, morem ei fuisse, vt bona, quæ monachorum suorum fuerant, non sineret alio deriuari, vt inde multos Dei seruos alere posset. Quare ipsius Placidi, vt alios omittamus, tantas ferunt fuisse possessiones, vt præter alia, magnam Siciliæ partem solus obtineret; quod adhuc testatur earum index, qui extat, tam grandis, vt legentes obstupescamus: de quo etiam Bernardus epistola quadam, Ostenditur, inquit, terra, quæ cum illo, & pro illo dicitur data fuisse. Quod quidem Augustinum quoque seruasse ipsemet ostendit in epistola ad sanctimoniales quasdam, vbi eas monet, vt quæ aliquid habebant in seculo, id deinde in monasterio velint omnibus esse commune. Vnde etiam nata est Iustiniani Imp. Constitutio, qua iubet vt eorum bona, qui monachi fiunt, eo ipso ad eorum monasteria pertineant. Ex quo apparet genus hoc paupertatis, cùm à tot antiquis patribus sanctitate, & sapientia insignibus ita vsurpatum sit, vt ne aliud quidem eo tempore in vsu esset, non modo nihil imperfectionis continere, sed & perfectissimum, & commodissimum ab ipsis existimatum esse. Confirmat hoc quoque grauissimus theologorum S. Thomas, qui

1. de vir. ill. cap. 2.

Epi. 1.
Epi. 109.

In auth. Coll. 1. const. 1. §. illud & coll. 9. Const. 15. § si qua.

3. con. gen. cap. 135. & 2. 2. quæst. 188. art. 7. qui cum hanc ipsam quæstionem his verbis proposuisset, An aliquid in communi habere diminuat perfectionem religionis, apertè respondet non minuere: immo verò fieri etiam posse, vt sit id melius, & conuenientius. Atque in hoc quidem reliqui etiam theologi cōsentiunt. Totum enim, vt diximus, in eo positum est, vt nihil priuatum, & singulare habeatur, licet deinde sit aliquid cōmune, ex quo iuxta formam apostolicam diuidatur singulis prout cuique opus est. *Act. 4.* Hoc enim *Ep. 22.* ipsum institutum est, quod tantopere à S. Hieronymo in monachis suæ ætatis commendatur, cum ita ait. Non licet dicere cuiquam, Tunicam, & sagum, textáque iuncis strata non habeo. Præfectus omnium ita vniuersa partitur, vt nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio refouetur, vt nec delicias vrbium, nec matris quærat affectum.

De præstantia religiosæ castitatis.

CAPVT IIII.

PAupertatis laudem, de qua tam multa diximus, cumulat Religio etiam accessione Castitatis, cuius laus eo maior est, quo corpus nostrum & per se præstantius, & nobis etiam *Sap. 4.* carius, quam res omnes externæ. Itaque merito eam commendat Scriptura cum quadam admiratione, O quam pulchra, inquit, est casta generatio cum claritate. Pulchritudinem, & claritatem tribuit illi hominum generi, qui castitatem colunt, quod in eo statu nescio quid non decorum modo, atque formosum, sed certè diuinum, maiúsque quàm humanum eniteat. Quod quo melius appareat, cogitanda sunt illa naturæ nostræ principia, de quibus admodū doctè philosophatur Basilius in eo libro, quem scripsit de vera virginitate, cuius exordium ex hoc ipso ducit, vt ostendat, Deum opt. max. cum terrarum orbem animantibus replere instituisset, non id egisse, vt ipse singula de nihilo procrearet, sed paucis ex vnoquoque genere procreatis, ex eo quasi seminario omnia genera propagari voluisse Quam deinde ob causam, ne in tali, támque necessario opere cessatio vlla contingeret, cum duplicem sexum distinxisset, vtrique sexui inseruisse vehementiorem quendam appetitum coniunctionis, generandi causa; neque id brutis tantum, sed etiam hominibus, qui quidem, quod ad generandi rationem attinet, nihil ferme à brutis differunt. Illud etiam in homine præcipuum

puum est,quod cum fœmina de viri latere sumpta sit,hanc quidem Deus tamquam partem suo toti obedientem, subiectámque esse:illum autem precipuo quodam affectu hanc diligere,eiúsque congressum expetere voluit, quasi partem à se præcisam repetere gestiat,rursumque sibi adiungere. Sic igitur ex vno duos, & rursum ex duobus vnum sapienter molitum,vt essent duo in carne vna. Verum,quo eos etiam arctius deuinceret, fœminæ constitutionem effinxisse ita mollem,illecebrísque plenam, aspectu,tactu,sermone, motúque ipso, nempe vt virum acrioribus quibusdam stimulis ad fœtus serendos incitaret, simul etiam ipsius imbecillitati consuleret,quæ cum se ipsa tueri non posset,virísque ope indigeret,ita à Deo vtrumque temperatum esse, vt & muliebris infirmitas virili robore fulciretur, & rursum virile hoc robur,occulta quadam vi, qualis est in magnete ad trahendum ferrum, quasi constrictum, & captiuum ei dederetur. Hæc Basilius de hominis natura, vt quidem est à Deo condita, atque ex ipsius Dei consilio instituta. Quid igitur erit,si vulnus illud originalis peccati, illámque communem infirmitatem generalémque corruptelam adiungamus? intelligendum enim est illud, quod verè scripsit Bernardus, etiamsi cetera quoq; humani corporis membra additamentum illud Leuiathan,vt ipse appellat,venenum scilicet cõcupiscentiæ, & inordinatæ voluptatis stimulus peruaserit, in hac tamen parte vehemẽtius ipsum sæuire,& violentius malignari,cuius videlicet contumacia,ac rebellio, etiã contra omnẽ voluntatis deliberationẽ sæpè incitetur:quã ille tuisse causam existimat,cur circũcisio,quod erat apud Iudęos originalis peccati remedium, illa potissimum in corporis parte esset instituta.Quamobrẽ cum tanta sit in hoc morbi genere tum morbi ipsius vis,tum verò infirmitas nostra,addo etiam cum dæmonis impetus hoc loco, quasi minime omniũ munito,tam acerbi,& importuni esse soleant, cum tanta prælia, tantæ difficultates hic existant,qualẽ esse oportet eam virtutem,qualem animi firmitatẽ,quæ hæc omnia sustineat, atq; etiam vincat? Maiorem ergo aliquam vim esse necesse est, quæ vis non ex naturæ principiis in nos proficiscitur, ac nę nostro quidem studio solo cõparari potest, sed demittitur è cœlo;quod Sapiens ipse profitetur,cum dicit,Sciui quoniam aliter non possem esse cõtinens,nisi Deus det.Quam ob causam Basilius in libro eodem hoc docet,coniugium quidẽ naturale esse,castitatem autem excellens nescio quid, & supra naturam,

Ser. 2. Circunc.

Sap. 8.

naturam,ſupráque legem,ideóque nuſquam à Domino imperatam non modo in veteri,ſed neque in nouo teſtamento, quia tantæ virtutis meritum non præcepti neceſſitati ſubiici voluerit,ſed egregij, & ſingularis animi ſpecimen exiſtere, qui ſpôte ſua,nullius imperij neceſſitate coactus id exequatur, quod ſupra omnem humanæ naturæ modum eſt. Rectè

Gradu. 15. etiã Climachus,tum alia multa de caſtitate, quàm ille odoriferam vocat, tum illa inprimis, eſſe ſupernaturalem, &glorioſam quandam naturæ abnegationem, cuius beneficio mortale hoc, & corruptibile corpus, mirabili modo, quàm maximè accedit ad mentes illas corporis totius expertes. Neminem autem, qui caſtimoniam teneat,ſuis eam meritis, ac ſtudiis tribuere debere. Nam propriam vincere naturam, non breue,aut leue opus eſſe;quin potius,vbi victoria de natura habetur, agnoſcendam eſſe virtutem, ac potentiam aliquam ſuperiorem, quia nihil niſi à maiori vincitur. Ex his igitur, ſi recte cogitemus,tantam eſſe cognoſcemus cõtinentiæ excellentiam, vt nihil ſit, quo vel etiam corpus ipſum propius accedat ad illius vitæ ſtatum, quam beati in cœlo poſt reſurrectionem viuent; in qua verum quidem corpus, & vera erit caro, ſed incorrupta, & ſpiritualis, & longiſſime diſtans ab iſta ignobili qualitate, quam Paulus

1. Cor. 15. Apoſtolus animalem vocat, cuius & aliæ functiones communes ſunt cum belluis, & hæc præcipue generandi. Itaque hoc illud bonum eſt, quod duobus verbis complexus eſt

Matth. 22. Saluator,cum dixit, Neque nubent,neque nubentur. Igitur qui hoc iam faciunt in terra,quique iam nunc carnem ſuam in ſanctificatione poſſidere ſtudent, ne vlla eiuſmodi re polluatur, quam maxime cœleſtem illam dignitatem imitantur;quod indicat Cyprianus, cum ita virgines Deo ſacratas alloquitur, Quod futuri ſumus,vos iam eſſe cœpiſtis, vos reſurrectionis gloriam in hoc ſeculo iam tenetis, per ſeculum ſine ſeculi cogitatione tranſitis; cum caſtæ perſeueratis, ac

De hab. virg. virgines, Angelis Dei eſtis æquales.Quod poſtremũ Cypriani dictum de Angelorum æqualitate maiorem etiam quendam huius virtutis honorem exprimit,quę ita in corpore degere nos docet,ac ſi ſine corpore eſſem', vt ſunt Angeli Neque enim tam ignobile eſt carnem habere, quam carni obedire,& ad eius imperium abiici. Quare qui ita ſpiritu viuunt, vt carnis deſideria non perficiant, ſed potius eius facta con-

Lib. 2. de virg. ſtanter mortificant,hi nimirum idem efficiunt,quod ſpiritus illi, qui carnem omnino non habent. Quamobrem illa præclare,

clare, nec minus vere ab Ambrosio de cœlibe vita conscripta sunt, Quis humano eam posset ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra vsum naturæ sit? è cœlo accersiuit, quod imitaretur in terris. Nec immerito viuendi sibi vsum quæsiuit è cœlo, quæ sponsum sibi inuenit in cœlo. Hæc nubes, aera, Angelos, syderáque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit, & toto hausit pectore. Nam quis tantum cum inuenerit relinquat boni? Postremo non meum est illud, Quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Eadē pene dicit etiam Cassianus, nec minus diserte: Quodammodo, inquit, exire de carne est, in carne commorantem; & vltra naturam est fragili carne circūdatum, carnis aculeos non sentire. Et idcirco impossibile est, hominem suis, vt ita dixerim, pennis ad tam præcelsum, cœlestémque præmium subuolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere eduxerit castitatis. Nulla etenim virtute tam proprie carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conuersationis æquantur, quam merito, & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundum Apostolum, municipatum in cœlis, quod deposita corruptela carnali habituros sanctos promittitur in futurum, hic iam in carne fragili possidentes. Addamus huc etiam Nazianzenum tantum theologum, qui de hoc eodem ita disserit. Videtis, inquit, rei huius præstantiam, atque sublimitatem: propemodum enim talis reperitur, vt concipi, comprehendíque prorsus nequeat. An non enim præstantius est quam pro carnis fragilitate, id quod ex carne creatum sit, in carnem non gignere? An non plane angelicum, eam, quæ carnis vinculis alligata sit, non secundum carnem viuere, sed natura excelsiorem esse? Caro cum mundo deuinxit, sed ratio ad Deum subuexit. Caro depressit, sed ratio extulit, eíque velut pennas addidit. Caro vinculis astrinxit, sed amor soluit. Igitur nisi plane cœci esse volumus, sed potius recto iudicio vti, quæ maior videri potest dignitas, quam Castitatis, quæ non dicā regibus, ac dynastis, quod homines tanti æstimant, sed illis supernis principibus, ac potestatibus non exæquet? Bernardus autem plus etiam audet, affirmans aliqua ex parte maiorem esse hominis casti, quam Angeli laudem; quod ille ita probat, vt nulli dubiū relinquat: Quid castitate, inquit, decori*,

Lib. 6. c.

Homi. in Matth. Cum cō-summasset Iesus.

Epist. 42.

quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit? Differt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco, & tempore, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur, præbens quodammodo in terris cœlestis iam illius conuer-
1. The. 4. sationis experientiam. Vas interim fragile, quod portamus in quo & crebro periclitamur, tenet castitas (vt monet Apostolus) in sanctificationem, & instar odoriferi balsami, quo condita cadauera incorrupta seruantur. Sensus ipsa, & artus continet, & constringit, ne dissoluantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant, quemadmodum legitur de quibusdam, quia computrue-
Ioel. 1. runt vt iumenta in stercore suo. His Bernardi dictis consentiunt etiam quæ à Chrysostomo in eandem sententiam dicuntur. Qua re, inquit, differebant ab Angelis Helyas, He-
De Virg. cap. 79. lyseus, Ioannes, veræ amatores integritatis? Nulla, nisi quod mortali natura constabant. Nam de cetero si quis diligenter inquirat, hi nihilo aliter affecti reperientur, quam beati illi spiritus, & idipsum, quo inferiore videntur esse cōditione, in magna est eorum laude ponendum. Vt enim terrarum incolæ, & ij qui essent mortali natura, possent ad illam virtutem vi, & studio peruenire, vide quanta eos fortitudine, quanta vitæ ratione præditos fuisse oporteat. Possumus his Basilium quoque addere, qui de hoc eodem argumento, in libro de virginitate, ita disserit. Et hi profecto, qui continentiam seruant, Angeli sunt, qui viuentes in carne corruptibili, mortalium vitam illustrando tuentur. Sunt autem Angeli non ex infimo quouis ordine, sed certe illustrissimi, ac nobilissimi. Illi enim carneis nexibus liberi integritatem suam in cœlis seruant, & loco, & natura inuiolabiles, & apud summum regem omnium Deum constituti. At vero illi in terra carnis illecebris, & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetua exercitatione vincentes, incorruptionem angelicæ puritati parem, virtute præcipua ante Creatoris oculos custodierunt.

Hactenus hi sancti Patres pudicitiam, & castitatem ad Angelorum vsque dignitatem extulerunt. Sed fuere, qui eam altius etiam prouexerint, & diuinæ ipsi puritati proxi-

mam

mam fecerint:vt Climachus,qui nõ dubitauit dicere, Castitatem esse similitudinem Dei, quantum quidem fas sit homini; ac quemadmodum Deus incorruptibilis sit, & incorporeus ita integritate, & incorruptione delectari, dæmonibus autem contraplacere turpitudinem.nec defuisse sapiẽtes, qui dicerent, nullo alio peccato eos ita gaudere. Grauissime vero Basilius. Magnum quiddam inquit, re vera, ac præclarum est virginitas, quæ, vt omnia vno verbo complectar, hominem incorruptibili Deo simillimũ facit. Hæc autem profecto non à corporibus ad animas manat,sed cum animæ propria sit,eius integritate,quæ pretiosissima est,corpora quoque incorrupta seruantur. Anima enim veri boni desiderio,imaginéque suscepta ad bonum illud,veluti penna quadam, pudicitiæ sanctitate subuehitur, ac simile simili,id est, incorruptibilem Deum incorruptibili puritate colere studens, corporis munditiam ad summi illius boni obsequium, quasi ancillam, deducit. Sic autem fidelis anima se ipsam ab omni labe puram, immaculatámque custodiens ad id prouehitur, vt similitudinem Dei in se velut in speculo mundissimo, ipso Deo iam gratiis suis in morem suauissimi radij influente, speciem, & laudem suam consequatur. Quid igitur maius, aut illustrius de Castitatis præstantia dici potest, quam hoc, quod nos è nostro limo, & è nostro puluere ad illos Angelorum thronos, neque Angelorum modo, sed ipsius quoque Dei similitudinem excitet? Quid admirabitur homo, & hoc non admiratur? Quam vero dignitatem præ hac dignitate non potius abiectam, & sordidam iudicabit? Hoc illud est bonum tantum, támque à natura humana desideratum, vt antiquus ille serpens nihil aptius repererit ad primos parentes nostros illiciendos, quam promittendo, Eritis sicut Dij. Sed quod illis falso promissum est ab eo, qui præstare non poterat, & ea via,qua præstari non poterat, hoc nos per castitatem vere tenemus, solidéque possidemus, & quidem eo magis possidemus, quo ipsa castitas in nobis fuerit perfectior.

Gradu. 15.

De vera virg.

Genes. 3.

Quoniam igitur perspicuum est religiosa castitas quam præstans sit ipso genere illud etiam videndum est, quam excellat gradu:vt aurum,quod non solum genere differt à reliquis metallis inferioribus, sed etiam quoddam est,quod cetero auro certis gradibus antecellat. Quod clarius apparebit, si quædam de castitatis natura proponamus. Nam quod in rebus omnibus vsu venire videmus, vt quo quæque pul-

chrior, candidior, vel nitidior sit, eo quæuis macula turpior sit, ac deformior, idem est in castitate, & quidem ita, vt nulla sit virtus, si ita dicendum est, tenerior, aut fragilior. Recte enim Aegidius ille, vnus ex primis, & præcipuis S. Francisci sociis, hanc, vt accepimus, comparare solebat nitido cuipiã speculo, quod vel leui afflatu aut anhelitu inficiatur. Alij etiam illecebras istas similes esse flammæ dixerunt, quicquid contigerit, vestigium in eo relinquit, maius, aut minus, pro moræ spatio, semper tamen aliquod. Quod cum ita sit, nihil inimicius esse potest castitati, quam vt in eo loco relinquatur, vbi multis pugnis, ac præliis exposita sit, vt certe est in seculo: inter quæ prælia illud euenit, quod Cassianus non ex suo solum, sed omnium etiam, vt ille ait, seniorum iudicio scripto reliquit, necessarium esse, vt vnusquisque in colluctatione positus quamuis frequẽter aduersarium vincat, & ipse tamen aliquando turbetur, ac saucietur. Contra vero ea castitas, quæ religionis septis quasi munimento quodam conclusa sit, ita se longe ab omni rerum istarum periculo recepit, vt vel inimicorum tela ad eam non perueniant, vel certe iam languida & sine ictu perueniant. Quin etiam multa ei ex religiosa disciplina suppeditant ad se tuendam præsidia: & in primis ipsa victus parsimonia, ac tenuitas, quam vel necessario paupertas affert. Verum enim est quod testatur Hyeronymus, optimus auctor: Difficile, inquit, inter epulas seruatur pudicitia. Habet etiam illud antidotum, quod est apud eundem Hieronymum in epistola ad Rusticum, Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Vbi enim tum hæc, tum cetearum rerum bonarum meditatio acrius viget? Accedunt etiam duo illa omnium maxima, humilitas, & obedientia quæ ita sunt intrinseca huic statui, vtrumque autem tam præsens, & efficax remedium huius morbi, vt nullum aliud aptius, & salubrius humano generi datum à Deo sit. De altero enim ita scriptum est à S. Bernardo super illud Saluatoris dictum, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Hanc inquit, ego terram corpus nostrum intelligo, quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est, vt sit ipsa mitis, & superiori suo subiecta, quonia tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Et ideo nouerit anima, quæ rebellem sibi inueniet carnem suam, se quoque minus, quam oporteat, superioribus potestatibus esse subiectam. De humilitate autem tum alibi sæpe Gregorius, tum præcipue in libris

Libr. 6. cap. 4.

Epi. 47.

Epi. 4.

Serm. 1. omnium sanct.

libris Moralibus. Per humilitatis custodiam seruanda est munditia castitatis. Si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non leuatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit iura legitimæ seruitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, iure & à subiecta carne prælium suscipit. Vnde & ille primus inobediens, mox ac superbiendo peccauit, pudenda contexit: quia enim contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis inuenit; & qui auctori suo subditus esse noluit, ius carnis subditæ, quam regebat, amisit. His igitur armis, aliisque eiusmodi tuetur religio hunc pulcherrimum castitatis florem, non solum perfectissime, sed etiam facillime, ac suauissime, neque tam ieiuniorum rigore, aut vigiliarum, vel verberum asperitate (etsi hæc etiam, cum opus est, adhibet) quam illis, quas dixi, virtutibus, quarum propria sedes est religio, & illa, quam dixi, cautione, atque custodia. Quibus præsidiis munita castitas ita semper tota hominis vita, facile, ac nullo ferme negotio conseruari potest, vt nulla vmquam vel minima labe aspergatur, & ab omnibus semper maculis ita intacta permaneat, vt & corpus castum, integrum, impollutum, &, quod caput est, animus ipse durus, candidus, & incontaminatus perduret. Qua quidem re, & quo diuino dono quod præstantius esse potest donum in hac vita tam fragili, & lubrica? Nam cum id per se maximum est, tum etiam hac re dignitas eius augetur, quod adeo rarum est, adeóque paucis concessum. Etenim cum ceteri concupiscentiæ ardore, quasi in fornace carnis huius, exæstuent, ij quidem quibus hoc è cœlo datum est, in ipsa eadem fornace, vt quondam tres illi pueri, atque ipsi quoque Angelorum comitatu, quibus hæc virtus familiaris, & amica est, adiuncto, non modo ignes illos libidinum non sentiunt, sed sentiunt ventum roris flantem, qui ardorem illum ita generalem, itaque flagrantem adeo refrigeret, vt nihil illis vel facilius, vel etiã iucundius castitate videatur.

Libr. 26. cap. 13.

Dan. 3.

Verum hoc quoque ad dignitatis cumulum accedit in religioso, quod simul ac ista virtus perpetuo, solemníque voto obstricta est, ita facultas omnis non modo ceteræ omnis turpitudinis, sed etiam ipsius coniugij penitus præscinditur, vt perinde ac si cum mortuo contrahatur, ita irritum, nullúmque sit. Quod quidem, vt dixi, magnum est religiosæ castitatis ornamentum: quoniam si ab eius voluptatis fœditate

abeſſe laudabile eſt, certe quo longius abiis, eo laudabilius & glorioſius. Non poteſt autem magis quiſpiam abeſſe, quam qui eo ſe ſtatu deuinxit, vt etiamſi velit, non poſſit. Nam quod iure, & legitime non poſſumus, id vere non poſ-
Mat.19. ſumus. Itaque hoc illud eſt, quod Dominus in Euangelio declarare voluit Eunuchorum nomine, eorum quos neque natura, neque hominum manus, ſed ipſi ſe propter Dei regnum tales ſponte effeciſſent. Quod quoniam nemo ita ſtultus, atque ineptus ſit, vt de corporis exſectione intelligat, reſtat vt de voluntaria continentia accipiatur: neque tamen de ſimplici quauis continentia, ſed ea, quæ non actum modo, ſed poteſtatem etiam actus, idque in perpetuum præcidit. Indicant hoc Domini verba. Non enim ait, Qui ſe aſſidue caſtrant, quod ij facerent, qui ſibi vim inferentes animi deliberatione durarent in caſtitate, ſed, Qui ſe caſtrauerunt: quaſi hos deſcribat, qui ſemel voto emiſſo, omnem ſibi deinceps potentiam ad illos actus eripuerunt. Hoc ergo quam amplum, quamque præclarum ſit, diuine declarat Iſaias Propheta, qui totus in futuri Euangelij ſplendore cõtuendo, inter cetera hoc quoque ita commendat. Non dicat,
Eſa.56. inquit, Eunuchus, ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. Qui igitur alij ſunt hi Eunuchi, quibus hæc dicta, & promiſſa ſut, quam religioſi? Hi enim Domini ſabbata cuſtodiunt, qui ab omnibus terrenis negotiis & operoſis, & ſeruilibus feriati, toti, & ſemper Deo vacant: ijdem fœdus cum Domino, etiam ſacramento votorum interpoſito, pepigerunt: illi eligunt quæ vult Dominus, quoniam obedientia interprete numquam vel latum vnguem ab eius voluntate aberrant. Hi ergo quamuis non proli generandæ operam dent, cuius etiam ſibi facultatem ademerunt, non tamen dolere debent,
Lib. de virg. aut ſe quaſi ſteriles, & infructuoſos reputare, quoniam in Dei domo quiddam multo melius, ac beatius conſequentur, quam ſint in hoc mundo filij, & filiæ: id eſt, vt Baſilius inter-
Libr. de virg. pretatur, vt non ſolum in domo illa habitent, ſed ea etiam dignitatis excellentia illuſtrentur, quæ omnem ſplendorem,
De ſancta virg. c.25. quem liberorum ſucceſſio afferre potuiſſet, longo interuallo ſuperet. Neque hoc modo, ſed etiam (vt Auguſtinus addit) gloria quadam propria, & excellenti potiantur, quæ non

erit com-

erit communis cum aliis, quamuis in eodem regno, atque in eadem domo constitutis: quod ideo fortasse dictum est nomen, quia eos, quibus datur, distinguat à ceteris. Quam etiam gloriam, atque eminentem felicitatem non est dubium quin Spiritus sanctus verbis illis in scriptura descripserit. Felix sterilis, & incoinquinata, & spado, qui non operatus est per man⁹ suas iniquitatem. nec cogitauit aduersus Deum nequissima. dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Hanc enim sortem gratissimam, atque, vt hic vocatur, acceptissimam, quis aliis spadonibus promitti putet, quam spadonibus Dei, qui scilicet vltro sese omnibus istis delectationibus in perpetuum priuarunt, & quidem, quod necesse est, cum alicuius molestiæ sensu, tamquam corporis parte resecta, vt eis merito tanto maior diuinæ illius voluptatis retributio debeatur. *Sap. 3.*

Concludamus igitur, magnam esse omnino dignitatem, ac decus castitatis, quæ etiam in illa cœlesti claritate nō modo non obscuretur, sed eo magis enitescat. Ex quo etiam intelligi debet, quanto eam magis lucere oporteat inter has huius mundi tenebras, quando in illis quoque splendoribus sanctorum suum non perdit, & potius auget splendorem. Cogitandum igitur nobis est, esse hunc continentiæ statum quasi diuinum quoddam monile, quod Dominus de cœlo antea terris ignotum attulit, quod deinde in sua carne, atque in carne sanctissimæ Matris suæ consecratum, Ecclesiæ sponsæ tradidit, vt eo maiorē in modum ornaretur, eoque ornamēto, ac gratia addita, tum ipsi sponso Christo, tum Deo Patri gratior, & amabilior redderetur. de quo recte Hieronymus, Alia, inquit, fuit in lege veteri felicitas, in qua beatus dicitur, qui habet semen in Sion, & repromissio fit diuitiarum. *Epist. 22.*
Statim autem vt filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi legem instituit, vt, qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris.

De dignitate religiosæ obedientiæ.

CAPVT V.

SEQVITVR nunc obedientia, de cuius eminenti, excellentique præstantia aliquid dicendum est breuiter. quam quidem præstantiam etiam si nos minus intelligere possemus, sufficere tamen posset Christi Domini, ac Saluatoris nostri iudicium, qui eam tanti æstimauit. Vt enim homo rudis in gemmis, atque vnionibus cognoscendis, cum

peritum eius artis quempiam videret, gemmam aliquam magno pretio emere, emptaque gaudere, atque eam magna cautione seruare, non posset dubitare, quin tanti esset, quanti ab illo fieret; sic nos, in omni quidem virtute, sed in hac præcipue dijudicanda, non adeo vlla ratione, quam illius exemplo moueri debemus, quem scimus esse sapientiam ipsam, vt nullus in eum error, aut ignoratio cadere possit. Is vero quantopere obedientiam complexus sit, non obscurum est, cum quicquid in hac vita egit, quicquid dixit, quicquid molitus est, etsi ex omnium aliarum, etiam virtutum fontibus flueret, huic tamen vni fere ascribatur. Nam & ipse de se ita testatus est, se de cœlo descendisse, non vt suam faceret voluntatem, sed eius qui miserat eum Patris. & Paulus Apostolus tum vitam totam, tum mortem, & mortis genus ad vnam obedientiam refert, Factus, inquit, obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Denique Bernardus eam ab ipso vitæ ipsi antelatam affirmat, cum mori maluerit, quam non obedire. Magnum ergo, ac potius diuinum quiddam in obedientia inesse oportet, quando Dei filius, ipsa perfectionis formula, quique id ageret, vt nos ad perfectionem erudiret, & ipse eam ita coluit, & à nobis adeo coli voluit. Quod ita esse etiam ratione S. Thomæ manifesta demonstratur; Sicut, inquit, in naturalibus oportuit, vt superiora quæque mouerent inferiora per abundantiam naturalis virtutis diuinit⁹ insitæ, sic etiā in rebus humanis hoc rectus ordo poscebat, vt alter alterius ductu moueretur ex vi autoritatis, & potestatis à Deo communicatæ, qui quidem motus per rationem, & voluntatem nullo alio modo fit, quam iubẽdo, & præcipiendo. In quo vt idem ait, non humanum aliquid pro actionum nostrarũ regula suscipimus, sed prima omnium regula est diuina voluntas, quæ voluntates omnes moderatur, & regit, eique vna magis appropinquat, quam altera, pro eo ordine, quem Deus in ipsis instituerit. Ex qua B. Thomæ ratione magnus omnino obedientiæ splendor ostenditur, quæ voluntatem nostram nostrumque sensum omnem cum Deo coniungit, in qua sola coniunctione omnis consistit perfectio, non hominum modo, sed ipsorum etiam Angelorum. Nam & eleemosynæ, & diuini verbi prædicatio, & difficiliorum rerum perpessio: quid autem singula commemoramus? ipsum martyrium, nisi ad Dei voluntatem exequendam referatur, nullius est pretij, nulliusque meriti. Itaque cum regina virtutum omnium

Ioan. 6. Phil. 2. Ser. 46. Cant. 2. 2. q. 104. ar. 1.

omnium dicatur esse caritas, certe huic proxima, & simillima est obedientia: siquidem vtraque cum Deo contingit, vtraque etiam facit idem velle, idemque nolle, quod Deus: sed hoc interest, quod caritas per modum amici; obedientia per modum subditi. Quare etiamsi modus discrepet, res tamen eadem, idemque fructus; ex quo etiam sequitur illa, quam tractamus, dignitas, quæ maxime elucet in omnibus actionibus, cum diuina illa regula, & quasi linea dirigun tur, eadem nempe, quà ipsius Dei actiones. Quid autem maius homini, aut cuiuis creaturæ contingere potest? Itaque hanc etiam ob causam obedientia à Theologis ipsa quoque aliarum virtutum forma appellatur, quod harum omniũ actiones id vnum spectant, vt diuina præcepta complean-tur. Ad hanc excellentiam accedit etiam illa, quod licet sit virtus peculiaris, vim tamen habet generalem, quæ omnia ad humanam vitam pertinentia complectatur. Qui enim sese alteri penitus subiecit, & tradidit, nihil omnino excepit, non locum, non actiones, non occupationum genera, nõ externa, non interna. Itaque & in agendo, & in cessando, & in manendo, & in abeundo, & in hoc vel illo negotio vel suscipiendo, vel dimittendo, vel mutando, siue parua res sit, siue magna, denique in omnibus ita se obligauit, vt nulla sit materia, quam non vera obedientia comprehendat. Accedit etiam quod in hanc virtutem omnes fere virtutes concurrunt, eique omnes præsto sunt, quasi ad pulcherrimum quoddam opus ex pluribus gemmis concinnandum. Neque enim alteri homini se quispiam dedere posset, nisi & magno Dei amore inflammatus, & multa in eum fide, ac fiducia subnixus, deinde etiam vera, ac profunda imbutus humilitate: addo etiam, nisi patientiæ, fortitudinis, constantiæ, & aliarum præsidium accesserit: vt, si obedientiam vna ex his destitui contigerit, claudicare eam primum, deinde etiam labare, & concidere necesse sit. Verum nihil æque huius virtutis præstantiam ostendit, ac materia ipsa, quam tractat, & quæ ei subiecta est. Eam autem omnes spiritualium rerum magistri triplicem esse docent. Primum enim genus est operum ipsorum externorum, quæ à superiore mandantur, quæ quidem exequi ad obedientiæ virtutem pertinet. Sed hoc genus infimum, valdeque imperfectum est, & si nihil aliud sit, mancipiorum proprium, vel pecudum potius, quæ extrinsecus aguntur, nulla sua voluntate. Itaque alter est quasi eius gradus, isque altior, qui iam ad volũtatem etiam pertinet, quæ,

vt ait Gregorius, mactatur, & immolatur per obedientiam: ſic enim fit, vt ſubditi voluntas cum ſuperioris voluntate omnino conſpiret, ſeque penitus ad eam adiungat: vel potius ſubditus, ſua tota eiecta, atque euulſa voluntate, ſolam ſuperioris, rectoriſque ſui voluntatem in animo ſuo inſerat, eaque agatur, & in omnem partem moueatur, vt ſolet ſua. Porro tertius eſt gradus, idemque ſummus, vt iudicium quoque, & ratio ſubdatur rectorum iudicio, quo non ſolum idem, quod illi, velimus, ſed etiam idem quod illi, ſentiamus, idque rectum, id honeſtum, id vtile exiſtimemus, quod ij præſcripſerint: denique tanta in illorum nutu apud animum noſtrũ reſideat auctoritas, vt, niſi manifeſtum aliquod Dei præceptum repugnet, eorum ſententia noſtram quoque ad ſe pertrahat, captiuetque ſententiam. Hæc eſt religioſæ obedientiæ forma, & quaſi facies, quam ſi oculis corporis cernere liceret omnes homines ſui amore incenderet, tum pulchritudinis, tum etiam amplitudinis ſuæ aſpectu. Nam cum obedientia donum quoddam ſit, quod fit diuino numini, quanta eſt res, quæ donatur, tanta etiam virtus obedientiæ. Quid autem habet homo vel maius, vel carius, quam voluntatem, & rationem? vtraque enim habet, vt homo ſit. Quare quam valde ſeipſum amat, tam hæc duo neceſſe eſt vt amet. Nam ſi carnem, ſi oſſa, vel minima horum particulam ita natura diligit, ac pro his tuendis tantopere elaborat, quid faciet in illis, quæ tanto ſuperiora, & præſtantiora ſunt, magiſque ipſam naturam humanam attingũt? Itaque ſic intelligendum eſt, nihil eſſe poſſe hominis magis inſitum, quam vt non illa ſolum, ſed etiam illorum vſum, atque actus tueatur. Actus autem voluntatis proprius eſt libertas, rationis vero iudicium. Quare ea nobis eſt maxima, maximeque naturalis propenſio ad ſuam cuique tum ſententiam, tum placitum quoque ſequendum; quod apparet, quia multa ſunt, quæ cum per ſe nihil habeant, quo placeant, ideo tamen placẽt, vt in ijs libertas vſurpetur. ex quo etiam videmus ea, quæ vetantur, hoc ipſo quod vetantur, cupiditatem magis incẽdere, non aliã ob cauſam, niſi quod bonum illud, quod dixi, libertatis nos per ſe delectat. Igitur cum tanta ei9 vis ſit, magnam quoque difficultatem eſſe neceſſe eſt in hoc naturalis eius propenſionis quaſi impetu frangendo, vt in omnibus, ad quæ nos natura defert, ſed in hoc potiſſimum, quo maius eſt pondus, quod eo nos defert. Quare iungamus iam ſimul omnia, oblationis magnitudinem, quæ tam

31. mo. c.ap.10.

multa in se complectitur, partis vtriusque, quæ offertur, dignitatem, denique laborem hominis, ac difficultatem in ea offerenda: sic facilè intelligemus, quàm præstans res sit religiosa obedientia, quamque supra naturam nostram, nec perfici omnino posse, nisi natura victa, ac subacta. Atque hoc quidem sensu sapienter Gregorius interpretatur illud Sapientis dictum, Vir obediens loquetur victorias: Quia, inquit, dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Verum de obedientiæ dignitate nihil magnificentius dici potest, quam hoc, quod non solum mala, non solùm mediocria bona, sed etiam magna bona illi comparata splendorem amittant, vt stellæ in solis luce. Docet hoc idem Gregorius, qui mihi virtutum vim inter omnes optime & tenuisse, & docuisse videtur, neque id ex sua auctoritate, sed scripturæ testimonio, ita dicens Melior est obedientia, quam victimæ, quo loco Gregorius, Liquet, inquit, obedientiæ virtus quo sit culmine, quam diuinis oblationibus Propheta vidit altiorem. Quod si spiritualem sensum sequimur, victimæ ad magnæ conuersationis austeritatem, holocausta ad compunctionem vitæ secretioris referenda sunt. Melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quam offerre arietum adipem; quia longe altioris est meriti propriam voluntatem alienæ semper voluntati subiicere, quàm magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est enim adeps arietum nisi pinguis & interna deuotio? Melior est tamen obedientia: quia qui perfectè voluntatem præceptoris sui implere didicit, in cœlesti regno & abstinentibus, & flentibus excellit. Atque hæc ex Grogorio.

35. Mor. 10.

2. Reg. 15.

Lib 6. in lib. reg. cap. 2.

Mihi autem maximum quoque, ac certissimum videtur huius præstantiæ, quæ est in obedientia, documentum extitisse ex magnitudine, ac crebritate miraculorum quæ obedientiæ vi peracta sunt. Vt enim inter homines ipsos, à quibus aliqua supra naturæ vires effecta videmus, id pro indicio excellentis cuiusdam sanctitatis accipi solet: sic inter virtutes hoc idem sine dubio argumentum valere debet ad eas, vt ita loquar, canonizandas, eóque maiori veneratione colendas, quod eo signo constet, Domino Deo gratiores esse. Quis autem numeret miracula, quæ obedientia patrauit? Pleni sunt omnes libri, maximéque vitæ illæ veterum Patrum, qui virtutis huius magnum specimen orbi terrarum reliquere. Notus est Paulus ille magni Antonij discipulus, miraculorum

rum facultate ipſo magiſtro maior, cum Antonius,quos ipſe curare non poterat, ad eum mitteret, neque aliam ob cauſam,niſi vnius obedientiæ, ſic enim Antonius ipſe prædicabat, eúmque quaſi obedientiæ exemplar omnibus oſtendebat, & extat adhuc multorum eius illuſtrium factorum memoria. Notus etiam Ioannes, qui à ſuo Abbate, & quidem ioco iuſſus, vt leænam comprehenderet, ipſe ſerio accipiens,non ſolùm non expauit irruentem,ſed etiam fugientem inſequutus,iteratis vocibus, Abbatis ſui nomine ſiſtere iuſſit, captámque, ac ligatam ad monaſterium perduxit. Quid ille, qui filium in accenſam fornacem ex Abbatis imperio coniecit, & ſaluum recepit? quem quidem in filio offerendo Abrahæ virtutem conſtat imitatum eſſe, in recipiendo autem,miraculi magnitudine etiam ſuperaſſe. Quid etiam alter Ioannes,qui cum triennio toto aridum ſtipitem, vt erat ei iniunctum,quotidie irrigaſſet, idque aqua longè hauſta,demum viruit,fructúſque edidit, quos eius Magiſter ad eccleſiam deferens,fratribus oſtentabat,Ecce, inquiens, obedientiæ fructum.Nec minus admirandum,quod Climachus narrat de iuuene Innocentio,qui cum obedientiæ magnopere viuens ſtuduiſſet, deinde è ſepulchro compellatus, an mortuus eſſet, reſpondit magna voce, mori non poſſe obedientem. De Columbano autem id certè fertur memorabile, cum in Luxouienſi cœnobio, quod ille fundauerat, omnes ferè ægrotarent, eo acceſſiſſe, nec alio vſum eſſe medicamento, niſi quod omnes ad aream vocauit, ad fruges in ſolis æſtu triturandas. Res dura, præſertim tam grauiter decumbentibus, qui ne conſiſtere quidem poſſent. Itaque nonnulli,prudentiores videlicet,& cautiores, lectulo ſeſe tenuerunt, alij obedientiæ ſtudio ad opus ſtatim accurrerunt. Atque hi quidem omnes ita ſtatim omni morbo liberati ſunt, vt ne reliquiæ quidem, aut veſtigium vllum permaneret. Illi verò longas tarditatis, ac diffidentiæ ſuæ pœnas dederunt,toto anno cum febribus conflictati,vt quidem eos reprehendens, atque obiurgans apertè prædixerat Columbanus. Illud verò magnum,& quo comparatio etiam cum reliquis virtutibus appareat, quod in Patrum hiſtoriis legimus, cùm duo germani fratres in monaſterio quodam viuerent, alter obediendi, alter caſtigandi corporis ſtudioſiſſimus, hunc quidem, ad alterius ſanctitatem explorandam,mandaſſe ei, vt in fluuium crocodilis refertum deſcenderet,quod cum impigre feciſſe,ita vt immanes illæ belluæ

accurrerent,

accurrerent, & quasi blandiendo corpus eius oblingerent; paulo autem post cum in humanum cadauer incidissent, prece communiter facta, excitatum esse à morte: eamque laudem cum sibi abstinens ille tacitis cogitationibus arrogaret, seuerius obiurgatum esse ab Abbate, cui reuelatum fuerat, non illius ieiuniis, sed alterius obedientiæ beneficium illud à Deo donatum fuisse. Quæ cum ita sint, magnam esse oportet omnino obedientiæ dignitatem, quæ tantam apud Deum gratiam habeat, quantam hæc ipsa miracula declarant. Nec mirum. Nam qui in obedientia viuunt, ij se totos quasi Dei dexteræ commiserunt, vt ab eo penitus possideantur, & regantur. Ex quo illud in eis completur, quod est apud Esaiam, Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. *Esa.62.* Quam nobilitatem, gloriámque immensam illæ etiam consequuntur vtilitates, quæ eodem loco commemorantur, Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis, Voluntas mea in ea. Quod tam speciosum nomen, ac multo magis ipsa res, cui aptius conueniat, quàm religioso, qui per hanc ipsam obedientiam ita à Deo, vt dixi, possidetur, vt in eo semper, omnibúsque in rebus diuina eius voluntas perfectissime perficiatur? Gaudeant igitur homines quibuscumque voluerint nominibus, ac titulis, alij regum, alij principum, alij Cardinalium: religiosæ tamen animæ multo verior est gaudendi materia in hoc nomine, quod ei Dominus imposuit, in quo tamquam compendio bona omnia continentur, Voluntas mea in ea.

Religiosum eminere super omnes res terrenas, ídque quàm sit gloriosum.

CAPVT VI.

SI horum, de quibus diximus, votorum tanta est cuiusque per se dignitas, quantam diximus quam dignitatem, aut quem splendorem ex omnibus emicare necesse est, si in vnum omnia coniunguntur? Hic igitur est religiosus status, qui tribus hisce votis nixus est totus, & in cuius illa naturam, atque essentiam, cum suis omnibus ornamentis confluunt, vt vnus ex omnibus efficiatur cumulus. In hoc autem cumulo præter alia, quæ singula ex singulis oriuntur, illud etiam inest præclarum, & admirandum, quod habitum quendam mentis in homine efficit, quo nihil nobilius, aut generosius,

generosius. Is verò est altitudo quædam animi, qui super omnia quæ in hoc mundo sunt, erectus, omnia quasi subter se habeat, omnia despiciat, ac pro nihilo ducat, ac non modo non ea quærat, vt mundani, qui in illis ambiendis toti sunt, & de illis inter se tantopere digladiari solent, sed etiam oblata, & vltro affluentia reijciat, & ita abominetur, vt lutum, aut, quod supra diximus ex Apostolo, vt stercora, quæ
Phil. 3.
& vtilitate, atque etiam fœtore odiosa sunt. Hic autem mentis habitus, hæc constitutio, quam sit propria, & quasi insita religiosæ disciplinæ, manifeste declarat Gregorij testimonium, qui his verbis vtriusque temporis sui statum describit, & cum antea religiosus esset, & postea cum iam
1. Reg. Ep. 5.
Pontifex: Nihil, inquit, in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita vt in me penè impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta didicissem, Sustollam te super altitudines terræ.
Esa. 58.
Super enim altitudinem terræ sustollitur, qui & ipsa, quæ alta, & gloriosa præsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat. Sed repente à rerum vertice tentationis huius turbine impulsus, ad timores, pauoresque corrui: quia etsi mihi nil timeo, eis tamen, qui mihi commissi sunt, multum formido. Neque verò ille Gregorij tantum sensus fuerat, sed cum Gregorius eiusmodi sensum ex religione accepisset, eundem etiam in ipsa religione esse necesse est, ac religiosis omnibus, qui ex religionis præscripto viuunt, communem, ac generalem esse. Omnibus enim infunditur, cum eis consilium seculi deserendi infunditur. Non enim deserere possent, nisi contemnerent, nec possent contemnere, nisi superiores essent. Etenim non id modo deserunt, quod in præsens habent, id enim sæpè modicum est, & tenue, sed affectum, & cupiditatem habendi, quæ iam latius, longiusque peruagatur, ac potius nullis finibus clauditur, resque omnes complectitur. Itaque nulli religioso tam humiliter sentiendum est de sua hac oblatione quasi paruum aliquid Domino offerat, cum paupertatis voto omnem à se terrenam possessionem præscindit. Offert enim non illa tantum, quæ tenebat, & quæ aliquando consequi vel propria industria, vel alieno beneficio potuisset, sed totum omnino mundum. Habemus huius exemplum in Petro, qui certè cum non multa, immo pauca potius, ac propemodum nulla deseruisset, non dubitauit tamen illud dicere, quod scriptum est in Matthæo, Ecce nos reliquimus omnia. De

qua

qua professione bene, ac conuenienter religiosis Augustinus epistola ad Paulinum: Piscatores, inquit, Domino vocante, qui nauiculas, & retia dimiserunt, omnia se dimisisse, & Dominum sequutos esse, etiam commemorando lætati sunt. Et reuera omnia contemnit, qui non solùm quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contemnit. Sed in eo, quod cupiebatur, oculi Dei testes sunt, in eo, quod habebatur, etiam homines. Idem dicit & Gregorius, qui ideo Petrum, & Andream multum dimisisse confirmat, quoniam vterque habendi desiderium reliquit, quod in ea re affectum potius, quàm censum æstimari oporteat. Vnde ita concludit: Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit; multum reliquit, qui, quamlibet parum, totum deseruit. Hoc igitur idem fecerunt religiosi omnes. omnes enim non modo rerum possessione, sed etiam cupiditate omni se planè spoliarunt. Qui autem ita animo constitutus est, ille totum omnino mundum sub pedibus habet, ideóque non modo gaudio, tranquillitate, voluptate beatus, sed etiam dignitate ipsa omnibus principum, ac regum imperiis longè superior existimandus est. Quamobrem verè dici potest, religiosi cuiusuis sic affectam mentem, illam esse aquilam, quæ in scriptura ita describitur, vt ad Dei præceptum eleuetur, & in arduis nidum sibi ponat: vbi Gregorius, Hoc, inquit, esse speciale specimen electorum solet, quod sic se nunt præsentis vitæ iter carpere, vt per spei certitudinem nouerint, se iam ad alta peruenisse, quatenus cuncta, quæ præterfluunt, sub se esse videant, atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hinc est enim quod sequenti se animæ per Prophetam Dominus dicit, Sustollam te super altitudines terræ. Quasi quædam namque inferiora terræ sunt damna, contumeliæ, egestas, abiectio, quæ ipsi quoque amatores huius seculi, dum per latæ vitæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, diuitiarum abundantia, honor, & sublimitas dignitatum, quæ, quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox quam abiecta sint cernitur, quæ alta videbantur. Hæc Gregorius; quibus illud etiam addi potest, proprie admodum religiosis conuenire, quod de hac aquila hic dicitur, non eam solum alte conscendere, sed nidum in alto ponere. Nam volatus quidem conatū, & laborem habet, eámque

Mat. 19. Ep. 34. Hom. 5. Euang. Iob 39. 31. Mor. 19. Esa. 58.

eámque ob cauſam non poteſt eſſe perpetuus: nidus autem habet quietem, eóque ſtabilis eſt,& fixus. Eadem eſt igitur differentia in eorum hominum ſtudiis, qui ad virtutem contendunt. Nam qui cogitatione, ac deſiderio tantum ſeſe à terra attollunt, vt aliqui interdum ſeculares, rectè ij quidem faciunt, ſed cum vi,& contentione. Itaque illud ferè ijs

10. Conf. 40. euenire neceſſe eſt, quod in ſe ipſo lugebat Auguſtinus cùm dicebat, Sed recido in hæc ærumnoſis ponderibus,& reſorbeor ſolitis,& teneor,& multum fleo, ſed multum teneor: tantum conſuetudinis ſarcina degrauat. At verò qui nidum in alto poſuerunt, non modo non fatigantur nitendo, verùm in eo ſuauiſſime quieſcunt. Hic autem nidus hominibus eſt ſtatus ipſe. An non igitur religioſi nidum ſuum in edito, arduóque loco fixerunt, quorum ſtatus ſupra id omne, quod creatum eſt, collocatus eſt? Quare tantum abeſt, vt iis graue ſit in illa ſeſe altitudine ſuſtinere, vt etiam cum magna voluptate id faciant, nec quidquam adeo horreant, quam ad iſta infima, quæ & re, & animo deſeruerunt, relabi.

Atque vt ex hac ipſa ſimilitudine, quam nobis diuina ſcriptura ſuppeditat, intelligere poſſimus quantum vel ſplendoris, vel emolumenti hæc tanta mentis altitudo complectatur, cogitandum eſt ita, ac ſi quis corpore è terra in aerem ſubleuatus, in ipſis nubibus ſede fixa conſtitiſſet. Nam hoc exemplo ficto, ex eo quod id fieri poteſt, cognoſcemus quid in animo geratur, in quo id fieri poteſt, & fit quotidie. Igitur ſi quis eo loco, quem dixi, corpore degere, ei tum alia, tum hæc in primis contingerent, primum vt omnibus admirationi eſſet, deinde vt ſi quem haberet inimicum, ab eius vel inſidiis, vel telis tutus eſſet, tum etiam vt inferiora iſta, tanto à ſe interuallo remota, quædam vix videret, quædam ne videret quidem.

Hæc igitur omnia, & ſimilia animæ quoque illi conueniunt, quam Deus è puluere, atque è terræ fęce ſubleuatam in eminentiori hoc loco conſtituit. Primum enim excellentiam quandam acquirit, cui nulla dignitas, nullus magiſtratus, aut poteſtas comparetur. Vnde eſt illud Cypriani,

De orat. Dominica. Qui renunciauit iam ſeculo, maior eſt honoribus eius, & regno:& ideo, qui ſe Deo,& Chriſto dedicat, non terrena, ſed cœleſtia regna deſiderat. Atque huius quidem excellentiæ ſplendor non à Dei ſolum oculis cernitur, quod ſatis eſſe deberet, ſed, vt plurimum, etiam hominum. nam etſi imitari piget,

get, suspicere tamen eos solent, quos vitam hanc magis ar-
duam ingressos vident. Verum enim est illud Hieronymi; Ep. 27.
non laudabile esse possidere diuitias, sed eas pro Christo
contemnere, non inhiare ad honores, sed eos paruipende-
re; & miro quodam modo, qui ista habeant, paruipendi,
qui habere noluerint, prædicari. Accedit etiam illud in re-
ligiosis, quod quasi extra omnem aleam humanorum ca-
suum positi sunt. Quid enim in eos humana mutabilitas
possit, qui omnibus, quæ mutationi obnoxia sunt, relictis,
omnes eius aditus intercluserunt? ex quo id consequitur,
vt quasi supra ventorum flatus positi, immobiles semper
maneant, omnibusque euentibus superiores, perpetua trã-
quillitate fruãtur. Quæ trãquillitas, si auro æstimari pos-
set, quãto auro emenda esset? Verum ea quidẽ nec auro,
nec re vlla creata emi potest; sed magis cõtemptũ omniũ
rerũ creatarũ: quoniam quicquid creatũ possideas, eo iam-
iam expoliari potes; qui vero omnia abiecit, is nihil iã ha-
bet, quo vel feriri, vel turbari possit. Vnde in eiusmodi sta-
tu quasi propria est illa, quã dixi, perpetua, & nũquã inter-
rupta animi trãquillitas, idemque vultus, & eadem semper
frons, qualẽ Antonij Magni fuisse scribit Athanasius. Ex hoc
eodẽ fonte illud etiam nascitur, vt aduersus ignea tela ne-
quissimi quam tutissimi simus; quod vel tam alte non per-
ueniant, vel nullo negotio repelli queant. quod ipsum præ-
clare Cyprianus, Quantus hic, inquit, animi potentatus, Lib. 2.
quanta vis est? Non tantum ipsum esse subtractum perni- ep. 2.
ciosis contactibus mundi, vt quis expiatus, ac purus, nulla
incursantis inimici labe capiatur, sed adhuc maiorẽ, & for-
tiorem viribus fieri, vt in omnem aduersarij grassantis e-
xercitum imperioso iure dominetur? Illud autẽ maximũ,
& maxime nobis salutare, quod hic status ex sua quasi na-
tura hoc in animo nostro lumen parit, vt quicquid est sub
cœlo, tãquam leue, fallax, & inane, & amore nostro indig-
num, despiciamus. Fit enim hic etiam id, quod eleganter à Hom.
Chrysostomo in homilia quadam dictum est, quemadmo- 15. ad
dum ẽ summo montis vertice prospectantibus omnia pu- pop.
silla, ac non solum homines, & arbores, sed etiam vrbes in-
tegræ, & magni exercitus formicarum instar super terram
ire videntur; sic qui animo recto in cœlestia, quasi in sublimi
commorantur, iis omnia humana, potentiam, gloriã, opes,
ita minuta, & exigua apparere, vt ne digna quidẽ iudicent,
quibus hanc immortalis animi nobilitatem applicent.

Quid igitur hoc statu excelsius, aut gloriosius, qui nos ita instituit, vt nihil habendo, contra omnia securos, & inexpugnabiles reddat, itaque nullos homines, nullos casus, nullius vim timeamus? Quam sane mentis sublimitatē paupertati tribuendam esse optime docet idem Chrysostom⁹, qui inter ceteras cœlibis vitæ laudes hanc commemorat, quod simul etiam paupertatem colere possit, ac per eā omnibus curis, ac periculis præcisis, proxime ad cœlum tolli. Nam qui, inquit, nihil habet, tamquam si adsint omnia, sic cuncta despicit, magnaque & in principes, & in potentes, & in eum, qui diademate ornatus sit, loquendi libertate vtitur. pecuniam vero qui spernit, is recta progrediens, mortē etiam facile cōtemnit, atque iis excelsior, nihil timēs, aut tremens, liberius loquitur apud omnes. Qui vero pecuniæ dat operam, is non modo seru⁹ pecuniæ est sed opinionis, honoris, huius vitæ, ac denique, vt vno verbo dicam, mancipium est eorum, quæ ad hanc vitam pertinent. Idē quoq; luculente, vt solet, prosequitur Gregorius quodam libro moralium: Libet, inquit, oculos mentis attollere, & electos Dei exterius oppressos quantæ intrinsecus arci præsideāt, videre.

De virg. c. 81.

Cuncta quippe, quæ foris eminent, occultis eorum obtutibus per despectū iacent. Nam super se interius rapti in alto animam figunt, & quæcumque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia, atque à se aliena cōspiciūt, atque, vt ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsa, quæ tolerant, ignorant. In horum profecto oculis, quicquid temporaliter eminet, altum non est. Nam velut in magni vertice montis siti præsentis vitæ gaudia plene despiciunt, seque ipsos per spiritualem celsitudinem transcendentes, subiecta sibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Vnde & nullis contra virtutem potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. Hæc Gregorius, quorum etiam exempla multa ex sacris litteris profert, vt Mosis in Pharaonem, Natan in Dauidem, Helyę in Achab, Helysæi etiam in Ioram. Idem igitur robur infundit suis religio, liberamque, cum op⁹ est contumaciam non à superbia, sed ab animi magnitudine, & temporaliū contemptu ductam, quæ pro Dei gloria tuenda, etiam principibus, ac regibus ipsis resistere non vereatur. Bernardin⁹ Senensis tantam in dicendo libertatem tenuisse scribitur,

vt nullo respectu, cum res, & causa postularet, etiam in potentium hominum vitia publice inueheretur. Quod cum aliquando Mediolani aduersus Ducem in concione fecisset, ille grauiter offensus, mortē denunciari iussit, nisi absisteret. At Bernardinus postera die in magna populi frequentia idem vitium acrius etiam, quam antea, obiurgare perrexit: quæ libertas, ac fiducia ita Ducem fregit, vt molestiam ei vltra exhibere ausus non sit. Quin etiam, ad illius animum pertentandum, aureum ei poculum auro plenum misit, quod cum vir sanctus cum stomacho reiecisset, ille pluribus precibus adiectis, referri iussit, quas nuncij dum ita exponerent, vt vrgendi finem non facerent, surgēs Bernardinus, eosque sequi iubens, ad carcerem perrexit, quo obærati tenebantur, quos eo die omnes vinculis exemit.

Eandem quoque legimus fuisse Columbani fortitudinem in Theodorico Gallorum Rege obiurgando de ei⁹ facinoribus, cuius aliquando aduentum cum Rex cognouisset, cœnam regio cultu, & reliqua necessaria ad ei⁹ hospitium, longo famulorum ordine, deferri curauit; quæ vt vidit Columbanus, vultu, & voce auersatus est prolato versu illo è scriptura, Munera impiorum reprobat Altissimus, indignúq; esse, vt Dei seruorū ora eius cibis polluerētur, qui cum ipsis tam iniustum bellum gereret. Vix autem verba finierat, cum vasa omnia, quibus cibi illi continebātur, disrupta sunt, vinum, & sicera in terram effusa, reliqua huc, illuc disiecta; qua re attoniti ministri, Rex etiam ipse territ⁹ accurrit, seque in eius potestate in rebus omnibus pollicit⁹ est; quem tamen breui ad vomitum reuersum iterū Columbanus seuerioribus obiurgationibus, & minis aggressus est. *Eccl. 34.*

Quid autē mirabili⁹ animo Antonij Patauini, qui vt accepimus, cum ad Ezelinum adisset, quo ille tēpore Italiam cæde, atque incendiis vastabat, his eum verbis cōpellauit, Sæue, ac crudelis tyranne, quādo iam humani sanguinis effundendi finem facies? Cui exordio cum reliquā orationē cōgruentem adiecisset, cōmemoratis illius rapinis, cædib⁹, direptionibus ciuitatum, Deique iram, ac pœnas imminentes denunciasset, hæc audientes satellites nihil expectabāt aliud quam barbari illius pro eius more nutum, vt tā molestum monitorem confoderent. At ille contra, cingulum collo imponens, atque ex lupo agnus effectus, & in genua

procidens, humillime peccatorum veniam precatus, insuper etiam pollicitus est quicquid pœnæ iniungeretur, libẽter subiturum. Idem tamen paulo post in sua flagitia relapsus, decreuit sancti viri virtutem hoc modo explorare. Misit ad eum quosdã ex suis cũ præclaris muneribus, quibus ita mandauit, vt precib⁹, & omni importunitate id agerẽt, vt ea acciperet; quod si faceret, illico eum obtruncarẽt; sin non acciperet, patienter ferrent quicquid ab eo diceretur. Illis igitur ficta humilitate instantibus, multũq; orãtib⁹ vt mun⁹ illud Domini sui admitteret, Antoni⁹ voce liberrima, Abite, inquit, quãprimũ cũ vestris impiis donis, ne vel ruẽte tecto, vel dehiscẽte terra, nos quoq; exitio vestro inuoluamur. Ita illis dimissis, Ezelinus re cognita semper illũ deinceps vt hominem sanctum veneratus est. Tantum etiam in impiorum animis contemptus rerum terrenarum admirationis habet. Cum igitur religiosus status sic nos cõtra omnia aduersa instruat, videamus, quo modo muniat etiam in prosperis, vt vtraque contemnẽtes, nec illa timeamus, nec ista curemus. Testis est huius rei Antonius, qui vt scribitur, cum ad eũ Constantinus, tantus Imperator, cũ duobus filiis, Constante, & Constantio, litteras crebro mitterent, tamquam ad parentem, officiosissimas, & quam demisissimas, ipse adeo eas non magnifaciebat, vt hoc suis dicere soleret, nihil magnum videri debere, quod Reges se cuii ad Dei seruos epistolas darent, quia etsi nescio quid amplius potentiæ habere viderentur, eadem tamẽ esset õnium natura, eadem viuendi, & moriendi conditio. Illud vere magnum, & magnopere æstimandum, quod Deus epistolas suas, id est, legem suæ voluntatis indicem ad nos misisset, nobisque per filium loquutus esset. Quæ cũ diceret, tamen rogatus à suis vt aliquid responderet, ne tantorum Principum humanitatẽ aspernari videretur, ita rescripsit, vt eos ad iustitiam, & clementiam hortaretur, vtque se homines esse meminissent, & à Christo, qui vere omniũ dominus est, iudicandos. Hanc igitur mentem ita celsam, ac super omnia electam, & omnia pro nihilo ducentem, Antonius, & ceteri, non ad religionem attulerunt, sed ex ipsa religione hauserunt, vt nobis quoque, quando eadem in schola versamur, eadem facile haurire liceat eamque ipsi⁹ nostri status altitudo & exigat, & certe etiam afferat.

De religiosi eminentia in relinquendis carnalibus propinquis.

CAPVT VII.

MAGNA quidem res est terrenarum omnium rerum contemptus,& qui id faciant,vulgi exemptos numero,ad magnam euehit dignitatem. Maius tamen opus est in relinquendis propinquis,& cognatis,qui nobiscum carnis,& sanguinis necessitudine astricti sunt. Nã & maior est amor, & multo intensior.& naturæ ipsi magis consentaneus, & altioribus denique radicibus nixus. Etenim cum auro quidem, & argento; & cum agris, similibusque rebus quam habet homo similitudinem, aut quod vinculum? Cum aliis autem hominibus; & præsertim iis, qui ex eodem fonte fluxerunt, maximum. Itaque videmus quam impotens sit caritas; & beneuolẽtia,vel parentum in filios,vel filiorum in parentes,vel fratrum inter se. Hoc autem non tam ex iudicio, aut ex rationis deliberatione prouenire,quam naturæ impetu,declarat id,quod in belluis ipsis cernimus, quæ ita pro suis catulis propugnant,vt pro iis in vulnera,& in mortem ruant.Quare,quo hæc maiora sunt vincula,eo maior vis ad ea rumpenda requiritur,maiusque robur ad eam disiunctionem sustinendam, atque etiam peragendam.Itaque hoc quoque in summis laudibus religiosi status ponendum est,quod, vt cetera, sic etiam naturalem hunc affectum ita vincat,ac superet,vt corũ quibuscum quisq; natus est,& quibuscũ vixit, cõsuetudinẽ relinquat,nouamq; ineat cũ aliis, quos numquã antea viderat,Christi causa affinitatem,& cũ iis multo iam libẽtius viuat,& iucũdius.Hoc enim est apertũ argumentũ, hunc statũ omnem naturæ gradum longe transcendere. Nam si patrem,filio vno ex plurib⁹ amisso, tãtos sæpe ploratus, & luctus edere videmus, cũ tamen reliqua familia salua sit,quis esse deberet eorum dolor,qui oẽs eodem tempore amittunt,parentes,fratres,sorores,domesticos,amicos,& ad extremum quoscunque vel naturæ necessitudo,vel vi⁹ aliquis familiaritatis cũ eis deuinxerat?Non igitur hoc effici potest naturæ virib⁹;sed gratia,cœlestis,& virt⁹ ex alto requiritur, & certe abundans, & copiosa. Sic enim ipse Saluator testat⁹ est,suũ hoc op⁹ esse, & quidẽ ex magnis;Non veni,inquit,pacem mittere, sed gladiũ. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam *Mat. 10.*

X 3 aduersus

aduersus matrem, & nurum aduersus socrum suam. Recte autem, & sapienter gratiam hanc gladiũ appellat. Vt enim gladius ferreus est, & ad ea scindenda adhibetur, quæ sunt inter se coniuncta, sic indicat naturalem hunc propinquitatis nexum maximum esse, nec diuelli posse, nisi vi quadam ferrea, id est, illius manu præpotenti, qui quorum velit corda ad se attrahit, & vnde vult distrahit. Hoc autem experimur quotidiano vsu. Vnde enim fiat, vt qui pri⁹ in ea dẽ domo coniunctissime vixerũt, si postea huius spirit⁹ afflatum aliquem senserint, continuo non acquiescant carni, & sanguini, sed ea constantia ab illis discedant in perpetuum, ac si numquã illos antea nouissent, nec ad eos quicquam pertinerent? Et quidem, quod expressius est, lugent alij abeuntem, ille autem, qui abit, lætus, atque hilaris est. Quid hoc igitur est, nisi quod hic diuino illo gladio abscissus, & separat⁹ iam est, eamq; ob causam sine vllo doloris sensu diuidi potest; illi autẽ, qui gladiũ hũc non senserunt, sunt adhuc cũ illo coniũcti, nec possunt non dolere illa separatione? Marcianũ scribit Theodoretus, cũ nobilissimo genere, atq; adeo regio ort⁹ esset, in remotissimũ cœnobiũ se contulisse: quo cũ multos post annos venisset soror, ciuitatis suæ princeps, vna cũ filio impubere, & cum multis munerib⁹, illũ ne ad conspectũ quidem mulierẽ admittere voluisse, filiũ autẽ eius admisisse, vt spiritualibus præceptis instructiorem remitteret. Hoc autem rogante, vt quæ allata erant, reciperet, si non vt propinquus, saltem vt pauper, respondisse, Quot pauperũ monasteria pri⁹ vobis occurrerunt, quã ego? quibus cũ ista nõ dederitis, apparet vos hæc mihi propinquitatis gratia deferre. Quare ille quidem cõstanter reiecit omnia, idq; factum ita laudat Theodoretus, vt cũ dicat extra naturã fuisse, & in cœlestem migrasse rationem. Quamobrem sic statuendũ est, religiosum hũc affectum vnum esse inter præclara charismata, quæ Spiritus sanct⁹ soleat impertiri, & certe robur magnũ postulare, & indiciũ præseferre animi admodũ excelsi, virtutibusq; omnibus exaggerati. Itaq; hoc in primis sponsæ illi, quam sibi Dominus coniũxit, quamque sine macula, & sine ruga esse voluit, ab ipso præcipitur, Audi filia, & vide, & inclina aurem, & obliuiscere populũ tuum, & domũ patris tui. Nam vt sit filia, vt sit sponsa, & digna fiat Dei amplexibus, illa in primis cõditio, & quasi dos quędam exigitur, vt non modo relinquat, sed etiã obliuiscatur carnalẽ omnem cognationem.

In Hist. relig.

Psal. 44.

nem. Id autem si fecerit, quid ei promittitur? Et cōcupiscet, inquit, Rex decorem tuum: quasi dicat, hoc facto, tantum decorem, tantamque acquires pulchritudinem, vt summus ille Rex tui amore incensus, tuasque vltro nuptias expetens, ad regiam te dignitatem euecturus sit.

Sed extitit huius rei memorabile exemplum, & omnino aptissimū ad hoc illustrandū, quod religiosi omnes faciūt, in Abrahā tāto viro, Huic enim dictū est à Domino; Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Satis erat, inquit Ambrosius, dicere, de terra tua, quod in hoc reliqua continerentur: sed addere voluit singula, vt eo magis eius affectus probaretur. Itaq; merito eius fides celebratur, atque, vt ait idem Ambrosius, facto præuenit dicta sapientū, inter quæ illud fertur, Sequere Deū. At hoc religiosis omnibus commune iam est, vt nō solū affectu, sed etiam corpore, & re egrediantur de domo patris, relinquant cognatos, quin etiam illud, quod supra omnia est, vt nullum in locum veniāt certū, ac designatū, sed quemcumq; deinceps Deus monstrauerit. Tradunt enim sese Superiorum suorū volūtati, atque imperio, nō ad vnam rem peculiarē, & tamquā pacto stabilitam, sed ad omnia, quæ illis placuerint, & quę illi tāquam Dei interpretes monstrauerint. Ac mihi quidē, si dici fas est, quod ad hoc attinet, amplius aliquid inesse videtur in religiosi cuiusq; facto, quam in illo Abrahæ. Nā is patriam quidē deseruit, & partem aliquam cognationis, sed & opes, quæ plurimæ erāt, secum abduxit, & Loth fratrē, & Saram vxorem, & denique seruos omnes, familiamq; amplissimam, vt videri possit non tam patriam reliquisse, quā præcipua patriæ cōmoda secū euexisse. Religiosi autem quā vere, quam perfecte & rem, & domū, & propinquitatē omnem deserūt, nudique, ac soli, ad Christi nudi vexillū conuolant? Igitur Abrahæ, cum hoc Dei iussum exequeretur, magna illa facta sunt promissa, Benedicā tibi, & magnificabo nomen tuū, erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicā maledicentibus tibi. Quæ si ad eum dicta, & in eo completa sunt, quid causę sit cur nos quoque tā præclari eius facti participes, non etiam huius præmij, ac promissionis participationē speremus? Immo vero aliquanto etiā magis: nam in ipso benedictiones istæ tēporales fuere, quę sunt bona multo minora, in nobis spirituales, quæ sunt sine vlla comparatione maiora, & meliora.

Gen. 12.

Lib. 1. de Abra. cap. 2.

liota. Sed tamen hinc quoque discere possus, quanta sit religiosi status, ex hoc vno capite dignitas, qui se tam diuini hominis tam præclaro facto exæquauit. Quam longe enim omnẽ carnis affectũ superauerat Pastor ille, qui, vt legimus in vitis Patrũ, vel sororis filio de vita periclitante, deprecatorem se Præfecto exhibere noluit: aut Pior, qui ab Antonio, cuius erat discipulus, sororem, quę ad eũ venerat, adire iussus, adiit quidẽ, sed oculis clausis, vt eã ipse non videret? Quem etiam imitatus est Iohannes, qui item maiorũ imperio coact⁹, vt sorori se sisteret, sancto dolo ei se vt externũ ostendit, & ab ea non agnitus statim abscessit. Quod autem duo isti in sorore, idem Marcus præstitit in matre, cui se fœdatũ fumo, ac fuligine in sacco sordido, compressis, ne eam ipse videret, oculis, exhibuit. Atque huic etiam similis fuit Euagrij sensus, cui cũ patris mors à quodã nũciata esset, Mẽtiris, inquit, pater enim me⁹ immortalis est. Idem dicere potuisset etiã Franciscus, qui vna cũ bonis paternis patri quoq; renuncians, præclaram illam professionem addidit, se iam deinceps liberius, & verius dicturum, Pater noster, qui es in cœlis. Multa similia commemorari possent, vt Bernardi, & fratrũ, vt Pacomij. & Theodori eius discipuli, quorũ illi sororem, hi postremus matrem, quas ne ad aspectum quidem admittere voluerunt, etiam impulerunt, vt ipsæ quoque seculũ desererent. Sed non opus est ista antiquiora repetere, cũ quotidiana eiusdẽ virtutis exẽpla nos ipsi videamus. Quã enim sæpe, aut potius, vt dixi, quotidie, non solum viros maturiori iam ætate, sed adolescentes quoque nos ipsi spectamus, cũ siccis oculis, parentum, & suorũ omnium lacrymas excipiant, atque etiam eorum fletum irrideant? Neque id duritia, aut stupore faciũt. nam hi ipsi in ignoti miseriis facile cum lugente lugerent. Sed apparet in eorũ cordibus ille gladius, quem supra dixi, qui eos separauerit ab iis, quibuscum antea toto affectu coniuncti vixerunt, non quo, eos amare desierint, cũ etiam hostes se amare profiteãtur, sed quia carnali amore eiecto, qui sæpe ad inepta adigit, eum totum in spiritualem caritatem conuerterunt. Non est igitur dubitandum, quin eiusmodi affectus adeo nobilis, & excelsus, idem sit Deo quam gratissimus, eiusque maximis beneficiis profuse ornetur. Quod quidem optime Moses expressisse videtur in suo illo prophetico testamento, cum leuiticam tribum Deo dicatam, quæque ob eam rem religiosi status imaginẽ quandam

dam habebat, illa benedictione prosequutus est. Qui dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos, & fratribus suis, Ignoro vos, & nescierũt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuũ, & pactum tuum seruauerũt. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum eius suscipe. Percute dorsa inimicorum eius, & qui oderunt eum, non consurgant. *Deut. 33*

Quod religiosus reliquerit etiam seipsum, idque summum esse.

CAPVT VIII.

POST bona externa, post carnis cognationem, quæ religiosus deserit, restat tertius ille, & summus gradus, & sine dubio in omni perfectionis genere altissimus, quod se quoque ipsum deserit. Id enim est leuare se nõ solum super aliã, sed etiã supra se, quod pro magna re cõmemorat Hieremias. Itaq; de huius actionis præstãtia, & difficultate, & dignitate optime scriptum est à Gregorio; Fortasse, inquit, laboriosum nõ est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum: minus quippe est abnegare quod habet, valde enim multũ est abnegare quod est. Et vere. si enim tanta est difficultas in nostris relinquendis, quæ diligimus propter nos ipsos, quanto maiorem esse necesse est in ipsis nobis relinquendis? Etenim quã naturalis, & insitus est cuique sui amor, & sui cõseruatio, tam arduũ erit sine dubio opus illud abijciendi se ipsum: quoniã, si recte cogitem⁹, modo perfecte fiat, exiguo admodũ interuallo distat à morte, idq; ipsum mors quædã est, quia nihil est aliud, quam mori sibi ipsi; ideoq; ita dictũ est à Gregorio, Abnegare quod est, Deficere à se ipso, Mactare quod est. Ex quo illud natum est, vt religiosi mortui appellarentur: quod egregio facto declarauit Apollo, vnus ex antiquis Patrib⁹, qui, vt tum alij, tum Bernardus ipse narrat, cum ad eum carnalis frater auxilij gratia adisset, quæsiuit ab eo, cur non potius ad alterum tertium fratrẽ adisset. Cumq; ille, qui venerat, cum admiratione respondisset, eum iam pridẽ mortuum, sepultumq; esse, tum Apollo, se quoque ante viginti annos, cum vitam illã suscepisset, mortuum esse. Ac sanct⁹ quoque Basilius ita sentit, & pluribus disputat, hanc ipsam sui ipsius expoliationẽ, de qua Dominus loquut⁹ est, cũ dixit, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, *Thren. 3.* *Hom. 33. Euãgel.* *Serm. de mira. in nupt.* *Reg. fusi. c. 6.* *Luc. 9.*

neminem consequi posse,qui in mundo occupatus sit.Reddit autem rationẽ,quia sui ipsius abnegatio nihil est aliud, inquit,quã omnino,& penitus obliuisci rerũ omnium superioris vitæ, & à suis voluntatibus recedere, quod in seculari vita assequi longe difficillimũ est,ne dicã plane fieri non posse.Atq; hic etiam,quicumq; est in religione,perfectissimus perfectionis gradus relinquendi seipsum,alia ratione demõstrari potest. Sicut enim eã rem,quã alteri homini donamus,vere,atq; omnino relinquim⁹, ita cum nos ipsos Deo donamus.Hæc autem est natura,vel,vt ita dicã, religionis ipsi⁹ essentia,quod alio loco à nobis vberius disputatũ est,vt votorum vi nos totos Deo resignet,& in Dei potestatem transferat. Primũ enim tradit ei corpus ipsum tum per castitatẽ,tum etiam,vt reliqua,per obediẽtiam, vt iam nõ sit eius,qui gestat,sed eius,cui gestatur. Ex quo illud à Sãcto Bernardo præceptum est sapienter, vt religiosi sic agant de corpore suo, tanquam de re non sua, sed Dei. Deinde tradit etiam animã,id est,voluntatem,iudiciũ, libertatem,in qua quidẽ sunt omnia. Est enim anima quasi arx totius ciuitatis, libertas vero quasi clauis huius arcis, vt,ea tradita,reliqua etiã tradi necesse sit, & qui eã teneat omnia teneat.Deniq;,quod ex his sequitur,sed addendum est gratia declarãdi,tradit etiam vsum horum omnium:nõ enim vel animã,vel corpus impendere possumus iis rebus, ad quas nostra nos inclinatio trahit,sed quas velint,&quas pręscribant superiores nostri.Neq; vero hæc,de qua loquimur,traditio obscura est,quoniam non sola mente,aut voluntate peragitur,sed multa quoque externa adiunguntur, adhibita voce,adhibitis testibus,adhibito insuper homine, qui vicem Dei tenens eam donationẽ admittat,& accipiat: deniq; quasi contractus quidam initur, cuius ad solemnitatem,& auctoritatem nihil plane desit.Quam ob rem hoc adeo verum est,religiosum,cùm semel promissione illa sacrosancta sui dominium abdicarit,se ipsum reliquisse, vt si deinde aliquid de se resumat,ita nequiter faciat,vt is, qui rem alienã cõtrectet,in quam nihil vmquã iuris habuerit: idque testatur Basili⁹, qui ita ait, cum se quispiam Deo,cui se consecrauerat, subterfuratur,sacrilegiũ facere. Vnde est etiam illa vera, & iusta Sãcti Bernardi obiurgatio ad suos quosdã,Qui vestri curã semel nobis credidistis, quid rursum de vobis intromittis?quasi diceret,Quid amplius iuris in vos ipsos habetis,postquã semel vos alienastis? Si igitur ita

Ad fratres de mon. Dei.

Reg. fusi.c. 14.

Ser.19. Cant.

ita est, vt dicit Sanctus Bernardus, primum quis esse potest modus relinquendi se ipsum perfectior, quam in religione? Deinde vero quantã rem, quamque præclaram necesse est esse religionem, & quantam apud Deum gratiam habere, quæ tam liberalis sit in ipsum? Nam inter homines quidem omnium rerum grauissima, & durissima existimari solet seruitus, aut captiuitas, quoniam libertatem eripit, & hominem ita subiicit, vt omnia alieno arbitratu faciat. Verum, si consideremus, hæc seruitus, quantacumque est, corporis tantum est, animus autem plane liber est. Itaque nullum est mancipium, cui non liceat cogitare quæ velit, amare, vel odisse quæ velit, gaudere, vel dolore de quibusvelit. At vero religiosus, cum animam Deo offert, etiam animæ opera offert, & affectus ipsos interiores ad illam regulam astringere, & conformare debet; idque agunt in omnibus religiosis ordinibus, tum ipsæ leges, & constitutiones scriptæ, tum viua vox rectorum, vt non solũ exterius, sed multo magis interius præscribant quid sectandum sit, quid vitandum. Itaque nulla vmquam fuit, vel esse potuit inter homines seruitus tam arcta, quam hęc est religiosorum: sed quo arctior, eo iucundior, quoniam ea est Dei iucunditas, quam tanto ille largius cum suis creaturis communicat, quanto se magis cum eo astrinxerint, & se verius ei subiecerint. Quamobrem ita omnino statuẽdum est, hoc etiam in amplissimis religiosæ vitæ rebus numerãdum esse, quod faciat, vt nosmet ipsos relinquamus, & plane exuamus, idque in perpetuum, & ea obligatione, quæ non amplius rescindi, aut reuocari possit: vt merito ad hoc ipsum factum exornandum illa dicta sint à Glossa, cuius est tanta in diuinis scripturis exponendis auctoritas. Alij, inquit, vouent *Nu. 3[?]* vitulos, alij arietes, vel domos, Nazaræus se ipsum. Hoc est Nazaræi votum, quod est super omne votum. Filius enim, vel filia, vel pecus extra nos est: se ipsum vero Deo offerre, non alieno labore, sed proprio placere, perfectius est, & eminentius omnibus votis.

***

In

In religiosum statum confluere omnes virtutes.

CAPVT IX.

CHristianæ diuitiæ nullæ sunt aliæ, quam verę virtutes. harum qui paucas habeat, ille pauper, qui multas, ille diues cẽsendus, & quo plures, eo ditior. Quare nihil est, quo vberius laudari possit religiosus status, quam hoc, quod nõ vna, aut altera virtus, sed omnium plane virtutum copia in eum confluat, vt, si intimã eius naturam cogitare velimus, facile intelligi possit, cum ex omnibus virtutibus compositum esse, & quodãmodo contextum: quod vel ex hoc probari potest vno verbo, quod si vna earum careat, totus vacillet. Nec loquar iã de virtutibus illis quas longo quisque studio sibi cõpararit, in quo tamen ipso tantam hic status cõmoditatẽ præbet, vt, quod antea demonstratũ est, virtutũ schola dici debeat; sed de ijs loquor, quæ in primo quasi religiosæ vocationis conceptu vna cum ipsa vocatione in animo ingenerantur: quoniam cum in statu ipso contineantur, qui statũ admittit, illas quoq; animo admittat necesse est. Itaq; hoc videndum est, quas status hic requirat, exigatq; virtutes: totidẽ enim cõfert, quot exigit. Nam vt domus multis cõstat partibus, & earum quidem aliæ sunt manifestæ, vt facies, vt fenestræ, vt porticus, aliæ occultæ, vt tigna, vt ferramenta quædam, præcipue vero fundamẽta: vt etiam corpus animantis ex multis mẽbris cõponitur, quorum alia sunt aperta. vt caput, vt crura, & reliqua alia interiora, cuiusmodi est, cor, aut cerebrũ, nerui, & ossa, quæ quidem magis etiã necessaria sunt, quam exteriora: simillime in statu religioso insunt tres illæ virtutes, quæ omnibus patent, paupertas, castitas, obediẽtia, sunt etiam aliæ magis reconditæ, quæ & ipsum statũ, & illas ipsas tres virtutes ita sustentãt, & fulciunt, vt his subtractis, omnia corruãt. Quãquam etiam si nihil aliud esset in religioso statu, quam tria illa, quid pulchrius cogitari, aut cogitatione ipsa effingi posset? Nam quid aliud est paupertas, quam affectio animi ita constituti, vt omnes auri, argentiq; aceruos, omnes redditus, etiã regna ipsa non pluris faciat, quam paleas, immo vero non solum contemnat, vt res nihili, sed etiã fugiat vt onera? Magna virtus, & magnũ Dei donũ, quod præsertim elucet cõparatione tot aliorũ mortaliũ terrena ista admirantium, tantoq; studio inquirentiũ. Castitas autẽ quid est aliud

aliud, quam robur animi obdurati aduersus omnes carnis voluptates, easque voluptates, quæ tantam vim habent in humana natura, quibus resistere, & ita resistere, quanta res est, quamque gloriosa? Nam huius quoque splendorẽ raritas ipsa commendat, & auget, cum plerosque hominum videamus illarum voluptatum impetu captiuos trahi. Deniq; obedientia quã præstans est mentis habitus, cum ipsa quoque nihil sit aliud, quam abdicatio sui ipsius, & abnegatio illius libertatis, quam adeo amamus omnes, idque in omnibus rebus, & in omni vita, vt nulla possit esse maior, & præstantior, ac gloriosior aduersus se ipsum victoria? Itaque, vt paulo ante posui, etiamsi nihil esset aliud in religione, quã hæc tria, quæ sunt in cõspectu, tanta tamẽ esset eius dignitas, ac species, vt in omnib⁹ & amorẽ, & admirationẽ excitare possit. Verũ, vt dixi, tanta hæc bonorum moles cõsistere nõ posset, nisi aliis etiã quibusdã bonis fulcirentur, id est, aliis virtutibus, quæ partim præcedunt has ipsas, partim eas necessario comitãtur. Atq; vt ab iis incipiam⁹, quæ ideo Theologicæ vocantur, quod earũ materia, in qua versantur, Deus est, apertum est, religiosum statũ cõstare non posse non solũ sine fide, sed sine magna, & excellenti fide. Nã religiosus quisq; hoc facit, vt propter verba labiorum Domini deserat ea quæ habet, nẽpe quę videt, pro iis, quæ nõ videt, præsentia pro futuris, & tãto post tempore futuris; quod quidem nemo vmquam faceret, si non illa futura multo certiora præsentib⁹ existimaret, qui est maximus, & altissimus fidei gradus. Idem quoq; de spe dicere licet, cuius cum duo sint munera, vnũ præcipuum circa gloriã cœlestẽ, hanc quidẽ religio, licet venturã, tam certo repræsentat, ac si iam manu teneretur, quoniã, vt de fide diximus ob illam spẽ dimittit quę iã manu tenet; alterũ deinde secũdũ munus est in sperãdis huius præsentis vitæ subsidiis: quod quidẽ vbi magis exercetur, quã in religione, quæ vni⁹ Dei fiducia omnibus se expoliat, quæ ad vitæ vsum pertinent, seque ad perfectissimã nuditatem redigit? Itaque non solũ magna, & ampla est religiosorũ spes, fidesque, sed, vt mihi videtur, eiusmodi, vt in hoc mũdo, & in hac peregrinatione vix maior esse possit: maxime cum nõ de re vna, aut de plurib⁹ quidẽ reb⁹, sed leuioribus agatur: agitur enim plane de omnib⁹ simul, & de vita ipsa, quę tota Deo donatur. Sequitur Caritas, quæ vna virt⁹ vel pręcipue in religionis visceribus, ipsaque essentia insita est. Est enim triplex eius

fœtus,

fœtus, in Deum, in fratres eiusdē instituti, & in ceteros omnes proximos. In Deū quidem, quia cum solus Dei amor animā impellat in illā arctam viā, necesse est omnino magnam ei⁹ esse vim, & flammā caritatis, quæ ceteras omnes caritates eiiciat, fratrum carnalium, parētum, diuitiarum, & omnium cōmodorum, denique etiā sui ipsius. Nō enim vllus illa omnia propter Deum deserere posset, nisi Deum multo plus quā illa diligeret. Atq; hæc quidem initia tantum sunt, & prima rudimenta. Nā deinde quotidiana religionis officia, omnesq; eius exercitationes, orationes, meditationes, nihil aliud spectant, nisi vt hūc Dei amorem assiduis incrementis prouehant. Ab hoc autem fonte cum deinde beneuolentia in proximos descendat, ac fluat, primi quidem ij sunt, quos Deus eiusdem instituti, eiusdēque vitæ professione deuinxit, ex quo antiquô more factū est, vt ij inter sese fratres dicerentur. Atque hic quidem nexus totus caritatis est. Cum enim, vt ait Aristoteles, omnē humanam consociationem in alicuius rei cōmunione fundari necesse sit, vt vectorum in nauigatione, commilitonum in re bellica, condiscipulorum in doctrina magistri, mercatorū in pecunia; qualis erit res illa quæ in medio versatur, talem etiam esse oportet illam consotiationem. Videamus igitur quodnam vinculum, quæ colligatio sit inter religiosos, non sanguinis, & propinquitatis, cū sint disiunctissimi, nō vllius humani pacti, aut cōuenti: deniq; cum omnia lustrauerimus, nullum alium inter eos nodum reperiem⁹, quam istius amoris supernaturalis, qui caritas est; vt religiosam coniunctionem ab vna caritate nasci necesse sit, & in ea semper fundari, aut omnino interire. Atque, vt antea de Dei amore dicebamus, idē de hac fraterna beneuolētia dici potest, post hūc eius tam generosum, & nobilem ortū, multa deinde consequi: quæ eam quotidie magis ac magis adaugeant. Inter quæ prima est similitudo, quæ magnam vim habet ad animos conglutinandos: ea vero inter religiosos eiusdem ordinis tanta est, quanta potest esse maxima studiorum, morum, rituum, atque ipsius etiam habitus, & cultus externi. Accedit ipsa virtus, quæ etiam in hoste est amabilis, tum consuetudo, & conuictus diuturnus, ex quo necesse est multa proficisci officia, & obsequia, quæ cum ex beneuolentia oriātur, tum vero eidem beneuolentiæ quasi oleum instillant, vt semper ardeat, semperque crescat. Restat tertius ille fœtus caritatis, emanās etiam ad omnes externos.

8. Eth. cap. 9.

ternos. Nam nisi quæ sint instituta ad vnam contemplationem facta, quæ tamē ipsa suo modo salutem proximorum, saltem precibus, ac desideriis, promouent, reliqua certè ita proximis deseruiunt, vt omnia pene eorum studia illo dirigi videantur. Hunc religiosę cuiusque familiæ affectum in proximos declarant opera ipsa, non ea solum, quæ foras prodeunt, vt concionando, docēdo, exhortando, sed etiam interna illa, vt vigiliæ, lucubrationes litterariæ, labores, exercitationes; quæ omnia nō ad propriam, sed ad aliorum vtilitatem referuntur. Quæ si quis consideret, hoc fatebitur, religiosos, vt Paulus de se dicebat, omnium seruos factos esse, cum se ita in eorum causam totos demiserint, vt, post salutis propriæ studium, nihil aliud agant, quam de illorū salute, ac vel in opere cum illis versentur, vel ea comparent, quæ ad opus illud necessaria sunt: & denique, quoties aduocantur, vel inuitantur, ita præsto sint, vt famuli ad dominorum nutus. Satis igitur apparet, religioso instituto intrinsecam esse caritatem, quæ quasi glutinum est ad animas & inter se ipsas & cum Deo deuinciendas; quo glutino dissoluto, ipsos quoque religiosos ordines dissolui necesse sit, quoniam nihil habent aliud, quod teneantur. *1. Cor. 9.*

Sequuntur deinde morales virtutes, quarum prima, & ceterarum lumen est prudentia, quæ virtus ita in religione inest, vt sine ea nec intelligi possit. Ea enim sic ab Augustino definitur, Cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum; quæ cognitio vbi magis vigeat, quam in religione? Rectè enim B. Thomas prudentiam ait non in sola ratione consistere, sed magnam etiam partem pendere ex appetitu recto, ideoque potius per affectus deprauatos, quam per obliuionem corrumpi. Ex quo etiam sequitur, quod idem tradit, in homine peccatore non esse posse perfectam prudentiam: hanc enim esse quæ vero totius vitæ fine constituto, ad eum deinde consequendum, rectum consilium, rectum iudicium rectum etiam præceptum (hæc sunt enim tria huius virtutis opera) accommodat. Hunc igitur finē quid melius in homine definit, quam religio, quæ totum hominem, qui Dei vnius causa creatus est, ad Deum vnum conuertit, eumq; ita cogit in illius ius, ac dominatū, vt nihil non modo aliarum rerum, sed ne sua quidem ipsius causa agat? tum vero demōstrat quid ad Dei gratiā promerendam, quid ad dæmonis insidias præcauendas requiratur, quid agēdum, quidve vitādū sit in omnibus *li. 83. q. 61.* *1. 2. q. 47. ar. 16. art. 13.*

vitæ nostræ functionib⁹. Hęc sunt opera illius laudatæ, necessarięque prudentiæ, non quę à vulgo creduntur, rationes tenere ditescendi, aut honores quærendi, quæ callidi- tas potius appellanda est, quippe quæ non verum vniuersæ vitæ finem attingit, sed vel peculiarem alicuius causæ, ac negotij, vel etiam prauum, & corruptum; quorum alterum ad imperfectam, alterum ad falsam pertinet prudentiam. Sed apertius etiam, & clarius elucet in religionis essentia virtus iustitiæ: primum enim longissime abest ab omni iniuria aliis inferēda: nam ipse status, vt nihil sit aliud, religiosos omnes auocat, & arcet ab iis negotiis, quę fraudis, ac doli occasionem præbere solent. Sed illud maximum, quod cum iustitiæ officium sit, suum cuique tribuere, illudque in primis, reddere quæ sunt Dei Deo, in hoc vno religionis tota natura consumitur. Omnia enim Dei sunt, tum nostra, tum etiam nos ipsi. Qui ergo ita aliquid ex iis quæ habet, vel ex se ipso, sibi retinet, vt id Deo non restituat, is sine dubio in Deum iniustus est, multoque intolerabilius iniustus, quam si alterius hominis rem raptam retineret. At religionis hic scopus est, hic finis, vt omnia primum quæ extra nos sunt, deinde quæ etiam intra nos, denique nos totos diuino numini restituat, qua sane quasi breui summa omnes perfectæ iustitiæ partes continentur. Iam vero quod ad temperantiam attinet, quis dubitet, quin eius propria, vt ita dicam, sedes sit religio? Versatur enim, vt scripsit Aristoteles, in refrenandis, moderandisq; corporis delectationibus omnibus quidem, sed iis præcipue, quę tactu percipiuntur: quarum delectationū cum duo sint genera, alterum quod nostro corpori sustentando per cibum, & potionē, alterum quod aliorum corporum propagationi seruit, alteras quidem religio ita cohibet, & restringit, vt necessitatis regulę subiiciat, in quo ipso adiuuat etiam paupertas bona mater frugalitatis, & sobrietatis: alteras, quarum etiam importunior, & acrior est impetus, ita præcidit, vt totas à se tāquam pestem longissime relegare studeat. Atq; Aristoteli quidē, & reliquis philosophis satis visum est ad temperantiæ laudem, vt has voluptates ad mediocritatem redigeret, nec amplius ausi sunt ab humana natura postulare. Quāto igitur maior est religionis laus, quæ non iis temperandis cōtenta est, nisi etiam omnino, ac penitus profliget, atque exterminet? Superest igitur fortitudo, quam fortasse quispiā in

3. Eth. c.10.

in religione locum non habere crediderit, propterea quod non armis, & castris depugnat, nec aliquid eorum agit, quæ lacertis, lateribúsque præstantur; quod si ita esset, nemo plane fortior censendus esset, quam taurus, aut elephas. Alia est igitur eius virtutis forma, eáque, si Gregorio potissimum credimus, ex animi habitu definienda. Iustorum, inquit, fortitudo est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare. Quibus Gregorij verbis nónne religiosæ vitæ munera, ac studia plane descripta videntur, vt in iis veram fortitudinem inesse fateamur? Etenim si fortes existimari solent, qui aduersus homines strenue se gesserunt, multo certe magis hæc laus religiosis debetur, qui in hac continua pugna ita versantur, vt hostes multo quam ipsi sint natura valentiores, & quidem numero etiam longe plures, vincant tamen, & superent. *7. Mor. cap. 8.*

Ad has morales virtutes, quæ sunt præcipuæ, accedunt etiam aliæ, quæ sunt quasi propagines harum, quemadmodũ patientia, cuius & laus magna, & vis ita necessaria, vt cum multa in religione sensui duriora occurrant, non possit diu durare, nisi illius robore confirmetur. Hanc igitur tantam virtutem religio tum necessario, vt dixi, requirit, tum etiam quotidiano vsu exercet, & roborat. de quo sapienter dictum est ab Ambrosio in laudem Eusebij Episcopi Vercellẽsis. Hæc, inquit, patientia in S. Eusebio monasterij coaluit vsu, & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum patientiã. Sed hæc quidem virtus clarior est in religione. De liberalitate fortasse magis ambigi possit, cum religiosi nihil sibi reseruent, quod tribuant. sed tamen ne hoc quidem bono caret religio: quoniam, vt ait Aristoteles, virtus hæc, vt reliquæ, mentis habitu æstimanda est. quare quisquis ita fuerit affectus, vt pecuniam negligat, & eam, si haberet, in laudabiles vsus conferre paratus sit, is vere liberalis iudicandus est. Itaque, vt idem philosophus confirmat, nihil impedit, quin etiã pauperes liberales esse possint. Quod si ita est, tantum abest, vt hæc virtus religiosis neganda sit, vt ipsis potius præcipue conueniat. Quis enim diuitias magis ex animo contemnat, quam ipsi, qui non modo eas non inquirunt, aut ambiunt, sed etiam auri montes, si offerãtur, repudient? Accedit quod quicquid est illud dignitatis, ac magnificentiæ, quod in pecu- *Epi. 25.* *4. Ethic. cap. 1.*

Reg.fuſ. cap.9. niis expendẽdis ineſt, id illi iam effecerunt, cum eas vna cum mundo reliquerunt, præſertim ſi id quoque exſequi potuerunt, quod & Baſilius monet, & Fräciſcus factitauit, &, quod
Matt.19 caput eſt, Chriſtus ipſe præcepit, vt in pauperes ſubleuandos eas effunderent. Nam qui in ſuas libidines inſumunt, qui
4.Eth.1. grandem pecuniam in palatia, vel hortos coniiciunt, eos vel Ariſtoteles ipſe negat eſſe liberales. Sic igitur ne liberalitatis quidem amplitudo religioni deeſt, & potius ea vel præcipue exornatur. Verum neque hæ, neque aliæ virtutes ita propriæ videntur religioſi ſtatus, aque humilitas. Primum enim ipſa religio nihil eſt aliud, quam abdicatio omnium honorum huius mundi; quod ipſum humilitatis eſt: deinde id vnum etiam agit, vt ſe quam maxime deprimat, fugiátque omnem famam ac nominis celebritatem, potiúſque omnibus ſubeſſe velit, quam præeſſe vel vni; denique nulli rei ita ſtudetur in religione, quam vt omnes ſeſe ſemper quaſi certatim ad infima demittant. Itaque hic mihi potiſſimum videtur illud Domini præceptum impleri, Recum-
Luc.14. be in nouiſſimo loco. Hic enim eſt nouiſſimus locus, abiicere ſe ſub omnium pedibus, ſéque omni facultate, atque etiam voluntate exſpoliare: quoniam qui nihil retinuit, nullum iam inferiorem locum reliquit, quo deſcendat. Recumbitur autem in hoc loco, & in eo quieſcitur; quoniam humilitas iſta non vnius tantum, aut alterius actionis eſt, quod interdum faciunt etiam aliqui ſeculares, ſed totius vitæ, quoniam in ipſo ſtatu incluſa eſt, qui totam vitam complectitur. Ac præter hanc ſtatus humilitatem accedit deinde etiam exercitatio humilium operũ, quam tamen affert idem ſtatus, vt ſit quotidiana, vel potius aſſidua, vt qui claris orti natalibus ingenue, ac delicate etiam nutriti fuerant, & quibus antea plures famuli adeſſe conſueuerant, eos deinde videas famulares omnes obire functiones, eáque facere, quæ
Epi, 25. S. Hieronymus in Paula & Euſtochio nobiliſſimis fœminis adeo commendat; concinnare lucernas, ſuccendere focum, pauimenta verrere, mundare legumina, olerum faſciculos in feruentem ollam deiicere, apponere menſas, calices porrigere, effundere cibos, huc, illúcque diſcurrere; quæ omnia opera ita ab humilitate veniunt, vt & illam humilitatem indicent, quam ſtatus affert, & eandem quotidie magis ac magis augeant

Hæc igitur de virtutibus. Idem vero affirmare licet de donis omnibus Spiritus ſanctis Vbi enim perfectius viget ſapientia,

pientia, quam hic, vbi lumen illud lucet, quod nos docet tanti rem quamlibet æstimare, quanti æstimanda est, id est, cœlestia, & diuina magni, terrena nihili? Ex quo illud est Augustini, Initium sapientiæ, inquit timorem Domini dicit Propheta. Quid est autem initium sapientiæ, nisi sæculo renunciare, qui sapere secularia stultitia est? Vbi etiam magis viget intellectus, qui rerũ interiora acutissime perspicit, vnde venerint, & à quo facta sint, quid pulchritudinis habeant, quid afferant vtilitatis, quomodo in iis earum auctor cognoscatur? Scientia autem, tamquam arbor illa in medio paradisi, ex qua boni, & mali iudicium accipi poterat, hic etiam vel maxime floret; neque tamen, vt illic, attingere vetamur, quin potius frui iubemur. Idem de consilio, idem de fortitudine dici potest, quorum alterum contra præcipitationis vitium animam confirmat ne labatur, ac ruat, altera ita corroborat, vt in aduersis etiam gaudeat, & triumphet. Denique ad hæc omnia accedit etiam pietas, quæ cordis duritiem emollit; vt liquescat in Dei, & proximorum amore; accedit & timor, qui facit vt quisque sibi, suisque viribus minime confidat, sed, vt monet Sapiens, semper sit pauidus. Qui quidem timor maxime proprius, & maxime insitus est religioni. Hæc enim vnica, aut certe præcipua causa est, quæ homines à seculi deliciis ad Dei iugum subeundũ, & ad salutarem hanc fugam impellat; quoniam mundi pericula, Satanæ malitiam, propriámque imbecillitatem cognoscentes, hoc solum vident perfugium, vt se in religione sub Domini alas tamquã parui pulli, miluo ingruẽte recondant, ibíque se tamdiu teneant, donec transeat iniquitas, atque huius vitæ miseria, quæ tota malitia appellatur super terram.

In Psal. 118.

Prou. 28.

Iob. 7.

Quare vt hunc locum concludamus, cum religiosus status tot, tantísque abundet virtutibus, quid aliud eum esse dicemus, quam egregiam quandam coronam, aut aureum diadema ex omni gemmarum, atque vnionum, & margaritarum genere compactum, vt cui ea corona detur, eidem illas etiam gemmas dari necesse sit? Sic enim cui religionis mens inspiratur, eadem opera, eodémque tempore tot hæc bona, tot opes, tantíque thesauri quasi in sinum deferuntur. Vt enim cum homo gignitur, necesse est omnia ei tribui, quæ sunt ad hominis constitutionem necessaria, corpus cum suis membris, animam cum suis item partibus, & facultatibus, quoniam alioqui non sit homo; etsi deinde & corpus, quod initio paruum, ac pusillum est, tempore, atque alimento

augeri oportet, & animus adhuc rudis, cultura, ac studio perficiendus est: sic plane cum Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse in alicuius corde illuxit, eúmque eripiens de potestate tenebrarum, dignum fecit in partem hanc sortis sanctorum in lumine, necessarium est, vt omnes ei virtutes, quæ ad hunc statum conficiendum necessariæ sunt, impertiat, illam paupertatem, illam fidem, illam humilitatem, atque obedientiam, & ceteras, quas commemorauimus, alias expresse, alias saltem implicite, & in aliis quidem earum habitu infuso, in aliis saltem infuso affectu, & quodam earum desiderio cum firma animi deliberatione: etsi hæ quoque virtutes proprio deinceps studio & conseruandæ, & augendæ, ac prouehendæ sunt. Ex quo sane apparet beneficij huius diuini magnitudo; quoniã si nostro labore, atque opera comparandæ essent, qua opera, & quo labore opus esset, quamtúmque esset in singulis desudandum, cum & numero tam multæ, & difficultate ita sint arduæ? Nunc autem cum in religioso statu omnes includantur, & qui hunc statum donat, id est Deus, illas etiam donat, & qui hunc statum recipit, illas etiam simul recipit.

Quanta sit perfectio religiosi status.

CAPVT X.

HOc virtutum concursu posito, ex quo religiosum statum ita conflari monstrauimus, vt corpus ex suis membris, facile iam est videre, vel potius per se iam euidens est, quam magnam oporteat esse huius status perfectionem. Nam cum eius naturæ, quæ ratione prædita est, nulla alia possit esse vera perfectio, quam virtutis, omnino sequitur, ídque necessario, nullo eam instituto magis ornari, illustraríque posse, quam eo, in quo & omnes sint virtutes, & gradũ tam excellenti. Est hoc igitur modo videndum, & potissimum ex sanctorum Patrum sententiis, ne, nostra proferendo, nobis fortasse assentari videamur, &, quod est in prouerbio, artem nostram iactare. In primis igitur Dionysius
Eccles. auctor antiquissim⁹ & post sacros scriptores grauissim⁹, Epis-
Hierem. copalem ordinem perfectiuum vocat, quoniam ad alios per-
cap.5. ficiendos dirigatur, monachorum autem ordinem, de quo idem multa præclara commemorat, perfectorum. quod
Caiet.2. idem Theologi nostri aliis verbis dicere solent, hunc quidem
2.q.189. statum esse perfectionis propriæ, illum autem alienæ. Basi-
art.3. lius vero in quodam sermone de monachi institutione illum ait,

ait, qui seculo nuncium remisit, hoc in primis cogitare, *Serm. 1.*
sempérque animo versare debere, se iam vltra humanæ naturæ fines processisse, séque ipsum ei instituto tradidisse, quod sit quam maxime à corpore seiunctum, ac propterea Angelorum conuersationem imitandam suscepisse: siquidem hoc angelicæ naturæ proprium est, liberum esse à vinculis terrenis, nec omnino distrahi ad aliam vllam pulchritudinem contemplandam, sed oculos in Dei vultum assidue defixos habere. Hæc omnia S. Basilius de hoc institu- *Serm. 2. de mon. inst.*
to, quod idem quoque alio loco sublime, & excellens vitæ genus appellat. Hieronymus vero in epistola ad Hedibiam; Vis, inquit, esse perfecta, & in primo stare fastigio dignita- *Epist. 150.*
tis? fac quod fecerunt Apostoli. Vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudam, solámque crucem virtute nuda sequaris. Atque idem quoque Hieronymus in altera epistola ad Demetriadem, Apostolici fasti- *Epist. 8.*
gij est, perfectæque virtutis, vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem, atque expeditum cum Christo ad cœlestia subuolare. Quamquam in hoc omni ætati, omníque personæ libertas arbitrij relicta sit. Si vis, inquit, perfectus esse. Non cogo, non impero, sed propono palmam, ostendo præmia. tuum est eligere, si volueris in agone, atque in certamine coronari. Sed luculentius idem, & vberius ad Iulianum. Et hoc hortor, si vis esse perfectus, si Apostolicæ *Epist. 34.*
dignitatis culmen cupis, si sublata cruce Christum sequi, si apprehenso aratro non respicere post tergum, si in sublimi recto positus pristina vestimenta contemnis, & vt euadas Aegyptiam dominam, seculi pallium derelinquis. Vnde & Helyas ad cœlorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundo immunda vestimenta dimittit. Sed hoc ais Apostolicæ dignitatis est, & eius, qui velit esse perfectus. Cur autem & tu nolis esse perfectus? Cur qui in seculo primus es, non in Christi familia primus sis? Idémque paulo post. Quod si teipsum, inquit, Domino dederis, & Apostolica virtute perfectus sequi cœperis Saluatorem, tunc intelliges vbi fueris, & in exercitu Christi quam extremum tenueris locũ. Extremum locum appellat Hieronymum eum, in quo tum erat Iulianus is, ad quem scribebat, vt adhuc in seculo, non tamen malus homo, aut vitiosus, quin potius probus, & inter seculares quidem virtute, ac pietate facile princeps, quippe & cœlebs, & qui, vt idem Hieronymus ait, ex opibus, quas amplas habebat, monachorum greges aleret; quem

tamen talem virum, & cum tanta opera efficeret, non dubitat inter extremos in Christi exercitu collocare. Similia sunt apud Augustinum multis in locis, sed præcipue in libro
Cap.31. quem scripsit de sancta virginitate, Cum, inquit, perpetuæ continentiæ professores se coniugatis comparantes secundum scripturas compererint, eos infra esse, & opere, & mercede, & voto, & præmio, statim veniat in mentem quod
Eccl.3. scriptum est, Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus. Est etiam egregiá eius epistola, in qua & alia multa de
Ep.89. huius vitæ laudibus, & illa in primis legimus, quod consi-
q.4. lium hoc de rebus suis relinquendis, grande, ac præclarum vocat, & hanc ait excellentiorem esse perfectionem, quam legis mandata: & denique eos, qui perfectionis istius consiliū receperunt, vt vendita sua pauperibus distribuerent, & humeris ab omni seculi huius sarcina liberioribus leuem Christi sarcinam ferrent, id ex quadam mentis excellentia fecisse affirmat, alios autem, qui id non perfecerint, infirmiores, & huic gloriosissimæ perfectioni minus idoneos vocat, quamquam & hos quoque, si Dei præcepta seruauerint, si diuitiis ita vsi fuerint, vt eas habeant tamquam nō habentes, salutis æternæ participes fore. Gregorius quoque cum mul-
8.Mor. ta alibi, tum illud præclare in illud sancti Iob dictum, Despe-
cap.15. raui, nequaquam vltra iam viuam, Sunt nonnulli iustorum, qui sic cœlestia appetant, vt tamen à terrenorum spe minime frangantur, largita diuinitus patrimonia ad necessitatis subsidia possident, honores sibi temporaliter impensos retinent, aliena non ambiunt, suis licite vtuntur. Et sunt nonnulli iustorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui se rebus habitis nudant, gloria honoris exspoliant, habere de exterioribus consolationem nolunt, qui in-
Col.3. ternis gaudiis dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant. Talibus namque per Paulum
Luc.9. dicitur, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum
Luc.14. Christo in Deo. Hinc per semetipsam Veritas admonet di-
Hom.11. cens, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum &
in Leu. rursus, Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Afferamus inter hos etiam Origenem, auctorem doctrina, & antiquitate grauissimum, cuius illa sunt certe optima. Si quis se ipsum deuouerit Deo, si quis se nullis negotiis secularibus implicauerit, vt ei placeat, cui se probauit, si quis separatus est, & segregatus à reli-
quis

qui omnibus, qui carnaliter viuunt, & mundanis negotiis obligati sunt, non quærens ea, quæ super terram, sed quæ in cœlis sunt, iste merito sanctus appellatur. Donec enim permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat Deo soli, nec segregatus est à vulgo, non potest esse sanctus. Tu ergo, qui hæc audis, cum lex diuina recitatur, quem ipsius Dei sermo conuenit dicens, Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester, sapienter intellige quæ dicuntur, vt sis beatus cum feceris ea. Hoc est enim quod dicitur ibi, separa te non solũ ab omni homine, sed etiam fratre inquiete ambulante, separa te à terrenis actibus, à concupiscentia mundi, deououe te Deo tamquam promigenitum vitulum, esto sanctus, & segregatus vsibus tantum sacerdotum, tamquam primogenitum animal mancipatus. Segrega te, & secerne tamquam phiala sancta, & sancta thuribula solis templi vsibus, & Dei ministerio vacans, esto sanctus, & segregatus intra templum Dei, tamquam sancta indumenta Pontificis. Denique huc etiam pertinet illa tam luculenta beati Bernardi sententia in laudem religiosi status, cum ei tribuit singularem (sic enim ait) excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus professores, & amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo. *Deprec. & disp.*

Præterea hæc religiosæ vitæ perfectio illa re præcipue ostenditur, quod à sanctis Patribus apostolica vita, & apostolicus status appellari solet: quod cum dicunt, eam in summo sanctitatis fastigio collocant. Nõ enim dubitari potest, quin in omni euangelica perfectione principem locum Apostoli obtinuerint, nempe & ipsius Christi discipuli, & totius orbis magistri, & qui denique primitias spiritus, vt prædicat Paulus, acceperunt idq; ita abunde, vt dies ille Pentecostes declarauit. qua de re egregie Bernardus idem in sermone quodã ad suos fratres. Quid est, inquit (gratias illi, cuius gratia hoc totum factum est) quod vita vestra vitam apostolicam repræsentet? Illi reliquerunt omnia, & in schola Saluatoris sub eius præsentia congregati hauserunt aquas in gaudio de fonte Saluatoris, ipsum vitæ fontem in ipso fonte bibentes. Beati oculi qui viderunt. Numquid non & vos, nõ in præsentia, sed in absentia ipsius. nõ ad verba oris eius, sed ad vocem nunciorum eius simile aliquid fecistis? Defendite vobis *Rom. 8.* *De quadru. debi.*

hanc prærogatiuam, quod illi ad viſum, & ad-verbum, eos ad auditum, & nuncium credidiſtis. Hic igitur religioſum ſtatum Apoſtolorum dignitati non ſolum comparare, ſed etiam ex ea parte præferre audet, quod, vt dixit Dominus, beatiores ſunt qui non viderunt, & crediderunt. Sed illud multo amplius, & luculentius, quod alibi non ſolum Apoſtolis, ſed Prophetis, & ipſis Angelis ſtatum hunc conferre non dubitat. eius hæc verba ſunt, Videtis fratres qualem ſpiritum accepiſtis, ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciatis quę à Deo donata ſunt vobis. Audiuimus apoſtolicum, audiuimus & propheticum, etiam angelicum gradum, quibus nihil à nobis arbitror poſſe ſublimius affectari. Sane è ſingulis mihi video in vobis ali uid, & magnum aliquid inuenire. Quis enim cœlibem iſtam vitam, cœleſtem, & angelicam dicere vereatur? Aut quod in reſurrectione futuri ſunt omnes electi, quomodo non iam nunc eſtis, ſicut Angeli Dei in cœlo, à nuptiis penitus abſtinentes? Amplectimini, fratres, precioſiſſimam margaritam, amplectimini ſanctimoniam vitæ, quæ vos efficit ſanctorum ſimiles, & domeſticos Dei, dicente ſcriptura, Incorruptio facit eſſe proximum Deo. Ita ergo non veſtro quidem merito, ſed gratia Dei eſtis, quod eſtis, quod ad caſtitatem, & ſanctimoniam ſpectat, angeli quidem terreni, aut potius cœli ciues, ſed interim in terra peregrini. De prophetia quid dicimus? Magnum ſane prophetandi genus, cui vos deditos eſſe conſpicio, magnum prophetiæ ſtudium, cui vos video mancipatos. Quod illud? nempe iuxta Apoſtolum, non conſiderare quæ videntur, ſed quæ non videntur, ſine dubio prophetare eſt. Ambulare in ſpiritu, ex fide viuere, quę ſurſum ſunt quærere non quæ ſuper terram obliuiſci quæ retro ſunt, extendi in anteriora, ex magna parte prophetare eſt. Alioquin quonam modo, niſi per ſpiritum prophetiæ, noſtra conuerſatio in cœlis eſt? Sic nimirum Prophetæ olim quaſi non inter homines erant ſui temporis, ſed virtute, & impetu quodam ſpiritus dies illos tranſilientes exultabant, vt viderent diem Domini, & videbant, & lætabantur in ea. Sed & profeſſionem apoſtolicam audiamus. Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Si gloriari licet, habemus gloriam, ſed ſi ſapimus, habere curabimus apud Deum. Nã neque manus noſtra excelſa, ſed Dominus fecit hæc omnia. Fecit nobis magna qui potens eſt, vt merito magnificet anima noſtra Dominum. Ipſius enim magno munere factum eſt, vt magnum illud propoſitum, vnde magni gloriabantur

Ser. 2. Hac eſt gen.

Sap. 6.

2. Co. 4.

bantur Apostoli, magnifice sequeremur. Hactenus Bernardus ita religiosum institutum laudat, vt tribus illis gradibus magna ex parte exæquet. Nunc videamus, quod multo maius, excellentiusque est, vt etiam præponat in quibusdã. Forte etiam inquit, si in hoc quoque voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem enim dicam: esse hic aliquos, qui plusquam nauem, & retia reliquere. Quid vero illud, quod ipsi quidem Apostoli reliquerant omnia, sed vt præsentem in carne Dominum sequerentur? Non est nostrum dicere, securius ipsum Dominum audiamus, Quia vidisti me, inquit, *10.20.* Thoma credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt. Forte etiam prophetandi genus excellentius esse videbitur, non intendens quibuscumque temporalibus rebus & transituris aliquando, sed spiritualibus, & æternis. Nihilominus in vase fictili thesaurus castitatis illustrior, in carne fragili ex aliqua parte probabilior virtus. Vbi ergo angelica in hoc corpore conuersatio, in corde prophetica expectatio, in vtroque apostolica perfectio inuenitur, quantus iste cumulus gratiarum? Hæc Bernardus; quibus quid ordinatius, aut gloriosius dici poterat de religiosis institutis? sed tamen quid hominum testimonia quærimus, cum ipsius Veritatis, ipsiusque Dei oraculum teneamus? Eius enim est illa de hoc statu sententia. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & veni sequere me. Est autem considerandum, & cui hæc dixerit, & quæ dixerit. Dixit enim non improbo aut impuro homini, sed probo, ac frugi, nimirum qui Dei præcepta omnia toto vitæ tempore obseruasset, nullum vmquam violasset, ei denique, quem intuitus Dominus dilexit. Quis igitur non hunc perfectum putasset, qui in diuina lege implenda adeo diligens, & exactus fuisset? Verum hoc ei dicitur, Vnum adhuc tibi deest, atque id quidem tam magnum, & grande, vt ille vnicum hunc gradum etiam à Domino inuitatus exhorruerit. Hæc igitur perfectio, quæ huic deerat, videamus vbi sit. Si vis, inquit, perfectus esse, vade, & vende omnia. Ergo qui omnia vendiderit, id est, omnia reliquerit, & Christi disciplinam sequutus, sit, ille in statu perfecto est: qui nondum id fecit, etiamsi reliqua omnia fecerit, ei adhuc vnum deest. Quare hoc positum iam sit non solum ex sapientum, & sanctorum hominum, sed etiam ex diuina ipsius Christi auctoritate, religiosæ vitæ perfectionem summam esse, &, quod ad propriæ animæ ornatum attinet, nullum esse altiorem, aut eminentiorem statum.

Matth. 19.

Potest autem hæc eius præstantia ex ipsius etiam intrinseca natura demonstrari. Primum ex eo quod religio ex genere consiliorum est, & quidem ex præcipuis consilijs, vel verius præcipuum, maximumque consilium. Declarat hoc ipsa verborum formula, qua à Saluatore, vt modo diximus, propositum est, Si vis. Nam vt tum iuueni illi, ita nunc singulis non alio modo proponitur, quam si velint. Est autem consilium præstantius præcepto ob multa. Primum ex materia: huius enim materia facilior, illius difficilior. hæc sumpta est ex principijs naturæ, illa naturam superat. Et præcepti materia semper quidem bona, sed cōsilij melior, quia consilium continet, includitque præceptum, & insuper aliquid etiam adiungit. Præterea præcepta sunt omnibus communia, magnis, & paruis, sapientibus, & insipientibus, consilia non omnibus, immo non nisi ijs, qui ea sponte admiserunt. Illa igitur obligant etiam inuitos, hæc voluntaria sunt, ac libera, nisi post initam vltro obligationem. Illa obseruata habēt prēmium, neglecta pœnam: consilia, si non seruentur, nullam afferunt pœnam, si seruentur, maius præmium merentur. Alterum caput ex quo religionis perfectio ducitur, est magnitudo, & præstantia earum actionum, quæ ex religione prodeunt, quæ non modo naturæ vires superant, sed etiam tanto interuallo superant, vt sine vberrima gratiæ copia sustineri non possint. Etenim frenare sensus, carnem castitati subigere, voluntatem propriam penitus mactare, exuere se libertate ac perpetuæ cuiusdam seruitutis iugum subire, colere paupertatem nihil possidere, infima obire ministeria, præsto esse ad omnia alterius hominis iussa, totiusque vitæ suæ rationes ex alterius arbitrio suspensas semper habere, hæc, & reliqua eiusmodi multa, quę vitæ religiosæ ita propria sunt, vt sine ijs nulla sit religio non minus naturæ repugnant, corruptæ præsertim, quæ tota in sui ipsius amorem curuata sit, quam humano corpori per aërem volare. Vt enim hoc corporis grauitas impedit, sic illis omnibus animi grauitas, & corruptio obstat. Quod si ita est, quid est aliud religiosus quam perpetuum miraculū in terris, & quod religiosi, totidem miracula? Bene de hoc etiam Bernardus, Quod maius, inquit, miraculum, quando totiuuenes, tot adolescentes, tot nobiles, vniuersi denique, quos hic video, velut in carcere aperto tenentur siue vinculis, solo Dei timore confixi, quod in tanta perseuerant afflictione pœnitentiæ, vltra virtutem humanam, supra naturā, contra

Ser. 1. Dedic. eccle.

contra consuetudinem? Ipsi credo videtis quanta iam possemus inuenire miracula, si perscrutari sigillatim liceret singulorum exitum de Ægypto, & deserti viam, id est, abrenunciationem sæculi, introitum monasterij, in monasterio conuersationem. Quare quæ maior esse possit virtutis perfectio, quàm in religione, vbi etiam ad miraculum vsque perfecta est?

Est autem hoc loco id quoque animaduertendum, duplicem esse omnis rei perfectionem, vnam sine qua rei natura perfecta non est, vt si homini, vel anima, vel corpus desit, quæ si vtraque habeat, hominis in eo natura perfecta, & completa esse dicitur: alteram, quæ insuper venustatem, & speciem addit, qua si res careat, etiamsi natura completa sit, tamen adhuc imperfecta dicatur, vt homo si animam quidem,& corpus habeat, sed illud tamen corpus deforme, ac distortum sit. Sic igitur duplex est etiam perfectio Christiani hominis, vna quodammodo essentialis, quæ consistit in plena præceptorum obseruatione. Verum hæc perfectio si sola sit, adhuc tamen imperfecta, & manca est: deest enim nitor quidam,& forma, ac venustas, quæ quidem existit ex consiliis insuper seruandis; isque est alter perfectionis gradus multo maior, & melior. Hæc igitur perfectio eiusmodi res est, vt quicumque eam oculis corporis tueatur, facere non possit, quin eius amore & desiderio accendatur. Tanta enim vis est boni, ac decori,& pulchri, vt cum vel animo, vel sensibus proponitur, non possit non expeti, etiamsi eius tenuis species eluceat in re parua, ac minuta, non modo in magnis, atque præclaris. Nam non modo hortus bene consitus, vel domus aptè ædificata, vel aliquid eiusmodi maius, sed flos vnus, aut pomum, aut quidpiam ex arte confectum, in quo eius, quod dixi, pulchri aliqua significatio appareat, omnia in suo quæque genere delectant, & placent: sed multo tamen magis, quo res ipsa, in qua perfectio insit, per se perfectior, & præstantior fuerit. Nihil est autem ex omnibus rebus creatis melius animo. quare huius ornatum, & perfectionem necesse est vnam rem omnium esse pulcherrimam, & maximè expetendam. Nam si corporis pulchritudo mouet oculos ea conuenientia membrorum, & coloris, & partium, qua omnes inter se cum quodam lepore consentiunt, cur non multo magis hoc ipsum decorum, & perfectum, si in animo emineat, non solum approbationem mouebit, sed etiam admirationem? Quod si nemo est, cuius si in potestate

fuerit

fuerit corpus ſibi fingere, mutilum, aut claudum, aut turpe eligat, cuius dementiæ eſt, animum velle prauum, & imperfectum? Immo verò in ceteris quoque omnibus rebus optima quæque, & perfectiſſima inquirimus; ſi iumentum emendum, ſi domus ædificanda, ſi veſtis, ſi calceus etiam comparandus, ſtultus ſit qui de induſtria deteriora velit, cum poſſit habere meliora. Ac in nobis etiam ipſis ceteram omnem excellentiam cupide expetimus, nam qui litteris dant operam, volunt eſſe quàm doctiſſimi, & qui arma tractant, eius rei quàm ſcientiſſimi, & in artibus ipſis mœchanicis alioquin infimis, & ſeruilibus, tamen nemo non ſtudet, vt quicquid facit, quàm optimè faciat; quia nimirum perfectio in omni re placet omnibus, omnes capit, omnes ad eam aſpirant. Sed ſi in his minimis adeo placet, multo pulchriorem, atque admirabiliorem neceſſe eſt eſſe mentis perfectionem, eamque maximè, quàm vera virtus, & ſanctitas efficit. Nam cum nec præſtantior materia inueniri poſſit, quam animus, nec præſtantior forma, quàm ſanctitas, neceſſe eſt ex vtroque diuinum quiddam exiſtere; idque cum in religioſo ſtatu adeo eluceat, hoc etiam ſequi oportet, vt huius ſtatus perfectio amanda, & colenda, & omnibus votis appetenda ſit.

De dignitate ſtatus religioſi ex ſimilitudine Chriſti, & Dei.

CAPVT XI.

HActenus ea religioſæ vitæ dignitas expoſita eſt, quæ ex virtutibus, earúmque intrinſecis ornamentis in ea efficitur. Nunc verò illa etiam nobilitas declaranda, quàm ei affert ſimilitudo ipſius Chriſti, & Dei; ac ea quidem tanta, vt nulla in terris maior eſſe poſſit. Primum igitur, quod ad Chriſtum Dominum, & Saluatorem noſtrum attinet, duo breuiter, vt in re ſatis clara, intelligenda ſunt: primum quanta ſit ſimilitudo inter illius vitam, & religioſam; deinde hæc ſimilitudo quantæ dignitatis cauſa ſit. Nam cum omnes
Eph. 5. Chriſtianos Chriſti imitatores eſſe oportet, vt ait Paulus, idque eos & profeſſio, & nomen ipſum monet, tum verò hoc multo diligentius, & exactius facere conantur religioſi, quorum inſtituta ita ex Chriſti vita deſumpta ſunt, vt pictores ſolent, cùm vultum ex vultu exprimunt. Nam & horum paupertas illius paupertatem imitatur, qui non habuit vbi

caput

caput reclinaret, & castitas illius castitatem, qui fuit candor lucis æternæ; & obedientia quoque ex illius humilitatis abysso deprompta est, qui factus est obediens vsque ad mortem. Denique omnes religiosæ actiones, omnia studia, & exercitationes ad illud exemplar conformatæ sunt, quod toti terrarum orbi in monte illo edito monstratum est, id est, in Christi humana natura, quæ inter reliquos homines & dignitate, & virtutibus tamquam mons excellebat. Rectè igitur Bernardus de hoc ipso, Homines, inquit, bonæ voluntatis, qui Christiana voluntate diuitias paupertate commutarunt, vel etiam non habitas tamquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sicut & ipse reliquit omnia propter ipsos, sequuntur eum quocumque ierit. Quo verbo, Quocumque ierit, non solum imitatio, sed perfectissima imitatio demonstratur. Maxime autem elucet hæc similitudo in ipsa Christi cruce: quod egregie, & quasi quibusdam coloribus depinxit Cassianus ex sermone Pinusij Abbatis sanctissimi, quem, se audiente, nouitio cuidam, cum cum ad monasticam vitam admitteret, hæc præcepta dedisse cõmemorat, vt diceret seculi abrenunciationem nihil aliud esse, quàm crucis imaginem, totámque religiosi vitam eam circumferre figuram, & habitum, quam habuit Christus in patibulo suspensus. Vt enim qui crucifixus est, non potest pro libito huc, vel illuc membra dimouere, ita religiosi voluntatem alligatam esse, & constrictam, neque id cuiuis rei, sed cruci, id est, ei rei, quæ sensum, & carnem assidue cruciet. Ac quemadmodum qui in cruce pendet, nec quid ante oculos eius agatur attendit, aut curat, nec de die crastino solicitus est, nulla possidendi cupiditate tenetur, ac denique adhuc in corpore spirans, cura tamen, & cogitatione omnibus rebus est mortuus, ea verò tantummodo meminit, ad quæ paulo post migraturum se videt, sic religiosum non solum vitiis, & concupiscentiis esse mortuum, sed etiam ipsis mundi huius elementis, ac denique rebus omnibus, eo verò esse conuersum, quo singulis momentis sperare debet se peruenturum: ex quo illud eueniat, vt cum mundo, & actibus eius, ac desideriis sit planè defunctus, iam non viuat ipse, sed viuat in eo, qui crucifixus est pro eo. Cùm igitur tanta sit similitudo religiosi cum Christo, & quidem crucifixo, facilè iam est videre, quantum ex ea honoris, ac dignitatis in religiosum proueniat: Hæc est enim diuini Verbi, vtpote personæ infinitæ, & omnipotentis, auctoritas, atque maiestas,

Exo. 25.

Ser. de pass. do.

Libr. 4. cap. 32.

maiestas, vt quicquid amplectatur, sibique coniungat, id quamquam alioquin humillimum, & abiectissimum, in summum honorem adducat, eique dignitatem, ac splendorem suum ipsa coniunctione impertiat. Quid enim vilius, quam caro, nempe lutum, & sordes meræ? & tamen simul ac ea cum verbi hypostasi commixta est, illud lutum & illæ sordes non solum venerationem, sed etiam adorationem, vt quiddam, quod verè erat, diuinum, mereri cœpere. Ipsa etiam crux, res tam infamis antea, & maledictum, vt ait
Gal. 3. Paulus, tamen vt eam Dei filius attigit, ita honorata est, vt iam etiam in Regum frontibus gestetur: quod sensit Andreas, qui eam non modo non exhorruit, sed & antea diu desiderauit, & exultans ad eam perrexit. causam autem ipsemet indicauit verbis illis, Salue crux, quæ in Christi corpore dedicata es, & ex membris eius tamquam margaritis ornata. Atque hunc eumdem sensum alij quoque, quicúmque Christum pro Deo cognoscunt, & colunt, habere omnes debent, nec de cruce tantummodo, sed eumdem de paupertate, de inopia, de ignobilitate, & de ea, quæ nos aliis hominibus subiicit, obedientia, denique de omnibus religiosæ humilitatis officiis, & partibus, vt ex cōiunctione cum Christo Domino quidam quasi diuinitatis radius aspersus illa omnia illustrarit, euexerit, &, si ita loqui licet, quodammodo deificarit. Itaque rectè à Bernardo illud dictum est, quia paupertas non inueniebatur in cœlis, quæ abundabat in ter-
vig. Nati. Ser. 1. ris, & tamen pretium eius ignorabatur, descendisse Dei filium, vt eam æstimatione sua faceret pretiosam. Atque idem
vig. Nati. Ser. 4. alibi, Pretiosiores, inquit, sunt panni Saluatoris omni purpura, & gloriosius est eius præsepe auratis regum soliis: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctísque thesauris seculi. Illud verò optimum quod in quodam ser-
Ser. 4. mone de Domini natali: Ipse, ait, Saluator, cuius est aurum, & argentum, sacram in suo corpore dedicat paupertatem. Quid enim gloriosius de paupertate, & de cetera omni humilitate dici potest, quam quod consecrationem à Deo ex ipsius coniunctione acceperit? Quo quidem loquendi genere
Ep. 2. etiam Hieronymum vsum video in epistola ad Nepotianum, qui nihil nos veterum Hebræorum exemplo moueri debere ait ad diuitias amandas, ex quo domus suæ paupertatem Dominus dedicauit. Hunc igitur in animis nostris sensum vera fides efficere deberet ex Christi exemplo, præsertim iam exhibito, cum idem nondum exhibitum, támque procul

procul prophetiæ lumine prospectum, tantum in Mosis animo potuerit, quantum de eo scribit Paulus Apostolus, vt cum regia soboles credi posset, maluerit tamen cum populo Dei affligi, nempe maiores æstimans diuitias thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Hoc ergo si veturi Christi notitia facere potuit, & debuit, non multò maiorem habere vim debet, cum iam ille venerit, cum iam penè ante oculos nostros proscriptus, tam claris, támque euidentibus suæ humilitatis monumentis totum orbem impleuerit? Optimè igitur S. Leo: Christi, inquit, humilitas nulli aspernanda diuitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum prouehi potest quælibet felicitas humana fastigium, vt æstimet sibi pudendum, quod Deus in forma serui nō est arbitratus indignum. *Heb.11.* *Gal. 3.* *Ser. 2. resur.*

Hunc igitur ornatum, hunc religioso statui splendorem affert Christi similitudo. Sed si ille ad nostra infirma sese demittens adeo nos nobilitauit, quid faciet deinde ad sua summa nos euehens? Ideo enim amator ille hominum ad humanæ humilitatis similitudinem descendit, vt hominem ad suæ diuinitatis similitudinem promoueret. Quare hoc etiam videndum, quomodo hic status non eius solum exinanitioni, sed etiam maiestati simillimos efficiat. Nam si hoc sit, quid restabit, quo religiosi hominis dignitas altius ascendere possit? Non enim dubium vlli esse potest, quin si quid est vel in hoc mundo, vel etiam in cœlo primum, & excellens, id in Dei similitudine positum sit; quod vel ipse superbiæ princeps intellexit, qui hoc ipsum affectans, illud iactauit: Conscendam super astra, & similis ero Altissimo. Nec ille quidem damnandus fuerat, quia id optauit, sed quia præpostere optauit, id est, non ea qua debuit via, ac modo. Quamobrem rectè S. Leo: Inueniemus, inquit, hominem ideo ad imaginē Dei cōditum, vt imitator sui esset auctoris, & hanc esse naturalem nostri seminis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplēdeat. Præclarum etiam in hac re illud Gregorij, de illo Apostoli dicto, Nos Dei genus esse. Genus, inquit, Dei dicimur, non ex eius natura editi, sed per spiritum illius voluntarie conditi, & adoptiue recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renouatur. Cùm hoc igitur nihil habeat dubitationis, quin hæc summa sit hominis dignitas, si se quā simillimum Deo efficere possit, intelligendum est, multas ad hoc efficiendum, easque efficaces rationes in religione suppeditari. *Esa.14.* *Ser.1. de ieiu. 10. mens.* *20. Mor. cap.16.*

peditari. Prima autem est remotis ex animo vitiis omnibus; ac turbulentis motibus, quæ maxime hanc Dei similitudinem impediunt. Hoc enim illud ipsum est, quod Basilius pro magno bono religiosi status commemorat in sermone quodam, vbi ita disserit. Hominem, cum ad Dei imaginem conditus esset, hanc dignitatem misere deformasse, cum animum ad peccata, & ad vitiosas cupiditates depressit. Itaque quoniam hoc Dei proprium est, vt semper liberrima mentis tranquillitate fruatur, quam nullus vmquam noxius affectus perturbet, qui hoc idem in seipso imitatus fuerit, eum sine dubio defœdatam Dei imaginem pristino nitori restituere, & sese Deo similem efficere. Quamobrem mirabiliter ad hoc conducere hunc religiosum statum propter continentiæ, & castitatis studium, quia non id tantum efficiat, vt fœdas illas voluptates abstergat, sed etiam omnem nostram viuendi rationem, & mores vniuersos plane reformet, & coerceat; quoniam alioquin cœlibis vitæ integritas teneri nequeat. Atque huc pertinet illa Gregorij sententia de purgandis affectibus, qui illud Sapientis de Deo dictum afferens, Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas, hæc adiungit; Sciendum quidem nobis magnopere est, quia quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire conditoris conamur. Quare cum hoc ita in nobis faciat religio, vt nihil pene aliud faciat, quam vt perturbationes istas componat, nósque componere doceat, omnes simul ad eam, quam diximus, Dei similitudinem perducit. Ille tamen altior, & præstantior gradus, quod ita omnem animam instituit, vt omni propria voluntate resecta, vna in omnibus Dei voluntas dominetur, siue in magnis, siue in paruis, nec quisquam velit, nisi quod Deus vult, aut nolit, nisi quod Deus non vult. Neque hoc solum, sed illud etiam addit, quod præclarius est, vt ita liget, & constringat animas, vt ne liceat quidem aliud eis velle, quam quod velit Deus; quæ quidem perfectissima est Dei similitudo, quæ in terris haberi possit. De quo vere Barnardus; Vnitas, inquit, spiritus cum Deo homini sursum cor habenti proficientis in Deum voluntatis est perfectio, cum iam non modo vult quod Deus vult, sed sic est non tantum affectus, sed in affectu perfectus, vt non possit velle nisi quod Deus vult. Velle enim quod Deus vult, hoc est iam similem Deo esse; non posse autem velle, nisi quod Deus vult, hoc est iam esse quod Deus est, cui velle, & esse idipsum est. Hæc igitur

de Inst. mon. ser. 1.

5. Mor. 31.

Sap. 12.

Ad fratres de mōt. Dei

igitur tanta perfectio, de qua Bernardus disserit, vel nullo modo in hac vita haberi potest, vel maxime per religiosa vota haberi potest, quę voluntatem nostram Deo subiiciunt, atque etiam quasi validissimis funibus constrictam tenent. Ex hac autem eadem votorum stabilitate aliam quoque licet accipere Dei similitudinem; quoniam cum nihil tam propriũ sit diuinæ naturæ, quam immutabilem esse, & omnis vicissitudinis expertem, hoc idem, quatenus quidem licet, homini quoque impertit. Nam hoc etiam idem Bernardus, indicat, cum ait: Est alia magis Deo propinqua similitudo in quantum voluntaria, quæ in virtutibus consistit, in qua anima virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem, & perseuerantiæ in bono constantia æternitatis eius incommutabilitatẽ. Hanc ego firmitatem, quæ diuinam æternitatem imitatur sacra illa, quæ dixi, vincula afferunt, vel quæ nolentes constringunt, & simul tamen adiuuant vt velimus. Itaque simile quiddam euenire videtur, vt cum nauis in anchora est, quæ iactari quidem, & fluctuare potest, non tamen in altum, aut in scopulos abripi. Sic enim anima, quæ cum Deo, re tam firma, & immobili, colligata sit, fluitabit illa quidem fortasse, & agitabitur interdum, quamdiu in hoc mundo est, propter insitam infirmitatem, præsertim vero accedentibus illis quasi fluctibus, & ventis tentationum, sed tamen facile semper retinent eam votorũ vincula, vt, licet impulsa, locum tamẽ non deserat, & immobiliter Deo, cui se deuinxit, adhæreat. Restat etiam alia Dei similitudo admirabilis. Nam cum in Deo duplex sit excellentia, altera sanctitatis, altera potentiæ, ita ferme accidit, vt homines illam quidem sanctitatis similitudinem non admodum curent, hanc autem potestatis, ac dominatus omnibus modis appetant. Itaque imperia, magistratus, honores ita ambiunt, vt in iis inquirendis toti sint. Et eorum quidẽ duplex error est. primum enim, si alterutra carendum esset, hæc potius omittenda, illa inquirenda esset, quæ plane est ad salutem necessaria. Deinde quia ad hanc ipsam posteriorem obtinendam nulla melior est via, quam si priore potiamur. Vt enim in Deo vtramque coniunctam esse diximus, sic quicumque Deum in bonitatis excellentia imitatus fuerit, necessario similis etiam fiet in potentia. Hæc enim illa est, de qua multa iam ante dicta sunt, religiosi status eminentia supra res omnes creatas, quæ nullo alio modo certius acquiritur, quam iis omnibus abiiciendis, & conculcandis, quoniã

Ibidem.

qui eas amant, iis seruiunt, qui eas contemnunt, iis dominãtur. Quod argumentum egregie, ac diuine tractatur à S. Bernardo quodam sermone in Cantica. Eris, inquit, inter aduersa, & prospera mutabilium temporum tenens quandam æternitatis imaginem vtique hanc inuiolabilem, & inconcussam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore proindéque vendicans tibi etiam in huius nutabundi seculi dubiis euentibus, certísque defectibus perennis quodammodo incommutabilitatis statum, dum te cœperis renouare, & reformare in insigne illud antiquum sim litudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe sicut ipse est, ita & tu eris in hoc mundo, nec in aduersis timidus, nec in prosperis dissolutus. In hoc, inquam, nobilis creatura facta ad imaginem, & similitudinem eius, qui se fecit, antiqui honoris dignitatem receptare iam iámque, & recuperare se indicat, cum sibi indignum ducit huic labenti seculo conformari, reformari magis satagens, iuxta Pauli doctrinam, in nouitate sui sensus in eam similitudinem, in qua se conditam nouit, ac per hoc etiam cogens, vt dignum est, seculum istud, quod propter se factum fuit, versa vice mirum in modum conformari sibi, dum omnia ei cooperari in bonum incipiãt, tamquam in propria, & naturali forma, abiecta degeneri specie, recognoscentia dominum suum, cui ad seruiendum creata fuere. Vnde arbitror illum sermonem, quem dixit de se Vnigenitus, videlicet, si exaltaretur à terra, omnia traheret ad seipsum, cunctis quoque eius fratribus posse esse communem, iis vtique, quos Pater præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et ego si exaltatus fuero à terra (audacter dico) omnia traham ad me ipsum. Nec enim temerarie vsurpo mihi fratres mei vocem, cuius me induo similitudinem. Hæc Bernardus. Quare hoc omnino constitutum sit, nihil homini excellentius, aut gloriosius contingere posse, quam hanc altissimi similitudinem, quæ animam quamcumque ita euehat, vt etiam rebus omnibus creatis tamquam paruulus quidam Deus dominetur. Sed hoc quidem nemo assequitur, nisi, vt ait Bernardus, qui exaltatus fuerit è terra, id est, qui terram, ac terrena omnia contemnendo, & abiiciendo longe supergressus sit.

Serm. 21 *Rom. 12.* *Ioan. 12.*

Religionem

Religionem esse genus martyrij.

CAPVT XII.

EX omnibus Christianis operibus nullũ est maius opus, aut quod maioribus laudibus celebretur, quam martyrium. Nam & charitas, à qua id opus procedit, maxima virtutum est, & inter omnia charitatis opera hoc maximum, & id malum, quod in eo perfertur, omnium acerbissimum, nempe mors ipsa, & bonum illud quod relinquitur, quod est ipsa vita, omnium gratissimum. Sed hæc tamen tanta res, si cum religioso statu conferatur, vt in multis superet, in quibusdam vicissim superari intelligetur, quin etiam, quantacunque sit eius præstantia, bona ex parte communem esse etiam religioni. Nam martyrium quidem in eo excellit, quod maiores perfert cruciatus: verum quo maiores, eo breuiores, vt necessarium est, quoniam eo celerius ducunt ad exitum. Religio vero hic vicissim vincit, quod etiam si minus acerba tolerat, ea sunt tamen longiora, & diuturniora. Quin etiam illa maior est martyrij gloria, quod, vt dixi, vitam eripit, quod summum est, quod pro altero dari possit. Religio, si hoc non habet, aliud habet, quod ipsa vitæ, & sanctæ vitæ propagatione maiorem etiam materiam suppeditat bonorum operum, quibus vberior apud Deum gratia, & vberior in cœlo gloria acquiratur. Itaque si lucrum illud nostrum quærimus, cuius causa in hanc mundi huius peregrinationem ingressi sumus, non dubitandum est, quin plures anni in religione bene, ac pie, atque ex religionis præscripto transacti maiores præmiorum cumulos conficere possint, quam vnica martyrij perpessio, quę vt plurimum breui temporis mora peragitur. Quare cum sit hæc duplex quasi negotiatio cœlestis regni, vtraque sane fructuosa, & abundans, religionis tamen quæstus haud paulo tutior est, ac securior. Nam in martyrio grandior inest alea, maiúsque periculum; quoniam multos scimus, qui cum fortes antea, & alacres viderentur, tamen vt in rem ventum est, turpiter naufragium fecerint; vt ille ex Pacomij familia, qui cum importunis precibus à Pacomio extorsisset, vt in occasionem quandam martyrij captandi dimitteretur, cecidit misere, & ad monasterium rediens, damnum illud ingens, quod ex martyrij cupiditate fecerat, religionis disciplina refecit. Cyprianus autem quam flebiliter in sermone de lapsis multos luget, qui etiam ante aciem victi, & sine congressione prostrati essent,

qui scilicet, edicto tyranni proposito, vltro in forum cucurrissent ad renunciandum Christo, & cum à magistratibus vrgente vespera differrentur, ipsi tamen institissent, vt eorum impia professio quamprimum acciperetur? Contra igitur religio neque exposita est iacturis tantis, cum tota eius ratio magis ad humanam naturam accommodata sit, & quicquid habet duri, ac molesti, tam multa affert ad id molliendum condimenta, vt vix sentiatur. Accedit etiam illud, quod martyrium non in nostra est potestate: nam neque nos nobis manus afferre possumus, nec alios lacessere, vt ipsi afferant: tum quia id nimiæ esset confidentiæ, tum etiam quia, vt ait Beatus Thomas, alteri causa daretur impie agendi; quod repugnat caritati. Itaque cum rara, ac propemodum nulla iam eius meriti facultas præbeatur, huius è contra quod est è religione, & frequens, & quotidiana, & ad manum semper est. Extremum vero, & maximum illud est, quod, vt ante attigi, in religione ipsa aliqua inest martyrij ratio; idque ita fateri necesse est, si & eius naturam, & sanctorum Patrum sententias consulamus. In primis enim illud est cogitandum, quod vere scriptum est à Gregorio: Duo, inquit, sunt martyrij genera, vnum in mente, aliud in mente simul, & actione. Itaque esse matyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe à persequente, martyrium in aperto opere est. Ferre vero contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Idem dicit & Augustinus: Contra mortifera, inquit, blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis deesse non posse. Si enim castitas, & veritas, & iustitia Christus est, sic & ille, qui eis insidiatur, persequutor est, & ille, qui ea in aliis defendere, & in se ipso custodire voluerit, martyr est. Igitur, vt placet Augustino, hæc interioris huius martyrij forma in eo consistit, quod vt in carnis martyrio persequutor Christum eripere conatur erepta fide, cui qui vsque ad mortem resistit, martyr est, sic tentator, quo nullus est grauior, atque immanior hostis, eundem Christum è cordibus auferre conatur, ablatis aliis virtutibus, vt pudicitia, temperantia, aut humilitate. Quare qui cum eo pugnat, & in eius pugnę molestia fortiter perstat, hic quoque martyr est, præsertim cum id dæmonem, ille hominem habeat aduersarium. Hanc igitur ob causam vere Climachus religionis statum spiritualis martyrij bellum appellat: de quo illa etiam luculente scripta sunt à Hieronymo in epitaphio

2.2.quæ. 124.art. 1.

Hom.35. Euang.

Ser.250. de temp.

Gradu. 4.

Epi.27.

epitaphio Paulæ : Non solum (inquit) effusio sanguinis in martyrio reputatur, sed deuotæ quoque mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis, & violis texitur, ista de liliis. Vnde & in Cantico scribitur Canticorum. Fratruelis meus candidus, & rubicundus, & in pace, & in bello eadem præmia vicentibus tribuens. Sunt præterea aliæ quoque causæ tribuendæ huius laudis religioso instituto, & primum quidem paupertas ipsa, idque auctore Bernardo, cuius illud est præclarum : Quid sibi vult (inquit) quod eadem promissio facta est pauperibus, & martyribus, nisi quia vere martyrij genus paupertas voluntaria est? Quid mirabilius, aut quod martyrium grauius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas affert mundus quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non merito coronabitur qui sic certauerit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tẽtantem, & quod gloriosius est, de ipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter, & martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur. Atque idem etiam Bernardus alio quodam sermone in Cantica, tum paupertatis huius incommoda, tum alias quasuis molestias, quibus corpus maceretur, ad martyrium reuocat. Sic enim, ait, quod à Domino dictum est, Qui non odit animam suam, id esse intelligendum, siue eam ponendo, vt martyr, siue eam affligendo, vt pœnitens. Addit vero illud martyrij genus esse, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Atque hoc ipsum confirmat Bernardus alio quodam sermone, vbi ait. Est martyrij genus, & quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione : quo loco idem illud addit, esse hoc martyrium minus quidem asperum, sed tamen magis longum, ac diuturnum. Idem quoque licet de castitate dicere, teste eodẽ Bernardo, qui inter alia martyrij genera, quæ sunt sine sanguine, commemorat etiam castitatem, præsertim in iuuentute. Accedit etiam aliud martyrium, cum propria voluntas mactatur, itaque regulis, atque aliorum hominum præscriptis astringitur, vt pro suo libito vllam in partem se commouere non possit. Ex quo illud est Abbatis Pambo, vnius inter veteres illos Patres ma-

Cant. 5. *Serm. 1. omnium Sanct.* *Ser. 30.* *Serm. in octa. paschæ.* *In sent. paruis.*

gnæ auctoritatis, ac nominis; ad quem cũ quatuor monachi venissent, variis quisque dotibus insignes, vnus ieiuniorum rigore, alter paupertate, ac nuditate, tertius caritate in proximos, quartus qui iam duos, & viginti annos in præpositorum obedientia transegerat, non dubitauit ille postremum hunc omnibus aliis præferre; quoniam alij virtutem, quam haberent, propria voluntate retinuissent, ille autem suam omnino voluntatem abiiciens alienæ se voluntatis seruum effecisset: quod cum diceret, illud etiam adiunxit, qui hoc facerent, martyres esse, si ad finem vsque in eo virtutis cursu perstiterint. Quo eodem pertinet quod Athanasius auctor grauissimus scribit de Antonio, cum Alexandriam iuisset martyrij studio, neque id assequi potuisset, Deo secus disponente, regressum esse in suum monasterium, ad quotidianum (vt eius verbis vtar) fidei, ac conscientiæ martyrium. Sed quoniam ita Theologi tradunt, adeo ad martyrij rationem necessariam esse mortem, vt sine ea martyrium esse non possit, restat, vt ne hanc quidem perfectionem religioso martyrio deesse ostendamus. Primum corporis mors hoc efficit, vt à diuitijs, ab amicis, denique ab omnibus huius mundi rebus auellat. At auellit etiam religio, & quidem ita perfecte, vt non magis ijs frui possimus, quam si penitus mortem obijssemus: quin etiam illud hic est amplius, quod in illa morte carnis, facile est his omnibus commodis carere, quibus scilicet altera vita non eget, ad quam migratur: hic autem multo difficilius, ea sibi negare, quæ quotidianæ vitæ vsui sint, & quæ dum assidue ante oculos versantur, assidue blandiuntur. Deinde corpus in morte ab hostibus subeunda sentit cruciatum. Quis autem neget animum quoque suos habere cruciatus, & certe maiores, quo ipse nobilior? Nam si ideo, quia corporis forma est, particeps est dolorum corporis, multo magis necesse est, suis ipsum angi doloribus. In martyrio moritur homo corpori, in religione moritur sibi. Etenim (vt supra ostensum est) ita nihil propter se, atque ex se agere ei licet, ac si iam mortuus, iã que sepultus esset, iam corpore ipso, atque animo orbatus. Quid igitur refert, quod anima adhuc in carne viuat, si non sibi iam amplius viuit? Nam in ipso etiam martyrio non omnino extinguitur anima, immo vero non solum non extinguitur, sed etiam ad feliciorem commigrat sedem, nec vitam amittit, sed commutat in multo meliorem, ac dulciorem. Quamobrem si hæc omnia colligamus, quæ ex horum

sanctorum

sanctorũ Patrũ auctoritate attulimus, non vnum tantũmodo martyrium, sed plura in vna religione inueniemus. Aliud est enim ex paupertate, aliud etiam ex castitate, maximum vero ex propriæ totius voluntatis abnegatione, aliud ex carne edomanda, & affligenda, aliud denique ex perpetua lucta, & pugna cum serpente callido, qui nobis Christum præripere conatur. Hoc sensit Paphnutius Abbas, non ille de quo in vitis Patrum crebra est mentio, sed alter celebri ipse quoque sanctitate, & austeritate. Hic Diocletiani tempore ab Ægypti Præside, cui nomen erat Arianus, comprehendi iussus, cum equuleos, scorpiones, sartagines, quas in conspectum afferri mandarat, minitaretur, ni dijs sacrificaret, ridens ille, Putas ne, inquit, tua hæc tormenta adeo mihi horribilia videri, vt propter ea Deum verum negandum putem? Quinimmo hoc scito, nostras monasticas constitutiones multo plura in se tormenta continere, quoniam in multis exercitationibus assidue tentamur. Sed Saluator noster ita nos corroborat, vt omnia perferre, & superare possim⁹. Quare idẽ etiã nunc corroborabit ad tuã hanc sæuitiam superandam. Iucũde autẽ hoc ipsum, & festiue declarauit Bernardus; qui cum in Theobaldi principis viriditione, magnæ turbæ occurrisset, quæ insignem latronem, ac sicarium ad patibulum deducebat, ad eum in medio agmine accedens, dedi sibi hominem postulauit, velle eum se proprijs manibus suspendere. Inter quæ Theobaldus ipse de sancti viri aduentu certior factus cum accurrisset, ratus eum ignorare quis ille esset, ingentia eius crimina commemorare cœpit, & magnopere contestari, esse eum capitali supplicio dignissimũ. Tum vero subridens Bernardus: Noui (inquit) noui hæc omnia: atque ob hanc ipsam causam, quia non vna mors eius sceleribus sufficit, plures ei mortes inferre statui. Sic igitur solutum, ac liberum ad suum perduxit monasterium, in quo monachus effectus, per triginta annos quotidie, vt ait Apostolus, moriens, supplicium, quod alienis manibus semel persoluturus erat, ipse à se multiplicatum exegit. *1. Cor. 9.*

Religiosos esse amicos, & filios, & sponsas Dei.

CAPVT XII.

SANCTVS Bernardus in sermone quodam ad fratres, quo multa egregie disserit de religiosa vocatione, hoc etiam in primis ad huius beneficij magnitudinem exaggerandam commemorat: Neque enim (inquit) fecit taliter *Ser. de Ingra.*

omni nationi, vt non solum iudicia, sed etiam consilia sua manifestaret eis. Sed omnino magnificauit Dominus facere nobiscum, non solum in seruos assumēs, sed eligens in amicos. Iure omnino, & vere in hoc ait magnificasse Dominum facere nobiscum; quoniam hæc Dei amicitia non vtilitatem tantum, quamquam hanc quoque, & magnam, sed etiam honorem, & dignitatem confert admirabilem. Sic enim docet
Psa 138. etiam Propheta, Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum; principes eos vocās, quos Deus ad suam extulit amicitiam. Verum vt hæc, quam tractamus, dignitas clarius elucescat, intelligendū opinor quod sensit Aristoteles, auctor in rebus moralibus optimus, quate-
8. Eth. nus naturæ lumen progredi potuit. Hic enim ita scripsit, ami-
cap. 6. citiam in æqualitate consistere: quare si ita eueniat, vt magna inter amicos fiat vel morum dissimilitudo, vel fortunæ, ac conditionis distantia, dissolui eam oportere, & hanc esse causam, cur neque cum Regibus, neque cum Deo esse possit
Cap. 7. amicitia. Quod Philosophi huius dictū in eo quod æqualitatem aliquam, vel similitudinem inter amicos exigit, omnino repudiandum non est. In eo errauit, quod non vidit qua ratione homini cum Deo intercedere posset hæc similitudo, nempe ignorans donum Dei, cuius vis in homine suppleret,
Ioan. 15. quod naturæ deesset. Nos autem Christo potius ipsi credamus hoc tam clare affirmanti. Iam non dicam vos seruos,
Eph. 2. vos autem dixi amicos. Credamus Paulo Apostolo, qui nos etiam domesticos Dei appellare non veretur. Quod quoniam ita est, illud ex Aristotelis sententia verius concludere licet, quoniam æqualitatis illius fundamentum in amicitia necessarium sit, aliquid in nobis inseri oportere, quo naturæ nostræ humilitas ad Dei similitudinem extollatur, vt diuinæ huius amicitiæ sit capax. Quod etsi omnes consequuti sunt, qui Dei gratiam inhærentem, & iustificantem consequuti sunt, religiosi tamen multas habent præcipuas huius rei causas, & multa præcipua ex ea re commoda. In primis enim inest in hoc statu illa tam excellens Dei similitudo, de qua antea à nobis multa dicta sunt, ex vitiorum & affectuum purgatione, ex stabilitate, & constantia voluntatis in bono; tum ex illa animi altitudine, & dominatu quodam in res omnes creatas; quæ ex earum contemptu nascitur; denique, ne singula repetamus, etiam ex castitatis, & continentiæ integritate, de qua dicitur in lib. Sapientiæ, Incorruptio
Sap. 6. facit esse proximum Deo. Quo igitur maior similitudo cum Deo,

Deo,eo verior: perfectiorque amicitia, eo etiam vberiores ipsius amicitiæ effectus. Nam cum in amicitia illud primum sit, communicatio bonorum omnium, quod religiosus reliqui sibi fecit,quod non donarit Deo,quid etiam habet De⁹, quod non donet religioso? Etenim hic Deo sua omnia dicauit & seipsum.Deus autem vicissim illi & gratiæ bona,& gloriæ,ideſt,ipse quoque seipsum. Vt igitur in hoc statu vera est omnim rerum communicatio mutua, ideoque vera, & perfecta amicitia, ita intelligendum est, qui nondum ád hunc communicationis gradum peruenerunt, quantum ab eo distant,tantum ab amicitiæ perfectione distare. Quin etiam viget in hac amicitia conuictus, sine quo idem Aristoteles amicitiam constare negat,non ille quidem exterioris hu us vitę, quæ sensu, & corpore viuitur,hæc enim Deum, & diuina nō attingunt, sed interioris quæ mentis est,ac spiritus,quo nēpe cum Deo,& cum angelis commercium habere possumus, vt illud efficiatur, quod scripsit Apostolus, Conuersatio nostra in cœlis est. Hoc vero vbi melius, commodius, abundantius efficiatur, quam in religione, vbi & religiosi ipsi vt huic conuersationi toti vacarent,à cætera omni conuersatione sese remouerunt,& Deus,qui suas delicias esse dixit, morari cum filiis hominum,dubitari non potest,quin id multo libentius cum eo hominum genere seruaturus sit,qui beatos ipsius congressus ita expetiuerunt,vt eos rebus omnibus creatis anteferrent? Ex hoc igitur cōuictu quantam dignitatem, & iucunditatem,& emolumenta existere credendum est? Nā si sapientis,vel diuitis cuiuspiam hominis consuetudo expetitur,vt vel illius sapientia quotidie doctiores,vel huius opibus potēriores euadamus, multo magis omnia bona ex hac Dei familiaritate sunt speranda: tum vero illa etiam quæ ad animam exhilarandam mirabiliter faciunt,pręsentia amoris indicia,iucundissimæ colloquutiones,lumina cœlestia,vt plane verum esse experiamur quod in libro Sapientiæ de sapiētia dictum est:Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius,sed lætitiam,& gaudium. Merito ergo S.Bernardus religiosos quasi domesticam Dei familiam esse ait, sæculares autem bonos ex Dei quidem exercitu,sed remotiores:& addit.Felices vos, qui domestici meruistis esse,quibus dicit Apostolus:Iā non estis hospites,& aduenæ,sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei. Magnum est igitur,Dei amicum & familiarem esse,magnamque hoc nomen & dignitatem,& vtilitatem continet. Sed tamen ea

8.Eth. cap.5.

Phil.3.

Pro.8.

Sap.8.

Ser.7. Quadr.

Eph.2.

mihi videtur esse religiosi necessitudo cum Deo, vt etiam amicitiæ nomen, ac vim supergressa sit, & potius propinquitatis quendam nexum arctissimum, eundemque iucundissimum induxerit. Quod vt temerarium esset, ac superbum, si ex nobis fingeremus, ita cum à Saluatore nostro tam diserte deferatur, certe vel stolidum sit non recipere, vel impium nō credere. Notum est enim illud eius dictum, cum cuidam nuncianti adesse matrem, ac fratres ipsius, ita res-
Mat. 12. pondit: Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, & soror, & mater est. Quæ sententia cui hominum generi, & cui statui melius conueniat, quam religiosis, qui non in vna, aut altera re Dei voluntatem faciunt, sed in omnibus, & semper, quin etiam tantum se cum diuina voluntate colligarunt quantum cum obedientia ipsa colligarunt, cui vitam totam perpetuo voti vinculo deuoue-
2.Cor.6. runt? Quamobrem in eos quoque proprie admodum illud promissum cadere videtur, quod apud Paulum ex antiquis prophetis legimus: Exite de medio eorum, & separamini ab eis, dicit Dominus, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Domin⁹ omnipotens. Quod cum iam religiosus quisque perfecerit, vt de medio mundi, & hominum mundanorum exierit, hoc quoque ei debetur, vt à Deo tam quam filius suscipiatur, & ab illa maiestate, cui seruire magnum esset, iam etiam vt filius paterna cura, paternisque blanditiis tractetur.

Extremum illud est, quod ne vel vllus coniunctionis, amorisque gradus, vel vllum beneficium huic diuino beneficio
4.d.27. q.1.art. 5.q.1.ad 3. deesset, illud insuper Dominus addere voluit, vt, quod Theologi omnes, & in primis Sanctus Thomas, recipiūt, hos suos filios, spōsas etiam suas efficeret: quod nescio an arctius, suauius certe vinculum, & iucundius quam filiorum esse solet. Hoc autem tam verum est, vt si recte cogitemus, non verius sit ferme hominis cum homine matrimonium, quā religio-
Tract. 9. in Io. si cum Deo. Primum enim hæc vis est, & hic effectus volūtariæ castitatis, quod testatur Augustinus cum ait: Quæ virginitatem Deo vouēt, quamquam ampliorem gradum honoris, & dignitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis non sunt: nā & ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptijs sponsus est Christus. Hoc igitur idem religiosis omnib⁹ cōuenit, beneficio continentiæ, & certe iure, ac merito. Neque enim diuinæ bonitatis est, pati, vt liberaliter vincatur, sed potius quicquid amore eius fiat, id ipsum remunerari cū

fœnore,

fœnore,& quidē quam simillimo munere. Vt igitur agrum relinquentibus ipse centuplum agri reddit, vt pro patre, & matre,qui deseruntur, ipse se vtriusque loco substituit,cum centupla caritate,sic etiam terrenum connubium repudiantes suo ipsius connubio multo feliciori dignabitur. Sed præter castitatem, est etiam aliud in religione simillimum matrimonio.Nam vt matrimonium ita virum,ac mulierem insolubili vinculo astringit,vt de eo à Domino dictū sit:Quod Deus coniunxit,homo non separet: sic religionis vinculum votis præsertim solemnibus legitime semel astrictum, nulla deinceps humana vi amplius disrumpi, vel dissui potest. Quamobrem quod in carnalibus nuptiis efficit verbum illud, Volo, idem valet in his spiritualibus nuptiis hoc verbum, Voueo; quod prolatum, tam firmum, tam validum, támque perpetuum inicit nexum, ad quem, vt dixi, laxandum nulla potestas humana sufficit. Sed hoc tamen interest, quod illud cum homine ligat, hoc cum Deo; quæ quidem est infinita distantia,& dignitatis,& iucunditatis. Illud conuenit, quod vt inter homines non altera tantum pars ligatur, sed commune est vinculum vtrique, sic religionis vota dum nos Deo, simul etiam Deum nobis pro eius immensa caritate deuinciunt. Quid autem maius optare possumus? Est præterea illa quoque similitudo, quod vt sponsa sui corporis potestatem non habet, sed vir, vt scriptum est à Paulo Apostolo, ita religiosus nec corporis, nec animi, quod hæ nuptiæ animum quoque cōiungant, immo hunc præcipuè, & maximè. Quare tota vtriusq; potestas in Christum sponsum translata est. Præterea quemadmodum sponsa paternam domū, & ipsos parentes deserit,deserit fratres,amicos, domesticos,ac se in sponsi domū transfert,sic religiosus omnem propinquitatem, ipsósque illos, à quibus genitus, & educatus,& cum quibus educatus est,relinquit, vt vni Christo, & eius familiæ adhæreat: multo autem magis relinquit, quam sponsa quæ nis. nam non corpore modo, sed etiam affectu se separat, omnémque sibi cum ijs communicationem, sæpè etiam colloquium interdicit. Quem locum suauissime, vt omnia, tractat Bernardus quodam sermone in Cantica in quo cum ostendisset quanta sit religiosæ animæ similitudo cum Verbo, hoc addit. Ex quo iam gradu audet quæ huiusmodi est, cogitare de nuptiis. Quid ni audeat eo se nubilem, quo similem cernens? Non terret celsitudo,quam sociat similitudo, amor conciliat, professio maritat.

Mat. 19.

1. Cor 7.

Ser. 85.

Pſal.118. maritat. Profeſſionis forma hæc eſt, Iuraui,& ſtatui cuſto-
Mat. 19. dire iudicia iuſtitiæ tuæ. Hanc ſequuti Apoſtoli aiebant:
4. Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Simile eſt illud, quod in carnali quidem dictum, Chriſti, & Eccleſiæ
Gen. 2. connubium ſpirituale ſignificauit: Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ,& erunt duo in carne vna. Ergo quam videris animam relictis omnibus Verbo votis omnibus adhærere, Verbo viuere, Verbo ſe regere, de Verbo concipere, quod pariat Verbo quæ poſſit dicere, Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lu-
Phil. 1. crum, puta coniugem, Verbóque maritatam. Confidat in ea cor viri ſui, ſciens fidelem quæ præ ſe omnia ſpreuerit, omnia arbitretur ſtercora, vt ipſum lucrifaciat. Hæc Bernardus. Sed quærat fortaſſe quiſpiam, vbi proles huius coniugij? At ne ea quidem deeſt, ne qua videlicet in eo boni, & iucundi pars deſideretur. Ac Bernardus quidem eodem, quem modo diximus, loco, duo eſſe ait in his ſpiritualibus nuptiis pariendi genera, duaſque diuerſas, ſed non contrarias ſoboles, nimirum cum ſanctæ hæ matres vel prædicando, animas, vel meditando, intelligentias pariunt ſpirituales. Ac de al-
Gal. 4. tera quidem ſobole loquutum eſſe Paulum, cum dixit: Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in nobis. De altera autem, cum dixit, Siue mente excedimus,
2. Cor. 5. Deo. De vtriuſque autem comparatione illa bene,& ſapienter adiungit: Aliter (inquit) afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruens Verbo. Illic ſolicitat neceſſitas proximi, hic inuitat ſuauitas Verbi. Et quidem læta in prole mater, ſed in amplexibus ſponſi lætior; cara pignora filiorum, ſed oſcula plus delectant. Bonum eſt ſaluare multos, excedere autem, & cum Verbo eſſe, iucundius. Hoc eſt igitur veriſſimum religioſæ animæ cum Deo omnipotente coniugium, in quo ſi gloriari voluerit, vt ſancta quondam Agnes, non erit inſipiens, quod nimirum ei ſit deſponſata, cui ſeruiunt Angeli, cuius amore, & amplexu non amittatur munditia, ſed duplicetur: ab eo ſibi & annulum,& monilia regia data, eiuſque roſeo ſanguine genas ſibi purpuratas eſſe. De harum quoque nuptiarum felicitate, & perpetua ſtabilitate illa
Oſe. 2. optime dicta ſunt ab Oſea propheta. Sponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia,& iudicio,& in miſericordia, & in miſerationibus: & ſponſabo te mihi in fide,& ſcies, quia ego Dominus. In fide ait fundari hoc coniugium: non enim eiuſmodi eſt, quod cum carne, & ſanguine

contrahatur,

contrahatur, sed cum ea maiestate, ad quàm complectendam, non corporis, sed animæ brachia fidei neruis exerenda sint. Sed illud etiam iucundissimum, quod carnale quidem coniugium carne deposita exui necesse est. At cœlestis hæc desponsatio (vt Propheta hic ait) sempiterna est; quoniam hic initium, in cœlo verò consummationem habet, & perfectionem, támque diu vigebit, quamdiu & ipse sponsus viuet, & nos viuemus, id est, in totam æternitatem. Denique de harum nuptiarũ dignitate illa & diserte, & verè à Beato Bernardo in alio sermone dicuntur. Vnde tibi, ò humana anima, vnde tibi hoc? Vnde tibi tam inæstimabilis gloria, vt eius sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli ipsi prospicere? Vnde tibi hoc, vt ipse sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem sol, & luna mirantur, ad cuius nutum vniuersa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi, vt sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami, vt introducat te Rex in cubiculum suum? Vide iam quid de Deo tuo sentias, vide quantum de Deo præsumas. Vide quibus brachiis vicariæ caritatis redamandus, & amplectendus sit, qui tanti te æstimauit, immo qui tanti te fecit. De latere enim suo te reformauit, quando propter te obdormiuit in cruce, & ob hoc somnum mortis excepit. Propter te à Deo patre exiuit, & matrem synagogam reliquit, vt adhærens ei, vnus spiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia, & vide, & considera quanta sit erga te dignatio Dei tui, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui. Desere carnales affectus, seculares mores dedisce, à prioribus vitiis abstine consuetudines noxias obliuiscere. Hactenus Bernardus. *Ser. 2. de mut. aquæ in vinum.*

Si autem vera sunt, & indubitata, quæ vir hic tam grauis tam grauiter confirmat, quæ potest esse vita vel dignitate, vel etiam suauitate optabilior, quàm religiosa? Nam etiam in vulgaribus omnibus coniugiis hoc perpetuum, ac necessarium est, vt fiat inter coniuges & conditionis, & status, & fortunarum omnium commixtio. Itaque etsi tenuis alioquin, & ignobilis mulier principi cuipiam, aut Regi matrimonio copuletur, ad eius quoque imperium, & opes euehitur; quoniam vt ipsi vnum quiddam inter se fiunt, sic quidquid habent vtrique, commune fieri oportet. Quod idem in hoc cœlesti connubio euenire necesse est, idque etiam tanto magis, quanto maior est Dei bonitas, & ardentior in homines caritas.

Religiosos,

Religioſos, quia Deo conſecrantur, eſſe Dei templum.

CAPVT XIV.

ACcedit religioſis alia quoque dignitas ex conſecratione, quæ quidem dignitas altior ſine dubio eſt omni humano faſtigio, ac potius neſcio quid ex ipſa diuinitate quodammodo participat, quatenus quidem hominum infirmitas eius participationis eſt capax. Vt enim Dei natura ob ſuam excellentem eminentémque præſtantiam, omnem honorem, cultúmque, ac reuerentiam ſibi iure vendicat, ita quicquid ei dicatur, ob eam ipſam coniunctionem, quiddam acquirit, quo iuſtam venerationem habere credatur, & à reliquarum rerum eiuſdem generis numero, & quaſi turba ſecerni. Hoc igitur efficit religio, quæ omnes, qui eiuſmodi inſtitutum ſuſceperint, Deo dedicat, & conſecrat.

2. 2. q. 88. ar. 7. Sic enim B. Thomas, tantum Theologiæ lumen, cum omni ſua familia, vbi de ſolemnis voti natura diſputat, eam in conſecratione conſiſtere docet, qua animus diuina vi ita imbuatur, vt deinceps nullo tempore, nullo caſu deleri, aut eradi queat. Quam ob cauſam Auguſtinus in cuiuſdam pſalmi interpretatione hoc expreſſe confirmat horum votorum vi agi, vt ſimus Dei templum. Et Baſilius, qui nuncium ſeculo remiſit, eum iam ait diuinum quoddam vas effectum eſſe, idque ei cauendum, ne vitioſo vſu polluatur, ſeque ipſum cuſtodire debere veluti quiddam Deo dicatum, ne in ſacrilegij ſcelus incurrat, ſi videlicet corpus, quod Deo ſacrauit, rurſum miniſterio communis vitæ contaminet. Ecce ſacrilegium putat eſſe Baſilius, ſi quis poſtquam ſacer effectus eſt, non modo peccato ſe commaculet, ſed etiam ſi ad profanum, &, vt ille ait, communem vſum iterum conuertatur.

In pſal. 131.

Ser. 1. de mon. inſt.

Ser. 1. de di. eccl. Similia ſunt etiam quæ ſanctus Bernardus de templi dedicatione diſſerit; quam totam celebritatem ad religioſi hominis conſecrationem transfert: Veſtra eſt, inquit, fratres cariſſimi, veſtra eſt hodierna feſtiuitas. Vos dedicati eſtis Domino, vos elegit, & aſſumpſit in proprios Quam bene commutaſtis, dilectiſſimi, quicquid habere potuiſtis à ſeculo, quando nunc relinquendo ea, proprij eſſe meruiſtis auctoris ſeculi, & eam habere propriam poſſeſſionem, qui ſine dubio portio eſt, & hæreditas ſuorum? Hæc ille. Poſt quæ pergit etiam totam illam ceremoniam, quæ templis conſecrandis adhibetur, religioſis ipſis applicare; in quam quidem, vt ille ait, hæc quinque concurrunt, Aſperſio, Inſcriptio, Inunctio, Illuminatio,

Illuminatio, Benedictio: quæ item omnia in religioso statu semper peraguntur. Nam & aspersio nostra, id est, peccatorum abstersio, confessione, lacrymarum imbre, pœnitentiæ sudore efficitur? & inscriptio non in lapide, sed in cinere legem significat, quam Christus verus Episcopus animarum nostrarum, digito suo describit, non iam in tabulis lapideis, sed in corde nouo, quod ipse dat contritum & humiliatum. Vnctio verò vbertas est gratiæ, quæ ideo datur, vt putrescere faciat iugum hoc à facie olei. Illuminatio sunt opera, quæ ex religione prodeunt, & lucent coram hominibus, vt glorificent patrem cœlestem, & ipsi videant quid imitentur. Denique benedictio, quæ clausula est totius ceremoniæ, quasi signum est æternæ gloriæ, quæ & gratiam sanctificationis complebit, & præterita opera largissime remunerabit.

Cum igitur templi huius materialis consecratio religiosæ cuiusque animæ consecrationem tam expresse repræsentet, licet ex eadem templi similitudine talis etiam animæ dignitatem coniicere. Videmus enim quantum intersit inter eiusmodi domum diuino cultui dicatam, & domum profanam, in qua homines habitant. Et quidem si materiã spectemus, eadem est vtriusque, iidem lapides, cæmenta, trabes; si autem vsum, maxima est differentia. Nam in profana illa & edere & bibere & cubare, opus quodcumq; facere, & ludere licet, licet etiam iumenta inducere: quæ cum hic licite, atque etiam decenter fiant, tamen si in domo sacra aliquid eiusmodi fiat, peccatum committi, locique reuerentia violari putatur. Idem est in calice sacro, qui si non dicam luto, vel cœno inquinetur, sed ad bibendum in communi mensa adhibeatur, piaculũ perpetrari creditur; quod apparuit in Rege Babyloniæ, cum templi vasis in conuiuium illatis, intra paucas horas & regno, & vita orbatus est. Denique hæc est talium rerum sanctitas, hic etiam communis hominum sensus, nescio quid eas adeptas, cuius causa non sine religione, ac veneratione contrectari debeant. Quantum igitur inter sacram ædem, & vulgares ædes interest, quantum sacer calix communem calicem superat dignitate, tantum anima Dei obsequio consecrata secularem, & laicam animam sine dubio antecellit: idque eo magis, quod illarum quidem rerum, quas modo diximus, natura, cum sensus, & rationis expers sit, ne interiori quidem consecrationi apta esse potest. Itaque si sancti vocantur parietes, si vestes, si cetera supellex, iisque vt sanctis honor defertur, id totum exterius quiddam est, Dan. 5.

eſt, intus autem nihil immutantur. At hominis mens propria ſedes eſt ſanctitatis, eáque ſic conſecrationem admittit, ac recipit, vt ornetur, perficiatur, & in ſuperiore, ac diuiniore quodam gradu collocetur. Quod ſi ita eſt, quem ornatum, quos ſplendores animæ illi addi neceſſe eſt, quæ ſic interius immutata humanam formam exuat, diuinam induat? Cuius auri, aut cuius gemmæ nitor comparari ei poteſt, aut quis vmquam ſol in meridiana luce adeo fulſit ſi modo oculos haberemus ad noſtram, vel aliorum, qui eodem loco ſunt, mirabilem hanc ſpeciem intuendam? Accedit etiam ad hanc dignitatem, quod vt templum manu factum ideo domus Dei dicitur, quod illa maieſtas cum vbique locorum ſit, tamen eo præſertim loco reſidere, ſuámque vim, ac præſentiam manifeſtare videatur, ſic in eiuſmodi templis non hominum, ſed Dei manu factis, poſtquam conſecrationem hanc receperint, diuina bonitas ſedem ſuam libenter figat: quod Paulus expreſſit, cum ait: Vos eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus. Declaratum eſt hoc in illo nobili Salomonis templo, vt cum legimus, conſecratione peracta, ſimul ac ſacerdotes de ſanctuario, quo arcam intulerant, exiere, deſcendit nebula in ædem totam, ita vt ſacerdotes ſtare, & miniſtrare non poſſent. Impleuerat enim, inquit ſcriptura, gloria Domini domum Domini. Neque id Salomonem, vt ſapientem, latuit; ſtatim enim in vocem illam lætus erupit, Dominus dixit, vt habitaret in nebula. Qua re hoc idem indicatum eſt, quod in anima geritur, cum ſeſe Deo voluntaria, & legitima conſecratione addicit, ipſam quoque impleri Dei præſentia, Deique gloria, & quidem nō in nebula, cuius obſcuritas, & denſitas nos in officio impediat, ſed potius in luce & claritate, quæ recreet & in tanto opere etiam adiuuet. Quamobrem illa quoque omnia, & multo maiora in eiuſmodi anima conſequi neceſſe eſt, quæ in templo conſecrato, vt & Angeli, quaſi loci ſanctitate delectari, libentius illic ſtationem habeant, & preces eius quaſi ex loco ſancto Deo ſint gratiores, & ipſius Dei bonitas, vt olim arca Hebræorum, quam domum incolat, eam omni benedictione locupletet: & poſtremo, quod magnum eſt, vt eius actiones, cogitationes, ſtudia, ſi radicis vnde prodeunt naturam retineant, ipſa quoque ex eadem conſecratione, & ornatiora, & Deo acceptiora reddantur. Denique illa quoque maxima eſt inter templum, & religioſum ſimilitudo, quod vt in tem-

2.Cor.6. 3.Reg.8. 2.Reg.6.

intemplo sacrificia Deo offeruntur,isque loc⁹ proprie sacrificiis destinatus est,sic religiosa quæque anima pene innumera quotidie sacrificia in cœlũ dirigit,Dei laudẽ,caritatis ardores,actiones gratiarũ,dolorem de peccatis,spiritumq; illum contribulatum,deniq; honesta omnia,& sancta desideria. Hæ sunt enĩ spirituales hostiæ, acceptabiles Deo, quas Apostol⁹ Petr⁹ vt semper offeram⁹ nos monet. *Psal.50.* *1.Pet.2.*

Religiosos propter sui oblationem esse perpetuum sacrificium.

CAPVT XV.

HACTENVS hoc tractatum est,quanta res sit,quod religiosus sit verum Dei templum, nunc illud breuiter tractandum est, quo modo sit etiam verum sacrificiũ. hoc enim sine dubio,sanctius,& diuinius esse necesse est,quam templum, cum templa ipsa sacrificiis peragendis consecrentur. Recte autem de hoc Gregori⁹: Nos quippe ipsos, inquit,sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostrã diuino cultui dedicamus.Itaque ad hoc etiam refert quod in Leuitico scriptum est, vt membra hostiæ per frusta concisa ignibus crementur: quod tum fit, inquit, cum vitæ nostræ opera virtutib⁹ distinguentes immolamus. Ac Vvaldensis quoque, grauis theologus, non modo sacrificium sed etiam altum sacrificium Deo facere, ait qui, vt ipse loquitur, carnis, & mentis actus omnes per religionis ingressum perenniter ei consecrat. Et reuera cui dubiũ esse possit, an si aliquid nostrum Deo offeramus, sit sacrificium,si autem nosmetipsos offeramus,non sit vere sacrificium? Huius ergo sacrificij vis ac forma cõsistit in perfecta nostri oblatione, & ea oblatione, quam deinceps amplius reuocari non liceat. Nam vt in sacrificiis illis antiquis victima moriebatur,nec ad vitam amplius redire poterat;ita hæc donatio, qua nos Deo tradimus,& dicamus, immutabilis est, nec licet nobis amplius nos ipsos,aut nostra repetere,aut resumere.Quamobrẽ illa vere,& luculẽter dicta sunt de hoc à S. Augustino: Ipse homo, inquit, Dei nomini consecratus ac deuotus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat,sacrificium est. Corpus etiam nostrum cum temperantia castigamus, si hoc quemadmodũ debemus,propter Deum facimus, vt nõ exhibeamus mẽbra nostra arma iniquitatis,sed arma iustitiæ Deo,sacrificium est.Si ergo corpus,quo inferiore tamquam famulo,

9.Mor. ca.31. *Leuit.1.* *De sacramenta. tit.9.c.87.1* *10. Ciu. cap.6.*

vel inſtrumento vtitur anima,cum eius bonus, & rectus vſus ad Dominum refertur, ſacrificium eſt; quanto magis anima,cum ſe refert in Deum,vt igne amoris eius accẽſa, formam concupiſcentiæ ſecularis amittat,ei tamquam in commutabili formæ ſubdita reformetur, hinc ei placens, quod de eius pulchritudine acceperit,fit ſacrificium?Hæc Auguſtinus. Ex cuius ſententia duplex etiã apparet in nobis eſſe ſacrificium,alterum corporis alterũ animę;quoniã vtrũq;,vt ipſe ait,ad Deũ ita refertur,vt ad ſeipſum referri deſinat,quod eſt viuere alteri, ſibi autẽ mori. Si quis autẽ quærat, quis hic ſit ſacerdos ad hoc ſacrificium peragendum,quis culter ad mactandum,quis etiam ignis ad comburendum; ſacerdos quidem non alius eſſe poteſt, quam idem ipſe, qui victima eſt. Nã cum gen⁹ hoc oblationis in ſpiritu cõſiſtat,& ſpiritu fiat,nullius hominis man⁹ hoſtiã hanc attingere poteſt,niſi ei⁹,qui ſe ipſum offert.Sic enim
Pſal. 53. ſcriptum eſt. Voluntarie ſacrificabo tibi.Culter vero quis
Luc. 14. alius ſit,quã illud animæ noſtræ odium quod Domin⁹ præ
Luc. 12. cepit,aut quis alius ignis,quam ille ignis,quem ipſe venit mittere in terram,& nihil adeo voluit, aut adeo quæſiuit, quã vt arderet? Hæc enim cœleſtis flãma de cœlo veniens, cũ in noſtro arſerit pectore,facile ſacrificium noſtrũ, vt o-
3. Reg. 18. lim Heliæ,vorabit,& ligna,& lapides,& ipſum puluerẽ, ideſt,nos totos, & quidquid in nobis, ſit etiam terrenum & craſſum,ad vnius tamen Dei obſequium conuertet.Sed quoniã multa erant olim ſacrificiorum genera, inter quæ omnium maximum, & præſtantiſſimum erat, holocauſtũ in quo videlicet non victimæ pars ſed victima tota ad Dei honorem adolebatur, hoc etiam intelligendum eſt, quod ad religionis dignitatem, & eminenriam vel maxime pertinet,in hac religioſa oblatione huius ipſius holo
Ho. 12. Ezech. cauſti vim ineſſe. Sic enim de hoc ipſo ſanctus Gregorius: Qui,inquit,ſic operantur ea quę Dei ſunt,vt tamẽ & quędam,quæ ſunt ſeculi, non relinquant, nimirum ſacrificiũ, & non holocauſtum offerunt. Qui autem cuncta,quæ mũdi ſunt,deſerunt,& totam mentem igne diuini amoris incendunt,hi nimirum omnipotenti Domino ſacrificium,& holocauſtum fiunt. Quid clarius dici, aut quæ expreſſior eſſe poterat religioſi cuiuſq; deſcriptio? Hãc enim ob cau
2. 2. q. 186. ar. 7. ſam B.Thomas aperte confirmat,religionem nihil aliud eſſe,quam holocauſtum,quoniam omnia Deo tradat, & qui ſe huic ſtatui dicarit, is tum interiora, tũ exteriora omnia

Creatori

Creatori suo obtulerit. Nam non reliqua solum, quæ sunt in nobis, aut intra nos, cum Deo donantur, sacrificari dicũtur, sed ipsa etiam externa, cum propter Deum deseruntur & abiiciuntur. Sic enim Dauid, cum aquam abiecit, quam manibus tenebat, idque in Dei gratiam, aquam illam Deo libasse scribitur, nouoque more dum se ea priuat, in sacrificium vertisse. Itaque videtur mihi interioris huius holocausti tum natura, tum etiam dignitas, ac præstantia à Paulo Apostolo apertissime descripta, cũ eam appellat hostiã viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequiũ. Nam quod ait rationabile, id est, spirituale, hoc indicat, non solum carnem, sed rationem, ac mentem, & animam ipsam offerri. Quod verò hostiam dicit, ostendit hic quoque mortem intercedere. Sed addens viuentem, illud demonstrat, hoc mortis genus non tamen eiusmodi esse, vt vitam tollat, sed simul eam mirabili quodam modo cõseruet. Denique merito etiam sanctam vocat, & Deo placentẽ; quoniam quicquid Deo dicatur, sanctum efficitur, nec aliquid esse potest in rebus omnibus adeo gratum illi maiestati, quam anima, quæ se ipsam totã eius numini propter ipsius amorem spõte sacrificet. Etenim si vetera illa holocausta ita erãt domino Deo accepta, vt odorẽ suauitatis eorũ tam libenter odoraretur, in quibus tamẽ vel triennis vaccę, vel rufę vitulæ caro, aut aliquod eiusmodi pecus offerebatur, quanto excellẽtius, & præstantius est, quod hic offertur, nẽpe quod Dei sanguine æstimatũ est, tanto etiã gratiorẽ esse necesse est eius oblationẽ. Hic vero est hominis animus, quẽ vere dicere possum in hoc holocausto immolari; quoniã, vt alibi quoque à nobis dictũ est, hoc propriũ est religiosorum, vt & sibi ipsis, & rebus omnib⁹ secularibus moriãtur, quia & seipsos, & res istas ita deseruerũt, ac si mortui essent; eaque obligatio certa, & irreuocabilis inest in ipso statu. Ex quo illud est S. Bernardi, qui cũ religiosum describeret, nõ satis habuit, vt eum pingeret tamquam peregrinum, quoniam hic etsi pauca habet, aliqua tamen habet, sed pingit etiam vt mortuum, pingit vt crucifixũ: quia, inquit, ita ab actibus seculi alienus est, sic vituperantes, quemadmodũ laudãtes audit, immo nec audit, quia mortuus est, & quæ mũd⁹ amat, crux ei sunt, honores, diuitiæ, voluptates Sed illud hic mirabile, quod in veterib⁹ illis holocaustis fieri non potuit, in his vero nostris ne aliter quidem fieri potuit, quod, vt Paulus indicat, simul cum hac

2. Reg. 23.

Rom. 12.

Ser. 7. Quadr.

veriſſima morte coniuncta ſit etiam vita veriſſima, vt neq; hæc vita mortẽ illã impediat, neque illa mors vitã hãc adimat. Nã ſi omnino vitã eriperet, facultatẽ etiã eriperet ſeruiendi Deo: ſin autem nulla eſſet mors, non eſſet holocauſtũ verum. Vtrumq; igitur miſceri opportuit, vt, quemadmodũ ait S. Gregori⁹, & eſſet hoſtia, quia homo huic mũdo moritur, & tamẽ eſſet viuẽs, quia cũcta, quæ præualet, operatur. Quamobrẽ recte de hac morte, vt ſic loquar, vitali, dictũ eſt à S. Paulo? Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcõdita eſt cũ Chriſto in Deo: quod, vt idem Gregorius interpretatur, tũ aſſequimur, cum à temporalium deſideriorum tumultibus abſtracti, relictis omnibus externis, interiora tantũ attendimus: vt dũ tota mens in Dei amorem aſpirat, nulla terrenarũ rerum perturbatione tangatur. Itaq; hic etiã optime cõuenit quod in veteribus illis holocauſtis ex Dei preſcripto ſeruabatur, vt ceteris abſumptis, ſola pellis ſacerdoti cederet. Nã cũ, vt ante dictũ eſt, nullus hic alius præter nos intercedat ſacerdos, nihil nobis de nobis ipſis remanet, præter pellẽ, id eſt, exteriorem hanc corporis ſpeciẽ, quę eadẽ perſeuerat, nec mutari poteſt per religionis ĩgreſſum. Reliqua vero, quæ interiora ſunt omnia diuino illo igne cõburũtur, quoniã eius numini, eiuſq; gloriæ cõſecrãtur: vt in hoc ſtatu illud facillime, & maxime fiat, quod Paulus Apoſtolus dicebat de ſeipſo, viuere ſe quidẽ, nẽpe quod ad externã illã figuram attineret, & tamẽ nõ ſe viuere, ſed in ſe Chriſtum ipſum. Quæ cũ ita ſint, iure omnino, ac vere totam religioſi hominis vitam holocauſtum appellare licebit, cui nimirum tum reliqua holocauſti perfectio non deſit tum etiam mortis ipſius: neque id breue holocauſtum, ſed iuge ac perpetuum, quia vitam totam, quam longa eſt, complectitur. Ex quo ſane, vel vno, admirabilis quædam religioſi inſtituti dignitas eluceſcit. Nã ſi Abel, aut Noe, aut magnus Abraham numquam magis Deo placuerũt, quam eo ipſo tempore, cum ſua illa celebrata ſacrificia obtulerunt, nec omnino poteſt homo in vita ſua melius aliquid, ſanctiuſve facere, quam cum Deo ſacrificat: ſed hoc non poteſt ſemper facere, atque adeo non niſi raro: qualis erit ſtatus ille, in quo quamdiu durat, & ſpirat homo, perenne ſacrificium eſt? Immo vero eo etiam nobilius eſt hoc noſtrum, quam omnia illa vetera holocauſta, quia non hic boum, aut arietum caro ſed & humana caro, & animus carne pretioſior immolatur.

Hom. vult. Ezechi. — *Col. 3.* — *5. Mor. c. 5.* — *Leui. 7.* — *Gal. 2.*

Comparatio

Comparatio religiosæ dignitatis cum regia.

CAPVT XVI.

HIs perspectis, quæ de religiosi status dignitate disputata sunt, facile iam est, eius collatione omnem huius mundi dignitatem despicere, longoque interuallo inferiorē iudicare, non solum reliquas minores, sed ipsam quoque regiam, quæ hominum iudicio summa est, & qua humana ambitio nihil habet altius, quo ascendat. Hæc comparatio superba fortasse videatur, & arrogans si ex nostro ingenio proferretur; sed ea tam celebres, & certos habet auctores, vt nemo sit, quem illorum nomen, & auctoritas nō conuincat. Præterea ex ante dictis eum esse constat religiosæ vitæ splendorem, vt ex hac comparatione potius ei aliquid decedat, quam accedat. Multo enim maius est, tantam in eo existere Dei similitudinem, qnantam antea ostēdimus, quam regis alicuius terreni, cuius & potentia, & maiestas quæcumque est, Dei respectu exigua est, & nulla. Est autem primum similitudo quædam huius status cū rege, communis etiam cum aliis probis, sanctisq; hominibus quos Beda quodam loco magnos reges esse ait, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt. Ac Gregori⁹ quoque illud Canticorum carmen explanans, Sexaginta sunt Reginæ, Quid per reginas, inquit, nisi sanctorum animæ designātur quæ dum corpora sua prudenter regunt, regnum sibi æternum acquirunt? Sunt enim nonnulli in sancta Ecclesia, qui carnem suam macerāt, & propter Deum affligūt, vita vincunt, dæmones velut tyrannos sibi subiiciunt, omnes mot⁹ suos, vt ordinate currant, sapienter regunt, aliis prædicant hoc quod ipsi faciunt, multos à faucibus dæmonum gladio verbi pugnantes abstrahunt. Quid huiusmodi animæ, nisi reginæ existunt, quæ dum règem Christum sponsum suum valde diligunt, amoris commixtione, & libidinis execratione regios filios, id est, fideles populos gignūt? His verbis Gregorius non quidem religiosorum nomen, ac vocabulū apposuit, sed rem, & statum ex ipsis eorum officiis, muneribusq; apertissime descripsit, eoque præsertim quod has animas Christi spōsas appellat, quod votorū vi agi alibi mōstrauimus. Chrysostomus verò, vberi⁹ hoc ipsū argumentum tractans, eas etiam colligit rationes, ita proprias religiosis, vt in nullum aliud vitæ genus cōuenire possint.

3. in Luc. c. 43.

Cant. 6.

Nam in eo opere,quod ſcripſit aduerſus reprehenſores vitæ monaſticæ,cum ſecundum librum inſtituat contra gentiles,& ethnicos,ignaros videlicet tum euãgelij, tum futuræ gloriæ,tamen ea ex præſenti tantũ vita argumenta congerit,vt ſine vlla dubitatione demonſtret, liquido que probet, monachum longe ſuperiorẽ eſſe rege. Etenim cum in regio munere duo ſint præcipua,& maxima,poteſtas,& honor,de vtroque ſic diſſerit : Quod tu, inquit,ſummæ poteſtatis argumẽtum eſſe putas?nonne vt poſſit quis & hoſtes, & omnes ſibi infeſtos vlciſci,cunctoſque, qui ſe beneficiis affecerint,remunerari? Atqui hanc poteſtatem omnem ne apud regem quidẽ inuenire poteris. Nam & plurimos habet infeſtos inimicos,quibus vicem reddere non poteſt, & plurimos beneficos,quos non facile poteſt remunerari. Verum hac ipſa potentia,qua ne reges quidẽ ipſi frui poſſunt, aliam longe maiorem , atque excellentiorem habet monachus.Si enim vlciſci inimicos , ea demum ſumma poteſtas eſt,multo plane erit excellentius, eiuſmodi ſtatum vitæ reperire,cui nemo ſit, qui, etiamſi velit, nocere poſſit. Nam etiamſi magnũ ſit, quempiam adeo rei bellicæ peritũ eſſe, vt omnes,à quib⁹ feriatur,referiat,multo tamẽ præſtãtius, atque cõmodius eſt,eiuſmodi corpus habere,quod à nemine quantalibet machinatione vulnerari queat. Verum hac poteſtate alia adhuc longe maior eſt,vt nemo non ſolũ nocere , ſed nec velle quidem nocere poſſit. Sic enim multo magis tutus,ac ſecurus erit,præſertim cum etiamſi nocendi facultas deſit, odiſſe tamen poſſint, quod ipſum odium non parum de hominis gaudio,& felicitate detrahit. Quid igitur hoc vitæ ſtatu ſingularius,quid diuini⁹ dici, aut fingi poteſt,cui nemo nocere velit,nec ſi velit,poſſit? Quis enim eum lædere,aut iniuria afficere velit,qui nihil habeat commune cum hominibus? Aut enim inuidia,aut timore, aut ira commouemur,vt aliquem lædamus.At iſte illuſtriſſimus,& plane regius his omnibus ſuperior euaſit.Quis enim illi inuideat,qui cuncta irridet ,quæ alij amant & mirantur?Quis ei iraſcatur,à quo nulla fuerit laceſſitus iniuria? Quis eum metuat, quem nulla re ſuſpectum habet? Conſtat igitur, neminem eſſe qui nocere velit. Quod autem non poſſit, ne ſi velit quidem, id quoque manifeſtum eſt.Nullæ enim ſunt occaſiones,& cauſæ , quibus eum aliquis impedire poſſit, ſed vt aquila ſublime volans minutarũ auium laqueis non capitur,ita & religioſus.Vnde enim,

vel

vel ex qua cauſa aliquis ei noceat?Pecuniã ille nõ habet, vt damnum metuat: patriam non habet, vt exilium ei intentetur: gloriam non optat, vt dedecus timeat. Vnum reliquum eſt, mors ſcilicet. Sed eam qui intulerit, non modo illũ non lædet, aut aliquo afficiet mœrore, ſed ſumma illi afferet cõmoda. Eum enim ad aliam tranſmittit vitam, quam ille ſummis ambit deſideriis, cuius gratia cuncta agit, & molitur. Quod autem ad honorem attinet, is quoque maior eſt monachi, quam ſecularis. Nam ſecularis potentia multos quidem, habet, qui vereantur, verum non pauciores qui oderint. At religioſum omnes & iucunde, & cum voluptate honorant: & quidem etiam ſæpe alioquin humili loco nati, agreſtiumque, atque operariorum filij, cum ſe ad hanc philoſophiam contuliſſent, facti ſunt adeo omnibus venerabiles, vt ne ij quidem qui in ſummis dignitatib⁹ agebãt, erubeſcerẽt proficiſci ad illorum tuguria, & cum iis colloqui, & quidem cum eo affectu, tamquam magna quędam bona, quod erat veriſſimum, adepti eſſent, propterea quod cum iis ſermonem habuiſſent. Hęc, & alia multa Chryſoſtomus. Atque idem etiam hunc locum eundem copioſius tractauit in ſermone quodam, quem inſcripſit, de comparatione regis, & monachi, qui ita accurate, & luculente ſcriptus eſt, vt qui eum legerit, ampli⁹ nihil ſit, quod in hoc deſideret: nos hic particulam tãtum inſeremus Rex, inquit, vrbibus, prouinciis, populiſque multis præſidet: at monachus iræ, inuidiæ, auaritiæ, voluptati, ceteriſque animi morbis imperat, & cogitationem ſupra res omnes humanas erectam tenet. Atque hunc quidem regem verius, quam illum dixerimus, quippe qui ſi libidini, ſi timori ſeruiat, non ipſe populis imperitat, ſed ea quibus ipſe paret, & quorum ex præſcripto mouetur. Ac rex quidem cum barbaris bellum gerit, ídque pro terrarum finibus, pro opibus, pro auro: at monachus cum dæmonibus depugnat, quorum & impetus acriores, & natura excellentior eſt, atque ideo victoria præclarior, finis autem pro pietate, pro Dei cultu. Qualis autẽ vtriuſque vitæ conſuetudo? Hunc videas cum prophetis verſantem, Pauli ſapientiam haurientem, à Moſe ad Eſaiam, ab Eſaia ad Ioannem, à Ioanne ad alium quempiam tranſeuntem. Itaque, vt fieri ſolet, eorum, quibuſcum verſatur, ſimilis efficitur. Rex vero cum paraſitis, cum adulatoribus, cum militibus glorioſis vitam traducit. Vigilat ille de nocte, vt cum Deo colloquatur, vt cum angelis viuat, vt cœleſtibus

bonis fruatur. Hūc autē, qui gentibus, & populis dominatur, videas eo tempore in lecto distentum, & stertētem, parum à mortuo differentem. Rex vt valde sit beneficus, aurum tamen largitur: ille vero spiritum gratiæ, atq; ipsorum etiam corporum beneficia à Domino impetrat precibus suis, & nihil æquę oderunt, fugiuntque dæmones, vt monachi preces, ad quas reges ipsi non raro compulsi confugiūt, vt Achab ad Helyam, Ezechias ad Esaiam. Deniq; mors regi horribilis est, monacho etiam grata, & ille mortem semper timet, eamque ob causam milites semper adhibet sui corporis custodes, hic autem non modo neminem timet, sed etiam alios, vrbesque totas precib⁹ suis tamquam muro communit. Hactenus Chrysostomus. Nos autem in hac comparatione illud etiam addere possumus, quasi coronidis loco, quanta sit differentia in ratione vtriusque adipiscendæ dignitatis. Reges enim vel nascuntur, vt qui hæreditate ad regnū perueniunt, vel hominum suffragiis eligūtur; quod sane gloriosius est: quoniam illud quidem felicitatis est, hoc virtutis, si tamen in eligēdo virtutis ratio habeatur. Atqui religiosis tantum hoc beneficium neq; natiuitate, neque vllius hominis concessu prouenit, sed vnius Dei voluntate, quos ille certo iudicio à reliquorum turba selectos in suam familiam cooptare, suisq; famulis aggregare dignatus est. Non enim humano consilio, non nostro studio, aut alterius hominis instinctu tantæ res, tamque arduæ, atque à naturæ viribus remotæ confici possunt, vt seculum relinquatur, vt parētum, & fratrū carnalis amor superetur, vt voluntatē nostram perpetuo hoc iugo captiuemus. Non habet natura vires tantas, neque, vt ita dixerim, scalas, aut etiā alas, vt tam alte conscendere possit. Sed hoc totum, quantumcumque est, opus est Dei, de quo extat illa
Ioan. 15. Christi vox, non ad Apostolos tantum, sed ad omnes, Non
Ioan. 6. vos me elegistis, sed ego elegi vos: & illa, Nemo potest venire ad me, nisi pater meus, non solum vocarit, aut inuitarit, vel etiam impulerit, sed traxerit, inquit, eum. Quantum igitur est hoc, quod nos Deus ita dilexerit, ita cōplexus sit, & tāti boni participes fecerit, vltro, ac sua spōte, nullo nostro merito, & potius contra, indignos, & immerentes, præ-
Psal. 147 sertim etiam repudiatis tam multis aliis: vt nobis quoque illud prædicare liceat, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Magna igitur religiosi dignitas, nō modo ad tātā rem delectū esse, sed & à tanto auctore,

ctore,cuius iudiciũ cum nostro honore cõiunctũ nõ vnius tantummodo populi regnum deferentis, sed totius orbis, atque omnium,qui vmquam fuerunt,vel erunt, hominum iudicia infinito interuallo superat.Hãc differentiam inter regiũ ipsum statum,& statum religiosum multi declararũt ex ipsis regibus,& dynastis,qui sceptris,ac palatiis relictis, ad vilem tunicam,pauperemque cellam sese humiliarũt,in eaque vita multo maiorem, ac veriorem felicitatem se inuenisse professi sunt,quã antea in illo honore,quem mundus stultissime tanti æstimat. Inter quos insigne certe fuit exemplum Sautocopij Morauiæ regis , anno salutis fere DCCCC. qui prælio victus ab Arnulpho Imperatore,regiis insignibus abiectis,in remotam solitudinẽ profugit, vbi in monte,qui Sambrius dicebatur,quibusdã monachis,qui illic degebãt,repertis,cũ iis se coniunxit,& monastica veste accepta , aliquot annis eandem vitã in ieiuniis, ac vigiliis, ceteraq; corporis austeritate incognitus egit.Denique,imminente iam morte,socios aduocans,aperuit quis esset, luculentũ adiiciens religiosæ vitæ testimoniũ,se,qui & hanc, & regiã expertus esset,hãc sine vlla comparatione illi anteferre.Hic enim,inquit,secure,ac sine vllo metu somnum cepi:hic mihi herbarum radices , & aquæ potus multo iucundior,& suauior fuit,quã olim regiæ omnes epulæ, quæ videlicet multo felle curarum, & periculorũ assidue aspergebãtur.Itaq; hoc quicquid fuit temporis, quod vobiscum duxi,longe mihi felicius visum est, quã cum olim regnans omnibus voluptatibus affluebam: ex quo,vel meo ipso vsu didici, vitam illam huic comparatam , mortem potius esse dicendam.Hæc ille moriens.

De iudiciaria potestate,quam habebunt religiosi.
CAPVT XVII.

OMnes dignitates huius mundi , & imperia ómnia vna cum hominis vita finẽ habent:at religiosi tum multis, & præclaris in hac vita fruuntur,tũ vero alia etiã post mortem multo maiora cõsequẽtur;inter quę illud est , quod in supremi iudicij die,in illius amplissimi muneris partẽ venturi sunt, vt vna cũ Christo sẽtẽtiã ferant salutarẽ iis , qui ad dexterã stabũt,funestam iis,qui ad sinistram. Sed vt hoc quãti sit certius cognoscatur, omnino redigenda est nobis in memoriã,& quasi oculis repræsentãda illius diei acerbitas , & horror,illius,inquã,diei, quem Sophonias propheta

Soph. 1. his verbis deſcribit. Iuxta eſt dies Domini magnus, iuxta, & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies illa, dies iræ, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies calamitatis, & miſeriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris. Cui conſonant etiam Ioelis dicta, qui illius diei quaſi præſentis formidine
Ioel. 2. commotus ita ait: Conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia prope eſt dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum? Recte autē Gregorius ex hoc quaſi indicio de illi⁹ tēporis horrore cōiecturā facit, quod Dominus, imminente iam paſſione, vna mitiſſimæ reſponſionis voce armatos perſequutores ſuos
16. Mor. c. vlt. in terram proſtrauit: Quid ergo (inquit) facturus eſt, cum iudicatur⁹ venerit, qui vna voce hoſtes perculit, etiā cū iudicandus venit? Quod eſt illud iudicium, quod immortalis exerit, qui in vna voce non potuit ferri moriturus? Quis eius iram toleret, cuius & ipſa non potuit māſuetudō tolerari? Quare cum tam ingens vbique luctus, & pauor tum futurus ſit, vt omnes homines exanimati, ac ſuſpenſi, ſeueram illam ſummi iudicis ſententiam expectent, magnū ſine dubio, & potius maximum eſſet beneficium, poſſe in tanta reliquorū perturbatione, ſecuro, atque impauido animo conſiſtere, & illud vltimum, & immutabile de ſalute æterna decretum etiam cum gaudio expectare. Ex quo
Hom. de comp. regis, & mo. illud eſt, quod ait Chryſoſtomus, religionem hoc habere, vt qui eam ſequuti ſint, primum in hac vita bonis multis repleat, deinde poſt vitæ exitum hilares, & ludibundos ad Dei tribunal perducat, quo potiſſimum tempore principes huius mundi, qui ab omnibus pene adorabantur, magnas admiſſorum pœnas dabunt. Bernardus etiam quod in pſalmo dicitur, Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venan-
Qui habitat. Serm. 3. tium, & à verbo aſpero, huic ipſi, de quo nunc agimus, commode applicat: ait enim hūc laqueum eundem eſſe, de quo Apoſtolus loquitur: Qui volunt (inquit) diuites fieri inci-
1. Tim. 6. dūt in tentationes, & in laqueū diaboli: Verbum autē aſperum eſſe vltimā illam vltimi illius iudicij ſententiā. Itaque ſic fratres ſuos alloquitur: Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis non habentem vbi caput reclinaret, filium hominis, exultate, & dicite: Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantiū. Confitemini illi toto corde, tota anima, tota virtute, & ex ipſis medullis cordis gratias ei agite, dicētes:

tes:Quoniam ipse liberauit me de laqueo venãtium. Et vt noueritis quã magnum sit beneficium hoc,& sciatis quæ à Deo donata sunt vobis,audite quod sequitur,Et à verbo aspero.O homo,vel magis bestia,laqueum nõ timebas, time vel malleũ.A verbo (inquit) aspero. Quod est hoc verbum asperum,nisi,Tollatur impi⁹,ne videat gloriã Dei, Ite maledicti in ignẽ ęternum? Vos autem fratres mei,vos pẽnati, ante quorum oculos frustra iacitur rete, vos qui diuitias huius seculi reliquistis,quid timeatis à verbo aspero, quoniam iam liberati estis à laqueo? Quibus enim dicetur, Ite maledicti in ignem ęternum:Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.Quibus(inquam)dicetur,nisi iis, qui substantiã huius mundi habuere? Numquid non valde exhilarantur ad verbum hoc corda vestra,& spirituali iucunditate replentur? Numquid non pretiosiorem ducitis paupertatem vestrã thesauris seculi, siquidẽ ipsa est quæ liberat vos à verbo aspero? Quomodo namque à nobis exigat Deus quod pro ipsius amore relictum est? Hæc Bernardi. Igitur si nihil aliud religiosis hæc vita conferret, quam vt tempore illo arescentibus ceteris hominibus præ timore, & expectatione eorum,quæ superuenient, ipsi contra exultent, quoniam appropinquat eorum redemptio,satis hoc, superque esse deberet,vt quicquid esset laboris, ac crucis, recte positum,& iure toleratum videretur. Sed tamen est aliquid multo maius, quod nimirum & securitatem hanc multo magis cõfirmat, & addit incredibilem dignitatẽ,vt iudiciariæ potestatis, quam Christus à patre in diem illum accepit,ipsi quoque partem,Christi concessu,vsurpent,nec tamquam iudicandi ad tribunal illud assistant, sed tamquã iudices in ipso tribunali consideant. Atque hoc sane tantum est,vt ne sperare quidem audeat homo,aut etiam delatum credere, nisi is deferret, qui & omnia facere potest, & in promissis suis fallere non potest. Quid igitur iucundius sit religioso, quam ipsam eius quasi promissi, ac chirographi formulã intueri? Amen (inquit) dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia,& sequuti estis me,in regeneratione, cũ sederit filius hominis, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel: per quas tribus Israel,non illam modo Hebræam gẽtem,sed, vt solet in scriptura,vniuersum Dei regnum, & fideles omnes cõprehẽdi voluit. Quod autem ait, Sedebitis, id primum iudicandi munus indicat,deinde & securitatem, & eminentiam, ac dignitatem *Matt.19.*

dignitatem inter alios, denique locum etiam Christo proximũ.Neque vero mouere quempiam debet, quod sedium numerus ad duodecim restrictus sit. Recte enim Augustinus huic ipsi quæstioni respondẽs, inesse ait in eo quiddam mysterij,vt hoc finito numero,præsertim ita perfecto, omnis indefinitus numerus comprehendatur: nam si duodecim tantum sellę ibi futuræ sunt,non erit vbi sedeat tertius decimus Paulus Apostolus, & non erit quomodo iudicet, qui tamen iudicaturum se dixit non homines modo, sed & angelos.Nõ solum ergo,inquit,illi duodecim,& Apostolus Paulus,sed quotquot iudicaturi sunt, propter significationem vniuersitatis,ad sedes duodecim pertinẽt.Hęc autem, quæ Augustinus dicit,ratione optima nituntur.Nam,vt ipsa Saluatoris promissio indicat, causa vnicà, cur hæc gloria,& hæc potestas Apostolis tribueretur,ea fuit, quod omnia reliquissent,& sequuti essent ipsum. Igitur quicumque idem fecerint, vt omnibus diuitiis,& diuitiarum spe,ac cupiditate relicta,Christi scholæ se dediderint, iis idem præmium,eademque merces debebitur.Nam quod illi pręsentem,religiosi vero absentem Christum sequuti sint, id non modo nihil imminuit de fidei præstantia,sed addit potius, Multa enim illi habuere incitamenta,quibus nos caremus, vt præsentia miracula visu ipso percep ta, vt consuetudinẽ, ac familiaritatem, vt etiam doctrinæ dulcedinem, de qua omnium nomine dixit Petrus, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ tu habes.Neque vero id etiam de merito quicquam adimit, quod illi Christo ipsi se subiecerint, nos alteri homini Christi loco;quoniam nunc quoque,qui hoc facit, Christo se subiicit, quem in hominis persona agnoscit,& veneratur:atque hoc ipsum fortasse, si fidẽ spectemus,maius est, non modo principi per se aliquid imperanti obedire, sed eius etiam ministris, ac præconibus, & quidem infimis,eius nomine iubentibus. Quare etia msi sine dubio hoc quodcumque est, maiore ab illis virtute, & caritate peractum est,quibus primitiæ spirit⁹ tributæ sunt, tamen si factum respiciamus, idem est quod nos facimus, ac quod illi fecerunt, idem finis, idemque vtrisque propositum,vt sane Bernardus non dubitarit, illa de se, & de nobis omnib⁹ magnifice prædicare: Apostolicã,inquit,omnes nos vitã professi sumus,Apostolicæ professioni nomina dedim⁹ vniuersi. Quod sane nõ de ea gloria sanctitatis dixerim,quã nõ sibi tantùm,sed vniuerso orbi suscipere meruerunt,

In psal. 80. *1.Cor. 6.* *Io.6.* *Serm.de ingrat.*

runt,sicut scriptum est, Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam, sed de eorum potius professione, qua pro omnibus loquitur Petrus,dicens, Ecce nos reliquimus omnia,& sequuti sumus te.Accedit illa quoque ratio,quod vt humani generis redemptio proprium fuit Christi Domini opus,propriusque labor,quippe qui pater vocetur futuri seculi, sic etiam eius proprium fuit iudicandi munus, ac dignitas, quia pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.Sed tamen quoniam ita eidem Domino visum est, in tanti muneris societatem Apostolos quoque asciscere,idque non quocumq; modo,sed eadem paupertate eadem humilitate, atque aduersarum rerum tolerantia,quam Christus ipse, dum viueret, tenuit, nimirum diuinę illius tum bonitatis fuit,tum etiam cuiusdam ęquitatis,vt quibuscum laborem, cum iisdem quoque communicaret honorem.Atqui religiosus status hoc ipsum iam facit,& semper fecit.Semper enim, vt infra copiosius exponemus,aliqui fuere religiosi,qui summam Ecclesię operam nauarent,etiā ex ipsis monachis, multo autē magis à pluribus iam seculis,cum hæc instituta,ita Deo inspirante, nō ad suum tantū,sed aliorum etiam salutem dirigi cœperunt. Ac licet aliis quoq; operariis abūdet Ecclesia,qui opportunis ministeriis populos informent,in quo sane laudē merētur,tamen vbi iam extra religiosos euangelicā illam nuditatem inueniemus,quę nulla omnino re possidenda elucet, ita vt dicere possint,Ecce nos reliquimus omnia:Recte autem B.Thomas episcoporum ordinē ait esse sane à Christo institutū,verum nō ita,vt possessionibus, & pecuniis,& externo isto splendore abundaret:quin potius contra ad paupertatem eum informasse,cum illam regulā tradidit, Nolite portare sacculum,neque peram,& reliqua: diuitias vero postea esse ex indulgētia,ac dispensatione, temporibus sic exigentibus,in Ecclesiā receptas.Hęc autē,quę S. Thomas de episcopis disserit, idē tenendū de reliquo clericorū ordine,qui Ecclesiasticis functionibus inseruit. Ex quo apparet,hanc virtutis præstantiam,cui Dominus tantum honoris in illum iudicij diē promisit, non solum religiosis verissime conuenire,sed in ipsis propemodum solis iam remansisse,quoniam ipsi soli sunt,qui omnia relinquunt.

Psal. 71. *Esa. 9.* *Io. 5.* *Op. con. retra. à re.c. vlt.* *Luc. 10.*

Sed quia res hæc tanta est, tantaque huius promissionis amplitudo,vt eā cordis nostri angustiæ vix capiant, confirmemus hanc diffidentiā auctoritate sanctorū Patrum, qui hoc

hoc Domini dictũ, ita vt debebant, accipientes, ex hoc ipso capite religiosæ vitæ dignitaté magnopere exornarunt. In primis enim Nazianzenus in oratione aduersus Iulianum apostatã, inter ceteras multas monachorũ laudes, hanc etiã inserit, quod ipsorũ sit sedere super thronos. Hieronymus autem in epistola quadam, se ipsum, inquit, Deo offerre, Christianorum, & Apostolorũ est, qui duo cum vidua paupertatis suæ in gazophylatium æra mittentes, totum censum, quem habuerant, Domino tradiderũt, & merentur audire, Sedebitis super duodecim solia iudicantes duodecim tribus Israel. Eadem dicit Augustinus, non solum grauis doctor, sed maxime certus. Qui, inquit, illius perfectionis de vendendis rebus suis consilium tam grande, tamq; præclarum non receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus, esurientem Christum pauerunt, non sedebunt quidẽ cum Christo sublimiter iudicaturi, sed ad eius dexteram stabunt misericorditer iudicandi. De ipsis vero religiosis tam certum est hoc apud Augustinum, vt eadem epistola quosdam ex iis aduersus humiliorem, & imperfectiorem secularium statum sese efferentes, his ipsis verbis castiget. Ambulent, ait, perfectionis viam, vẽditis omnibus suis rebus, & misericorditer erogatis: sed si vere pauperes Christi sunt, & non sibi, sed Christo colligunt infirmiora eius membra, quare puniunt antequam iudiciarias sedes acceperint? Si enim tales erunt, qualibus Dominus dicit, Sedebitis super sedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Israel, & de qualibus Apostolus dicit, Nescitis quia angelos iudicabitis, præparent potius non criminosos, sed religiosos diuites recipere in æterna tabernacula, à quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis. Gregorius autem sæpius hoc idem confirmat: nam in libro decimo moralium extremo ita disserit. Tunc, inquit, reproborum oculis patescet, quod cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia spõte reliquerunt. Vnde electis Veritas dicit, Vos qui sequuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Neque enim plus, quam duodecim iudices illa interni consessus curia nõ habebit, sed nimirũ duodenario numero quãtitas vniuersitatis exprimitur: quia quisquis stimulo diuini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmẽ iudiciariæ potestatis obtinebit, vt simul tũc iudex cũ iudice veniat,

[Margin notes: Or. 1. in Julian. — Epist. 28. — Epist. 89. q. 4. — Mat. 19. — 1. Cor. 6. — Matt. 9.]

niat,

niat,qui nunc consideratione iudicij sese spõtanea paupertate castigat. Hinc est enim quod de sanctæ Ecclesiæ sponso per Salomonem dicitur,Nobilis in portis vir eius,quando sederit cum senatorib⁹ terræ.Hinc Esaias ait, Dominus ad iudiciũ veniet cum senioribus populi sui. Hinc eosdem seniores Veritas non iam famulos, sed amicos denunciat, dicens:Non iam dicam vos seruos,sed amicos meos.Quos nimirum Psalmista intuens ait,Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: quorum dum celsitudinem cordis aspiceret,mundi gloriam qua calce calcarent, protinus addidit,Nimis confortatus est principatus eorũ.Ac ne paucos esse crederemus,quos proficere ad summam tantę perfectionis agnoscimus,illico adiunxit,Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabũtur. Idem confirmat Gregorius alio loco moralium,vbi de sapiente stultitia loquens,Hãc, inquit,stultitiam qui perfecte sequuti sunt, voce Sapientię audire meruerunt,Vos qui sequuti estis me,sedebitis super sedes duodecim.Ecce relinquẽtes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sunt. Quid itaque in hoc mundo stultius, quam sua deserere?Et quid in æternitate nobilius, quam cum Deo iudices venire? Vberius etiam hoc ipsum in eodem opere,vbi cum quatuor hominum genera in extremo iudicio conuentura commemoret, quorum alij iudicentur,& pereant,vt improbi Christiani,alij non iudicẽtur,& pereant,nimirum infideles, qui sine lege peccantes, sine lege peribunt,alij iudicentur,& regnent, boni scilicet, & pij fideles,de quarto genere eorum,qui non iudicantur, & tamen regnant,hæc scribit. Qui, inquit, præcepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solũ,quod diuina lex præcipit,implere contẽti sunt,sed prę-stantiori desiderio plus exhibere appetũt,quã pręceptis generalibus audire potuerũt. Quib⁹ Dominica voce dicitur, Vos qui reliquistis omnia,& sequuti estis me,cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos,iudicãtes duodecim trib⁹ Israel.Hi itaque in extremo iudicio nõ iudicãtur,& regnãt,quia cũ auctore suo etiã iudices veniunt. Relinquẽtes quippe omnia, plus prompta deuotione exequuti sunt,quam iuberi generaliter audierunt.Speciali namq; iussione paucis perfectioribus,& non generaliter omnibus dicitur hoc, quod adolescẽs diues audiuit,Vade,& vende omnia quæ habes,& da pauperibus,& habebis thesaurũ in cœlo,& veni, & sequere me.

Pro.31. Esa. 3. Iob. 15. Psal.138 20. Mor. cap.16. 26. Mor. cap. 20. Mat. 19.

statis exerescunt. Addamus his Anselmum quoque, qui in epistola quadam ita scribit, Dominus consulit ad perfectionem nitentibus, vt omnia relinquant, & se sequantur. Ipse omnia relinquentibus, & se sequentibus promittit, quia sedebunt cũ illo in iudicio iudicantes duodecim tribus Israël. *Epist. 10.*
Suauissime vero, vt solet, & disertissime S. Bernardus, quod in psalmo quodã dicitur, Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum, ita de religiosis interpretatur, vt non modo indices futuri sint cum petra, qui Christus est, sed sic futuri, vt omnem misericordiæ affectũ exuentes, ad summi ipsius iudicis exempla, solius iustitiæ recordẽtur; absorpti plane in affectũ iustitiæ, & petræ soliditatem, cui iuncti sunt, imitantes, cui pro certo petræ vt iungerentur, & quam solam vt sequerentur, cetera omnia reliquerunt. Nempe hoc, inquit, est, quod interroganti Petro quidnam essent accepturi, petra ipsa respondit, Sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israël. O familiaritatis gratiam, ô honoris culmen, ô fiduciæ priuilegium, ô prærogatiuam securitatis perfectæ. Quid enim tam pauendum, quid tam plenũm anxietatis, & vehementissimæ solicitudinis excogitari potest, quam iudicandum astare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto iudice sententiam? sane vt quorundam peccata, sic & quorundam studia bona manifesta sunt præcedentia ad iudicium, vt illi quem expectantes sententiam proprio statim pondere criminum in tartara deiiciantur: isti vero è regione paratas sibi sedes tota libertate spiritus sine vlla contradictione conscendant. Felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequentium te Domine Iesu. Felix plane tam quæ tam securos, immo, gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorũm, in illo tanto discrimine iudiciorum. *Qui habitat.* *Serm. 8.* *1. Tim. 5.*
Eandem quoque materiam vberrime alio loco tractans, tum huius dignitatis amplitudinem, præstantiámque exaggerat, tum rationem etiam reddit, cur hoc potissimum præmij genus religiosis tribuatur. Cum enim in paupertate duo insint incommoda, primum humilitas, & abiectio, deinde etiam multorum laborum perpessio, nimirum merito hoc esse à Domino institutum, vt pro laboribus sessio, pro contemptu celsitudo tantæ potestatis redderetur, vt si quis voluptate duceretur, illum sitiret voluptatis torrentem, si quis gloriæ cupidus esset, ad hanc potius tam veram, támque ingentem gloriam aspiraret; itaque in sedibus quidem quietem im- *Ser. Ecce nos reliq.*

perturbatam, in iudicio dignitatis eminentiam commendari. Quibus poſitis, exponit deinde quantus in ea re ſplendor inſit, quámque infinito interuallo ſuper humanos omnium titulos, ac dignitates excellat. Quis, inquit, ſecularis honor excogitari poteſt, qui non prorſus in tãtæ ſublimitatis comparatione vileſcat? Non vnius ſiquidem ciuitatis, aut populi, ſeu regionis vnus, ſed vniuerſitatis iudices habent præſidere cum Chriſto. Nec ſolum homines, ſed & ipſos angelos iudicabunt, qui par entem ad modicum vaporem præſentis gloriæ dedignantes, & exſufflantes, improperium Chriſti vniuerſis præferunt titulis dignitatum. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. Definitum eſt conſilium, quod non euacuabitur, propoſitum immutabile perſeuerat, denique iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Amen dico vobis, quod vos qui ſequuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes. Quid glorioſius? Iudicent nunc, & præiudicent ſuperbiæ filij, cum rege ſuo ſedeant, qui latera aquilonis. Infelix prorſus ambitio, quæ ambire magna non nouit, quærens de modico creſcere, & de maximo minui. Amant enim cathedras primas, quæ velut groſſi ficuum velociter ſunt caſuræ. Caueant igitur qui primas cathedras amant, ne contigat carere ſecundis, & qui primos nunc recubitus eligunt, incipiant cum rubore locum tenere nouiſſimum. Sedebitis, inquit, ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël. Has nimirum ſedes prouiderat, qui de ſuperna ciuitate dicebat, Illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Illic plane, non hic.
Pſal, 121. Hæc eſt enim perfectorum gloria ſingularis, inter ipſos etiã eminere fideles, & ceteris quoque ſaluandis præeminere auctoritate iudiciariæ poteſtatis, vt iuxta illud de pſalmo ſedeant ſupra domum Dauid. Quid iſtud miſeriæ eſt, quod ad verbum tantæ promiſſionis negligentia humana dormitat? Sic Bernardus tantam hanc religioſi ſtatus excellentiam miratur, ſic etiam miratur, quod homines cum tam auide omnem in mundo honorem vanum, & leuem, & breuem conſectentur, hunc tam verum, támque magnum non conſecte-tur, vt Dei filio ſocij ſint in actione omnium præſtantiſſima, & glorioſiſſima, ídque in oculis non vnius ciuitatis, aut regni, ſed omnium, qui ſunt, qui fuerunt, & qui futuri ſunt, hominum, inſuper vero innumerabilium etiam angelorum.

De

De gloria, quam in cœlo consequentur religiosi.

CAPVT XVIII.

ESTI, huius, quam modo diximus, actionis amplitudo, & gloria tanta est, vt omnes omnium regum purpuræ, ac sceptra, etiamsi in vnum congerantur, ne comparari quidem possint cum ea, multo tamẽ maior est gloria illa, quam in cœlo religiosi percipient. Nam illud quidem quicquid est, & quantumcumque est, temporale est, hoc autem æternum, & præter illud totum ad honorem quendam pertinet, qui extrinsecus est, hoc autem est in anima ipsa repositum. Verum hoc melius etiam cognoscetur, si id intelligemus, quod ipsa fides recta demonstrat, cœlestem illam beatitudinem, etsi re eadem sit in omnibus, quoniam in eo consistit, vt Dei essentiam, id est bonum illud, in quo omne bonum inest, reuelata facie videamus, eius tamen varios esse, & differentes gradus: de qua varietate apte Gregorius, Quia, inquit, in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Cum igitur tanta sit inæqualitas, eáque ex sola meritorum huius vitæ inęqualitate proueniat, facile iam intelligitur quantò vberiora futura sint religiosorum præmia, quibus status ipse tantam commoditatem præbet augendi, & multiplicandi merita. Primum enim in hoc statu multo copiosior suppeditat materia, ac seges operum & per se meliorum, & præterea etiam difficiliorum, quam in seculari. Nam in seculo quidem raræ omnino occurrunt virtutis exercendæ occasiones, eásque magno studio quæri, & accersiri necesse est, religiosis autem domi assidue nascuntur, quoniam institutum, & regulæ, & superiores, & æquales, & omnes denique, omnia, quibuscum viuunt, & inter quæ viuunt, ea virtutum officia non modo offerunt, & ingerunt, sed etiam exigunt. Itaque vt faber in ligno, aut ferro tractando totis diebus versatur, quoniam ea est illius artis materia, sic religiosi occupationes in vna virtute continentur, eiúsque operibus tum externis, tum internis. In quo non voluntas tantum, ac feruens cuiúsque studium valet, sed quædam etiam necessitas, vbi iis se quisque legibus obligauit, quibus modo orare, modo legere, modo ad humiliora ministeria sese demittere, modo varia fraternæ charitatis munera obire cogatur, vt, etiamsi velit, quiescere non possit à recte agendo. Quare

4. Mor. cap. vlt.

Bb 2 cum

cum omnis hora, & omnis dies plenus sit eiusmodi benefactis, facile est videre quæ tandem summa, & quam grandis efficiatur. Quo in genere commode Aegidius ille S. Francisci socius dicere solebat, vt aiunt, Si Tiberis non deflueret, sed aquam, quæ semper labitur, retineret: quantum iam excreuisset? Immo vero non solum tot anni, quibus iam fluit, sed pauci omnino dies satis essent, vt ex flumine ingens mare fieret. Idem igitur licet de religiosis dicere, cum quotidie, vel potius assidue bonis operibus accumulandis insistant, atque in eo noctes, & dies elaborent quas coronas, quantam gloriæ accessionem fieri necesse est? Ad hæc accedit etiam paupertas, magnus, & perennis per seipsam meritorum fons, propter quotidianas molestias, & incommoda, quibus animam ditat. Accedit etiam obedientia, cuius virtutis tanta vis est, vt leuissima quæque, ac minutissima opera illius impulsu facta sæpe plus Deo placeant, quam alia multo maiora proprio consilio, atque arbitratu. Cum autem omnis religiosorum vita obedientiæ præscriptis concludatur, ita vt non maiora modo negotia, sed minores quoque, ac vulgares actiones ab ea pendeant, vt cibus, & somnus, vt ambulatio, & alia eiusmodi, quis æstimet quantus ad extremum ex his omnibus cumulus fiat? Palladius monachus, qui priscorum monachorum res oculatus testis conscripsit, seipsum commemorat, cum aliquando animo æger esset, & anxius, propterea quod videretur sibi inertem prorsus, atque inutilem vitam in cubiculo agere, ob eam causam ad Macharium illum Alexandrinum adisse, illum autem, vt erat Dei spiritu plenus, eius mœrore cognito, ita ei dixisse, Responde tuis cogitationibus, te propter Christum quatuor tuæ cellæ parietes custodire. Nempe indicare voluit, quanti pretij sint opera hominis religiosi, qui totum se Deo tradidit, quando etiam ipsum otium Dei causa, & Dei voluntate susceptum, non esset otiosum, nec infructuosum. Maximum vero monumentum ad illius gloriæ incrementum addit etiam religiosæ vitæ humilitas. Necesse est enim, illam Christi Domini sententiam, ac promissionem impleri: Omnis, qui se
Luc. 18. humiliat, exaltabitur: quod si de iis quoque intelligi debet, qui de se demisse sentiendo, animo tantum sese humiliant, multo magis in eos conueniet, qui non solum animum humilem gerunt, sed etiam infimum statum & ab omni gloria, fastúque humano remotissimum amplexati, in paupertate etiam, qua nihil hominum æstimatione vilius, aut ignobilius

lius esse solet, totam vitam duxerunt. Hos igitur in cœlo exaltari æquum est, quoniam ita se in terra humiliarunt. Atque aliud est quoque Domini dictum, quod religiosos bona spe implere debet. Qui, inquit, mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic sit & minister meus. Sunt autem inter Christi ministros gradus multi. Vt enim regibus multi sunt subditi, qui ipsi quoque quibusdam in rebus eis seruiunt, sed tamen seruorum nomen iis tantum conuenit, qui in ipsorum regum domibus viuunt, eorumq; ori, ac voci semper præsto sunt, & quorum nullum aliud est negotium, quam regia negotia: sic omnes quidem Christiani Dei ministri, & famuli appellari possunt, sed ij magis omnino vere, magísque proprie, qui suis domibus, suísque rebus relictis, in Dei domum se transtulerunt, eiúsque solius rebus curandis intenti sunt. Qua ex re illud etiam magnum sequitur commodum, de quo à nobis alio loco dictum est copiosius, vt quoniam res ipsæ, quas religiosus tractat, Dei sunt, nõ ipsius, multo maiorem ex ipso statu facultatem consequatur, quicquid agat, ad Deum dirigendi, in quo meritorum ratio consistit. Nam nisi sponte nequam seruus esse velit, qui quasi Domini pecuniam, sic ille obsequium surripere, & ad seipsum detor uere velit, ipsa quidem opera pleráque per se, ac suo pondere, alia leui conatu, impulsúque adhibito, ad suum feruntur finem, id est ad Deum, qui quod illa suam in gratiam perfecta agnoscit, & grata habet, & iusta remuneratione prosequitur, eáque præsertim cum multiplicata fuerint, immensum quoddam æternæ gloriæ pondus conflare necesse est. De hac ergo gloria Basilius quodam loco disserit, vbi ipsum Deum de voluntariis Eunuchis, qui nempe Castitatem sibi voto deuinxerunt, ita loquentem inducit: De humano (inquit) nomine Angelorum immortalium ei nomen dabo, quod non deficiet, vt cœlum, & cœli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, atque in cœli pulcherrima sede, hoc est in domo mea intra septa habitantes, non Angelorum iam natu am tantum, ad dignitatem perpetuæ successionis accipiant, ipsi sibi in æterna vita pro successione generis sufficientes, verum & locum inter Angelos habeant illustrem, atque excellentem, noménque indelebile pro eximiæ virtutis splendore. Tractat hunc locum etiam Chrysostomus in tertio libro eorum quos scripsit aduersus vituperatores vitæ monasticæ, his verbis. Quid igitur? qui domum, & vxorem habet, saluus esse non poterit? Primum quidem

Ioan. 12.

Libr. de virg.

non vna ſalutis via, nec vnus modus, ſed multi, & differen-
Io.14. tes, quod Chriſtus oſtẽdens, apud Patrem multas eſſe aſſerit
1. Cor.5. manſiones. & Paulus, Alia eſt, inquit, claritas ſolis, & alia lunæ, alia ſtellarum, ideſt, alij quidem fulgebunt ſicut ſol, alij ſicut luna, alij ſicut ſtellæ. Diligenter igitur per quos dignitatum ac meritorum gradus deſcendes, ſi à ſolis magnitudine ad vltimam, & minimam ſtellam deuoluaris Ita Chryſoſtomus, illud etiam addens, iniquiſſime, & indigniſſime homines in hoc agere, qui ſi locum in aliqua regia quærant, omnem dent operam, vt quam optimum, quamque honeſtiſſimum conſequantur, ſintque regi cariſſimi, & coniunctiſſimi, at vero cœleſtis, vt ille ait, militiæ, cœleſtiumque optione propoſita, non doleant, & lamententur, ſi poſtremum teneant locum, ſintque omnium nouiſſimi. Atque hoc idem libro pene extremo repetit, atque inculcat, ita diſſerens, etiamſi nobis certa eſſet ſalus, tamen contendendum eſſe, vt primos gradus in cœlo habeamus, ſicut in quouis certamine turpe eſt, vltimo loco relinqui. Atqui, inquit, ſeculares extremo in loco reponentur, ſi tamen ſeculi impedimenta perrumpere potuerint, quod eſt arduum, & difficillimũ. Quid igitur ſtultius, quam cum poſſis in eum ordinem referri, qui in ipſos etiam angelos obtutus defigat, malle in vltimis conſiſtere? Hæc Chryſoſtomus illo loco. Nam idem in illa nobili homilia, qua monachum cum rege comparat, hæc etiam habet. Poſt hanc, inquit, vitam, monachum quidem videbimus ſplendidum, ac conſpicuum rapi inter nubes ad occurſum Chriſti in aëra, exemplo ducis ſui, & inſtitutoris huius vitæ ſalutaris, omniumque virtutum. At rex, ſi modo iuſte, & integre imperium adminiſtrarit, minorem ſalutem, minoremque gloriam conſequetur: ſin autem male ſe geſſerit, quis enarrare poſſit calamitates, quas eum ſuſtinere videbis igni exuſtum, flagellis cruciatum, denique ea patientem, quæ nec verbo exprimi, nec re ipſa tolerati poſſunt?

Eſt autem his omnibus illud quoque addendum, quod plerique docti non hanc ſolum, quam hactenus diximus, communis beatitudinis excellentiam religioſis tribuerunt, ſed etiam propriam quandam, ac peculiarem lauream, id eſt, vt Theologi definiunt, accidentale gaudium eſſentiali præmio ſuperadditum, idque ipſius corporis decore declaratum ob aliquod factum inſigne, ac præcipuum. Hoc enim in quauis republica bene inſtituta videmus. Nam cum omnes præmio,

& pœna contineantur, tum deinde præter generalia præmia, rectè factis proposita, sunt etiam quædam propria heroicis operibus, vt olim militibus non ordinaria tantum stipendia, sed etiam qui præclarius aliquid gessissent, ijs tum coronæ ciuicæ, tum murales, tum triumphi quoque decreti erant. Ita in cœlo, præter essentialem mercedem communi virtuti debitam, sunt etiam extra ordinem præmia, singulares, & præcipui honores, vt virginum, vt martyrum, vt etiam doctorum, quorum sunt omnium celebres pugnæ, & victoriæ, contra carnem, contra mortem, contra Satanam. Sed si his ideo hæc laurea decernitur, cur non etiam religiosi suam habeant lauream, qui perpetuam ipsi quoque continentiam colunt vt virgines, nec cessant proximis prodesse vt doctores, & propter quotidianas cruces tam prope absunt à martyrio, quã à nobis supra ostensum est, & denique etiã si nihil aliud haberent, illud habent, quod mundum, & mundana omnia contempserunt, & in eo contemptu semper vixerunt; quod quidem nemo negarit; quin sit ex insignibus, & excellentibus factis, quæ ab homine in hac vita existere possint, vt ei quoque facto singularis merces debeatur, vt, sicut ait Scriptura, accipiat vnusquisque de manu Dei regnum decoris, & diadema speciei. Huius gloriæ magnitudo, quæ religiosos manet, tum alijs sæpe multis, tum semel Franciscano cuidam nouitio ostensa magnam omnino, vt debebat, in eius animo vim habuit. Is enim cum ita religionis oneribus premeretur, & præterea ita à dæmone oppugnaretur, vt iam vix sustineret, & de seculo repetendo indignas aleret cogitationes, hoc vno cœlesti remedio sanatus est. Nocte quadam dum in templo ante venerabilem Eucharistiam pertransiens, adorandi causa, genu. corpusque inflectit, illo ipso momento raptus, ac defixus est in eiusmodi visione. Aspiciebat longum agmen multorum hominum ordine procedentium, eodem habitu, eademque forma. Omnibus vestes erant candidæ, vultus autem, & manus, & pedes, quæ corporis partes è veste eminebant, ita splendidæ, ac radiantes, vt cum ipsa solis luce certarent. Omnes autem nescio cui tamquam hospiti recens aduenienti obuiam ire, cùmque cum festiua gratulatione amplecti, atque etiam cum honore deducere videbantur. Quæ ille cum timore, & horrore perfusus spectaret, ab vno illorum inquirens quidnam id esset, cognouit Franciscanam esse familiam, quæ ad suum quendam, qui tum è vita migrarat, in cœlum comitandum Sap. 5.

prodiisset. Viuere autem omnes in cœlo lætissimos, & felicissimos, atque honorem illum candidarum vestium, quas videret, datum eis esse pro religioso, quem in terris gestarát, habitu, fulgorem autem corporis pro carnis incommodis: ac ipsum quoque eiusdem gloriæ participem futurum, si in suscepto consilio fortem se, & constantem præstitisset. Atque id quidem ille deinceps facile effecit; ita enim confirmatus est, vt numquam amplius vacillarit. Nos autem hæc eius visio de alia quoque felicitate admonet, quæ religiosis in cœlo parata est, ex sui cuique ordinis, ac familiæ coniunctione. Sic enim putandum est, idque hoc ipsum, quod diximus, agmen indicauit, esse in cœlo separatum, ac distinctum, vt ita dicam, singulis ordinibus locum, atque ad eum omnes, qui ex eodem grege illuc perueniant, adiungi; quę sine dubio noua est gloriæ, ac lætitiæ materia. Etenim si in hoc mundo adeo iucundum est, cum fratribus, eiusdemque instituti, ac studij socijs conuiuere, & colloqui, idque propter caritatem, non potest dubitari, quin hoc idem illic multo iucundissimũ sit futurum, vbi & caritas tanto erit ardentior, & omnium virtutes tum naturæ, tum gratiæ, omnibus vitijs detractis, infinito interuallo perfectiores, & hæc ipsa bona tanto clarius tamquam ex perspicua chrystallo perspicietur: quæ omnia quantum ad amorem addent, tantum etiam ad mutuæ consuetudinis æternam suauitatem. Quare hoc certum esse debet, magnam omnino felicitatem fore, & certe maiorem quam hic capi, & credi possit, in tali cœtu concilioque semper versari, atque eius etiam tam illustris concilij aliquam partem esse.

De antiquitate status religiosi, & primum vt in lege veteri designatus fuerit.

CAPVT XIX.

AGGREDIMVR nũc alterum genus dignitatis, quam habet religiosus status. Nam quæ adhuc tractata est, ex virtutum, quæ in eum concurrunt, copia, & magnitudine, ex Dei coniunctione, & similitudine, atque ex ijs etiam honoribus, qui post hanc vitam se quuturi sunt, maxima sine dubio, & præstantissima est, sed partim spiritualis, & in animo latens, partim etiam non præsens, sed multo post futura. Itaque splendet illa quidem, sed oculis Dei, & illorum tantummodo, qui eiusdem Dei luce illuminatos habentes oculos, iusto hæc iudicio æstimare possunt. At hi quidem

quidem pauci sunt, aliorum comparatione propemodum nulli; quoniam, vt ait Sapiens, Stultorum infinitus est numerus. Quare ne hæc tanta res, adeoque salutaris à mortalibus ignoraretur, quædam etiam Deus illi ornamenta addit, ita aperta, ac conspicua, vt omnium vel rudium oculos incurrerent. Nemo enim, ait Dominus, accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Fecit igitur quod dixit. nam hoc lumen, quod ad depellendam huius mundi obscuritatem in mundum introduxit, non in speluncis, aut cauernis occultauit, sed in publicum protulit, itaque hanc disciplinam nobilitauit, vt eam non modo seculi nobilitati parem fecerit, sed longe superiorem ijs ipsis rebus, quæ in seculo prima habentur, & præcipuæ. Nam quæ etiam humano iudicio familijs, aut ciuitatibus, & cuilibet denique cætui, aut congregationi splendorem afferre solent, antiquitas originis, hominum multitudo, vel præstantia, tum eorum præclara facta ad aliorum notitiam, & celebritatem, & alia eiusmodi, quæ, vt dixi, etiam mundus gloriosa existimat, omnia in statu religioso ita abundant, vt certe nihil habeat humana iactantia, quod huic veræ, & solidæ gloriæ, non dicam præponat, sed etiam componat, & comparet. Itaque hæc quoque iam explicanda erunt, in primis autem vetustas, de qua etsi hoc ita tenendum est, debuisse tantam virtutis præstantiam Euangelio reseruari, vt eam Dei filius secum è cælo deferret, maxime cum priora illa secula, quæ Paul⁹ pueritiæ comparat, quia nihil ad perfectum adduxit lex, tantam spiritualem perfectionem capere non possent; cum igitur, vt dixi, esset reseruanda in hanc plenitudinem temporum, & gratiæ, quæ facta est per Iesum Christum, tamen ad eam ornandam, & illustrandam magnopere pertinuit, vt etiã in veteri testamento aliqua eius imago, & quidẽ certa, & expressa existeret. Primum enim magnam huius vitæ similitudinem gessit Elyas, qui sine vxore, sine liberis, sine familia, castam, cælibemque semper egit vitam, in tanta insuper paupertate, vt vestium loco, zona pellicea amictus describatur, victum autem modo à vidua, modo à coruo quasi mendicatũ acciperet. Huius discipulus, atque instituto simillimus fuit etiam, vt legimus, Elysæus, qui ab illo ad perfectiorem hanc formam initiatus, paternis statim agris, & bobus, quin ipsis parentibus, & domo relictis, magnum etiam exemplum religiosis dedit, quam hæc impigre pro Christi nomine de-

Eccl.1. *Mat.5.* *1.Cor. 13.* *Heb.7.* *4.reg. 1.* *3.reg.17.* *3.reg.19.*

ferenda sint. Tales etiam illi fuere, qui horum vtriusque ductum sequentes, illorumque magisterio, ac disciplina, perfectius quoddam institutum tenentes, prophetarum filij vocati sunt. Hos enim à reliquo vulgo segregatos fuisse, & communem quendam inter se vitam vixisse, apparet ex mi-
4. Reg. 4. raculis, quæ Elysæus fecisse scribitur, tum aquis illorum rogatu sanandis, tum ollæ amaritudine abstergenda, tum etiã pane, qui omnibus vsui futurus erat, multiplicando. Castitatem autem illud ostẽdit, quod nullo loco, vel vxorum, vel liberorum fiat mentio, nec aliter in communem vitam con-
4. Re. 4. uenire potuerint. Denique etiam obedientia facto illo satis
& 6. declarata est, quod Elysæo post Eliæ raptum reuertenti occurrerunt omnes, eumque, vt scribitur, proni adorauerunt, quasi hoc externo reuerentiæ signo cõtestantes, se obedien-
Ep. 4. tiam, quam prius Eliæ præstiterant, iam in ipsum transfer-
Ep. 13. re. Quamobrẽ iure Hieronymus hos omnes, quos diximus, veteris testamenti monachos vocat; idẽque alio loco, se ipsũ monachis annumerans, Noster, inquit, princeps Elyas, noster
Lib. 2. Elysæus, nostri duces filij prophetarum, quod iisdem pene verbis dicit Isidorus, qui in libro de Ecclesiasticis officiis,
15. hunc vtrumque, & ceteros prophetas monachorum princi-
Lib. 1. c. pes appellat. Ad quos etiam accedit aperte Cassianus, qui ab
2. iis ait monasticæ professionis primordia esse fundata. Nihil tamen euidentius in tota veteri lege, nihilve similius, quam Nazaræi, eaque tota ceremonia. quæ iis adhibebatur: quæ fuit causa vt Nazianzenus, oratione in Basilij laudem, religiosos omnes nostrates Nazaræos vocet, & S. Thomas per
2. 2. q. Nazaræos in veteri lege sanctificari solitos, eos significari
186. ar. existimet, qui ad perfectionis apicem aspirant; ex quo is etiã
6. docte argumentatur, ad perfectionis statum necessarium esse votum. In hoc igitur magna erat illius instituti cum nostro similitudo, quod illi quoque, vt nos, Deo consecrari, &
Num. 6. Deo sanctificari dicebantur, & omnino Dei sese obsequiis dicabant, idque etiam voti nexu addito. Sed hoc nos superamus, quod illi non semper ad totam vitam, sed plerumque ad certum tempus, longius, aut breuius, vt visum esset, nos in perpetuum. Illi à certis tantum rebus abstinebant, nos omnia secularia plane relinquimus. Denique hanc omnem tum similitudinem, tum distantiam apertius demonstrant ipsæ ceremoniæ, legesque Dei iussu præscriptæ, quę cum religiosa instituta clarissime repræsentent, ex illa vmbra rerum carnalium, facile spiritualis huius status perfectio constabit. Igitur id

tur id primum erat, quod non solum à vino, sed etiam à sicera, & quicquid potatum ebrietatem afferre posset, seuerissime se continebant. Per vinum, ait Hieronymus, id omne intelligitur, quod mentis statum dimouere potest. Hoc autem nihil est aliud, quàm amor cuiuslibet creatæ rei. Vt enim nemo per se ebrietatem amat, sed vinum amat, ex quo largius sumpto sequitur ebrietas, vt autem largius sumatur, ipsa eius dulcedo gustata allectat: ita nemo est, qui à recta mentis constitutione deturbari velit, sed hoc sequitur ex vsu terrenarum rerum, quia fieri vix potest, quin ad eas animus, atque affectus adhærescat. Igitur hoc faciunt religiosi ad hanc ebrietatem adeo noxiam euitandam, vt agros, & domos, & omnia relinquant, atque eorum ipsorum, quibus necessariò ad vitam vtuntur, ita parce, ac tenuiter, nullum tamen dominium, ac potestatem habeant; quæ quidem est perfectissima rerum omnium nuditas. Quin illud etiam obseruandum, quod Nazaræis illis non solum à vino, sed etiam ab omni re, quæ propinquitatem aliquam cum vino haberet, fugiendum erat, vt ab aceto, aut quocumque liquore, qui ex vua exprimeretur, quin immo ab vua quoque recenti, atque etiam passa, cuius ne acinum quidem gustare fas eis erat. Sic enim religiosi ex ipso statu non modo remoti sunt ab ijs rebus, quæ omnino coniunctæ sunt cum peccato, sed etiam ab omnibus, quæ aliquam affinitatem, vel illecebram peccati habeant. Valde enim procliue est ab acinis ad vuam, ab vua ad vinum, à vino ad ebrietatem ipsam prolabi, id est, minimis gustatis, ad maiora venire, & à licitis ad illicita; quoniam hæc est natura cupiditatis, sensuúmque nostrorum. Secunda lex Nazaræi erat, ne nouacula transiret super caput eius, sed cæsariem intactam semper nutriret. Hoc manifeste indicat religiosum ita Deo sacrum esse, vt tum ipse, tum quicquid in eo sit, sanctum sit, Deóque deuotum. Nam si capilli ipsi, minima hominis pars, & minime necessaria, sancti tamen censebantur, quanto magis lingua, & manus, & ceterum corpus, & anima ipsa? Bene etiam Origenes. Nazaræi (inquit) non abscindunt capillum; quia iusti quicquid faciunt, prosperabuntur, & folia eorum non decident. Hinc & discipulorum Domini etiam capilli capitis numerati esse dicuntur, hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum seruantur apud Deum, quia iustæ, quia sanctæ sunt. Tertia lex, super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem, & matris, fratris, sororísque funere contamina

Amos 2. *Hom. 6 in Leui.*

contaminabitur. Poſſet ambigi quinam eſſent intelligendi mortui, niſi Chriſtus Dominus eſſet interpretatus, qui de ſecularibus loquens ad eum, quem ſuo deſtinabat obſequio,
Matt. 8. Permitte, inquit, mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu autem veni, & ſequere me: & quidem ij mortui, quos hic ſepelire volebat, parentes erant. Hoc igitur religioſis affert ſtatus ipſe, vt mundum primum, qui præcipuè mortuorum nomine cenſetur, deinde omnem carnem, & ſanguinem, cuius nimio affectu animam contaminari neceſſe eſt, omnino relinquant, ac deſerant, nec cum ea vllum amplius habeant commercium. Ex quo fit, vt facile ſe puros, & impollutos ab omni labe conſeruent. Sequitur quarta lex, vt voti tempore exhauſto, adduceretur ad oſtium tabernaculi, ibi autem triplex ſacrificij genus adhiberet, pro peccato, pacificum, & holocauſtum. Nobis autem quibus idem eſt ſeruiendi terminus, qui etiam viuendi, tum demum voti tempus expletur, cum vita expletur. Tum verò ad oſtium tabernaculi ſiſtimur, illius tabernaculi, vbi Deus habitat, in cuius felicitatem nos quoque euocamur ad mercedem diuturnæ ſeruitutis accipiendam. Quinetiam triplicem illam hoſtiam ſuppeditat nobis ſtatus ipſe, holocauſtum quidem, quia nos totos ſine exceptione Deo tradidit, pacificam autem hoſtiam, quia nulla aptior ratio ad eius pacem, ac beneficia promerenda; denique pro peccato, quia etiam ſi aliquid negligentiæ in vitam noſtram aliquando obrepſerit, ipſius tamen religionis vis, & illa tam abundans rectè factorum copia, etiam iſta facile abſtergit. Itaque illud quoque ſequitur, quod eſt quaſi totius ſacrificij clauſula, vt abraſi capilli in ignem coniiciantur, ſed eum ignem, qui ſuppoſitus eſt ſacrificio. Quid enim hoc eſſe putemus? an Deum tetro nidore ambuſtorum crinium delectari? Sed hoc indicatur, etiam minimas, ac minutiſſimas religioſi hominis actiones, quoniam in igne caritatis imponuntur, quem ignem ipſe ſtatus afferre ſolet, eſſe diuino numini gratiſſimas, quod tum maxime apparet, cum quaſi aduentante veſpera, operarij ad denarium accipiendum vocantur. Itaque cum tanta ſit ſimilitudo Nazaræorum cum religioſis, quinimmo cum religioſi tanto interuallo Nazaræis illis præſtent, an dubitabimus, quin vt Nazaræi inter illos veteres principatū in religione obtinebant, idem de religioſis quoque exiſtimandum ſit? Rectius igitur, & verius de his Nazaræis, quàm de antiquis illis dici
Thre. 4. poſſit, quod apud Hieremiam prophetam ſcriptum eſt,
Candidiores

Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores. Hunc enim ipsum locum de religiosis aptissime interpretatur Gregorius, quorum vitam niue, & lacte candidiorem dici ait, quia per niuem, vtpote quæ ex alto venit, optimi quique, & cœlestes viri, lacte verò, quod ex carne exprimitur, ij qui terrena rectè dispensant, designati sunt, quibus tamen vtrisque religiosorum status antecellit. Qui etiam quia per feruorem spiritus antiquorum, ac fortium patrum (ebur enim os est magnorum animalium) nonnunquam vincere vitam videntur, rectè additur, Rubicundiores ebore antiquo. Denique quia præcedentes multos, atque ad superna tendentes per cœlestem conuersationem superant, Sapphyro etiam pulchriores appellantur. Sapphyrus enim ætherei coloris est. Hæc Gregorius. itaque sicut palatij alicuius, hortiue descriptio chartis designata delectat, non propter se, sed propter palatium, aut hortum, quem refert, atque hæc quidem cum re ipsa perfecta fuerint, multo magis delectare necesse est, quam illam designationem; sic cum Deo veterum illorum Nazaræorum forma tantopere placeret, quæ tantum erat religiosorum imago, eáque rudis admodum, & adumbrata, quanto hæc ei instituta gratiora esse oportet, in quibus tam solida inest omnium virtutum euangelicarum perfectio? Quare multo iam magis, quàm illo tempore, licebit ei in hac euangelica lege quodammodo gloriari, & pro magno beneficio apud Ecclesiam, Christianósque omnes id commemorare, quod est apud prophetam Amos. Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti, & suscitaui de filiis vestris prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos. Tantum enim opus, talísque vita (quod & ante diximus, & dicendum est sæpius) nec nisi Deo auctore suscipi, nec nisi ipso adiutore retineri potest.

3. Mor. cap. 17. — *Cap. 2.*

Religiosum statum ab ipso Christo institutum fuisse, & in ipsis primum Apostolis.

CAPVT XX.

IAm verò si religiosi status primordia inspiciamus, vt quasi ex natalibus nobilitatem ipsius æstimemus, sine dubio nec clariorem, nec generosiorem vllius rei ortum esse posse comperiemus. Non enim ab homine, neque per hominem fluxit, sed ab ipso Dei filio, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ,

pientiæ,& scientiæ Dei, qui inter reliqua salutis documenta hanc quoque viuendi formulam,quo perfectiorem, eo certè diligentius,& accuratius suo primũ exemplo, deinde voce, ac præcepto expressam reliquit; de quo quidem, nisi hæreticum,video dubitare neminem.Hæretici enim tum recentiores omnes, tum antiquiores etiam, & inter eos perditus ille Vuiclef,nullum telum, nullúmque argumentum contra nos accuratius intorquent,quam hoc ipsum, quod status hic merum sit hominum inuentum. Itaque illud contra tenendum est sine vlla dubitatione, quod modo posui, vnũ Christum esse huius instituti auctorem ipsius cõsilio, ipsius voce,
Tit. 9. & auctoritate promulgatum esse. De qua re cum alij multi,
cap. 83. tum copiose grauis theologus, atque præcipuus, Valdensis differit in eo libro,quem de sacramẽtalibus inscripsit, & ipso
Libr. 3. recentior Clitouæus in opere de votis monasticis. Verùm
cap. 9. quid opus est externis testibus, cum ipsius euangelij auctoritatem teneamus?Nam cum religio tribus illis,quæ sæpè iam diximus,votis cõtineatur,videamus vt singula ab ipso Christo in lucem prolata sint. Nam de castitate quidem illud ex
Mat. 19. ipsius ore habemus,Sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum Dei:quo verbo non eos designat, qui simplici quodam voluntatis proposito à coniugio abstineant: non enim hi dici possunt eunuchi,cum facultatem habeant, cum voluerint,coniugij eligendi.Eos igitur potius designat, qui voto,& eo quidem perpetuo, maximéque solemni, cuiusmodi est in religione,eam sibi facultatem penitus,atque omnino absciderunt.Paupertatẽ verò quibus expressioribus
Luc.14. verbis commendare potuit, quàm illis, Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus?
Luc.10. aut cum discipulis suis eam formulam dedit, Nolite habere aurum, neque argentum, immo verò neque sacculum, aut peram, vt adiungit? Denique obedientiam etiam tum præ-
Luc. 9. scripsit,cum dixit:Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Nam in hac abnegatione tum alij doctores obedientiæ votum intellexere, tum verò,quod maximum est,Con-
Decr. 9. cilium Senonense,vt extat in quodã eius decreto. Quæ cum
Mat. 19. diuisim,vt occasio ferebat,præceperit Dominus,tum deinde
Mar. 10. omnia coniuncte, & copulate præcepisse visus est, cum vt
Luc.18. tres euangelistæ ijsdem ferme verbis commemorant, iuueni
Ep. 89. illi ad se adeunti, & æternæ vitæ adipiscendæ rationem in-
quæst. 4. quirenti id responsum dedit,in quo certè, vt Augustinus testatur,eique omnes consentiunt,illustre admodum religiosæ vocationis

vocationis exemplar reliquit, eiusque quod quotidie eueni-re solet in animabus ad hoc institutum adducendis Primum enim quid illud est quod scribitur, Iesus autem intuitus eum, dilexit eum? nisi quod hoc beneficium non defertur, nisi iis, quos peculiari modo quodã Deus respicit, & peculiari amo-re diligit. Quod autem dicit, Vnum tibi deest, idque ei dicit, qui præcepta omnia ab ineunte ætate semper obseruarat, il-licere eum voluit cupiditate perfectionis, cuius pulchritudo per se mirum in modum amabilis est. Vt enim si statua ali-qua inchoata sit, ita vt caput, & summa pectoris, & brachia politissima arte perfecta sint, reliquum tamen corpus im-perfectum, ac rude maneat, ipsamet statua si sensum habeat, dolere debet, & magnopere cupere vt absoluatur: sic ille cum audiret, quantum sibi adhuc deesset, ita eum extimu-lari oportuit, vt non nisi eo adepto conquiesceret. Sequitur deinde consilium, ac formula perfectionis cum suo præmio. Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & seque-re me, & habebis thesaurum in cœlo. Nam cum omnia di-cit, nihil eum sibi reseruare vult, sed cunctis omnino expo-liari, ac nudari. Cum verò vendere iubet, eam abdicatio-nem significat, quæ perpetua sit, & irreuocabilis. Denique verbis illis, Sequere me, tum cetera consilia, tum etiam obedientiæ, includuntur. Hoc igitur Christi domini con-silium fuit, ita aperte, atque expresse ipsiusmet ore promul-gatum. Hanc igitur eandem perfectionem, quàm ille qui-dem iuuenis vltro sibi à Saluatore oblatam stultissime re-iecit, omnium prima ipsa Apostolorum schola excepit. Sic enim sentiunt, & sic scripserunt doctissimi viri, nostræ huius religiosæ vitæ formam ab Apostolis primum susceptam, & vsu, atque opere explicatam esse. Nam de paupertate nullum esse possit dubium, cum appareat ex ipsorum actis, quæ scripta sunt in euangelio, & Petrus id omnium ore pro-fiteatur: Ecce nos reliquimus omnia: quibus ijsdem verbis vt paupertatem, quàm diximus, sic etiam continentiam pro-fitetur. Nam voce illa, omnia, sine dubio vxores etiam con-tinentur, eóque argumento vtitur Hieronymus ad Iouinia-num confutandum, maximè, vt ille inquit, cum ipse Domi-nus Petro respondens, inter alia, quæ relinquantur, vxores commemoret, quasi id ab Apostolis factum indicans: ex quo confirmat Hieronymus, habuisse quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo adhuc euangelium nesciebant; statim autem atque ad apostolatum assumpti sunt, officium coniugale

Mat. 19.

Lib. 1. in Ioui.

coniugale reliquisse: eámque ob causam alio loco, apostolos omnes ait vel virgines, vel post nuptias fuisse continentes. Postremo obedientia ex illis etiam verbis elicitur, Et sequuti sumus te. Quid enim aliud est alterum sequi, quam illius præscripto viuere, eique in omnibus obtemperare? Cum igitur hæc tria sine vlla dubitatione habuerint omnes Apostoli, restat vt ostendatur ne voti quidem vinculum defuisse, quo se ad hæc tria obligarint. Hoc autem & alij theologi, & in primis Aluarus Pelagius vir doctus, & grauis demonstrat in libro quem scripsit de planctu Ecclesiæ, & in eam rem multas congerit rationes, & hanc præcipuè, quod votum, vt ille ait, est consilium consiliorum, & forma, & perfectio eorum: quia quodcumque sit consilium, super quod cadat id essentialiter perfectius reddit, & Deo acceptius. Ex quo ille quidē effici putat, sic hoc Apostoli caruissent, non futuros fuisse in apice perfectionis, ac potius eam abdicationem harum earundem rerum, quam quotidie ineunt quilibet religiosi, quia votum annexum habet, perfectiorem futuram fuisse, quam illa apostolorum: quod quidem temerarium est dictu, atque etiam improbum, & impium. Addit hoc etiam, nihil esse dubitandum, quin Apostoli non solam rerum possessionem, sed etiam habendi voluntatem reliquerint, vt vere dicere possent, se omnia reliquisse. Atqui hæc voluntas relinqui non potest, nisi per votum; quoniam non renunciatur volūtati, si pro libito resumere eam liceat. Accedit quod hi non certe imperfectius sua reliquerunt, quam iuuenis ille de quo paulo ante diximus, reliquisset, si Domini consilio obtemperans omnia vendidisset. Idem enim illi cōsilium tum proponebat, quod iam aurea Apostoli dudum erant exequuti. At qui vendit, nihil sibi in rem illam iuris, aut dominij retinet: ergo ne Apostoli quidem in res suas. Bene autem, & aperte B. Thomas hoc ipsum, qui ita ait, non esse ambigendum, quin Apostoli vouerint omnia, quæ ad perfectionis statum pertinerent, quando Christum omnibus relictis sequuti sunt. Optime vero omnium, & clarissime Augustinus. De terra, inquit, suscitatus est ille supra omnes diuites pauper, & de illo stercore erectus supra omnes populos opulētos ille inops, vt sedeat cum potentibus populi, quibus ait, Sedebitis super sedes duodecim, & sedem gloriæ hæreditatis dans eis. Dixerant enim potentes isti, Ecce nos diuisimus omnia, & sequuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant. Sic Augustinus. Cum hoc igitur constet, Apostolos & paupertatem, & castitatem,

Apol. ad Pam.

Lib. 2. cap. 56.

2.2. quæ. 88. ar. 4. ad 3.

17. ciuit. cap. 4.

castitatem, & obedientiam coluisse, insuper etiam has ipsas virtutes non libera tantum voluntate amplexos esse, sed ea per voti vinculum astricta, quid est causæ, cur non in ipsis posita religionis prima fundamenta, & ab ipsis, Christo auctore, hanc perfectionis præstantiam natam agnoscamus? Et certe ita decebat, vt & tanta hæc res illorum dignitate, & sanctitate ornaretur, & illi, qui omnium magistri, ac doctores futuri erant, hac quoque laude, in qua tantum ornamenti inest in omni Euangelica pulchritudine, non carerent.

Religiosum institutum vt viguerit tempore Apostolorum.

CAPVT XXI.

HANC sanctitatis formulam, quam à Christo hauserat Apostoli, eandem statim primæuæ illi Ecclesiæ impresserunt, vtpote adhuc teneræ, vt in omnem partem flexibili, ad omnem Spiritus sancti motum. Itaque & istam rerum omnium vacuitatem, & vitæ communitatem non illi modo centum viginti complexi sunt, qui vno cœnaculo conclusi, vnum efficiebant corpus, sed alij etiam eius temporis Christiani horum opera Hierosolymis propagari, de quibus ita scriptum est, Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuiq; opus erat. Atque in hoc ipso aliquod votum, & solemnem aliquã promissionem intercessisse, tum multi testantur, & in primis Hieronymus, tum illud declarat, quod à Petro dictum est in obiurgationem Ananiæ. Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Nam si eam liberalitatem ex deuotione tantum, & alacritate liberæ voluntatis exercuissent, nulla interposita obligatione, neque ille in Spiritum sanctum mentitus diceretur, neque certe tam graue supplicium meritus esset. Recte igitur de seculo illo Hieronymus. Talis, inquit, primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc monachi esse nituntur, & cupiunt, vt nihil vsquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur, & Psalmis, doctrinæque, & continentiæ quales & Lucas refert primum Hierosolymis fuisse

Acto. 4. *Epist. 8.* *Actor. 5.* *Descrip. Eccles. in Philone.*

fuiſſe credentes. Nimirum igitur hoc ipſo tempore non ſolum exorti, ſed etiam maiorem in modum aucti, & multiplicati ſunt, qui perfectam religioſæ vitæ diſciplinam appetentes, etiam à reliquorum conſortio abſtracti, vnum in locum ſeſe reciperent, in aliorum ſocietate, ſub vnius ductu, & obedientia. Sic enim ſcribit Caſſianus cœnobitarum diſciplinam à tempore Apoſtolicæ prædicationis exordium ſumpſiſſe, cum multi perfectionis amore adducti, non eo tantum contenti eſſent, quod omnes facerent, vt ſua omnia in commmune conferrent, ſed etiam his multo ſublimiora cumulantes, in ſecretiora quædam loca ſuburbana ſecedere inciperent, qui quod à coniugibus, & à ſuorum conſortio, & ab omni denique mundi conuerſatione abſtinerent, ideo à ſolitudine monachi, à communitate cœnobitæ vocati ſint. Inter hos autem principem, atque aliorum inſtitutorem extitiſſe Marcum Euangeliſtam, tum Caſſianus ibidem, tum Hieronymus in Marci vita commemorat. Neque tamen Hieroſolymæ tantum, aut Alexandriæ perfectio illa conſiſtit, ſed eodem tempore in alias etiam orbis partes inuecta eſt. Sic enim accepimus, in Aethiopia Regis filiam eſſe à Matthæo Domino conſecratam, Theclam à Paulo in Græcia, Romæ autem Domitillam à Clemente, in Gallia vero Martham Saluatoris hoſpitem, poſt promulgatū Maſſiliæ Euangelium, cœnobium ſibi conſtruxiſſe in loco à viris remotiſſimo, vbi cum aliquot honeſtiſſimis fœminis Deo dicatis cœleſtem vitam duxit. Denique Dionyſius, æqualis illorum temporum, ita de hoc inſtituto agit, quaſi iam valde recepto & vſitato: ex cuius quidem teſtimonio, non hoc ſolum intelligi poteſt, quam vetus fuerit, verum illud quoque, quanto in honore illo etiam ſeculo fuerit. Hinc enim, inquit, diuini præceptores noſtri ſanctis eos nominibus appellari voluerunt, alij cultorum, alij monachorum, à puro Dei famulatu, & cultu, indiuiduáque & ſingulari vita, quippe quæ eos vnum faciat ſanctis rerum diuiduarum coniunctionibus ad diuinam vnionem, Deóque gratam perfectionem adipiſcendam. Pergit idem deinde ceremonias ac ritus, qui monachis conſecrandis adhiberi ſolebant, atque eorum etiam rituum cauſas, & myſteria explicare. Primum enim moris fuiſſe ait, vt ſacerdos ante altare ſtans precationem aptam, ac rei congruentem pronunciaret, quam peracta, ad eum qui initiaretur, accedens, illum rogaret, an ſeculari vitæ (quam ille more ſuo diuiduas, ac diſtinctas appellat vitas,

2. lib. c. 5. & col. 18. Cap. 5.

De Eccl. hier. cap. 19.

propterea

propterea quod hominem cogat solicitum esse, (& turbari circa plurima) nuncium remittere, atque etiam loco, & aspectu sese ab ea segregare decreuisset: deinde perfectissimam ei viuendi rationem exponeret, testificans esse illi deinceps mediocrem, ac vulgarem hominum vitam sperandam: quod quidem perfectissimam eius status philosophiam indicabat, quippe quæ, vt ipse addit, non medij sit eorum, qui initiantur, ordinis, sed perfectissimi, ac proinde multa eorum, quæ impune a medio ordine gerantur, monachis sint interdicta, qui scilicet id agant, vt cum vno, id est, cum Deo coniungi, & colligi possint. Cum autem hæc omnia is qui consecrabatur, professus esset, sacerdos crucis signo consignatum tondebat, tribus personis diuinæ maiestatis rite appellatis, omnique veste detracta, alia eum induebat; ac cum illum vna cum aliis, qui aderant, gratulandus salutasset, tum ei diuina mysteria, sacram scilicet Synaxim impertiebat. Hæc Dionysius; qui deinde idem omnium horum rationem exponit. Capillum enim tonsum hoc indicare, illum omnibus humanis, ac terrenis ornamentis abiectis, atque ex illa hora repudiatis, sola animi pulchritudine Deo placere velle. Vestis porro mutationem, interiorem cordis, atq; animi mutationem significare, idque monere, quantum habitus ille à vulgari habitu differret, tantum etiam vitam, & mores discrepare debere. Ipsam vero consultationem simile quiddam repræsentare ei, quod Saluator dixit, gaudium esse in cœlis super vna anima ad Deum adiuncta, quod idem gaudium, & sanctam lætitiam, etiam iis conuenire, qui in terris diuinitatem imitari student. Denique quod sacro Christi corpori communicarent, id quoque ante oculos ponere finem, cuius gratia institutum illud suscipiatur, qui est summa, & perfecta coniunctio cum illa infinita sanctitate, quem scilicet diuinæ societatis fructum monasticis exercitationibus adepturus esset. Hæc igitur Dionysius. *Luc.15.*

Verum nullum puto esse religiosæ vitæ amatorem, qui non libenter prima illa eius cunabula plena omnis pietatis, ac feruoris cognoscere, & quasi oculis spectare velit, quæ tamen ipsa cognitio ad hoc etiam, quod hic tractam^9, antiquitatis caput confirmandum pertinet. Scripsit de his Philo, qui Sancti Petri tempora attigisse dicitur, & cum ipso Romę colloquutus esse. Hic igitur, vt ait Hieronymus, Iudæorum disertissimus, librũ edidit quasi in laudem suæ gentis, inscriptũ de supplicum virtutibus; sic enim eos vocat, propterea quod in sup- *De scrip. Eccle. in vita. Marci.*

in supplicando, & orando, tempus omne consumerent. Qui libet etsi adhuc extat, & est in manibus, hunc tamen omnem locum libet potius ab Eusebio sumere historico veteri, & graui, qui huius ipsius, quem dixi, Philonis verba referens, ea etiam commodis interpretationibus illustrat. Sic enim & maior erit cognitio, huius luce addita, & maior auctoritas duorum talium scriptorum duplicata. Is igitur quædam præfatus in Philonis laudem, & de illius libri titulo, hæc deinde scribit. Hoc in primis testatur, quod facultatibus suis renunciarint, ac bonis ad se pertinentibus cesserint ij, qui philosophari cœpissent, & cunctis vitæ huius curis abstinuerint, relictísque muris, in agris, & hortis solitarie conuersati sint, certo scientes consortia eorum, qui disparem sequebantur viuendi rationem, inutilia, & noxia esse illis, qui tum temporis hoc, vt par erat, agebant. Hæc prædictus Philo testificatus ad verbum subiicit, dicens. Est autem in multis quidem terrarum locis hoc genus hominum (oportebat enim perfecti boni particeps fieri tam Græcos, quam barbaros) verum in Aegypto in singulis præfecturis, sicuti vocant, abundant, & maxime circa Alexandriam. Deinde & habitationes eorum quales fuerint, describens, de Ecclesijs eius regionis hæc dicit. In singulis autem sacrum domicilium est, quod monasterium vocatur, in quo manentes sanctæ vitæ mysteria celebrant, nihil illuc inferentes, nec potum, nec cibum, neque aliud quicquam eorum, quæ sunt ad corporis sustentationem necessaria, sed leges, & oracula prophetarum & hymnos, ac reliqua huiusmodi, quibus scientia, & pietas augeantur, & consummantur. Et aliquanto post dicit. Totum autem illud temporis spatium, quod est à diluculo vsque ad vesperam, in exercitium illis insumitur. Sacras quippe scripturas legentes philosophantur, ac patriam philosophiā allegorice tractant. Etenim putant ea quę in manifesta sunt scripturarum expositione quædam esse abscunditæ naturæ symbola per figuras significata. Habent autem & commentarios priscorum virorum, qui cum disciplinæ eorum duces essent, multa in forma rerum allegoricè traditarum post se monumenta reliquerunt. Hæc igitur ita videntur ab hoc viro dicta, vt appareat illum eorum fuisse auditorem, qui sacras litteras exposuerunt. Verissimile est autem, commentarios illos priscorum virorum, quos apud eos fuisse ait, esse Euangelia, & Apostolorum scripta, & quasdam antiquorum prophetarū expositiones, quales tū ea, quæ ad Hebræos est, tum aliæ

2. Eccles. Histor. cap. 17.

aliæ plures epistolæ Pauli continent. Et alia quidem multa de illis, quorum hic mentionem facimus, in eo libro disserit. Verum illa visa sunt necessario deligenda, per quæ certas Ecclesiasticæ conuersationis notas posuit. Sic enim scribit, Continentiam autem primum tamquam fundamentum quoddam in anima collocant, deinde & alias virtutes superstruunt. Cibum, aut potum, nemo illorum ante solis occasum vsurpat. Etenim philosophiæ studium luce, corporis vero necessitates tenebris dignas esse iudicant, vnde & diem illi, istis vero modicam noctis partem tribuunt. Nonnulli ex eis toto triduo cibi non recordantur, quibus maius scientiæ, quam cibi desiderium insedit. Nonnulli ita lætantur, ac delectantur sapientia pasci, quæ dogmata opulente, & abũde subministrat, vt duplicato temporis spatio abstineant, ac vix per sex dies necessario cibo gustantes vescantur. Addit præterea apud illos, de quibus loquitur, mulieres quoque reperiri, quarum pleræque grãdæve virgines castitatem non necessitate, sicut quædam sacerdotes apud gentes, magis quam sua sponte, propter zelum, ac studium sapientiæ custodiant: cuius commercium studiose accolentes, corporum voluptates aspernantur, cum immortales potius liberos, quos solus amans Dei animus ex se gignere potest, quam mortales habere cupiant. Quid opus est istis adiicere, quomodo in vnum congregati, separatímque viri, ac separatim mulieres conuersati sint, & quæ illis exercitia fuerint, quæ adhuc apud nos durant, & præcipue circa salutaris passionis festum diem in ieiuniis, & vigiliis nocturnis, diuinorúmque sermonum lectione exercere consueuimus? Quæ vir prædictus eodem modo, quo apud nos solos hactenus hæc seruata sunt, diligenter annotauit, præsertim nocturnas magni festi vigilias, & horum exercitia cum hymnis, qui apud nos dici solent, describens, & quomodo vno cum rhythmo psallente, reliqui cum silentio auscultantes extremam hymnorum partem, vna cum illo omnes concinendo absoluunt. Præterea scribit quo pacto præsideant inter eos ij, quibus ecclesiastica commissa sint ministeria. Quod si cui desiderium erit exacte cognoscendi, discat ex dicta iam huius viri historia. Hæc ad verbum Eusebius ex Philone & plura alia quæ breuitatis causa præcidimus. Eundem igitur statum, ac cursum, qui hic ab Eusebio describitur, tenuit Religio, nõ solum Apostolicis illis temporibus, sed deinceps etiam trecentis, eóque amplius annis. Itaque Tertullianus,

Apostolorum seculo proximus, libellum edidit, quem adhuc legimus, de virginibus velandis, extatque anti quissimum
20.q.1. c.Virgines. Pii I. decretum, nempe anno Domini C X L V I I. editum, de ritu, qui seruari debet in virginum consecratione, quem quidem ritum Ambrosius in libro de institutione virginis,
Cap. 17. lib. 4. & Eusebius in Constantini vita, ad prima Ecclesiæ tempora referunt. Quin etiam apud vetustissimos quosque patres crebram videmus mentionem de virginibus, quæ iam tum solemni ceremonia velari, & in Dei sponsas consecrari solebant, idque vt de re antiqua, iamque admodum vsitata, vt
Igna. ep. ad Tarsenses. apud Iustinum martyrem in apologetico secundo pro Christianis, Clementem Alexandrinum in libro stromatum secundo, Ignatium Ioannis Apostoli discipulum in quadam
Cyp. lib. 1. ep. 11. epistola, Cyprianum item, & Oreginē, aliosque, vt dixi, complures. Quin etiam Ruffinus, & Theodoretus ita narrant,
Orig. homil. 17. & 19. in Luc. Helenam, cum Hierosolymam Crucis inquirendæ gratia adisset, reperisse illic virgines Deo sacratas Ac Hieronymus quoque tum alibi sæpissime, tum vero in Malchi vita, quem ipse iuuenis senem admodum cognouit, & monasterium, &
Ruff. li. 10. hist. monasterij patrem, & socialem multorum fratrum cœtum prolixe commemorat: nec denique vllus est fere ex anti-
Theodo. li. 1. c. 18. quis scriptoribus, in quo non huius rei vestigia, vel expressa potius testimonia passim extent.

Quod si quis quærat, eadem ne fuerit seculis illis religiosæ vitæ forma, quæ nunc est, nihil plane ambigi debet, quin simillima fuerit, atque omnino eadem; idque negare, vel hæreticum sit, vel propemodum. Nam illo etiam tempore, non solum paupertatem, & continentiam, & ergà præpositos suos obedientiam profitebātur, quod paulo ante ex Philone apparuit, sed etiam omnes, aut fere omnes, votis insuper obligabantur, ita vt ab illo statu deficere, illicitum plane, ac nefarium esset. Illud tantū interest, si quid interest, quod non adhuc tanta inerat monasticis hisce votis auctoritas atque, hæc, quam nostri Theologi appellant, solemnitas. quin
Ep. 2. ad Amphil. can. 19. etiam initio ne expresse quidem, vt similius vero est, ac publice vota emittebantur, sed ea professio ex generali omnium sensu, & consensu, ita erat religioso statui annexa, vt etiamsi voce nulla facta esset promissio, tamen intelligeretur simul cum statu suscepta eius professionis obligatio; hoc opinor modo, quo nunc castitatis votum in sacris ordinibus accipiendis includitur: idque ex quodam Basilij loco intelligi potest, vbi ait, eos qui se monachorum ordini addice-

rent.

rent, tacite cœlibatum admittere consueuisse. Itaque hoc etiam tamdiu seruatum est, quamdiu prisca illa pietas, ac verecundia satis fuit ad homines in officio continendos. postea tamen commodius visum est (quod etiam Basilius ibidem decernit) expressam castitatis promissionem exigere. Et primum quidē adhuc eo modo, vt si quis rupto voto matrimonium iniisset, peccaret quidem, sed tamen matrimoniū validum, ratumq; esset. Declarant hoc veterum Patrum sententiæ, Cypriani in epistola ad Pomponium, Hieronymi ad Demetriadem, vbi ita de monialibus loquuntur, vt si se continere non possent, quod professæ erant, eas potius ad nuben dum hortentur, quod iam ne peccatum quidem fuisset, accedente legitima Episcopi dispensatione; idque idē ab Epiphanio quoque consuli videmus. Augustinus vero insuper etiam quosdam aperte confutat, qui harum coniugium, coniugiū esse negabant. Quod si Innocētius I. Pontifex, qui horū ætate vixit, & Concilia etiā quædam huiusmodi connubia dirimi iubent, id pœnæ cuiusdā loco constituunt, quod sine dubio poterant, vt thorus separetur, non quia ipsum connubii vinculum non valuisset, id enim nusquam dicunt: atque hanc ipsam pœnam constat illo quidem tempore non ab Ecclesia generaliter receptam esse. Itaque & Leo I. qui post Innocentium fuit annis paulo plus quam viginti, etiā si peccatum id esse doceat, non tamen de nuptijs rescindendis mentionem vllam facit; & Gelasi⁹, qui anno CCCCXCII. eādem sedem tenuit, has quidem moniales ad propositum, vnde excidere, adhortatur, non tamen compellit, nec matrimonium ipsum infirmat. Quin Gregorius ipse, quo nullus antea Pontifex seuerior in hoc genere fuerat, cum crebris decretis, & epistolis eos, qui coniugium cōtraxissent, se iungi, & in monasteriū retrudi iubeat, nihil tamē dicit, quo coniugium non valuisse intelligatur. Immo vero quod valuisse existimarit, ex eo etiā intelligitur; quod homilia quadā narrat de Gordiana amita, quę se postquam vna cum duabus sororibus Deo dicasset, mortuis illis, oblita, vt ipse ait, domini timoris, oblita pudoris, ac reuerentiæ, oblita consecrationis, maritum acceperat, & cum eo deinceps vixerat. Quare primus omniū, quod litteris extet, Innocentius II. cum Romana Synodo generali, anno nimirū humanæ salutis MCXXXIX. hoc constituit, vt religiosis omnino matrimonium omne interdiceret, idque ita, vt si contraherent, nullam vim haberet. Quod etsi hoc demum tempore, generali ecclesię cōsensu decretum, & in ge

Lib. 1. ep. 11.
Ep. 8.
Hær. 61. cōtra Apostolic.
De bono vid. c. 9. & 10.
Tol. 27. q. 1. cap. Viduas.
Bracar. c. de filia.
Ep. 92. c. 14.
17. q. 1. c. de Viduis.
Referuntur. 27. q. 1.
Ho. 38. Euang.

in generalem vſum receptum eſt, tamen ſi recte conſideremus, multo ante à nonnullis Epiſcopis in ſua diœceſi hoc
Cap. 14. idem conſtitutum fuerat. Sic enim legimus apud S. Baſilium in regulis fuſioribus, qui ſe ipſum Deo ſemel deuouerit, ſolemníque voto obligarit, ſi deinde ad aliud vitæ genus tranſierit, ſacrilegij ſcelere ſe obſtringere. Idemque in libro de virginitate hoc ipſum vberius confirmat, redditque rationem, quoniam vt adulterium eſt, non matrimonium, quod viuente coniuge cum altero initur, ſic qui Chriſto, cui deſponſatus ſit, ſemper viuente, homini nubat, adulterum eſſe. Quod vero hoc ipſo primum Baſilio inſtitutum, & ſancitum fuerit, aperte declarat quod idem ſcribit in epiſtola ad Amphilochium, vbi ita ait, quia iam Dei eccleſia temporis progreſſu fortior facta eſſet, & virginum numerus
Epiſt. 2. can. 6. et 18. adauctus diſſoluendas eſſe canonicorum, ideſt regularium nuptias, & qui ijs ſe contaminaſſent, non prius ad communionem admittendos, quam ſe ab eo ſcelere remouiſſent. Ex his igitur omnibus ita concludendum eſt, religioſa vota eam quidem vim habuiſſe ſemper, vt matrimonium illicitum efficerent, illam autem vim, vt etiam irritum, ac nullum efficerent, quæ vt diximus, à Theologis voti ſolemnitas apellari ſolet, temporis progreſſu, & quaſi gradatim introductam, & ea quidem re magnum quendam ornatum, dignitatem, ac ſtabilitatem religioſis inſtitutis adiunctam, vt nō modo veteribus illis nihilo inferiora ſint, ſed, quod ad eorum quidem formam attinet, aliquid etiam hoc tempore melius, ac præſtantius habeant.

Quomodo deinceps religioſi ordines propagati ſint vſque ad noſtra tempora.

CAPVT XXII.

HACTENVS religionis ortum, ac deinde quandam etiam veluti adoleſcentiam ſpectauimus. Itaque iucundius etiam erit, eius perfectionem, ac virile quoddam robur intueri, quod vere dicere poſſumus, annum circiter Domini CCCL. adeptam eſſe, cum aureo Conſtantini ſeculo, Dei Eccleſia tum reliquis patribus, tum hac præſertim magnopere cœpit efflorere. Huius autem tanti incrementi principem, & auctorem accepimus magnum illum Antonium, quem Dei ſapientia ad hoc potiſſimum opus omni cœleſtium chariſmatum copia inſtruxiſſe viſa eſt. Nam quod ante hunc etiam & cœnobia, & religioſi extiterint,

ſatis

ſatis id declarat, quod in eius vita ſcribit Athanaſius, illum prima ſpiritualis militiæ rudimenta in monaſteriis poſuiſſe, ſub aliorum magiſterio, & in aliorum conuictu, quorum, vt ille ait, exemplo, atque imitatione, ita proficere ſtudebat, vt quotidie fieret illorum virtute præſtantior, & apum amore aliquam ex ſingulis vtilitatem delibaret. Ipſe tamen maioris perfectionis cupiditate ardens, longius ab hominum congreſſu in interiorem ſolitudinem & ſe, & ſuos deinde diſcipulos transferre auſus eſt. Itaque cum illius ſanctitas toti iam mundo eluceret, tantus animorum motus ipſius exemplo factus eſt, vt & Armeniæ, & Scythię, Nitriæ, & vtriuſque Thebaidis, ac totius denique Ægypti deſerta monaſteriis complerentur; quæ monaſteria ipſius quaſi generalis patris ſapientia, & conſiliis nitebantur. Ac cum alij innumerabiles ex eius diſciplinæ fõtibus fluxerunt, tum vero Hilarion ille, alter pene Antonius, qui, vt ſcribit Hieronymus, primus in Palæſtina cœnobia fundauit, cum antea in Syria tota numquam monachus fuiſſet. Ille (inquit) auctor, & conditor huius conuerſationis in ea prouincia fuit. Habebat Dominus Ieſus in Ægypto ſenem Antonium, habebat in Palæſtina Hilarionem iuniorem. Itaque eius exemplo cœperunt ibi eſſe innumerabilia monaſteria, & omnes ad eum certatim concurrere, vt cæleſtis vitæ præcepta haurirent: quod ille cernens laudabat Domini gratiam, & ad profectum animæ ſingulos cohortabatur. Hæc de Hilarione Hieronymus. Ceterum eodem ferme tempore Baſilius in Græcia, qui ipſe quoque Magni cognomẽ meritus eſt, nulla, vt opinor, cum Antonio cõmunicatione ſed ſuopte ingenio, ſuaque ſponte monaſticam diſciplinã ita coluit, vt mirum in modum promouerit, & auxerit. Videmus enim quæ de ſe ipſe epiſtola quadam prædicat. Accuſamur (inquit) quod homines habemus exercitatiores pietatis, qui renunciauerunt mundo, & omnibus temporalibus curis, quas ſpinis aſſimilat Dominus, quæ non permittunt vt verbum ad fertilitatem perueniat. Tales mortificationem Ieſu in corpore circumferunt, & leuata cruce ſua ſequuntur Deũ. Ego vero totius vitæ meæ pretio æſtimauerim meas eſſe has iniurias, & habere apud me ipſũ viros, qui ſub me prçceptore hanc exercitationem elegiſſent. Nunc autem in Aegypto talem audio eſſe virorum virtutem. Et fortaſſis quidẽ etiam in Palæſtina vitam ſecundum Euangelium rite peragunt. Audio vero etiam in Meſopotamia eſſe viros perfectos,

In vita Hilar.

Ep. 63.

& beatos. Nos autem pueri ſumus ad perfectorum comparationem. Neque vero Baſilius numero ſolum monaſticam rem amplificauit, ſed multo magis inſtitutis, ac regulis. Cum enim antea nullis fere legibus, nulliſque certis formulis aſtricta eſſet, niſi quas vel interior vnctio vnicuique ſuggereret, vel rectorum viua vox præſcriberet, primus ipſe leges condidit ſanctiſſimas, quæ totam hanc vitæ rationem ſaluberrime conformarét. Is enim tempus definiuit ad experiendum, quo tranſacto, voti ſponſione ſe omnes obligarent: is viuendi methodum omnem deſcripſit, quæ virtutum exercitationes tenendæ, quæ vt noxia vitanda, inſuper etiam pœnarum canones, ſi quis contra feciſſet, pro culparum modo; omnia tam ſapienter, & moderate, vt non modo tum ab omnibus accepta, & in vſum ſtatim inducta ſint, ſed ad hanc vſque diem totius Græciæ, atque adeo totius Orientis monaſteria nullis aliis vſa ſint legibus, quam Baſilij. Idem quoque alterum perfecit admodum ſalutare, quod cum antea quicumque religionem profitebantur, ſibi dumtaxat, ſuóque profectui ſtuderent, ac conſulto multitudinem fugerent, vt inimicam otio, ac quieti ſpirituali, is diuinam hanc philoſophiam quaſi è tertio cælo deuocauit, propiuſque ciuitates, atque oppida collocauit, vt proximis quoque eſſet vtilis, ac fructuoſa. Scribit hoc luculenter Nazianzenus in laudatione

Or. in laudem Baſ. Baſilij his verbis, Vt autem (ait) non ſolum ſibi, ſed aliis quoque prodeſſet, primus cœnobia excogitauit, ritumque illum monachorum antiquum, atque agreſtem ad ordinem quendam, ac formulam religioni propiorem redegit. Cum enim animaduertiſſet, eos, qui in communi vita, hoc eſt, aliis mixti agunt, etiam ſi monaſticam abſtinentiam ſeruent aliis quidem vtiles eſſe, non ita ſibi ipſis, cum in multis eos malis verſari neceſſe ſit, quæ vitæ quietæ, omnino perfectæ contraria videntur, eos vero qui in ſolitudine procul ab aliis degunt, firmiores ſane in propoſito, magiſque Deo coniunctos, attamen ſibi tantum vtiles, cum rerum experiẽtiam non teneant, nec cum aliis commercium vllum habeãt, vtrumque vitæ genus coniungere conatus eſt. Quamobrem monachorum cœnobia haud procul ab iis, qui in hominum ſocietate viuunt, ædificari iuſſit, nec omnino ſeparauit, vt & propinquitate, cum opus caritatis expoſceret, adeſſe poſſent, diſſiti alioquin propriis terminis, ne quies eorum interrumpi per multitudinem poſſet, nec ipſi monachi actionis merito, quod ex impendenda aliis caritate exiſteret, priua-

fruarentur: neque rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur,& alter alterum hoc modo iuuare posset, vt monachorum vita per conuersationem eorum,qui in communi agunt, fructuosa fieret,& ipsi à monachis quietem, sapientiam,contemplationémque discerent, quemadmodum terra & mare sese inuicem complectuntur, & iuuant. Hæc ex Nazianzeno.

Dum autem Dei gratia in Græcia, atque in Oriente toto religiosis multiplicandis adeo abundabat, ne alias quidem orbis partes ista laude caruisse certum est. Nam & Mediolani scribit Augustinus vidisse se monasterium,Ambrosio(vt ait) nutritore, & ipse Augustinus in Africa, vt Possidonius narrat,virorum,ac fœminarum monasteria fundauit: quod quidem tum alij multi, tum in primis Antoninus hoc ipsum putat esse institutum, cui nunc Eremitarum nomen est. Sic enim commemorat, Augustinum, antequam esset Episcopus, prope Hyponensem ciuitatem monasterium in nemore condidisse,quod eo viuo,& deinde mortuo, magnopere auctum, ac per alias deinceps ciuitates propagatum, aliquot annis postea barbarorum irruptione disiectum esse,aliósque in Italiam venisse, alios alio, donec Innocentius IIII. qui anno M. CCXLIII. summum gessit Pontificatum, cum multi alij essent hic,illic,sparsi eremitæ, in vnum omnes corpus contraxit,ac loco,habitúque coniunctos ad S.Augustini regulam aggregauit, insuper etiam in ciuitatibus habitare iussit,vt proximis quoque prodessent; quod huius consilium multo etiam diligentius exequutum esse Alexandrum IIII. eius successorem cœlesti quadam visione impulsum, cum ei apparuisset B.Augustinus grandi capite, membris autem exilibus. Quare hoc tanto incremento accepto, familia illa magnopere adaucta, & deinde magis etiam multiplicata, viguit, vt videmus, in Ecclesia, noménque Eremitarum, quod ab initio ex solitudine habuit, nunc etiam in mediis vrbibus seruat. Sed hæc multo posteriora. Itaque redeamus ad Augustini tempora, quibus ijsdem temporibus Romam etiam allatum esse, vel certe multo magis propagatum religiosum institutum indicat Hieronymus, qui in Marcellæ laudem hoc quoque scribit, cum antea ignotum esset Romæ monachorum propositum, nec auderet quisquam propter rei nouitatem, ignominiosum, vt tum putabatur & vile in populis nomen assumere,Marcellam,quæ à Sacerdotibus Alexandrinis Arij metu in exiliũ expulsis, Antonij adhuc super-

8. Con. (margin, beside "Mediolani")
cap.6. (margin)
3. Par. tit. 24. cap.14. (margin, beside "Episcopus")
Ep. 16. (margin, beside "Marcellæ")

stitis, & monasteriorum Thebaidis disciplinã didicisset, non erubuisse profiteri, quod Christo placere cognouerat. Quare cum in suburbano agro monasterium instituisset, eius imitatione crebra virginum cœnobia, & monachorum innumerabilem multitudinem esse cœpisse, vt præ eorum frequentia, quod prius fuerat ignominiæ, esset postea gloriæ. His igitur initiis fundata religio semper deinceps seruata, & propagata est vsque ad Benedictum, id est annis paulo amplius centum: quod ex eo etiam potest intelligi, quod de ipso narrat Gregorius & à Romano iam antea monacho victum in specu accepisse, & ab integro monasterio postulatum esse abbatem in alterius demortui locum; vt ex his constet, etiam ante Benedictum monachos complures in Italia extitisse. Quod cum ita sit, illi tamen iure, & merito nomen Patris, & Patriarchæ monachorũ tribuitur, quoniam ita rem monasticam sanctitatis, & sapientię auctoritate amplificauit, vt penè eius auctor videri possit. Nam cum anno ipso salutis humanæ, vt accepimus, D X X. ordini suo initium dedisset in Cassino monte, momento ferè temporis duodecim monasteria in Italia fundauit, quin alias etiam colonias duxit, in Galliam per Maurum, in Siciliam per Placidum, & alio per alios. Atque hic etiam non hominum tantum multitudine religionem auxit, sed disciplina quoque; quippe qui regulam scripserit, quæ adhuc extat, & viget, tanta sapientia, vt in eius laudem verè eam Gregorius dixerit discretione præcipuam, sermone luculentam. Itaque vt Basilium Oriens, ita Occidens noster Benedictum tamquam religionis auctorem, ac parentem veneratur. Ex hac autem quasi vna radice variæ deinde prodiere propagines variarum familiarum, quæ idem Benedicti institutum complexæ, nonnulla tantum reformando, vel addendo, aut leuiter immutando, ab ipso discreparunt.

2. Dial. cap. & 3.

2. Dial. cap. 36.

Harum prima, & antiquissima fuit Cluniacensis, quæ anno D C C C C X I I I. ab Odone Cluniacensi abbate & exordium sumpsit, & nomen. Hic enim vir doctrina, atque sanctitate præstans, Benedicti disciplinam, quæ iam, quod natura fert in omnibus ferè rebus senuisse videbatur, magnáque ex parte laxata esse, ad pristinam formam reuocare aggressus est, quod etiam perfecit. Cuius exemplum sequuti complures alij Abbates in tota ferme Italia, Hispania, Germania, Anglia, in suos ipsi quoque greges reformandos incubuere, idque eodem successu, & fructu; qui deinde vno

spiritu,

spiritu, ac vinculo colligati, adhibita etiam Romanorum Pontificum auctoritate, quotannis conuenire consueuerant ad ea tractanda, & decernenda, quæ ad tuendam disciplinam pertinebant. Magna omnino ea immutatio fuisse dicitur, in qua planè ad duo millia cœnobiorum restituta, & sanata scribuntur Ex eodem genere est etiam Camaldulensis familia, auctore Romualdo, qui circiter annum millesimum in ipso Apennino sedem sibi pœnitentiæ, ac religionis deligens, adeo exemplo, & sanctitatis opinione homines permouit, vt nisi ipsemet cohibuisset, totus terrarum orbis (sic enim scribitur) religiosam disciplinam subiturus videretur. Itaque tot cœnobia ad illius regulam passim ædificata sunt, vt penè nouus ordo existimari posset. Similis propemodum ortus, ac progressus fuit eius ordinis, qui Vallis vmbrosæ appellatur, recentior Camaldulensi annis tantum septuaginta, & tribus. Huic initium dedit Gualbertus, qui cum inimico, quem in potestate habebat, per Christi passionem, quæ eo ipso die colebatur, salutem deprecanti, non solùm ignouisset, sed etiam vltro eum amplexatus, fratris loco, quem is occiderat accipere se dixisset, tantopere id factum Deo placuit, vt eo statim ecclesiam proximam ingresso, Crucifixi imago lignea, ad quam orabat, quasi ei adblandiens, caput inflexerit, ita vt crepitus è ligno clare audiretur, insuper etiam religiosæ vitæ amorem inspirarit, quàm ille primum in ea ipsa domo instituit, deinde in Valle vmbrosa, humili quidem, & obscuro ad id tempus loco, sed qui breui ipsius virtute nobilitatus sit. Quare hic etiam ordo magnopere auctus, & in varia deinceps membra fusus est. Nulla tamen in his omnibus familijs nobilior, quàm Cistertiensis, cuius hæc præclara commemorantur exordia. Anno millesimo, & nonagesimo octauo, Henrico IIII. Imperatore, Rege Galliæ Philippo I. Robertus Molismensi Abbatiæ præpositus, cum subditos suos præ diuitiis, & copia, à primæuo instituto degenerare animaduerteret, cõsilio cum aliquot ex perfectioribus communicato (omnino vnum, & viginti fuisse ferunt) Cabillonem se contulit, præcipuam eo tempore Burgundiæ vrbem. Hic in solitario quodam loco, cui Cistertium nomen erat, domicilium fixit, idque ideo Cistertiense appellatum. Sed interea cum Molismenses monachi pœnitentia ducti, multis precibus Robertum reuocassent, is quidem ad pristinam sedem se retulit, ipsius autem loco Cistertij Stephanus suffectus est, vir feruens, eiusque, vt fertur, secessionis auctor.

Erat

Erat sane grex pusillus admodum, fuitque per annos quindecim, vt pene ad nihilum venturus videretur, cum Dei nutu factum est, vt eum Bernardus non solùm conseruaret, sed etiam mirifice illustraret, qui cum triginta socijs, & tribus inter eos germanis fratribus, ei se cœnobio addixit, ac paulo post erumpente ex illis latebris eius fama, tam multos ad suam imitationem exciuit, vt dimissis in totum orbem fratribus, atque alumnis, centum, & sexaginta monasteria ipsemet viuens constituerit. Atque hæ quidem, vt dixi, familiæ omnes ex Benedicti institutis fluxere, quæ temporibus illis ita viguere, vt nulli alij in occidente haberentur monachi, vsque ad Carthusiensis Ordinis initia, quæ exiguo interuallo Cistertiensem quem modo diximus, præcesserunt, nimirum annis sexdecim. Ea autem initia satis nota, atque etiam celebrata sunt. Cum enim mortuus esset Parisiensis quidam iurisperitus, homo doctissimus, & verò etiam hominum opinione optimus, atque in frequenti corona, quæ ad eius exequias cōuenerat, ternis deinceps diebus, primum se accusatum, deinde iudicatum, tertio etiam damnatum pronunciasset, Bruno ipse quoque insignis in eadem Academia doctor, territus, & ad discipulos suos conuersus, Quis ergo, inquit, potest saluus fieri, nisi mundum fugiat? Itaque vna cum sex socijs in Gratianopolitana eremo, quam fugiendo mundo aptissimam iudicauerat, consedit. quorum quidem consilium Deo gratum esse, Vgoni eius diœcesis Episcopo demōstratum est, qui per quietem videre visus est, Dei maiestatem in eremum illam descendere, sibique ei dignum palatium extruere; deinde septem etiam stellas mirifici splendoris in coronæ modum paulatim à terra sese attollere, aliis longe dissimiles specie, & situ, & motu.

Carmelitarum quoque institutum, etsi annis demum mille ducentis post Christum natum, in Italiam illatum est, multo tamen antiquius fuisse asserunt viri grauissimi, cum memoriæ proditum sit, ipso anno salutis CCCCXII. Ioannem Hierosolymitanum Patriarcham, qui ex hoc ipso ordine antea fuerat, eique præfuerat, regulam ei condidisse, ex quo appareat ipsum etiam vetustius esse. Certe non desunt multi, inter quos Vvaldensis vir grauis, qui existiment iam tum ab Apostolorum tempore inchoatum in monte Carmelo (& argumento est nomen ipsum) in ecclesia, quæ prima omnium B. Virgini in terrarum orbe dicata sit: deinceps verò numero & hominum, & domiciliorum per totam Palæstinam

De sacramēt. tit. 9. cap. 84.

Palæstinam multiplicato, irruentibus Sarracenis, dispersum esse,ac dissipatum;sed ijs rursum eiectis anno salutis humanæ millesimo ferme . & centesimo refloruisse. Illud constat octoginta ferè annis post hanc instaurationem Albertum Patriarcham item Hierosolymitanum hominem doctum,& prudentem datas ab Ioanne leges renouasse , & vtiliter admodum auxisse;quàm formulam, traductis deinde in varias Europæ prouincias eius ordinis hominibus , eo , quod ante diximus, tempore , confirmauit,& sanxit Honorius III. Pont. Max. nocturno,vt fertur, B.Virginis viso admonitus, nec multo post eam quoque familiam Innocentius IIII. amplissimis decretis complexus est , & in sedis Apostolicæ tutelam,ac patrocinium recepit. Felix seculum , non huius modo ordinis , quem diximus propagatione , sed aliorum quoque quatuor institutione , Franciscani , Dominicani, Cœlestini , Seruitarum. Natus est Franciscanus anno post Christi aduentum millesimo ducentesimo duodecimo. Hoc enim anno legitur regulam à Francisco ad Innocentium III. delatam , & ab eo confirmatam , tenui quidem adhuc , & debili eius ordinis principio , sed qui tam celeriter quasi miraculo excreuerit , vt paulo post in generali conuentu Assisnati numerata sint quoque millia capita , atque eo ipso tempore quingenta simul adiuncta. Itaque breui totum orbem compleuit , quin etiam temporis progressu in eam, quàm nunc videmus,peruenit amplitudinem, vt in tres , aut etiam plures partes distributus sit, hæque ipsæ partes ita abundauerint , vt singulæ ferè singulos ordines bene magnos repræsentent. Dominicanus à Dominico & nomen , & initium habuit , qui primum ab Oxomensi episcopo factus canonicus regularis, cum Tolosæ decem annis aduersus hæreticos strenuam operam nauasset , coactis illic aliquot eiusdem consilij sociis,nouam formam, nouúmque institutum excogitauit , quod euangelio prædicando se impenderet,quam ob causam Prædicatorum appellari voluit ; quæ vitæ ratio prius ab eodem Innocentio III. Concilij Lateranensis tempore,voce approbata traditur : deinde etiã scriptis ab Honorio III.anno millesimo ducentesimo decimosexto. Seruitæ paucis post annis id est sexdecim,cœpere Florentiæ, quo tempore Federicus II. Imperator Ecclesiæ , & Pontifici Gregorio nono infensus, omnibus modis totam eius ditionem vexabat.Septem enim ferunt homines nobiles,ac locupletes voce cœlesti admonitos in propinquum montem secessisse,

ceſſiſſe vbi cum aliquandiu delituiſſent, ipſa eorum ſancti-tatis luce ſe p odere, manifeſtatos eſſe mundo; quàm obrem multos ad eorum ſocietatem ſe aggregaſſe, ipſoſque in varias partes euocatos, in eam, quam videmus, auctos eſſe multitudinem. Seruitarum autem nomen ideo ab ijs acceptum, quod ſe B. Virginis Dei Matris ſeruos eſſe profiterentur. Atque his non multo poſteriores fuere Cœleſtini à Petro Morone inſtituti. Hic primum, vt ſcribitur, in ſolitudine multos egit annos, deinde cum illa vitæ aſperitas cum crebris miraculis coniuncta eius famam per Italiam totam, atque adeo Europam vulgaſſet, tantus ad eum hominum numerus ſeſe adiunxit, vt pluribus domiciliis, ac locis diſtribui oportuerit. Quare cum eo tempore generale Concilium Lugduni ageretur, eique Gregorius X. Pontifex intereſſet, eo profectus Petrus ipſe inſtituti ſui formulã, ac leges ab ipſo approbandas curauit, anno M C C L X X I I I I. Quod autem ordo Cœleſtinus appellatus ſit, ex eo factum eſt, quod hic eius fundator, & auctor aliquot poſt annis, id eſt viginti, ad ſummum euectus Pontificatum Cœleſtini V. nomen accepit, idque nomen deinde in eius familia manſit.

Nec prætereundi ſunt Crucigeri, quorum initia bini Pontifices Alexandri, tertius, & ſextus, in quibuſdam diplomatis ad Clerum Petri ſucceſſorem retulere, non quo tum eam haberent, quam nunc videmus, religionis formam, ſed erat cœtus quidam hominum ad recipiendos Chriſtianos inſtitutus, inopes præſertim, qui peregre aduenirent; qui cum deinde & aliorum tyrannorum, & maxime Iuliani apoſtatæ acerbitate afflictus eſſet, demum ab Vrbano I I. recreatus eſt eo tempore, cum Chriſtiani principes cruce ſignati, bellum barbaris inferentes, Antiochiam, & Hieroſolymam fœliciter receperunt. Ornatus deinde ab Alexandro I I I. pro beneficio, quod is Federici Oenobarbi vim fugiens, illorum hoſpitalibus domibus crebro, ac benigne acceptus fuerat, etiam aduerſus Imperatoris edicta minacia. Pius demum I I. anno M C C C C L X. in Concilio Mantuano cum expeditionem in terram ſanctam pararet, cæruleum iis veſtitum aſſignauit (incertum qua cauſa) cum antea cineritio vterentur. Ac Oliuetanæ quoque familiæ non obſcura ſunt initia; cuius auctorem fuiſſe ferunt B. Bernardum Tolomeũ, vna cum duobus aliis ipſius luculenta oratione incenſis, quam is in Senenſi academia, vbi publice philoſophiam profitebatur, de ſeculi

vanitate,

vanitate, quasi seculo vale dicens, habuerat. Quare vt cœlestem vitam commodius instituerent, extra hominum frequentiam, statim sese in propinquum quendam montem, qui Oliuetus dicebatur (ex quo ipsa familia Oliuetana appellata est) receperunt, anno Salutis M C C C X X. tanto feruore, tamque arcta disciplina, vt eius fama multos breui ad imitationem excitarit. Atque in eadem Senensi vrbe non multo post, nempe anno M C C C L V I. inchoatus est etiam is ordo, qui Iesuatorum dicitur, principe Ioanne Columbino, cuius mirabilis conuersio commemoratur ex lectione vitæ S. Mariæ Aegyptiacæ, in quam casu inciderat. Itaque cum totus repente immutatus, sanctissimam vitam, bonisque omnibus operibus, & maxime sui contemptu, & abnegatione exercitam aliquamdiu duxisset, aliquot ei adiuncti sunt eiusdem vitæ socij, quos omnes vrbanus V. ex Gallia reuertens, quasi nouam teneramque Christi Domini sobolem, benignissime complexus est, multisq; auxit priuilegiis. Atque huic familiæ fere etiam ortu æqualis est familia Eremitarum S. Hieronymi, quæ præsertim in Hispania, & Lusitania floruit, & ad huc floret. Eius fundatorẽ ferunt Petrum Ferdinandum, qui petri Castellæ Regis aula relicta, cui tum paternis, tum propriis obsequiis gratissim⁹ erat primum eremitis quibusdam solitariam vitam agentibus sese adiunxit, deinde institutum S. Hieronymi, quod in vrbe Bethleem ab ipso inchoatum, diuque conseruatũ, iampridem cessauerat, cũ aliquot aliis eiusdẽ animi, & consilij excitare aggressus est, idque in Toletana primum prouincia. Itaque Romam veniens, Gregorio X I. qui tunc Ecclesiæ clauum tenebat, nouam illam vitæ formulam attulit, anno ipso salutis M C C C L X X X I I I. quę ab ipso confirmata breui deinde tum hominum, tum domiciliorũ accessione non mediocriter aucta est. Post hos Minimi prodiere anno circiter M C C C C L. qui humilitatem, quam nomine ipso præ se ferunt, vita etiam, atque instituto profitentur. Horum caput, atque origo fuit Frãciscus, ex Paula vrbe Calabriæ oriundus, vir magnus cum virtutum copia, tum verò miraculorum facultate tam pręsenti, vt pene ei ad manum semper esse videretur. Quare nil mirũ fuit, si ipse etiam ordo tali Fundatore nixus per Italiam, Hispaniam, & maxime per Galliam ita luxit, lucetque mundo, vt merito se fere veteribus illis ęquarit.

De religioſis Clericorum ordinibus.

CAPVT XXIII.

SI vera ſunt, vt ſunt, quæ ſupra de Apoſtolorũ inſtituto & de temporum illorum perfectione demonſtrauimus, non modo olim etiam extitit aliquis Clericorum ordo religioſus, ſed primi omnino religioſi ex clericis extitere. Nã cum religio tribus illis, quæ iam ſæpe diximus, votis conſtet, eaque vota ab Apoſtolis edita fuiſſe, & ratio, & multorum auctoritas conuincat, quid cauſæ eſt, cur non & religioſos ipſos fuiſſe, & ab ipſis religioſam vitam originem, atque ortum ſuum duxiſſe fateamur, & vero etiam prædicemus? Idem çque certo affirmare licet de clero illius ætatis ferme vniuerſo, qui cum ad Apoſtolorum exemplar effictus eſſet, ad eandem perfectionis formulam totus inſtituebatur. Ac de caſtitate quidem non eſt dubitandũ, quin in ſacris ipſis ordinibus ſuſcipiendis promitteretur: nam et

Lib 2. de contin. c. 35. ſi aliqui initiabantur, qui vxores haberent, tamen vt Medina, aliique multi confirmant, in eo quoque Apoſtolos imitari ſolebant, quos antea diximus omnem coniugij vſum ſibi ſponte præcidiſſe. Obedientiam vero ſuo quiſque ſpondebant epiſcopo, cuius obligationis tum alia inueniuntur veſtigia, tum illud euidens, quod de B. Martino ſcripſit Sulpitius, Hilarium, cum eius virtutem adamaſſet, quo ſibi eum arctius implicaret, ac deuinciret, hanc vnam rationẽ

4. regis. ep. 74. tenuiſſe, vt illum eccleſiaſticis ordinibus initiaret. Ac Gregorius etiam teſtatur morem fuiſſe Romæ ſuo adhuc tempore, vt quiſquis ſemel in ea eccleſia ſacrum ordinem accepiſſet, egrediendi ex ea vlterius licentiam non haberet. Et quidem hoc adhuc vtrumque in eccleſiæ moribus remanſit, vt qui ad ordines iſtos admittuntur, & ſolemni caſtitatis voto obligentur, & eandem ipſi quoque obedientiã proprio Epiſcopo diſerte, atque expreſſe ſpondeant. Sed hanc vſus ipſe iam multo laxius interpretatus eſt; quoniã pauca ſunt hodie, in quibus clerici prælato ſuo obedire coguntur, tum autem in omnibus, & perfecte. Caſtitatis vero idem eſt adhuc plane votum, quod religioſorum, vt matrimonium non illicitum modo, ſed irritum etiam, & nullũ efficiat. Supereſt paupertas, de qua, ſi præſentes inſpiciamus mores, maior videatur difficultas; ſin autem antiquos mores, nihil clarius. Vetus enim inſtitutum fuit, vt clerici omnibus bonis, ſi qua haberent, paternis cederent, nihilque

ſuum

suum possidere possint. Testatur hoc Hieronymus, qui hanc esse ait causam, cur ab ipso Ecclesiæ initio clericorũ capita radi cœperint, vt significaretur depositio, vt ille ait, omnium temporalium: quia victu, & vestitu contenti, nihil proprium habere debent, sed omnia communia. Testatur hoc etiam Prosper antiquus auctor, Expedit, inquit facultates ecclesiæ possidere, & proprias perfectionis amore contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates. Et ideo quisquis omnibus, quæ habuit, dimissis, aut venditis, fit rei suæ contemptor, cum præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator. Affert deinde exemplum Paulini, & Hilarij, quorum vterque paterna prædia diuendita pauperibus erogarant, iidem autem episcopi facti, facultates Ecclesiæ diligenter administrarunt. Quod autem communem vitam tenere solerent, tũ hæc eadẽ ostendunt tum Clementis Pontificis epistola, quam scribit Hierosolymitano clero, in qua ait communem vitam omnibus necessariam esse, & iis maxime qui Deo militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari. Gregorius quoque ad Augustinum Anglorum episcopum scribens, ita ei mandat, vt in Anglicana illa, quæ tum surgebat, ecclesia, eam conuersationem inter clericos instituat, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum de iis, quæ possidebant, quicquam suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Denique extat etiam inter sacros canones Eugenij II. decretum, quo iubetur, vt vnũ sit clericis refectorium, vnum dormitorium, ac cæteræ officinæ. Postremo quod his etiam omnibus voti sponsio adderetur apparet ex epistola Vrbani Pontificis ad omnes episcopos, vbi post alia clericos alloquens, Quicumque vestrum, inquit, communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciant, sed hoc, quod Domino pollicitus est, diligenter custodiat, ne damnationem sibi, sed meritum acquirat: quia melius est non vouere, quã votum, quod melius est, non perficere. Ex quibus omnibus hoc constare potest, aut omnes clericos, aut fere omnes æuo illo, eosque præsertim, qui maioris perfectionis desiderio ducerẽtur, hęc tria vota suscipere solitos, ad quod ex eo sequitur, vere etiam religiosos fuisse. Quod ipsũ quoque Theologi recipiunt, & in primis Medina vir doctus,

Refertur. 12. q. 1. cap. Duo. lib. 2. de vita contẽp. c. 9.

12. q. 1. c. Dcilectissimis In resp. ad eumc. 1. & 2.

12. q. 1. c. Necessaria.

Refertur. 12. q. 1. cap. Scimus.

Lib. 5. de contin. c. 10. qui hoc argumentum ex profeſſo tractat,& multis confirmat,atq; inter alia,ex ipſo nomine Canonicorũ,cuius adhuc vbiq; vſus eſt , quod nomen nihil aliud ſignificat, quã regulares. Neque vero diſtinctam fuiſſe parochorum cauſam, quaſi his aliquid liceret poſſidere,ſed quia neceſſariũ eis erat ſeparatim in ſua parochia viuere,nec communitatem illam vitæ cum aliis retinere poterant,exemptos fuiſſe,eodem modo,quo nunc monachi,cum ſuperiorum ſuorum iuſſu parochiam,adminiſtrant. Hæc ille ſane: quin etiam addit,ita propriam fuiſſe etiã cleri paupertatẽ hanc, in qua religio conſiſtit,vt quod aliquid propriũ habere cœperint,id potius ex indulgentia natũ ſit; quam rem confirmat Auguſtini auctoritate in ſermone quodã de cõmuni vita clericorum, vbi ait, alias ſibi conſtitutum fuiſſe,nullũ ordinare clericum,niſi qui communem vitam ducere vellet:ſed poſtea conſiliũ mutaſſe,ne,quod peius eſſet,quiſpiã per ſimulationẽ,& hypocriſim,regulam violaret,& promiſſum falleret. Itaque etiam ſi quis communiter viuere nollet,ſe ei deinceps clericatum permiſſurum. Quare ex hoc etiam argumentatur Medina , rei quidem naturam paupertatẽ poſtulaſſe,quod verò non omnes id facerent,diſpenſationem quandam fuiſſe. Cuius laxitatis duas opinor fuiſſe cauſas,primum multiplicationem ipſam clericorum;quoniam cum ita creuiſſet populus Chriſtianus,vt à paucis ad miniſtrari non poſſet,& ad ipſius etiam Eccleſię ſplendorẽ facere videretur,vt plures iam miniſtros haberet,non ita potuit in tanto numero ille perfectionis ardor conſeruari Altera fuit cauſa,quoniam quo longius tẽpora à primo illo Eccleſię ſtatu procedebãt, eo magis & Dei caritas in hominibus refrigeſcebat,& abundabat amor ſui,ſuorumque commodorum.Quare cum difficile iã eſſet, clericorũ vulgus in tanta omnium rerũ abdicatione retinere , manſit tamẽ hoc ſtudium in quibuſdã,quibus maior animus, maiorq; inerat feruor,qui ita clericalia munera obirent, vt ſi mul religioſa etiã munera,illamq; exactam diſciplinã non omitterent.Hanc laudem Ambroſius Euſebio Vercellenſi Epiſcopo tribuit,qui ſuos clericos ita inſtituiſſet,vt ab iis, quemadmodũ ipſe ait,duo pariter exigeret , & monaſterij continentiam,& diſciplinam eccleſiæ.Hæc,inquit, primus in occidentalibus partib⁹ diuerſa inter ſe Euſebi⁹ ſanctæ memoriæ coniunxit,vt in ciuitate poſitus,inſtituta monachorũ teneret,& eccleſiam regeret ieiunij ſobrietate.Multum

Ser. 2. re ferturi 2. q. 1. c. certe.

Ep. 25.

tum enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & normam integritatis iuuentutẽ astringat,& cõuersantes intra vrbẽ abdicet vsu vrbis,& cõuersatione. Hæc Ambrosius de Eusebio,quem, si recte attendimus,nõ absolute primũ eius instituti auctorem facit, sed in Occidentalibus duntaxat partibus;nam in aliis partibus iam pridem eadem forma viguerat. Quod ita esse etiam ex Possidonio cognosci potest,qui in vita Sancti Augustini,cum hoc idem ab illo factum narret, vt monasterio intra ecclesiam constituto,vna omnes mensa, cõmunibusque sumptibus alerentur, nihilque cuiquam suũ esset, hoc etiam addit, hanc rationem sub sanctis Apostolis primum introductam.Confirmat hoc quoque Pontificis auctoritas Pij I I I I. qui bulla quadam, in qua de Canonicorum regularium ordine quædam honorifice decernit, hanc addit causam, quod is ordo ab Apostolis institutus fuerit; quam bullam recitat quodã loco Nauarrus,& alia addit in eãdem sententiam. Itaque Augustinus quoque non tã inuentor, quam restitutor fuit atq; instaurator huius religionis clericalis,de qua quidem neminem dubitare video, quin eadem sit,quam modo nominaui,Canonicorũ regulariũ. Sic enim ferunt,Augustino defuncto, & Hyppone à Vandalis vastata,Gelasium,quem Africanum fuisse constat,cum aliquot sociis eius disciplinæ Romam venisse,eoque ad Pontificatum euecto,illos deinceps perseuerasse in eodem vitę genere, iisque domicilium attributum in Lateranensi ecclesia; cuius adhuc extant monumenta tum in ipsis ędiũ illarum ruinis, tum in Pontificiis quibusdam diplomatis, & pręsertim Eugenij I I I I. Ac illorum occupatio his muneribus,vt scriptum legimus, continebatur,sacrificandi,cõciones ad populum habendi,eidemque sacra ministrandi, denique omnia Apostolica,ac sacerdotalia officia obeũdi, idque in communi vita, nulla re propria, & vnius prępositi ductu,& obedientia. Quod etiam ex eo confirmari potest,quod constat à Bonifacio primum V I I I. hos regulares Canonicos è Lateranensi sede quam octingẽtis ferme annis tenuerant, amotos, substitutis Canonicis secularib⁹, diuisaque singulis certa redditũum portione, qui antea cõmunes erant. Neque verò Romę tantum,sed in omnibus pene prouinciis horum viguisse institutum, multis indiciis probari potest,eoque potissimum,quod & Dominicus in Hispania hanc primum vitæ rationem aliquamdiu

In c. statuimus. 10. q. 3. num. 7. & 8.

professus est, & in Gallia ipsius Bernardi ætate multos ex iis extitisse ipsius vita, & epistolæ ostendunt, in quibus nonnulla de ipsis commemorantur. Igitur clericorum quidem regularium vnum, quod sciam ..., etiam iam genus, hi, quos diximus, Canonici. Verum hoc deinde nostro seculo, aliquot etiam alij eiusdem ferme generis ordines Dei voluntate, certaque prouidentia emerserunt, magno vtique, vt videmus, Ecclesiæ bono, in quam quasi Domini vineam excolẽdam eo feruentius, atque alacrius, & fructuosius incũbunt, quo adhuc, vt recentes solẽt operarij, integris sunt viribus, & minus fatigatis.

Ex hoc numero est etiam hæc nostra Societas I E S V, quam Deus his nouissimis temporibus, nempe anno M D X L. in lucem eduxit: hoc enim anno à Paulo I I I. Pont. confirmata, & Apostolicis decretis stabilita est. Quare nihil de Fundatore, vel de ceteris eius primordijs hoc loco commemorandum censeo, cum sint omnia notissima, vt in re adeo recenti. Tantum igitur aliquid de instituto attingendum, quo modo sic religiosam disciplinam cum clericorum ratione coniungere conetur, vt quod in vtraq; optimum, ac præcipuum est, id in se, quoad ei liceat, complectatur. Nam cum religionis partes potissimæ illæ sint, paupertas, fuga seculi, segregatio à carne, & sanguine, obedientia perpetua, & hæc omnium maxime, quę eius est quasi essentia. Societas quidẽ hæc, tum illa omnia, tum hãc in primis obedientiam ita complexa est, vt in ea excolenda, & quam perfectissime exercẽnda vires omnes intendat; quin etiam hoc profiteatur, ac præ se ferat, veram, germanamque sobolem suam hac quasi nota distingui, vt in perfecta obedientia, & voluntatis, iudicijque abdicatione quã maxime excellat. Cleri autem forma si perfecte inquirenda est, eam potissimum accipere oportet, quæ ab Apostolis ipsis, vt diuinis magistris, est instituta, quæ sane haud parum distabat ab ea, quam nunc cernimus. Etenim vetus illa his tantummodo officiis, ac functionibus constabat, docendi, prædicandi euangelium, instruendi rudes catechismo, sacramenta prębendi, denique purgandi, illuminandi, perficiendi mortalium animos. hoc enim triplici operum genere Ecclesiastica hæc hierarchia cœlestis illius exemplar quoddam referebat. Hanc igitur eandem formam noster hic, quicumque est, ordo, sibi sumpsit, vt ea exequeretur, quę post proprię salutis, & perfectionis studium,

dium,proximorum insuper saluti,& perfectioni vtilia sint, dicendo, agendo, priuatim, publice, domui suæ, & alienæ,denique omni,qua possit,ratione,ac via. Quod autem scholas etiam externis adolescentibus aperiendas putarit ne hoc quidem à veteri instituto discrepat. Ita enim legimus in antiquis Conciliis cautum,vt presbyteri,& monachi scholas habeant in monasteriis,& in ecclesiis,quo fideles possint filios suos mittere. Quin etiam Basilius cum hanc ipsam quæstionem posuisset, an conueniat, vt inter monachos sint magistri puerorũ secularium,respondet conuenire,idque consentaneum esse euangelio, modo tamen eo fine,vt ij simul cum litteris ad pietatem, & Dei timorē erudiantur:quod etiam confirmari potest multorum monachorum,& monasticorum ordinum exemplis, qui gymnasia olim publice habuerunt,non suis tantum, sed externis quoque docendis. Atque hæc quidem de Societate nostra. Verum vt ad vniuersum Clericorum regularium institutum reuertar,facile iã cognosci potest, quam id laudabile,& expetendum esse oporteat,in quod duo instituta tam præclara,tamq; vtilia confluunt. Non enim dubitandũ est, quin quasi duo Ecclesiæ oculi,duæue manus, ac brachia, quibus ad omnia vtatur,sit ordo clericorũ, & ordo monachorum,ita vterque præstans,& propriis bonis abundãs, vt si in comparationē adducantur,superent se, & superentur mutuo.In clero enim illa excellunt,labor, & opera in proximos,concionandi studium,pugna cum dæmone, propagatio diuini honoris,dignitas ipsa sacerdotalis, tractatio diuinorũ mysteriorũ.In monachis autē sancta illa nuditas, nihil habēdo,nihil possidēdo,fraterna cōcordia, & summa vnitas,vnum corpus è multis membris,mutuum auxilium obediētia maiorũ coniuncta cum humilitate ipsius status, & cum iis fructibus,qui ex obedientia existũt. Quare cum vtraq; ratio tam eximia bona habeat, quibus altera caret, quæ erit vita illa,in qua sic permiscẽantur ambæ,vt vtriusq; bonis perfruatur,& vna cũ suo profectu,quod faciunt monachi,aliorũ quoq; profectus curetur, quod proprium est cleri:Immo vero ex hac ipsa cōiunctione vtrumque etiam maius, atq; vberius effici necesse est, quã per se separatim essent;quoniam & maiorem Deus gratiam communicat, si ad eius gloriam in aliis propagandã conferatur, & proximorum fructus eo largiores esse solēt, quo instrumentum ipsum ad hos fructus efficiendos adhibitum,cum Deo,qui

6. Syn. c.4.& 5. Con. Mog. ca. 45.

Reg.bre. q. 292.

eorum præcipuus eſt auctor,coniunctius fuerit:cõiungitur autem per virtutes,& potiſſimũ duas,obedientiã, & humilitatem,quæ vtraque intrinſece ineſt in religioſo ſtatu. Sed quid opus eſt plura? Ambroſium audiam, quomodo de gemina hac vita differit,eaſque inuicem confert. Hęc duo, inquit,in attentione Chriſtianorum deuotione præſtantiora eſſe quis ambigat,clericorum officia, & monachorũ inſtituta? Iſta ad comitatem, & moralitatem diſciplina, illa ad abſtinentiam aſſuefacta, atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro,illa in ſecreto:ſpectatur iſta,illa abſconditur. Ideo bonus athleta ait, ſpectaculum facti ſumus huic mundo.Hæc ergo vita in ſtadio, illa in ſpelunca. Hæc aduerſum confuſionem ſeculi, illa aduerſus carnis appetẽtiã. Hæc ſubiciens: illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior, illa tutior. Hæc ſeipſam regens, illa ſemetipſam coercens;vtraque tamen ſe abnegans,vt fiat Chriſti ; quia perfectis dictũ eſt,Qui vult venire poſt me,abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam,& ſequatur me. Hęc ergo dimicat,illa ſe remouet.Hæc illecebras vincit, illa refugit.Huic mundus triumphatur, illi exultat. Huic mundus crucifigitur,vel ipſa mundo,illi ignoratur. Huic plura tentamenta, & ideo maior victoria. Illi infrequentior lapſus, facilior cuſtodia.Hæc Ambroſius,ex quibus id plane apparet,quod proxime poſui,cum vtriuſque huius vitæ ſeparatim,ac per ſe tantus ſit ſplendor, vt alterutram complecti magna quædam,& eximia ſit res, quanto maior futurus ſit ſplẽdor,amborum generum laudibus in vnum collatis. Arduum ſine dubio opus,ac difficile,ſed non Deo,apud quem non eſt impoſſibile omne verbum.

Ep. 25.

De tanta multitudine & religioſorum, & religionum.

CAPVT XXIV.

HIs perſpectis, quæ de religionis initiis, & progreſſu quã breuiſſime cõmemorata ſũt, libet iam in hoc eius tam vario,tamq; multiplici fœtu diligentius intuendo cõmorari. Quis enim eſt, qui cum multitudinem,ac copiam recordetur pene infinitã eorũ, qui omni fere euãgelij tempore,hoc vitæ genus tenuere,nõ plane admiretur,& obſtupeſcat? Diximus paulo ante de Antonio, cuius vni' nomẽ, & auctoritas,cũ adhuc gẽtilis impietas tam late dominaretur,tamẽ adeo multos ad mũdũ fugiẽdum, ad ſolitudinem colẽdã adduxit,vt vere de ea ętate dici poſſent illa prophetica,

Pſal.64.

tica, Benedices coronæ anni benignitatis tuę. pinguescent speciosa deserti,& exultatione colles accingētur. Videmus quę de ipso, ipsiusq; discipulis scribat Athanasius in ei⁹ vita: Erant, inquit, in monte monasteria, tamquā tabernacula plena diuinis choris psallentiū, legentiū, orantium, qui infinitam regionē quandam, & oppidum à mūdana conuersatione seiunctū videbantur incolere. Quis tum monachorum agmen aspiciens, quis virilem illū concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio, sed multitudo abstinentiū, & certamen officiorum erat, non statim in eiusmodi vocem erūperet, Quam bonæ domus tuæ Iacob, tabernacula tua Israel? tamquam nemora obumbrantia, tamquam paradisus super fluuios, tamquam tabernacula, quæ fixa sunt à Domino, tamquā cedri libani circa aquas. Idem quoque cogitare possumus de Hilarione, qui eodem tempore in Palęstina innumera, vt ait Hieronymus, fundauit monasteria, & de Machario Antonij item discipulo, quem sanctitate illustrem fuisse accepimus, eumdemque quamplurimos suæ disciplinæ alumnos habuisse. De Caritone quoq; sic scriptum videmus, ipsum etiam in Palæstina plura deinceps cœnobia extruxisse, cum singulis extructis, in interiorem eremum se reciperet. Isidorus autem vno in cœnobio plusquam mille, atq; in eodem etiam paulo post adaucto, Appollonius plusquam quinque mille monachis fertur pręfuisse. In mōte vero Nitriæ, qui ab vrbe Alexandrina vnius ferme diei itinere distabat, quingēta monasteria pene contingua extitisse, quæ omnia ab vno præside, vnoque magistro regebantur. Quin etiam Palladius grauis auctor, & testis oculat⁹, in sua, quā describit, peregrinatione, ciuitatē se vidisse narrat, in qua plura essent monasteria, quā profanę domus. Quare cum omnes vici, omnesque anguli pleni essent Dei famulis, qui diuinas laudes cōcinerent, visam sibi esse ex ciuitate factam vnam ecclesiam: idemque in Memphi, & Babylone innumerabilem se ait vidisse monachorū multitudinē, qui omnes varijs Spiritus sancti donis fulgebāt: prope vero Thebas cū Ammone se cōgressum patre triū millium monachorū. Quid Pacomius, qui ipse quoq; annis circiter quadringētis à Christo nato floruit, quem cōstat varijs in domibus interuallo modico distinctis ad septē millia discipulorum habuisse, in qua autem ipsemet degebat, plures, quā mille, quos quidē omnes cōmodioris gubernationis gratia in quatuor & viginti

Nu.23.

In vita Hilar.

ginti classes pro numero grçcarum litterarū distribuerat. Quid etiā Serapion? quem idem Palladius à se visum testatur, cum decem mille monachos, pluribus tamen diuisos
Epist.27. domicilijs gubernaret. Ac Hieronymus quoque in Paulæ epitaphio sic narrat, cum ea mulier, studio sanctos illos patres visendi, desertū adisset, occurrisse ei turbas, vt ille ait, innumerabiles Dei famulorum, quo spectaculo ita delectata sit, vt sui sexus oblita inter tot millia monachorum habitare optaret. Cuius autem, inquit, non intrauit cellulam? quorum pedibus nō aduoluta est? per singulos sanctos Christum se videre credebat. Quam autem hactenus virorum diximus, eadem plane fuit etiam vbertas sacrarū virginum; quod cum alibi legimus, tum apud Theodoretum in religiosa historia extrema, qui earū infinita scribit fuisse monasteria in toto Oriente, in Palæstina, in Aegypto, in Asia, in Ponto, in Cilicia, Syria, & Europa: quoniam, inquit, ex quo Saluator natus est ex matre virgine, multiplicata sunt virentia virginitatis prata. Ac ne quis existimet, in tanto numero, vt fieri solet in incondita turba, aliquid tumultus, aut perturbationis extitisse, iucundum est etiā videre quæ Hieronymus de illorum tēporum moribus scri-
Epist.22. bat. Prima, inquit, apud eos confœderatio est, obedire maioribus, & quicquid dixerint, facere. Diuisi sunt per decurias, atque centurias, ita vt nouē hominibus decimus præsit, & rursus decem præpositos sub se centesimus habeat. Manent separati, sed iunctis cellulis. Vsque ad horam nonam, vt institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus, vt si cogitationibus forte quis fluctuet, illius consoletur alloquiis. Post horam nonam in cōmune concurritur, Psalmi resonant, Scriptura recitatur ex more, & cōpletis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quē patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente, tantū silētium fit, vt nemo alium aspiciat, nemo audeat exscreare. Dicentis laus est in fletu audientiū. Tacitæ voluūtur per ora lacrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Post hæc conciliū soluitur, & vnaquæque decuria cum suo parente pergit ad mēsam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrā. Nullus in cibo strepit⁹ est, nemo comedēs loquitur. Dehinc cōsurgunt pariter, & hymno dicto ad præsepia redeunt, ibi vsque ad vesperam cum suis vnusquisque loquitur, & dicit, Vidistis illum, & illum? quanta in ipso sit gratia? quātum silētium? quam moderatus incessus?

[illegible] infirmum viderint,consolantur,si in Dei amore fer-[illegible],cohortantur ad studium.Et quia nocte extra orationes publicas,in suo cubili vnusquisq; vigilat,circumeũt cellulas singulorum,&aure apposita,quid faciant,diligenter explorant.Quem tardiorem deprehenderint, nõ increpant,sed dissimulato quod norunt,eum sæpius visitant, & prius incipientes, prouocant magis orare, quam cogunt. Hæc Hieronymus, & plura. Nos autem ad multitudinem [illegible]camus,quam nequis illorum fortasse temporum felicitati,& fœcunditati cuidam tribuat, quæ vna cum temporibus ipsis exaruerit, eadem etiam fuit Benedicti seculo, de quo supra diximus, eadem quoque posterioribus seculis. Certe Tritemius,qui annũ vixit circiter MCCCCLXXX. de hac ipsa sui ordinis multiplicatione disserens, hoc pro argumẽto affert,quod suo tempore in sola prouincia Moguntina adhuc centum,& vigintiquatuor extarent integrę abbatiæ, præter alias decem iam separatas, vt ex hac vna prouincia reliqua totius ordinis amplitudo coniici possit. Nec mirum,cum idem adiũgat,fuisse tempus, cum illa sola familia quindecim mille haberet abbatias,pręter prępo-[illegible], & alia minora cœnobia. Bernardus vero ipse in Malachiæ vita auctor est, in vna Hybernia monasterium fuisse multa millia monachorum generans, & multorum caput monasteriorũ,de quo hæc etiã addit, Locus, inquit, vere sanctus,fœcundusque sanctorum,copiosissime fructificans Deo,ita vt vnus ex filiis sanctæ illius congregationis nomine Luanus centum solus monasteriorum fundator extitisse dicatur. Quod idcirco diximus, vt ex hoc vno coniiciat lector,quam ingẽs fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hyberniam, Scotiamque repleuerunt genimina eius, vt ea potissimum tempora Dauidici illi versiculi præcinuisse videantur.Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam: & in hunc modum cetera quæ sequũtur.Nec modo in præfatas,sed in exteras etiã regiones,quasi inundatione facta,illa se sanctorũ examina effuderunt.Ex quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens Luxouiẽse cõstruxit monasteriũ, factus ibi in gentẽ magnam Aiunt tam magnam fuisse, vt succedẽtibus sibi vicissim choris,continuarentur solemnia diuinorum,ita vt ne momẽtum quidẽ diei, ac noctis vacaret à laudibus.Hæc Bernardus de aliis,quæ eadẽ nos de ipso,ipsiusque familia confirmare possumus,quæ tam breui tempore

1. de vir. ill. ca. 2.

tempore ita multiplicata eſt, vt certe pro miraculo fuerit: quod quidẽ illi ipſi diuinitus antea oſtẽſum eſt. Nã cum in Claraualle eſſet, puſillo adhuc ſuorũ numero, viſio quædã ei obiecta eſt eiuſmodi, vt ex vicinis mõtibus tanta vndiq; diuerſi habitus, & diuerſæ conditionis multitudo deſcẽdere videretur, vt tot⁹ eos locus capere nõ poſſet. Quid autẽ de recẽtioribus ordinibus dicemus, tũ aliis, tũ Franciſcano potiſſimũ, cui certe hæc, de qua loquimur, propagatio inſigniter tributa videtur, ita vt cũ in tot mẽbra diſpertitus ſit, vnũ eorũ, quod Obſeruantium vocãt, proximis annis centum fere mille confecerit? Deniq; non ita multis opus eſſe videtur ad hoc oſtendendũ, cum res in oculis, & in conſpectu ſit. Etenim cum tot iam ſeculis religioſorum nomẽ viguerit, cum tã multi ordines antiqui extiterint, tam etiam multi variis tẽporibus adiuncti ſint noui, tamẽ & illi ſemper perſeuerarunt, & hi quotidie magnopere aucti ſunt. Quod mihi cogitãti non ſolum nihilo imminutus videtur religioſorum numerus, quã fuerit olim, cum ita abũdabat, ſed etiã aliquãto maior factus. Verum tum quidẽ fortaſſe magis aduertebatur copia, quoniã ad duas, vel tres familias (plures enim eo tẽpore non erant) omnia confluebant: nunc minus aduertitur, quoniã in multas partes diuiditur. Quod igitur maius argumẽtũ quærim⁹ ad hoc vitæ genus confirmandũ, eiuſque dignitatẽ declarãdam? Nimirũ enim hoc illud eſt, quod Dominus veteribus illis Iudæis quaſi ſuæ gratiæ, ſuæque præſentiæ indicium promiſerat. Reſpiciam vos, inquit, & creſcere faciã, multiplicabimini, & firmabo pactum meũ vobiſcum. Quin etiam eſt hoc maximũ perfectionis indiciũ. Vt enim in natura prius vnũquodque bene conſtitutum, ac perfectum in ſuo genere eſſe ipſum oportet, quã aliud ſibi ſimile generet, quod apparet in herbis, & plãtis, perſpicue autẽ in animalibus, ex quo fit, vt facultas generãdi abundantiã quandã virtutis, ac virium indicet; ſic in ea vita, quæ naturam ſuperat, tanta præſertim multiplicatio copiã ſanctitatis, ac perfectionis, & eam quidem magnam arguit. Atque hoc etiam eo minus mirabile eſſet, ſi religio eiuſmodi vitam proponeret, in qua multa eſſet viuẽdi licentia, & quæ carnẽ, & ſenſum allectaret. Sed longe omnino ſecus eſt. Nam & ea tollit, quæ corpus delectare poſſunt, & ea præſcribit, à quibus natura abhorreat, paupertatem, labores, contemptum, voluntarias pœnas, denique perpetuam crucẽ. Ex quo fit, vt iſte concurſus hominum,

Leuit. c. 26.

rum,& quidem tum nobilium,tum adolescẽtium,quorum vel ætas,vel consuetudo deliciarum,ista asperiora refugit, aliquid diuini arguat,quod in religione insit,neque id vlli alteri rei plane ascribi possit.

De multitudine autem ordinum ipsorum hoc etiam vere dici potest,maximum ex eo quoque ornamẽtum Ecclesię accedere.Recte enim,& sapienter Bernardus,qui Ecclesiam ait tam multis,& dissimilibus ordinibus variari,vt reginam, quæ in psalmo legitur circumamicta varietatibus, & in eo agnosci tunicam polimytam Iosephi,nõ illius, qui Aegyptum,sed eius qui mundum saluauit, eandemque inconsutilem,propter indiuiduam caritatem, & similem dissimilitudinẽ,quæ in ea eluceat. Ac præter hanc pulchritudinem,de qua hic Bernardus,habet etiam ea res dignitatẽ, & vtilitatem permagnam.Dignitatẽ quidem, quoniam vt in regum aulis,ita in hac Dei aula,quæ est ecclesia, ad amplitudinem,atque maiestatem pertinebat, vt quamplurimos haberet seruorũ ordines,qui & instituto,& ipso etiam vestitu , quasi in multas classes distincti essent. Quod vt Christi sponsi honorẽ, & cultum sine dubio auget, sic etiã eius sponsæ Ecclesiæ nihil elegantius, aut magnificentius tribui poterat,quã vt hac quoque re ad illius cælestis Hierusalẽ imaginem quam proxime accederet,in qua nõ vnus angelorum ordo,sed tot ordines, tot hierarchiæ, & natura similes,& tamẽ gradu,officijsque dispares,assidue Deo seruiunt.Scite etiam,& docte B.Thomas,Sicut, inquit, in naturæ ordine tanta à Deo rerum varietas ideo inducta est, vt variæ eius perfectiones,quo pluribus communicarẽtur, eo magis innotescerent,ita in hoc ordine gratiæ ista multiplicatione statuum,officiorum,ac munerum id agitur,vt variis modis,& à variis mẽbris participetur illa plenitudo gratię,quæ à Christo Domino,& Saluatore nostro,vt capite promanat.Ex quo maior vtiq; ipsius Christi gloria existit,cuius & vis in merendo, & liberalitas in donando magis ac magis illustratur.Addit etiam illud,quod paulo ante attigimus, hac quoque re Ecclesiæ ipsius pulchritudinem augeri;quoniã & in ordine magna sine dubio est pulchritudo,atque ornatus,nec ordo iste esse potest sine multitudine.Itaque huc etiam cõmode refert quod est ab Apostolo dictũ,In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea,sed etiã lignea,& fictilia.Accedit deinde,quod iam ad vtilitatẽ pertinet,quod cum vnaquęque religio aliquid

In apol. ad Gul.

Psal.44.

Gen. 37.

2. 2. q 183. artic.2.

2. Ti.2.

propri j,

proprij, ac præcipui habeat, quod spectet, & quod sequatur, multo id melius, perfectiusque singulæ exequentur, si in vno tantum opere totæ versentur. Multa enim sunt opera, quę sese inuicē impediunt, & alia certe suauius, & facilius
1.*Pol.c.1.* perficiūtur, si separatim perficiātur. Itaq; vt Aristoteles ait, animātis corpus ita à natura fabricatū esse, vt singulis sensibus singula membra tanquam instrumenta destinaret, ne sibi mutuo impedimēto essent, si eodē tempore plura opera exercēda occurrerēt, sic multo magis in gratiæ muneribus decebat omnino illam Dei diuitem sapientiam, vt varia variis partiēdo, quicquid id esset & operis, & præmij, cum pluribus communicaret. Quin etiam vt ad ciuitatis commodum, atq; ornatum quoque spectat, varios eam habere, multorumq; generum opifices, quorum alij lanam, alij ferrum, alij lignum, & cetera tractēt, quo nihil ciuibus ad victum, & cultū desit, ac non solum in artibus sit distinctio, sed easdē artes plures etiā exerceant, vt maior sit rerū copia: ita in hac spirituali Dei ciuitate, quoniā tam multa ad fideliū salutem requirebantur, hoc Dei sapientia prouidit, vt ea multa à variis religionum generibus suppeditarētur. Indigebat Ecclesia precibus, à quibus subleuaretur in omnibus periculis, ac difficultatibus, & quarū perpetuo præsidio fulciretur. Ideo quidā sunt ordines ad hoc vnum facti, vt se diuinarū rerum contēplationi totos dederēt. Indigebat ieiuniis, ceterisque asperitatibus, tum vt Deus mortalium peccatis placaretur, tum vt homines exēplum haberent, quod imitarētur. Quare hos quoque ordines fundari oportuit, qui habitu, qui ciborū abstinētia, qui summa paupertate hunc præcipue vitę rigorē profiterentur. Indigebat etiam concionibus, & doctrina, & insuper iis, qui populos verbo instruerēt, confessionibus expiarent. Ad hæc omnia Dei prouidētia certos quasi distinauit opifices, qui & volūtate, & facultate ab illo accepta, suum quique munus amplecterētur. Quibus rebus effectum est, vt hæc Dei, quemadmodum antea appellaui, ciuitas, omnibus esset præsidiis instructa, quę vel ad necessitatē, vel etiā ad commoditatem adipiscendæ salutis pertinere videbātur. In quo illud quoque aduertēdum video, quo magnopere diuina bonitas, & cura quædā humani generis commēdatur, quod vt medici, cum ægrotus appetētiam ciborum perdiderit, accōmodāt se, quantum licet, ad eos cibos, quos ille minime aspernetur, vltroque plures proponunt, vt è multis aliqui saltem

placeant

placeant, sic Deus, quoniã seculares homines negotiis immersi terrenis cælestiũ gustum, ac desiderium amiserant, tam multas præsto esse voluit quasi spirituales epulas à diuisis diuersa ratione conditas, ac paratas, vt qui vnas fastidiret, ab aliis alliceretur. Addamus illam quoque vel maxime necessariã causam, voluisse Deum, quod fuit illi⁹ immensæ bonitatis, omnibus cõsulere, & quasi viam sternere omnibus, qui ad virtutis perfectionẽ peruenire cuperent. Varia enim sunt hominũ ingenia, & naturæ, & variæ propensiones, nec eædem omnibus corporis vires. Quidã solitudine, quidam frequentia delectantur; alij otiũ, & cessationẽ, alij ipsum negotium ferre non possunt; nonnullis firma valetudo, aliis imbecilla, vt labores, & asperiorẽ vitam nequeant tolerare. Itaq; his omnibus suum statum, suumque proprium quasi pabulum præberi oportuit, quod esset & saluti simul, & eorũ constitutioni congruens: idque suauis illa prouidentia requirebat, quam Deus in hominum gubernatione perpetuo retinet, nec dimittit vnquã. Denique illud etiam in his ordinibus multiplicãdis diuina egit sapientia, vt identidẽ noua Ecclesiæ suæ supplementa submitteret, quæ cum essent integra, & recentia, & alacrius ipsa pugnarent, & alios iam fortasse pugnando fessos ad eandem alacritatẽ excitarent. Hoc enim vsu ipso venire videmus, vt horum, qui postremi aduenerũt, & maior soleat esse feruor, & ceteris etiam vel imitatione, vel verecundia, vel aliis ex causis animos, stimulosque addere: ex quo fit, vt semper in Dei Ecclesia feruor cõseruetur, dum subinde his quasi igniculis additis instauratur.

De viris sanctitate simul, & doctrina insignibus, qui religiosi fuere.

CAPVT XXV.

QVEMADMODVM in Ecclesię sanctę commẽdatione illud est optimũ inter alia argumẽtũ, quod tam multi eminẽtes viri in ea fuerint, quos vix singulos, multo autem minus vniuersos, errare potuisse credendũ sit, sic mihi videtur idem in religioso instituto valere, cũ tanta præstãtium virorũ multitudo id sequuti sint, vt vel sola eorũ auctoritas satis esse possit ad illud omni laude cumulandum. Est autem eiusmodi hæc multitudo, vt si quasi ratiocinãdo summam

summā eorum subducam⁹, qui in tota Christi Ecclesia, doctrinę simul, atq; sāctitatis gloria floruere, sine vlla dubitatione, maximā partē inueniamus fuisse ex religiosis. Quod si in eis hoc effecit religio, vt tantā excellētiā huius vtriusque boni adipiscerētur, quid ea melius, aut quid vtilius? Sin illi aliunde ad religionē bona illa attulerunt, hęc tamen magna esset religiosæ vitæ laus, quod tal es, & tanti viri eā viuēdi formulā tenuissent, quorum vestigiis insistere, non possit non esse tutum, & laudabile. Ac si vrbibus, & nationibus integris gloriosum est, vnum, aut alterū ciuem habuisse, qui vel doctrina, vel militari gloria excelluerit, & quib⁹ id cōtigit, eorū memoriā ex annalib⁹, & antiquitate iactare solent, quasi vnius virtus ad cōmunē laudem pertineat, quanto magis gloriari posset Religio tā multis, tāque præstantibus alūnis: præsertim quod Romæ, vel Athenis nasci, casus quidā fuit, neq; id eius, qui nascitur, iudicio fieri potuit. At vero, quod hi viri religiosum statum expetierint, id ab iis certo consilio, ac iudicio factum est, quod eius bonū cognoscerēt. Itaque quantacumque est eorum auctoritas, ea tota religionis dignitatem exornat, primum quod numquam ij tale institutum adamassent, nisi merito amandum cognouissent, deinde quod ad illius per se dignitatem ipsi quoque aliquid splendoris suo splendore attulerunt. Innumerabiles autem fuere religiosi, viri magni, & hominum quoque opinione, ac fama celeberrimi: nos tamen nō omnes hoc loco commemorabimus, quod esset infinitum, sed eos tantum, qui præter eximiam virtutem, insuper etiā doctrinā, & eruditionem excellētem adiunxere: atque ex his etiam ipsis præcipuos tantum ex omni ætate delibabimus, Græcos prius, deinde Latinos. Primum autem offert se Serapion antiquissimus, nempe anno post Christum natum CXCIII. qui, vt traditur, adolescens adhuc monastica vita excultus, postea etiā Patriarcha Antiochenus octau⁹ à Petro Apostolo, suorū temporum doctissimus, & eloquētissimus fuit, & multa ad aliorū vtilitatem egregie cōscripsit. Huic similis aliquāto post Pamphilus fuit anno CCXL. ipse quoque sui seculi eruditissimus habit⁹, de cuius etiā nobili bibliotheca mentionem facit Hieronymus. Atque hic etiam à Maximiano ob Christi fidē occisus, religionis laudem martyrij gloria cumulauit. Aequalis pene Pamphilo fuit Lucian⁹, ipse quoque ab ineunte ætate monachus, quē scribit Suidas doctrina clarū Antiochiæ ludum aperuisse.

De scri-pt. Eccl.

ex quo multi insignes viri prodierint: atque hic ad extremũ ab eodem Maximiano fame extinctus est, cum in carcerem coniecto nullum cibum præter carnes idolis immolatas præberi iussisset. Commemorabilis etiam fuit Ioannes Climachus annum circiter CCCXL. qui vixit in monasterio montis Sinai, suaque tempora illustrauit non vita solum, sed scriptis etiam, & sermonibus. Nec minor isto Effren Syrus, is qui Basilium inuisens, reuelatione diuina ab ipso cognitus est; à quo presbyter ordinatus, numquam adduci potuit, vt sacrificaret, tanta erat in eo humilitas: alteri tamen eius muneris parti egregie satisfecit, populos docendo, & instituendo, in quo ita valuit eloquentia, vt inter disertos sui seculi esset clarissimus. Multa etiam scripsit, quæ, vt ait Hieronymus, in plerisque Orientis Ecclesiis, post scripturarum lectionem publice recitabantur. *Ibidem.* Sed nihil ita fulsit illis temporibus, vt Basilius ipse, & Gregorius Nazianzenus, doctrina æquales, amore, ac vita coniunctissimi. Nam cum Gregorius Athenas petens magna in mari tempestate iactatus, monasticam vitam vouisset, si incolumis euaderet, id deinde studiis absolutis cum perficere decerneret, Basilium etiam, cum quo familiarissime vixerat, quasi manu iniecta, secum abduxit. Itaque per tredecim annos in monasterio solis diuinæ Scripturæ libris, ac Theologiæ operam tantam dederunt, quantam postea orbis terrarum sensit: donec Basilius quidem Cæsareæ, Gregorius Nazianzi, deinde etiam Constantinopoli Episcopus factus est. Quæ vero vterque egerint, quæ pertulerint, quæ etiam scripserint, superfluum est recensere, cum sint omnia notissima. Illud ergo hic tantummodo addendum puto, adeo monasticæ vitæ amorem ambos retinuisse, vt Basilius semper eius officia vna cum Pastorali cura obierit, Gregorius etiam relicta ea cura, domum sese ad priuata monachi studia retulerit, in quibus vsque ad extremum spiritum se exercuit. Nec mirum: videmus enim quæ ipsemet de se scribat in quadam oratione; vbi hanc ipsam rationem reddit, cur Episcopatu, qui ei offerebatur, repudiato, fugisset in Pontum, quoniam adeo hac religiosa vita delectaretur, vt ab ea separari non posset; quam, inquit, vitam cum iam à primis annis adamassem, sic vt vix quispiam eorum, qui literis operam dederunt, eámque in grauissimis periculis Deo vouissem, immo etiam hactenus velut è limine, & vestibulo contigissem, ipsáque eius experientia maiori ipsius amore, & desiderio flagrarem, non tuli

me ab ea tanquam ab aſylo euelli. His vero proximus fuit Epiphanius, vir plane magnus. hic parentibus Iudæis ortus, cum Luciano monacho occurrens, lucidum globum ſuper eius caput deſcendentem vidiſſet, ita non ſolum Chriſtianæ, ſed etiam monaſticæ religionis amore exarſit, vt ei ſtatim adiungi, & in eius monaſterio Deo famulari voluerit; quod quidem monaſterium antea obſcurum,& ignobile, is deinde maiorem in modum illuſtrauit. Denique cum ad Epiſcopalem curam poſtulatus, naui, quæ primum occurrerat, fugiſſet, incidit in illam ipſam moleſtiam, quam ſummo ſtudio vitabat. Nam in Cyprum inſulam delatus, Salaminæ, vbi de eligendo paſtore agebatur, diuino admonitu, omnium ſuffragiis, ei muneri inuitus, ac repugnans conſecratus eſt. Quid autem de Chryſoſtomo dicemus, cuius ætas in hoc idem tempus incidit, nempe in annum C C C C. de quo hoc accepimus, cum adhuc in ſolitario quodam monaſterio verſaretur, aſtitiſſe Angelum Flauiano Patriarchæ Antiocheno, cum magna luce, qui iuſſerit, vt Ioannem adiret,& ſacerdotem inſtitueret, atque eadem etiam hora Ioanni ipſi ſe oſtendiſſe, & mandaſſe, vt Flauianum ſequeretur: quare cum annis duodecim ſtrenuam illi Eccleſiæ operam nauaſſet, deinde Conſtantinopoli Archiepiſcopus factus, tam multos labores, & moleſtias, ſcribendo, dicendo, & communi bono prouidendo pertulit, ita etiam exagitatus eſt inimicorum inuidia,& principum, quibus audacter reſiſtebar, potentia, vt in exilio, & in magnis ærumnis mortuus, iure præter alias laudes, martyr quoque appellari poſſit. Notus eſt etiam Ioannes Damaſcenus anno circiter D C C X X X. cuius traditionem tanta, quæ adhuc extant, opera teſtantur, ſanctitatem autem vita ipſa magno præſertim humilitatis, ac mortificationis fundamento nixa. Atque hic etiam quantuſcunque fuit, à monacho altero factus eſt, qui, vt ſcriptum eſt, in Syriam captiuus abductus, & huic Ioanni magiſter datus. eum breui ſua omni doctrina imbuit. Fuere etiam alij minus quidem celebres, quam quos adhuc diximus, ſed inſignes tamen, & magni, vt Nilus, vt Iſacius, Eutymius, Tiadenus, vt Anaſtaſius, quibus extremo loco numerari etiam debet Beſſarion, is qui anno M C C C C X X X I X. in Concilio Florentino præcipuus auctor fuit conciliandi Græcos cum Latina Eccleſia, atque Epheſinum Epiſcopum, qui ſolus diſſenſerat, voce, ac poſtea etiam libro ſcripto acerrime confutauit, certe inter doctiſſimos illius ætatis

habitus,

habitus, cui doctrinæ cum hæc pietas, ac zelus accederet, ab Eugenio IIII. Cardinalis creatus, maiora deinceps in Ecclesiæ vtilitatem perfecit.

Hæc igitur de Græcis. Inter Latinos autem primus locus merito debetur duobus illis Ecclesiæ luminibus Hieronymo, & Augustino. Nam de Hieronymo quidem hoc constat, ab ineunte adolescentia eum monachi vitam egisse, neque vnquam mutasse, quamuis vel Romam, vel Antiochiam, aut ad alia loca peregrinatus sit. Quare cum eum Paulinus Episcopus rogaret, ac pene cogeret ad sacros ordines suscipiendos, assensit quidem, sed ea conditione, ne monasticam professionem desineret, quod ipsemet ad Pammachium scribit, adiungens, noluisse id à se sub presbyteri nomine tolli, propter quod seculum reliquerat. Itaque numquam se, quamuis sacerdos factus, in cleri ordinem traduci passus est, nec suam operam concionibus ad populum habendis impendere voluit, licet multum de eo ab Epiphanio rogatus, vt ipse narrat in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum. Deinde multo maxime vergente iam ætate Hierosolymam reuersus, cum Paula suis opibus ad Domini præsepe duo monasteria ædificasset, vnum fœminis, alterum viris, in hoc sibi sedem fixit, idque etiam propriis deinde sumptibus amplificauit. Ita enim ipse testatur, hac se causa Paulinianum fratrem in patriam misisse, vt semirutas villulas, quæ barbarorum manus effugerant, & reliquum patrimonium venderet, quo confluentes de toto orbe monachorum turbas, quibus, vt ipse ait, pene obruebatur, excipere posset hospitio. Quod vero huius etiam loci gubernationem ipse sustineret, declarat id quod Hieronymus idem alibi scribit, se ob multitudinem aduentantium, & ob sanctorum fratrum, monasteriique curas, commentarios in Hieremiam per interualla dictasse. De Augustino autem etsi ex aliis scriptoribus, & potissimum ex Posidonio, satis est notum, iuuat tamen ipsius verba de re hac cognoscere. Ego, inquit, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus loquutus est, quando ait diuiti adolescenti, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante, feci. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem ego noui, quam quisquam alius homo, sed magis Deus, quam ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes,

Epist. 61. *Epi. 60.* *Epist. 26.* *In proœm. libr. 4. in Hierem.* *Epi. 89. quæst. 4.*

quibus hoc per meum ministerium persuasum est. Alio autẽ loco quid hoc nomine audiret ab hæreticis, ita indicat, Perrexit ore maledico Petilianus in vituperationem monasteriorum,& monachorum, arguens etiam me, quod genus huius vitæ à me fuerit institutum: quod genus vitæ omnino quale sit, nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit. Quid igitur maius, aut honorificentius de religioso statu prædicari potest, quã quod hi duo tales,& tanti viri eum statum amplexi sint, idque tanto studio, & amore, quantum ipsimet profitentur? Nam si ingenium quærimus, nihil acutius; si doctrinam, nihil eruditius; si docendi, aut scribendi facultatem, nihil vberius; si vero virtutem, nihil sanctius: denique si auctoritatem, nihil grauius vtroque in vniuersa Ecclesia vnquam extitit, aut existet vnquam. Paulinum etiam Nolanum, vel potius Vasconem (nam hic patriam, illic Episcopatum habuit) monachum fuisse ex Hieronymi epistola intelligi potest, qua eum vt adhuc monachum, nondum Episcopum instituens, & laudat, quod tunicam cum animo mutarit, seque pauperem spiritu, & operibus glorietur, & monet, vt secularium, maximéque potentium hominum consortium deuitet. Quid enim, inquit, tibi necesse est ea videre crebrius, quorum contemptu monachus esse cœpisti? Atque huius quidem quanta, & quam elegans doctrina fuerit, ipsius opera testantur, pietatem autem admirabilem, tum alia eius facta, tum illud præcipuum; quod seipsum pro viduæ filio redimendo barbaris vendi voluerit, quod factum adeo luculente,& quidem merito ab Augustino,& Gregorio celebratur. Inter hos magnos, & excellentes huius ætatis viros nihil dubitarim connumerare etiam magnum illum Martinum Turonẽsem, quoniam etsi non tam doctrinam habuit, quæ in scholis acquiritur, ea certe abundauit, quæ de cœlo demittitur; idque ita, vt conciones, & quasuis disputationes, & omnes denique Episcopalis officij functiones tam præclare sustineret; quod quidem sine doctrina fieri non potest. Hic igitur vir tantus Mediolani primum, deinde ab Auxentio Arriano hinc exturbatus, alterum apud Pictauos monasterium instituit, tertium Turoni iam Episcopus: vbi quamquam Episcopus, tamen, vt Sulpitius eius familiarissimus scripsit, religiosam nihilominus disciplinam vna cum aliis octoginta monachis ad extremum vsque spiritum seruauit, in summo paupertatis rigore, cum tamen plerique inter eos essent nobiles, & molliter educati.

3. Conci. Petil. c. 40.

Epist. 13.

1. Ciuit. cap. 10.

3. Dialo. cap. 2.

educati. Eisdem quoque temporibus viguit Ioannes Cassianus, genere Scytha, stylo cum primis Latinus, qui prius Chrysostomi discipulus, Massiliæ deinde monasterium ædificauit, in quo instituendo, ac regendo non est dubitandum, quin re ipsa explicarit quæcunque ex sanctorum Patrum congressu, ac sermone scriptis mandauerat: quæ scripta quantam perfectionem complectantur, notum est omnibus. Eucherius autem ille Lugdunensis ex Lyrinensi cœnobio ad pastoralem curam euocatus, & suo tempore, annum circiter C C C C L. illustris admodum fuit, & est adhuc nostro, ob multos, & doctos libros. Ei fere æqualis fuit Prosper Episcopus Rhegiensis, quem antea monachum, atque etiam Leoni Magno à secretis fuisse, eiúsque nomine multas epistolas scripsisse tradunt historici. Paucis vero post annis, id est circiter annum quingentesimum, Fulgentij quoque nomen in Africa, quamquam non in sola Africa, sed in toto orbe viguit, qui multa doctissime egit, & scripsit præsertim aduersus hæreticos, multa etiam fortissime ab eisdem pertulit: religiosam vero vitā adeo complexus est, vt etiam in ipso Episcopatu semper retinuerit. Nec minor, quā hic Cassiodorus fuit, antea Rauennæ vrbis Senator, & Theodorici Italiæ Regis Cancellarius, à quo post occisum Bohetium abhorrens, eúmque vna cum mundo deserens, Classense monasterium ex Benedicti instituto adhuc admodum recenti fundauit, eique se insuper dicauit, vir in omni prius seculari litteratura peritus, postea vero etiam diuina; quod adhuc eius opera ostendunt. Vixit anno Domini D L. Gregorium vero magnum, qui annis post hunc quinquaginta fuit, quis digne laudare possit? aut quis satis admirari illam sanctitatem, illam etiam doctrinæ vbertatem, quæ se per tot libros ad mortalium vtilitatem effudit? Sed de hoc alius etiam erit dicendi locus inter Pontifices. Atque huius etiam ætate vixit Gregorius ille Turonensis, ad eam cathedram ex monasterio euectus, cuius doctrinæ multa adhuc extant monumenta. In Hispania autem religionem in primis ornarunt Eutropius, qui ab ineunte ætate Christo se consecrans, postea ex Abbate Valentinus Episcopus creatus est, anno ferme sexcentesimo decimo: tum Isidorus, cui post vitam diu in religioso ordine actam, Hispalensis cathedra mandata est, anno sexcentesimo nonagesimo. Cuius discipulus, ac virtutis quoque imitator fuit Ilefonsus, eáque disciplina ita profecit, vt deinde Toletanæ Ecclesiæ

præfectus sit. Huius autem pręclara opera adhuc in manibus sunt, & inter alia liber de virginitate Mariæ, cuius ille præcipuus cultor fuit: quo libro absoluto, ferunt ei se Virginem visendam præbuisse, cum codicem manu teneret, eiusque studium in se ornanda collaudaret. Illustris etiam fuit in Gallia eodem plane tempore Cæsarius monachus prius, & Abbas Lyrinensis, postea episcopus Arelatensis, vir doctus, & sanctus, atque, vt constat, magna dicendi facultate instructus. Habuit etiam Anglia insignes homines ex iisdem institutis, & in primis Bedam, quem anno salutis DCCXXXIII. ex hac vita migrasse accepimus. Hic ab anno ætatis suæ septimo, quo in monasterij disciplinam traditus est, vsque ad nonagesimum secundum (tot enim vixit) hoc omne tempus in vno pietatis ac doctrinæ studio consumpsit; itaque tā multa volumina scripsit, & tam docte scripsit, vt pene alter Augustinus habeatur. Quāta vero esset eius auctoritas apud omnes, illud indicat, quod adhuc viuentis & superstitis scripta in tota Anglicana Ecclesia, perinde ac sanctorum Patrū publice legi solebant: quibus quoniam nondū Sancti, qui scilicet in terris degeret, nomen addi poterat, addebatur Venerabilis, eoque factum est, vt etiā illo mortuo, is tamen titulus in eius operibus permanserit. Quod autē vulgo dici solet, eum oculis captum fuisse, omnino falsum est cōmentitium. Atque in eadem Anglia affulsit etiam Anselmus annum circiter MLXXX. qui primū monachus, deinde Cantuariensis episcopus, tum sancte viuendo, tum etiā erudite multa scribēdo, quæ scripta adhuc extant, magnā sibi, & religioso nomini gloriā peperit. Præter hos alij quoq; multi extitere in omnibus familiis, qui virtutis excellentiam cum eruditionis excellentia coniungentes, luxere, & nunc etiam lucēt in Ecclesia Christiana, quasi stellæ ad illuminandā huius nostræ peregrinationis noctē. Quid enim sancto Thomæ Aquinati, quid Bonauenturæ & aliis pluribus defuit ad sanctitatē, vel ad sciētiam, vt veteribus illi comparari non possint? Sed hi recentiores, & alius erit de iis dicendi locus. Nunc ita hoc caput cōcludendum est, vt cum gaudio, & cum admiratione agnoscamus, quos heroas, vel vt Paulus loquitur, quas columnas religiosa instituta Ecclesiæ sanctæ suppeditarint, quibus & instituta hæc mirum in modum ornarentur, & ipsam Ecclesiam suo ornatu exornarent. Nam si aduertamus, ex quatuor Gręcis Doctoribus tres religiosos, tres item ex quatuor Latinis fuisse reperiemus: ex reliquis autem sanctissimis quibusque, & doctissi-

Gal. 2.

& doctissimis viris, multo maiorem horum fuisse partem.

De viris principibus, qui religiosam vitam duxere.

CAPVT XXVI.

SVNT quidem apud Deum animæ omnes, vt æqualis naturæ, sic etiam æqualis pretij, & potius si quod videatur ab illo discrimen seruatum, hoc seruatum est, vt magis pauperes eligeret, quam diuites, magisque contemptos, quam honoratos in seculo. Sed tamen fit nescio quomodo, vt quo illustriori, & clariori quisque ortus est sanguine, eius virtus maiori plausu excipiatur, siue quia res difficilior, siue ob eam causam, quam reddit Augustinus. *Con.8.c.4.* quia cum multis noti sint, multis sunt auctoritati ad salutem, & multis præeunt sequuturis, ideóque multum de illis gaudetur, quia non de solis gaudetur. Et plus hostis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures tenet: plus autẽ superbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Hanc igitur ob causam infinita Dei bonitas multos quoque eiusmodi ad religiosum famulatum elicere voluit, tum ne potentes, vt ait Iob, abiecisse videretur, cum sit ipse potens, tum etiam religioni hæc quoque laus deesset, vt seculari quoque nobilitate ornaretur: denique vt *Iob. 36.* eo etiam vis diuinæ gratiæ illustrior esset, si tam magna vincula, quibus eiusmodi homines illigantur, dirumperet. Ex quo illa sunt, quæ S. Bernardus ad manum quandam nobilium nouitiorum, qui Cisterciensi instituto recens se tradiderant, in epistola quadam scribit. *Ep. 109.* Legeram, inquit, non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus. At nunc præter regulam, mira Dei potentia, talium conuertitur multitudo. Vilescit gloria præsens, iuuentutis flos conculcatur, non reputatur generositas, sapientia mũdi stultitia iudicatur, non acquiscitur carni & sanguini, parentum, & carorum renunciatur affectibus, fauores, & honores, & dignitates reputantur vt stercora, vt Christus lucrifiat. *Ep. 26.* Atque eadem est etiam admiratio Hieronymi de sua ætate. Nostris, inquit, temporibus Roma possidet, quod mundus ante nesciuit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles, Christiani: nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles. Igitur hoc ipsum tractandum iam est, atque ex historiis eorum nomina eruenda, qui mundo triumphato, iisque honoribus, ac titulis, quos mundus maximos reputat, relictis, de cõtemptu gloriæ, vt ait Bernardus, gloriosius sublimati, & sublimius

gloriati sunt. Primum autem dicendum de imperatoribus, deinde de regibus, postremo etiam de aliis minoribus principibus: quæ narratio, si erit paulo longior, facile, vt spero, iucunditate compensabitur, ita vt etiam breuior iudicetur. Ergo imperatores, qui monasticam vitam professi sunt, plures quidem in Græcia, vt legimus, extitere, vt Anastasius anno Domini D C C X V. Theodosius paucis post annis, Michael anno D C C C. & alter Michael anno MXL. Isaacius etiam Commenus anno M L X. & præterea nonnulli: sed qui eorum ferme alij aliqua vi coacti eam professi sunt, alij quamquam libere, tamen non eam quam debebãt, cum Latina ecclesia coniunctionem tenuerunt, ideo iis de industria omissis, duos tantum ex Occidente commemorabimus, quo imperium anno demum D C C C. à Leone I I I. Pont. in Carolum magnum Franciæ regem translatum est. Alter igitur fuit Lotharius, is à quo Lotharingia nomen accepit, cũ antea Austrasia diceretur. Hic eo honore quindecim annis iuste, & pie administrato, recordatus, vt creditur, sermonis, quem Ludouicus ipsius pater moriens habuerat, de mundi vanitate, quam scilicet ipse quoque experiendo cognorat, humana omnia deserere constituit, atque ex illis imperij fluctibus in portum se religiosæ quietis recipere. Quamobrem, mirante toto orbe terrarum, in Premensi monasterio se conclusit, vbi reliquam vitam transegit in paupertate, & obedientia. Vixit hic anno ferme D C C C L X V. Alter fuit Vgo anno DCCCCXX. qui simul Prouinciæ rex, idemque Imperator, multis rebus bello præclare gestis, multis cumulatus victoriis, amplissimo denique cœnobio ædificato, ipse quoque in eo Christi humilitatem complexus, imperatorias opes, ac purpuram cum vili tunica, & solitaria cella libentissime commutauit.

Zonaras to. 3.

Inter reges primus, quod sciam, in Italia monachus factus est Rachisius ex Longobardorum gente, ita potens, vt bona Italiæ parte potiretur. Hic, vt putatur, ex colloquio cum Zacharia Pont. qui anno D C C X L I. Romanam sedem tenuit, habito, ita immutatus est, vt Perusia, quam obsidebat, relicta, Papiam reuersus, regnoque constituto, & in manus Astulphi fratris tradito, in Cassinense monasterium se receperit; quo etiam in loco postea creditur Abbas fuisse. Hunc anno D C C C V. imitatus est Pipinus rex item Italiæ primogenitus Caroli Magni Galliæ regis, qui cum magnum nomen militari gloria sibi peperisset, ad extremum

territus

territus periculis, quæ in illa potẽtia inesse videbat, ad cœnobij claustra perfugit, quod ipsemet Veronæ S. Zenonis nomine ædificarat, iustisque redditibus stabilierat. In Hispania vero Bamba cum per vndecim annos, quibus regnauit, strenuus & domi, & foris fuisset, & inter alia ducẽtas Africanorum prædonum naues depressisset, tum etiam Paulum regẽ ex Gallia irrumpentem viuum cepisset, omnia hæc tamen monasticæ vitæ posthabuit, qua suscepta, post septẽ annos sancte exactos, ad præmium euolauit, anno ferme salutis DCLXXIIII. Anno autem DCCLXXXVI. eadem Hispania alterum eius rei exemplum vidit in Veremundo Castellę rege, de quo hoc etiam traditur, quod Alphonsum potius consobrinum, quam duos filios ætate adhuc teneros, sibi sufficiẽdum putarit, cum ita subditis magis expedire iudicasset, ne à pueris regerẽtur. Ac circiter annũ M C L. Ramirus rex Aragoniæ bis monachus factus est, primũ adolescens, Sanctio patre superstite; deinde cũ eo sine liberis defuncto, Petrus quidam suffragiis electus non multo post propter superbiam, & arrogantiam expulsus esset Pontificis summi auctoritate, Ramirus iste è cęnobio eductus, iterum purpura, & sceptro illigatus est, insuper etiam vxore. Ex qua deinde cum filiam suscepisset, ea in matrimonium collocata, regnoque in dotem tradito, ad sui se monasterij quietem, quasi graui quodã opere perfunctus, retulit. Feracior tamen horum exemplorum Anglia fuit, quam quæuis alia prouincia. Primum enim in ea Angliæ parte quæ Nortumbria dicitur (erat enim tunc dissecta in plura regna) Sigibertus rex tum literis, tum multo magis pietate præstans, annũ circiter D C X L. multa pri⁹ in regno suo ad Dei cultum promouẽdũ præclare constituit, deinde se quoque ipsum eidem Deo consecrauit in monasterio. De quo hoc etiam memorabile fertur, cum aliquanto post tempore Fendas Merciæ rex Nortumbriam cum magnis copiis inuaderet, omnes se ad eum conuertisse, ac denique etiam compulisse, vt totius regni propugnationem in tanto periculo ad Dei gloriam resumeret: illum autem ob rei Christianæ causam, profectum quidem esse in castra, sed eodem habitu, quo in monasterio, cum virga tantum, quam inermis manibus gestabat, exercitum moderaretur. Sed tamen cum, Deo sic volente, Christianorum exercitus à barbaris illis fusus esset, ipse quoque vna cum rege cæsus, eam ob causam nonnullis inter sanctos martyres referendus visus est. Similis huic Elteredi pietas Merciæ regis anno

 DCCIIII.

DCCIIII. qui regno pluribus annis cũ summa religione administrato, Chenredo fratris filio pene puero id relinquẽs, ipse cœnobium, quod erat in eadem eius ditione, petiit, in quo ita virtutibus profecit, vt etiam deinde Abbas factus sit. Ipse vero Chenredus posteriorem vitam patruo magis inuidens, quam priorem, cum annis tantum quinque regnasset, Romam profectus, à Constantino I. Pont. habitum monasticum suscepit, reliquumque vitæ in ea vrbe cum summa sanctitate transegit. Porro huic Chenredo tum itineris, tum consilij socius fuit Offa rex alter orientalium Saxonum in eadem Anglia, qui item in ipso ætatis flore, in summa mundanæ felicitatis abundantia, omnia spernens, ac conculcans, ab eodem Constantino detonsus, tunicaque monastica ornatus est. Nec multo post, id est anno DCCXL. Inas rex item horum Saxonum, artibus belli, & pacis inclytus, pietate autem in Romanam sedem adeo memorabilis, vt totum suum regnum ei tributarium sua sponte fecerit: hic igitur Romam ipse quoque se contulit, atq; vt nudum Christum nudus, & expeditus sequeretur, regno se exuens, religiosam vitam cum magno animi feruore agressus est. Idem fecit Nortumbriæ rex Ceolulfus, ille cui Beda suam inscripsit historiam. Is cum annis octo imperasset, quasi fessus, & quietem expetens, ad religionem fugit: regnum autem Egberto patruo reliquit, quod ille cum annis viginti tenuisset; deniq; idem quod Ceolulfus consilium in eodem etiam monasterio sequutus est. Hæc in vna Anglia. In Germania quoque illustre fuit Carolimanni factum, eius qui Caroli Martelli filius fuit. Hic enim Austrasiæ, & Sueuiæ rex multisq; operibus clarus, deinde cœlestium amore captus, Romã priuatus & pauper venit, vbi à Zacharia Põtifice sacros ordines, & religiosũ habitũ accepit, deinde cęnobio in Soracte monte ædificato, illic aliquandiu habitauit. Sed cum propter Vrbis propinquitatem à multis viseretur, quod illius spiritualem quietẽ interturbabat, trãstulit se in Cassinatem montem, vbi à Petronace Abbate summo cũ gaudio exceptus, mirabiles progressus in omni virtute, ac præsertim humilitate effecit. Certe in eius cęnobij annalibus adhuc legitur, eum, cum Abbatis iussu, vir tantus, pecudes pasceret, tanta alacritate id munus obire solitum, quanta numquam antea regium: quinimmo cum aliquando contigisset, vt vna ex ouibus claudicaret, in humeros sublatam ad stabulũ vsque detulisse, nec eius ministerij sordes auersatum. Vixit Carolus hic annum circiter

salutis D C C L. Quid autem dicemus de Trebellio Bulgarorum rege, qui anno D C C C L X I I. opera Nicolai I. Pont. Christianam amplexus est fidem tāto ardore, vt statim Photinum hæreticum exegerit, deinde filio regnum tradens, Dei famulatu se obstrinxerit. Verum cum paulo post filium ad pristinam impietatem reuertisse cognouisset, vehementer indoluit, tantúmque in eo potuit zelus, vt monasterium egressus, regno recepto, iuuentem in potestatem redactum luminibus orbarit, insuper etiā perpetuo carcere mulctarit, denique regnum Alberto minori filio cum salutaribus monitis consignans, ad suam se recepit cellam. Atque hi ferè reges monasticam disciplinam amplexi traduntur, & ij quidem, vt apparet, antiquiores: nam recentioribus seculis talia virtutis exempla rariora omnino fuerunt. Et tamen Franciscanum ordinem, vt accepimus, ingressus est Ioannes Brena rex Hierusalem, & Imperator Constantinopolitanus, cum S. Franciscum clare inter orandum vidisset suum sibi habitum offerentem. quare, vocato statim Confessario, habitum illum induit, nec multo post febre correptus, quasi vndecima hora adueniens, denarium tamen accepit. Felicior Henricus rex Cypri, qui pluribus etiam annis in eo constituto vixit, nec solum virtutibus, sed miraculis etiam effulsit. Denique ex hoc numero Ioannes etiam Armeniæ rex fuit, qui Leoni nepoti regnum relinquens, quod ita amplum fuisse scribunt, vt quatuor, & viginti reges sub potestate haberet, qui omnes diademate vterentur: hic igitur tantum regnum deponens, elegit abiectus esse in domo Domini, & pro eius amore seruire, qui aliis imperauerat. Verum cum Turcæ in eam prouinciam irrumperent, nec posset Leo resistere, Ioannes Dei causam agi videns, armis nouo more super religiosam tunicam iniectis, perrexit ad bellum, in quo Christi hostes ex finibus suis cum magna strage eiecit ille quidem, sed dum victoriam sequitur, ita Domino visum est, vt in pugna quadam occisus ad cœli præmia euolaret.

His proximi sunt regū filij, ex quibus complures sanè religiosam vitam omnibus honoribus prætulisse cognouimus. Primū enim vnus ille Carolus Magnus tres filios monachos habuisse traditur, Vgonem, Drogonem, Pipinum, quorum duo quidem priores, sua hoc omnino sponte fecerant, hic tertius à patre primum coactus ob regni affectati pœnam, postea vt requiem gustauit, quod esset bona, etiā ipse libenter. Vixerunt omnes circiter annū D C C C X X X. Vibeano quoque

detineretur, apparuiſſe ei ferunt nocturno quodã viſo ipſum B. Ludouicum cum aliquot fratribus ex eodẽ ordine multa gloria collucentibus, eúmq; animaſſe ad eam vitã complectendam, in qua tantum eſſet præmij, ac mercedis: quod ille breui exequutus, viginti annos in religione vixit, nõ ſuo tantum, ſed aliorum etiã multorũ profectu, quod dicendo valeret, & multos ſuis cõcionibus ad Dei amorem inflammaret.

Iam verò Duces, ac dynaſtæ, inferioréſque principes, qui religionem profeſſi ſunt, ne numerari quidem, aut nominari omnes poſſunt: aliquos tamen curſim indicabimus. Nam ex hoc genere fuit Algerius, vt accepimus, Dux Aquitaniæ vna cum Amando filio, anno CCCCXXXIX. itémque Anſelmus Dux Mutinæ, DCCXL. Dietlandus, & Ancigradus Duces Sueuiæ, DCCCXV. Vigeſius Dux Spoleti, DCCCXX. Gulielmus Dux Vaſconum, CCCCXL. & poſt hunc alter item Gulielmus eiuſnominis ſecundus, anno DCCCCCXII. de quo hoc quoque ſcribitur, cum in Cluniacenſi cœnobio Deo militaret, ita humilitatem coluiſſe, vt ſe infimo cuique ſubiiceret: quin etiam cum ab Abbate panem coquere iuſſus eſſet, tantam celeritatem in obediendo adhibuiſſe, vt in feruentem furnum ingreſſus, quia ſcopæ ad manum non erant, ipſa veſte pauimentum illæſus, & intactus purgauerit. Sunt præterea alij quoque huius ordinis quamplurimi, quos monachos fuiſſe legimus; ſed his breuitatis cauſa prætermiſſis, paucos ex Franciſcanis adiiciemus, & in primis Gulielmum Burgundiæ Ducem, & Conſaluum Marinum Luſitanum, tum Adulphum Alſatiæ comitem, qui anno ferme MCCL. ordinem hunc ingreſſus, inter alias virtutes, magnopere mortificationem exercuit; nam cum aliquando in ſua ipſa ciuitate lactis lagenam, quam mendicato acceperat, deferens, tribus filiis, quos in ſeculo reliquerat, magna cum pompa incedentibus occurriſſet, atque ob eam rem neſcio quo pudore perfundi cœpiſſet, ita ſeipſum vicit, vt elatam ſuper caput lagenam inuertens, ſe totum lacte madefecerit. Atq; his quidem hominibus familia illa non parum abundauit. In noſtra autem hac minima Societate Ieſu, paucis his quibus ſtetit annis, non paucos ex huiuſmodi nobilitate à Deo vocatos videmus. Præcipuus autem fuit inter hos Franciſcus Borgia Dux Gandienſis, qui ampliſſimis in Hiſpania apud Carolum V. perfunctus honoribus, magna hominum admiratione, omni mundano faſtu depoſito, religioſam humilitatem amplexus eſt, in qua etiam mirabiles

mirabiles progreſſus fecit. Cur autem Societatem hanc potiſſimum, præſertim recentem, & adhuc nouam elegiſſet, eam ipſemet Carolo V. reddidit rationem, quàm ego ipſe ex eo audiſſe me memini; vt ſi quis eſſet, qui præter multas, quas poſſideret, vineas fructuoſas, hortum quoque ad ſuam oblectationem plantare decerneret, nihil ei ab vllo gratius fieri poſſet, quam ſi ſurculum, aut arborem donaret ad illum conſerendum: ſic cum Dominus, quaſi poſt tot veteres, ac nobiles aliorum ordinum vineas, nouiſſime hunc Societatis hortulum inſtitueret, viſum ſibi eſſe, ſe rem illi gratiſſimam facturum, ſi ſe ipſum quaſi arborem qualemcumque hoc ipſo loco offerret. Huic ſimilis, id eſt ex eodem Ducum ſanguine, fuit etiam in eadem Hiſpania Antonius Corduhenſis Ducis Feriæ filius, vir ſingulari pietate, in Italia verò Rodulphus Aquauiua filius Ducis Atrienſis; cuius familiæ antiquus & præcipuus eſt ſplendor in toto regno Neapolitano. Atque hic quidem tanta ſpiritus abundantia à Deo vocatus eſt, vt nulla vi, quæ multa ad eum impediendum a multis adhibita eſt, retineri vnquam potuerit. Deinde cum breui in omni virtute magnopere profeciſſet, ad Indiam Orientalem ipſius precibus pene importunis deſtinatus eſt, vbi ita eius ſanctitas eluxit, vt non modo noſtris, ac reliquis externis Chriſtianis, ſed ipſis quoque ethnicis admirationi eſſet, vulgóque Angelus nominaretur: ad extremum verò in Salſetanas inſulas rei Chriſtianæ cauſa miſſus, ab incolis Maumethanis pro fidei propagatione interemptus eſt, cum aliquot ſociis: quo præclaro exitu reliquam vitam, & religioſas omnes virtutes veriſſimi, & glorioſiſſimi martyrij corona exornauit. Sunt præterea in hac eadem Societate noſtra eiuſdem fere nobilitatis alij ſatis multi, tum Ducibus, tum Marchionibus, tum aliis etiam principibus viris prognati: ſed quoniam adhuc viuunt, & nos cum ipſis aſſiduè viuimus, nec illorum pudor, nec noſter eos à nobis nominari patitur, itaque monet Sapiens, cum ait, Ante mortem ne laudes hominem quemquam. Quamobrem his omnibus omiſſis, vnū modo commemorabimus recens mortuum, Andream Spinulam, virum primarium tum Genuæ ob ſanguinis claritatem, tum Romæ ob eam dignitatem, quæ poſt Cardinalatum prima habetur, & quaſi ianua ad Cardinalatum, quem ille, & iam adeptum, & poſtea ſperatum honorem contemnens, ad religioſam diſciplinam ſeſe demiſit adeóque ſeculum, & ſeculi vanitatem irriſit, vt non multo poſt bis ſe Vrbi ſpectandum

Eccl. 11.

spectandum præbuerit, cum in attrita lacerna panem mendicaret. Quod eius factum tantopere suspexit Roma, vt per eos dies nihil ferè aliud in hominum ore esset, ac quidam etiam pro concione illum Esaiæ locum interpretans, Omnis mons, & collis humiliabitur, non dubitarit Spinulā nostrum designare, quasi vnum ex his collibus, & montibus, qui se ipsos Saluatoris exemplo humiliassent. Sed finis sit: nam, vt ante diximus, ex hac nobilitate, & aliis temporibus quàm plurimi, & his etiam nouissimis non pauci extitere, qui mundi procellas, & scopulos fugientes in religionis portum cum gaudio magno emerserunt, vt si omnes percensere velimus, separato, & bene longo volumine opus sit. *Esa. 40.*

De principibus fœminis, quæ religiosam vitam complexæ sunt.

CAPVT XXVII.

POst tot virorum exempla, adiicienda sunt etiam aliqua exempla fœminarum, tum quia non hæ minus religiosum statum illustrarunt, tum etiam ob id, quod quo sexus hic infirmior, eo magis ad viros ipsos in omnem virtutem incitandos valere debet. Primum autem occurrit Theodora Imperatrix, quæ circiter annum Domini CCCCLXXX. Theophilo Imperatori hæretico nupta, integram semper se in fide Catholica conseruauit: eo autem extincto, magnopere etiam eam promouit, restituendis præsertim sacris imaginibus, & reuocandis ab exilio sanctis viris. Denique cum imperium aliquot annis administrasset, tanta potestate sponte cedens, in eodem monasterio, in quo mater eius Trurina iam ante Deo seruiebat, sese conclusit. Eandem pietatem præstitit etiam Augusta Imperatrix, quàm post Isaacij viri obitum ne filij quidem orbitas, & infantia remorata est. Quare cum ei tutoribus aliquot destinatis, sese ex hoc mundo exemisset; contigit deinde vt cum Alexius (id enim filio nomen erat) adolcuisset, administratio tamen imperij ex tutorū manibus eripi non posset. Itaq; eius precibus exorata redijt in palatium, rerúmque habenas resumpsit, nihilo tamen minus in religioso proposito permanēs, ipsasque sacras vittas, ac monasticum cultum retinens, donec etiam gubernatione in filij manibus relicta, ad suū rediit cænobiū, anno ferme MCXC. Atque hæc quidē vtraque in Oriente. At in Occidente Ricardam tradunt Caroli Crassi Imperatoris

ris vxorem, cum ab eo adulterij suspicionem vocata esset, facile quidem crimen diluisse, sed occasione vsam, quam diu optarat, expediendi se ab eius matrimonio, in Halsatiam se recepisse, ibique monasterio ædificato, vitam religiosam in eo aggressam esse, anno D C C C X C I X. Huic simillima fuit causa Cunegundis, anno M C X X X I X. Henrico, qui Angliæ rex primum, deinde etiam Imperator fuit, nupta, à quo se ob eandem suspicionem, ac crimen separans, meliores nuptias cum Christo Domino contraxit Felicior altera Cunegundes, quæ circiter annũ M C X X cum Henrico I. Imperatore pluribus annis perpetuam virginitatem seruauit, quo etiã mortuo quindecim annos in Confugiensi cœnobio transegit, tam excellenti probitate, vt ab Ecclesia in sanctorum numerũ relata sit. Agnes item Henrici I I I. Imp. vxor, eo vita functo, tandiu imperium ex viri voluntate administrauit, dum filius infans ad duodecimum annum perueniret; quo tempore, & imperio, & insuper Bauariæ Ducatu, qui ei proprius erat, relicto, Romam petens, hic monasticam humilitatem professa est, anno M C L V I I. Idem fecit etiam Elisabeth vxor Alberti I. Imp. & Archiducis Austriæ, quo misere occiso, rebus humanis valere iussis, in monasterio ab se extructo cælestem vitã iniit, anno M C C XC. Eam vero sequutæ sunt binæ filiæ, altera Regi Vngarorum, altera Comiti Ottigensi nupta, & binæ neptes, Regina Poloniæ, cum filia, quæ iam Duci Vratislauiæ erat desponsa. Iam ex Reginis, in Italia quidem Tesia primum Rachisij viri, de quo supra dictum est, exemplum sequuta, ne loco quidem longe distare voluit. Vt enim ille in Cassinate monte, ita hæc in proximo monasterio, quod olim Scholastica incoluerat, ab se instaurato, vna cum Retruda filia sese cum insigni pietate abdidit. In Gallia autem anno D X X V. Radegundes cum Clotario regi inuita nupsisset, post aliquot annos facultate ab eo magnis precibus impetrata, Pictauos se contulit, vbi se Deo consecrauit, eo ardore, vt breui ad magnam virtutis perfectionem (ita enim traditur) gradum fecerit. Paucis autem post annis Adoera Chilpericis regis eiusdem Galliæ vxor, vna cum Childerada filia, ad eãdem cœlestis vitæ exercitationem se à regiis deliciis transtulit. Ex hoc numero fuit etiam Batilda, annum circiter D C L. quæ Clodoueo rege mortuo, quasi seruitute liberata, & facultatẽ nacta eius perficiendi, quod ab ineunte ætate concupierat, Caletum abiit, vbi amplificato, quod iam erat, cœnobio, meliori sponso

Christo

Christo Domino adhæsit, insignis omni virtute, ac præcipue humilitate. In Hispania quoque binas reginas hæc eadem consilia sequutas accepimus, alteram Nugnecem, quæ Veremundum virum, de quo antea diximus, & præcessit, & suo etiam exemplo non parum impulit: alteram Terasiam, quæ ab Alphonso fratre Legionensi rege, Abdalæ Toletano regi Saraceno in matrimonium tradita, cum nec precibus, nec contestationibus impedire ipsa potuisset, impediit Deus, qui hominem barbarum grauissimo, ac lethifero morbo percul it, ex quo ille diuinum agnoscens numen, Terasiam intactam remisit, quæ statim in S. Pelagij monasterio optatas cum Christo nuptias iniit, anno M. VI. Porro ex Anglia mirum est, quam multa huiusmodi suppetant exempla, vt Alfredæ Regi Nortumbriæ desponsæ, illo, priusquam congrederentur, occiso, anno D C L X X. vt Etelburgæ, quæ Regem Inam, de quo supra dictum est, & prius consiliis impulit, & postea etiam facto sequuta est. Quid autem mirabilius quā Eteldrada, quæ binis regibus matrimonio coniuncta, cum vtroq; virginitatem seruauit, à posteriore etiam post annos duodecim facultatem obtinuit migrandi inter virgines Deo sacratas? quam facile est existimare qualis fuerit in monasterio, quæ tam sancta fuerit in regno. Atque huius quoque vt sanctæ natalis dies ab Ecclesia commemoratur. Vixit autem anno ferme D C C V I. Eam vero paulo post imitata est Sesburga Cantiensis regina, eius soror, cum marito esset orbata. Extremo loco ne tacenda quidem est Alfreda Merciæ, & Nortumbriæ regina, quæ quasi altera Magdalena culpas priores, ac præcipue iniustam priuigni innocentis iuuenis cædem redimens, duram inter aliquot Christi ancillas pœnitentiam egit in monasterio, quod ipsa suis sumptibus ædificarat, anno ferme D C C C C L X X V. Regum porro filias tum ex hac ipsa Anglia, tum ex aliis prouinciis, quæ se Deo in monasteriis consecrarunt, magnum omnino, & longum opus esset connumerare, tanta earum est multitudo. Quare antiquioribus illis omissis, nonnullas, quarum recentior est memoria, attingemus. Nam ex Prædicatorum ordine tamquam sydus quoddam effulsit in orbe terrarum Margaritæ virtus, quæ ab Vngariæ rege Bela progenita, ex octo, & viginti, quos vixit, annis, vigintiquatuor in religione egit, cui scilicet quadriennis ex parentum voto dicata est. Quamquam in ea quidem minimum fuit sanguinis nobilitas. Multo enim illustrior fuit vitæ sanctitas, & rigor in

corpore castigando, tum perpetuis ieiuniis, tum echinatis flagellis, denique etiam summa quædam humilitas, in curandis præsertim ægrotis, cuius officij studiosissima semper fuit; quæ omnia erant in illa longe mirabiliora, quam ipse regius sanguis. Hunc vero religiosum statum tanto studio complexa dicitur, vt trium regum;, Poloniæ, Bohemiæ, & Siciliæ quoque coniugium constantissime recusarit; quin etiam cum S. Pontificis dispēsatio in votis ab ea editis offerretur, respondit intrepide, nares sibi potius, ac labia se præcisuram, & oculos eruturam, quam assensuram vlli matrimonio. Mortua est anno salutis M C C L X X. Anno autem M C C C X L I I I. Sanctia Siciliæ, & Hierusalem regina, paucis post mensibus, quam Robertum virum amiserat, Franciscanum habitum Neapoli induit, S. Claræ regulam, paupertatémque professa, in qua nihil proprij, ne commune quidem habere licebat. Cuius tantum fuisse ferunt humilitatis ardorem, vt à ministro generali supplex petierit, vt seuere prohiberet, ne amplius Reginæ nomine appellaretur, sed Sororis, vt aliæ omnes. Similis etiam fuit virtus Agnetis, annum circiter M C C X L. quę Orethi Boemiæ regis filia, cum Federico I I. nupta esset, nunquam assentiri voluit, sed suam potius virginitatem Christo dicauit in Pragensi monasterio eiusdem instituti. Idem quoque fertur de Chunegunde & regis filia, & vxore regis. Etenim ex rege Hungariæ nata, Boleslao Pudico Poloniæ regi nupta, perpetuam vna cum illo virginitatem seruauit, deinde in monasterio à se fundato religiosam insuper vitam duxit. Ac Ioanna quoque regis Nauarræ filia, regnum tamen cœleste huic terreno præponens, in Parisiensi monasterio Dei seruitium aggressa est, magno suo bono, magna omnium admiratione. Quin etiam Isabella Francorum regis filia, S. Ludouici soror, mundo contempto, Christi crucem in hoc eodem ordine sustulit, tanto ardore, vt etiam miraculis claruerit: eámque in eodem regno imitata est etiam Blanca Philippi regis filia, annum circiter M C C C X V I. Sed cōcludamus hæc omnia maximo, eodémque recentissimo exemplo, & quo, si vere dicendum est, nostra hæc ætas non parum ornetur, Margaritæ Austriacæ, quæ cum ex Maximiliano Imperatore, & Maria sorore Philippi Hispaniarum regis, nata esset, tantorum Principum, tantíque sanguinis soboles, paucos ante annos, mundanas nuptias, & terrena omnia contemnens, virginitatem Deo in B. Claræ familia deuouit, & in ea quidem familia, quæ rigorem

rem pristini illius instituti exacte retineat, in qua etiam hoc tempore cum omni laude perseuerat. Quid igitur pulchrius, aut quid iucundius vel hominibus, vel Angelis ipsis, quam videre talem maiestatem, & talem potentiam sua sponte abiectam ad vilem tunicam, ad cellulam pauperem, ad humillima quęuis munera, quæ hic status exigit? Etenim si gaudium est in cœlis super vno peccatore, qui ad Deum conuersus, prima adhuc virtutis fundamenta ponere incipiat, quanto magis gaudium esse necesse est de tam perfecta, támque consummata virtute?

De summis Pontificibus, qui ex religiosis ordinibus creati sunt.

CAPVT XXVIII.

HACTENVS de seculari nobilitate, quæ religiosum statum ineundo splendorem ei addidisse visa est. Nunc de iis etiam, qui ex religioso statu prodeuntes, non minorem tamen illi splendorem addiderunt, ob munerum, quæ gesserunt, amplitudinem, ac præstantiam. Primum autem, de Pontificia dignitate, quæ cum tanta sit, vt parem in terris non habeat, vnique Deo sit inferior, cum etiam tantam rerum molem sustineat, vt summam quandam sapientiam cum summa sanctitate coniunctam requirat, quibus id contingat, vt ad eam deligantur, non potest non esse perhonorificum. Quare si domus, ac familia quæuis, & omnis propinquitas, ex qua aliquis ad hoc honoris fastigium assumatur, vt multum sit tenuis, atque ignobilis, tamen nobilitatur, & illustratur, cur non hoc idem eueniat in religione, in quam religiosus quisque iam quasi in propriam familiam ascitus est. ac cuius etiam beneficio ad hunc honorem peruenerunt, quicumque peruenerunt? Igitur in hoc ordine primus, vt legimus, citra quæstionem (nam de quibus aliqua sit controuersia, de industria omittimus) Dionysius fuit, natione Græcus, anno à Christo nato CCLX. qui toto decennio, quo Ecclesiam administrauit, multa præclare constituisse dicitur & Romæ, & alibi, ídque præcipuè, quod aduersus Samosatheni flāmam tum primum erumpentem, qui Christo diuinitatem adimebat, Antiochenum Concilium opposuit, ad extremum vero martyrij quoque laurea religionis lauream duplicauit. Post hunc anno DLXXV. Benedictus I. Romanus item ex monacho Pontifex factus, in turbulentissima plane

tempora incidit, cum Italia tota bellis arderet; in qua vigilia quadriennio exacto abiit in cœlum. Pelagium quoque II. eum, cuius Gregorius alumnus, & successor fuit, ex monastico ordine processisse tradunt tum alij auctores, tum eius libri auctor, qui Cathedra Pontificalis inscribitur, in quo Pontificum series diligenter texitur. Hic anno D. XXIX. Pontificatum iniit, decem gessit. Illi proxime successit Gregorius Magnus qui Romæ monasticam vitam in S. Andreæ cœnobio vixerat, ex S. Benedicti formula. Cuius quidem præclara facta, quamdiu hoc munus sustinuit, quod fuit annis tredecim, liberalitatem in pauperes, vigilantiam aduersus hæreses, constantiam aduersus ipsos principes, patientiam in perferendis corporis morbis, studium, & attentionem in omnibus gregis sui partibus curandis, diligentiam, atque vbertatem in libris conscribendis, & eam, quæ hæc ornabat omnia, incredibilem animi modestiam, atque humilitatem, ac denique veras omnes virtutes, miracula etiam & saluberrimas Ecclesiæ constitutiones, quid attinet recensere, cum & infinita sint, & ita ferme omnibus nota, atque illustria, ac si nostra ætate vixisset? Nec multo post duos annos, alter item ex eadem S. Benedi[illegible]i familia eandem cathedram tenuit, Bonifacius IIII. qui Romæ in cœnobio beati Sebastiani enutritus, eam virtutem, ac pietatem imbuerat, quam deinde in Pontificio munere præstitit: quin etiam ita religiosos, ex quibus ipse fuerat, dilexisse fertur, vt ędificatum in paterna domo monasterium necessariis redditibus instruxerit; quibus in operibus annos sex, & menses aliquot versatus, ad cœlestia præmia euolauit. Adeodatum quoque huius nominis primum ex monastico ordine extitisse communi omnium scriptorum consensu traditum est, ex cœnobio Romano S. Erasmi in Cœlio monte; cuius eam ferunt fuisse sauctitatem vitæ, vt religiosæ omnes eius virtutes in tanto honoris apice semper effulserint, mansuetudo præsertim, ac lenitas, diuitiarum autem contemptus eiusmodi, vt in pauperes, hospites, omnésque calamitosos omnia pene conferret. Atque hic quidem quatuor annis in Pontificatũ vixit, post quem annis tantum interiectis duobus, Agatho natione Siculus ex monastico item instituto electus est, tantæ vir sanctimoniæ quantum etiam miracula testantur, inter quæ illud est insigne non solum potestate, sed caritatis virtute, quod leprosum obuium complexu, atque osculo dignatus, repente sanum reddidit. Nec minor eius constantia ad-

uersus

uersus hæreticos Monotelitas vnam in Christo voluntatem asserentes, ad quos damnãdos impigre celebrem synodum. Constantinopoli coegit, quæ sexta synodus appellata est. in quo præstantium operum cursu, celeriori morte, nimirum post annum secundum, & dimidium, abreptus est. Agathoni decem tantum mensibus interpositis, quibus Leo II. sedit, anno DCLXXXIII. successit Benedictus secundus, qui Romæ ab infantia monasticæ vitæ consecratus scribitur, itaque profecisse tum pietate, tum doctrina, vt ab omnibus singularis haberetur. In huius etiam gratiam Constantius Imper. sanctionem condidit, ne deinceps in Pontifice creando Imperatoris assensus expectaretur, sed Cleri, populíque Romani rata esset electio. Sed tamen tam eminens virtus ostensa est potius Ecclesiæ, quam data: is enim decimo mense sublatus est ex hac vita, cum omnium dolore, & lacrymis. Deinde duo deinceps Gregorij, secundus, & tertius, alter anno DCCXVI. alter quindecim post annis: tot enim prior vixit in Pontificatu, quem sic gessit, vt non solum Romanæ vrbis fructuosissimus fuerit, templis præsertim, ac cœnobiis ædificandis, sed reliquæ etiam Ecclesiæ, ac potissimum Germaniæ, ad quam Bonifacium monachum destinauit, eiúsque prouinciæ primitias ita libenter suscepit, vt etiã sua manu baptizare voluerit. Alterius etiam Gregorij nobilitata est sanctitas, & fortitudo, iis præsertim præliis, quæ pro catholica fide gessit aduersus Leonem III. Imper. hæreticum, & sacrarum imaginum hostem, quem etiam ob hanc causam imperio, & fidelium communione priuauit. Atque vt eo nihil fortius contra inimicos, ita nihil mitius, ac liberalius in pauperes, viduas, pupillósque quorum omnium pater, ac tutor vulgo appellabatur. Vixit in pastorali cura annis fere vndecim. Atque hunc vtrumque monachum fuisse constat ex cathedra Pontificali, quam supra diximus, aliique auctores consentiunt. Anno vero DCCLXVIII. Stephanus eius nominis III. hunc eundem gessit honorem. Hic à pueritia Romæ in monasterio S. Chrysogoni institutus tum doctrina, tum etiam virtute, in vtraque magnos progressus habuisse dicitur, quibus deinde cum rerum etiam vsus prudentiam adiunxisset, à tribus Pontificibus, Zacharia, Stephano II. & Paulo, ad res Ecclesiæ grauissimas adhibitus est. Quare cum tanta præsidia ad Pontificatum attulisset vix credibile est, quantũ & vita, & rebus gestis profuerit, in quibus hoc fuit, quod ad mores Ecclesiæ reformandos

Concilium indixit, quod Lateranenſe appellatum eſt. Idem etiam Michaelem, qui Rauennatem cathedram, regum, ac principum quorundam gratia fretus occupauerat, fortitudine, ac conſilio deturbauit. Denique poſt annum tertium, & menſes aliquot decedens, magnum ſui deſiderium, magnam ſanctitatis opinionem reliquit. Poſtea anno D C C C X V I I. Paſchalis I. Dei vtique nutu, ex monaſterio S. Stephani Romæ, in quo Abbatis munus gerebat, ad generalem Chriſtiani gregis curam tranſlatus, id onus paulo amplius, quam annis ſeptem, ſuſtinuit, vir non ſolum pietate, ac religione abundans, quæ à monacho expectari poterant, ſed etiam inſigni pectoris robore. Itaque inter alia, ſeculares magiſtratus, qui in Pontifice eligendo partes ſibi indebitas vſurpabant, confregit, & abiecit; clarus etiam pietate, & magnificentia in multis tum ædificandis, tum ditandis eccleſiis. Quadriennio poſt hunc Paſchalem Gregorius I V. ad hoc idem munus lectus eſt ex monaſterio, vt quidam tradunt, Foſſæ nouæ: eo ipſo, in quo multo poſt B. Thomas Aquinas deceſſiſſe ſcribitur. In hunc Pontificem virtutes omnes abũde congeſtas fuiſſe teſtantur omnes, qui iſtas res ſcripſerunt, ſanctitatem, eloquentiam, eruditionem, ſapientiam. Quin etiam cum barbari, irruptione in Siciliam facta, eam occupaſſent, eius opera, & auctoritate Corſicæ Princeps, bello in Africam illato, domum ſe ad ſua tutanda recipere omnes coegit; is vero ſexdecim annis Eccleſia tã bene, ac feliciter adminiſtrata, quieuit in Domino; à cuius morte cum quatuor fluxiſſent anni, Leo I I I I. ex monaſterio S. Martini Romæ, aſſumptus eſt: tenuitque eam curam inter ſumma pericula barbarorum, qui incurſione in Italiam facta, omnia diripiebant, iamque etiam extrema vrbis Romæ minabantur, quos ille ſua potius ſanctitate, erectiſque, vt Moſes, ad cœlum manibus, quam milite, profligauit, deinde etiam Vrbem, vt firmior aduerſus eiuſmodi impetus eſſet, munitionibus cinxit. Cepit magiſtratum anno D C C C X L V I I, geſſit annos octo. Anno autẽ D C C C C I I. creatus eſt Pontifex Leo V. fuitque per dies tantum quadraginta, quem item ex ordine monaſtico fuiſſe ſcribit Tritemius. Poſt hunc vero ex hoc ordine primus Syluester I I. duobus annis ante milleſimum, qui in Floriacenſi monaſterio in Gallia nutritus, Rhemenſi primum diœceſi, deinde etiam Rauennati, poſtremo toti Eccleſiæ præpoſitus eſt; quo munere annis quatuor, & ſex menſibus functus eſt. Hunc ſcientijs omnibus inſtructiſſimum

Li. 4. de vir. ill. cap. 8.

fuiſſe

fuisse ferunt, ac præsertim Mathematicis, totaq; philosophia, idque indicat opus quoddam illius manu scriptum de Geometria; quod locum fabulæ dedit, quæ de hoc Pontifice fertur, fuisse eum magum, ijsque artibus, & pacto cum dæmone inito, ad summum honorem euasisse, ad extremũ autem ambiguis illius vocibus deceptum, in æde S. Crucis in Hierusalem animam exhalasse; quod commentum ex vulgi sermonibus ortum in quorundam etiam negligentium auctorum scripta irrepsit. At alij doctiores, & magis accurati hunc errorem ex eo natum tradunt, quod quia seculis illis pauci omnino erant mathematici, ac philosophi, si qui talibus studijs delectarentur, ij vulgo astrologi, & magi appellabantur; quod eo facilius à rudibus de hoc homine creditum est, quem, cum externus esset, alijs omnibus in tanto honore prælatum videbant. Deinde anno M I X. Sergius I V. anno M X X I I. Ioannes decimusnonus Pontificatum iniere, hic ex monasterio S. Anastasij Romæ, ille ex incerto, sed tamen ex Benedictina familia. Ac prior quidem non toto triennio, posterior nouem fere annis in Petri cathedra sedere. Stephanus quoque I X. non modo religiosam antea vitam egerat, sed etiam admodum pie, & sancte egerat. Nam cum ex nobilissima esset familia, nimirum Cotelonis Lotharingiæ Ducis filius, à Leone I X. Cardinalis creatus, ab eodem Constantinopolim legatus est, vt Græcam Ecclesiam cum Latina conciliaret, quod etiam perfecit. Romam reuersus, cum Leonem mortuum offendisset, seculum pertæsus, in Cassinense monasterium se contulit, vbi nouam Christi militiam vir talis aggressus, ita se omnibus probauit, vt vix biennio exacto, eius loci Abbas electus fuerit. Quare cum confirmationis gratia ad Ponticfiem, vt tum moris erat, Victorem I I. accessisset, non id modo obtinuit, sed insuper iterum ab eo Cardinalis creatus, paulo post eidem vita functo vniuersis suffragiis in Põtificatu suffectus est, anno M L V I I. quo tamen in munere vix octo mẽsibus trãsactis, cum omnium mœrore, importuna morte præreptus est. Nec multo post, id est anno M L X X I I I. denuo ad religiosos regressa Ecclesiæ administratio per quinquaginta continentes annos in hoc ordine constitit, cum magna mortalium & vtilitate, & approbatione. Primus horũ Gregorius V I I. Etruscus quidem patria, tamen Gregorium V I. quem Henricus Imperator deturbarat, in Galliam sequutus, eo deinde mortuo, se in Cluniacense monasterium in Burgũdia coniiciens,

tam religiose vixerat, vt illi etiam loco post aliquot annos præfectus sit. Mox Leoni IX. Victori II. Stephano IX. ita carus fuit, vt nihil sine consilio gererent, maxime vero Alexander II. cui etiam successit, quod Pontificium munus sic gessit, vt quidam auctores hoc affirmare non dubitent, ab Apostolorum ætate nullum fuisse Pontificem, qui maiores pro Dei Ecclesia labores, molestiásque perpessus sit, aut qui acrius eius libertatem propugnarit. Ille Henricum Quartum Ecclesiæ infestum bis ita excommunicauit, vt omnes subditos fide ei data liberaret, nihil illius potentia territus, & armis etiam, quæ magno exercitu coacto Vrbi intulit. Ille eodem telo Nicephorum perculit, qui Orientale imperium inuaserat. Ille etiam Gilberti Rauennatis Archiepiscopi factione aliquando captus, & in vincula coniectus ipsa natalis dominici nocte, statim ac illuxit, populi, cui carissimus erat, concursu, ac vi liberatus est. Denique innumerabilia sunt, quæ totis duodecim annis (tot enim Ecclesiam rexit) vel fortiter sustinuit, vel sapienter constituit. Huic successit Victor III. Beneuentani Principis filius, qui adhuc adolescens vxorem accipere coactus, priusquam eam contingeret, profugit ad monasterium Cassinense, vbi eius primum loci Abbas deinde à Gregorio VII. Cardinalis electus, illo etiam mortuo aptissimus visus est, cui Ecclesiæ cura committeretur. Ipse autem in eo munere non religiosam modo modestiam, & pietatem, sed robur etiam plane imperatorium præstit, qui & Antipapam Romæ degentem armis expulit, & grandi exercitu ex tota Italia coacto, auctor fuit ipsam Africam inuadendi, tam præsenti Dei ope, vt victoria, quæ mirabiliter ad primum ingressum reportata est, mirabilius eodem, quo pugnatum erat, die, in Italia audita, & cognita sit. Inter quæ cum Beneuenti Concilium ageret, lethali morbo correptus, in Cassinum montem referri se voluit, vt quo loco spiritum religionis hauserat, eodem securius, & sanctius inter fratrum preces spiritum vitæ redderet, anno vno, & mensibus tribus post susceptam curam pastoralem, vt mirum fuerit, tam breui tempore tam multa ab vno non modo perfici, sed etiam cogitari potuisse. Huic Victori suffectus est Vrbanus II. ex cœnobio Cluniacensi in Gallia, qui aliquanto amplius quam annis vndecim, re Christiana administrata, magnum se omnino Pontificem præstitit. Tribus enim Conciliis in Italia coactis, multa decreuit ad temporum illorum tum tumultus, qui plurimi erant, sedandos

dandos, tum mores quoque reformandos. Deinde in Galliam se conferens, multasque obiens ciuitates, multa saluberrime ordinauit, & constituit, idque in primis, quod in Concilio Claromontano Hierosolymitanam expeditionem edixit, in quam trecenta peditum, centum equitum millia conuenerunt, quorum armis terra sancta tum quidem recepta est. Post hunc proxime Paschalis II. Cassinensis antea monachus, anno M I C. ipse quidem nolens, ac gemens, sed tanto populi, ac cleri, Cardinaliumque consensu, vt resistere nō potuerit. Hic annis decem & octo Ecclesiæ præfedit, idque in magna temporum varietate, in qua semper eius fortitudo eluxit, cum schisma, quod multos iam annos, principum quorundam perfidia, Christi gregem misere lacerarat, ipse tandem tum prudentia, tum etiam felicitate quadā profligarit omninóq; sustulerit, deinde ecclesiasticā ditionem à multis discerptam restituerit, & amplificarit, deníque cum multas alias seditiones, multa Christianorum principum, rerumque publicarum dissidia composuisset, tantum apud omnes sui caritatem excitauit, vt Romam rediens ob ipsam multitudinem hominum obuiam prodeuntium in morbum incidisse credatur, quo etiam extinctus est. Sed huius iacturam leniit Gelasius II. eiusdem Cassinensis familiæ ab infantia alumnus, antea ab Vrbano II. ad Cardinalatum euectus, in Pontificio deinde munere, sanctitate, continentia, doctrina insigni, ac dicendi quoque (hoc enim nominatim scribitur) elegantia, quæ iis temporibus pene pro miraculo fuit. Ille etiam impiorum hominum, & maxime Henrici Imp. factionibus agitatus, & ab eius asseclis etiam verberibus indignissime acceptus, tū in ea iniuria, vt Christi vicarium decebat, Christi mansuetudinem præ se tulit, tum etiam Ionæ exēplo ad sedandam tempestatē propter se ortam, abiit in Galliam, vbi in Cluniacensi monasterio extremum clausit diem, cum vno tantum anno in summo magistratu fuisset, quo tempore Cardinales, qui in eius comitatu fuerant, Calisto II. eam dignitatem detulere, qui Gulielmi Burgundiæ Ducis filius, prius in monasterio vel Falleritano, vel Cluniacensi (vtrumque enim à variis traditur) religiosam vitam duxerat, tum vero Viennensem Archiepiscopatum gerebat. Atque hunc quoque magna prudentia, atque in rebus gerēdis dexteritate fuisse ferunt, quod sane res ipsa ostēdit. Vix enim Romam venerat, cum Burdinum Antipapam comprehēsum in vincula coniecit, & pace cum Henrico honestis condi-

tionibus composita', ea dissidia sustulit, quæ iam diu Ecclesiam totam fœdauerant. Itaque cum annos iam ferme sex in hac vigilia fuisset, anno demum salutis M C X X I I I I migrauit ex hac vita, magno dolore, manoque sui relicto desiderio. Post huius mortem elapsis vno, & viginti annis, tres rursum ordine Pontifices ex religiosis familiis extitere, & primum Eugenius III. Cistercienfis, cum antea ne Cardinalis quidem fuisset, sed Abbas eius monasterij, quod adhuc ad tres fontes visitur: tanta erat eius prudentiæ, & probitatis opinio. Erat adhuc ipsius Bernardi epistola ad omnem Romanam curiam qua hoc factum magnopere admiratur, Parcat, inquit, vobis Deus, quid fecistis? Sepultum hominem reuocastis ad homines, fugitantem turbas, & homines, curis denuo implicuistis, & turbis, crucifixus mundo per vos reuixit mundo: & qui elegerat abiectus esse in domo Dei sui, ipsum vos in dominum omnium elegistis. Et qui se tamquã violentis quibusdam diaboli manibus, carnis illecebris, & gloria seculi potenter excusserat, non tamen valuit effugere manus vestras. Quid igitur rationis, seu consilij habuit, defuncto summo Pontifice, repente irruere in hominem rusticanum, latenti iniicere manus, & excussa è manibus securi, & ascia, vel ligone, in palatiũ trahere leuare in cathedram, induere purpura, & bysso, accingere gladio ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad ligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis? Sic non erat inter vos sapiens, & exercitatus, cui potius ista cõuenirent? Ridiculum profecto videtur, pannosum homuncionem assumi ad præsidendum principibus, ad imperandum episcopis, ad regna, & imperia disponenda. Ridiculum, an miraculum? Plane vnum horum. Hæc est Bernardi admiratio, quæ non magis in Eugenium hunc conueniat, quam in alios omnes, quos vel antea commemorauimus, vel deinceps adiungemus ex religiosi status humilitate ad tãtum elatos fastigium, vt in omnibus insit illud nescio quid miraculi, quod Bernardus describit. Verum vt ad Eugenium redeamus, quanta in illo pietas vigeret, quantus regionis amor, vel hoc vnum ostendit, quod scriptum legimus, cùm Pontificiis vestibus exterioribus fulgeret, interius tamen semper monasticum habitum retinuisse, laneam tunicam, & cucullam, in qua etiam cubabat; quin etiam lectum tametsi purpureis cortinis, auratisque fulcris ornatum, tamen ex puris paleis, duróq; stramine fuisse: quo sane fiebat, vt & foris

Ep. 236.

hominum oculis Pontificis maiestatem, & simul intus Dei oculis religiosam humilitatem perpetuo exhiberet, à qua nunquam discessit. Hic igitur post Gallicam peregrinationem, in qua, præter alia, Ludouicum regem ad Hierosolymitanam expeditionem cruce consignauit, Romam reuersus, magnóque omnium gaudio exceptus, cum paulo post, anno Pontificatus octauo è vita migrasset, suffectus est ei Anastasius IIII. Abbas S. Rufi in diœcesi Veliterna, cuius annus vnus (non enim diutius locum hunc tenuit) magnū specimen dedit tum aliarum virtutum, tum præsertim insignis liberalitatis in tenues, quibus effuse subuenit in magna fame, quæ totam pene afflixit Europam. Anastasio successit Adrianus IIII. anno Domini MCLIIII. Anglus natione, quē prius præfuisse ferunt cœnobio S. Rufi in Gallia, postea ab Eugenio Cardinalem creatum, & in Sueciam, ac Noruegiam legatum, eas regiones ad Dei notitiam, & cultum magna ex parte traduxisse. Hic igitur vir tantus ad Petri sedem, potestatémque euectus, quandiu eam administrauit (omnino quinque anni, menses octo fuere) Apostolicæ sedis dignitatem magnopere amplificasse fertur, tum aliis multis, tum eo quoque quod Gulielmum Siciliæ regem Ecclesiæ Romanæ oppida diripientem nihil veritus est anathemati subiicere, regióque iure priuare. Post hunc satis magno interuallo, quippe anno MCCXCIIII. de hoc eodem puluere religionis excitatus est, vt solium gloriæ teneret, Cœlestinus V. qui cum primum in solitudine, quàm puer adhuc petierat, multos annos posuisset, deinde religiosum quoque ordinem ipse fundasset, valdéque multiplicasset, eam sane tum victus asperitate, tum verò frequentibus etiam miraculis sanctitatis famam collegerat, vt post totius biennij dissensionem, in illum vnum & absentem, & priuatum Cardinalium suffragia inclinauerint: cuius etiā consecratio plurium quàm CC. millium hominum concursu celebrata dicitur. Ipse verò quamquam Pontifex, nihil tamen de pristino vitæ rigore, nihil de sua humilitate remisit, quin etiam breui adeo strepitum illum, ac fumum aulæ fastidire, suæque pristinæ quietis desiderio vrgeri cœpit, vt omnino molestam illam sarcinam abiicere decreuerit, etsi multum renitente Carolo rege, & ipso populo Neapolitano (nam in illā ciuitatem concesserat) idque importunis clamoribus, vbicúmque occurreret, deprecante. Itaque, vix mēse quinto exacto, ipse se abdicauit, aliis dolentibus, aliis ob tantam humilitatem, & exemplū ad eum

dicm

diem inauditum, stupentibus. Atque in hoc Pontificum numero commemorabilis etiam fuit Benedictus XII. qui id munus cepit anno MCCCXXXIIII. ex Cisterciensi disciplina, ante eius monasterij Abbas in Gallia, qui Mons frigidus dicebatur. Huius multa præclara facta narrantur tum publica, tum etiam priuata, vt illud, quod nullum ex suis propinquis ad vllum Ecclesiæ munus accersierit; cùm etiam dicere soleret, Pontificem non habere propinquos. Quibus, & aliis virtutibus tam carus omnibus fuit, vt eo post annum septimum defuncto, funus ipsum & vberrimis omnium lacrymis celebratum scribatur. Mitigauit tamen communem luctum successoris virtus Clementis VI. qui monachus, & Abbas domus Dei Claramontis, vir magnus ingenio, & doctrina, à Benedicto Cardinalis factus, cum deinde de Pontifice legendo ageretur, facile omnium suffragia tulit in quo magistratu ad priores laudes largitatem etiam, & liberalitatem adiecit dignam Pontifice, id est, cõmuni omnium patre, & pastore; eiúsque institutum fuisse dicitur, vt Iubilæi annus à centesimo ad quinquagesimum contraheretur. Sedit autem in hac sede annos decem, cum ingenti totius orbis approbatione. Nec multo post, anno MCCCLXII. Vrbanus V. antea sancti Victoris Abbas ad Ecclesiæ clauum regendum aduocatus est, omnium testimonio singularis virtutis, ingentis animi, vitæque integerrimæ, quique omnes suas curas, ac cogitationes in rem communem conferret. Atque is quidem octauo anno Pontificatus singulari Dei beneficio in ipso suo monasterio Massiliensi, qua forte iter habebat, spiritum Deo reddidit, in monachorum corona, eorum precibus adiutus, aspectúque recreatus.

Hi sunt igitur, nisi qui fortè me fugerunt, Pontifices omnes ex monachorũ ordine. nunc de aliis familiis, in quibus, vt recentioribus, non erit mirãdum, si pauciores extiterunt. Ergo ex Dominicana familia tres adhuc Pontifices extitisse comperimus, nisi inter hos quartum etiam numerandum putemus Ioannem Vercellensem, de quo sic in Dominicanis annalibus legimus, cum annis viginti ordinẽ totum gubernasset, & eum quidem toto iam ferme orbe diffusum pedibus obisset, ijs Cardinalium comitiis, quæ inter Nicolaum III. & Martinum II. anno MCCLXXX. habita sunt, hunc omnium suffragiis absentem electum, sed tamen priusquam eius rei nuncium acciperet, mortuum esse, itaq; præceptum tot molestijs, quas ei illa curarum moles allatura erat. Hoc

igitur

igitur omisso, qui designatus tantum Pontifex, numquam id munus gessit, primus qui ex eo grege in hoc Ecclesiæ culmine constitutus sit, fuit Innocentius V. cuius non hoc modo nomen ex dignitate, sed quod antea etiam habebat, Petri Tarantasij, ex libris editis notum, ac celebre est. Hic ergo anno M C C L X X V I. magistratum ingressus; statim Italiam mutuis discordiis ardentem pacare instituit. Nam cum Etrusci contra Pisanos, Veneti contra Genuenses iampridem infestum, ac pertinax bellum gererent, is, anathemate proposito, omnes discedere ab armis iussit, nec dubiũ, quin & hoc, & multo maiora præstiturus fuerit, si per vitã licuisset, quæ ei non longior septem mensibus fuit. Alter ab hoc Pontifice fuit Benedictus X I. anno M C C C I I I. cui pene idem vitæ spatium in Pontificatu fuit, nempe octo mensium; quàm tamen temporis breuitatem ingentibus factis impleuit. Fuit enim omnium testimonio mirifica tum prudentia, tum etiã sanctitate: qui cum ordinis sui Magister Generalis, quod munus diu, atque optime administrauit, Bonifacij V I I I litteras in Narbonensi cœnobio accepisset, quibus omnino mandabatur, vt Cardinalatum amitteret, eas pene lachrymis deleuit, neque iis tamen non parere potuit. In ipso autem Pontificatu quàm multa breui salubriter ordinauit, decreuit, ac stabiliuit, præsertim cum ei succedendum Bonifacio fuisset, cuius sane tempora admodum turbulenta fuerant, eaque ab ipso sananda essent vulnera, quæ prius reipublicæ Christianæ imposita erant? Animi verò magnitudo, ac zelus cuiusmodi in eo fuerit hoc declarat, quod etiam de Syria ac Palæstina barbaris eripienda serio cogitabat. Sed illud, meo quidem iudicio, maius, quàm hæc omnia, quod cum eius mater adhuc superstes, pauper omnino, ac tenuis, gratulandi causa Romam aduolasset; & ad Pontificis conspectum cum elegantiori cultu, quẽ amici large suppeditarant, introducta esset, ille per dissimulationem, quasi eam non nosset, quæsiuit quænam ea esset tam nobilis mulier. Cum responsum esset, eius esse matrem. Nequaquam, ait Pontifex, nam matrem meam scio ego admodum inopem esse, nec sumptum habere ad tales vestes. Quibus illa verbis icta, magnóque rubore perfusa, cum abscessisset, paulóque post cum propriis vestibus reducta esset, surgens è sede Benedictus, hanc verò dixit suam esse matrem, non illam priorem; inter quæ verba eam amanter amplexatus est. Quid ad hanc animi moderationem addi potest? quodve maius sanctitatis testimonium,

quàm

quàm talis humilitas, quàm sine dubio humilitaté nusquam ille, nisi in religiosa disciplina didicerat. Quare non est mirandum, si, vt traditur miraculis etiam post mortem fulserit. Tertius fuit ex eodem instituto, sanctitate quidem huic Benedicto similis, rebus gestis superior Pius V. cuius adhuc recens inter homines memoria. Atq; huius quidem virtutibus quæ par sit oratio? qui in Pōtificatu, quē anno M D L X V I. inijt, gessitque non totis septem annis, non illa solùm, quæ religiosa docent instituta, frugalitatem, innocentiam, pietatem incredibilem, omnésque illas veterum Pontificum virtutes orbi terrarum retulit, sed omnes etiam proprias principis laudes præstitit, munificentiam, prouidentiam, inuariabilem iustitiæ tenorem, fortitudinem etiam in bellis contra hæreticos, & Turcas gerendis, quorum classem, fœdere cum Hispanis, Venetísque coniuncto, magna clade contriuit; propter quæ eius iam sanctitas non solum apud Christianos, sed apud ipsos Ecclesiæ hostes in veneratione erat. Hos igitur tres Dominicana familia dedit hactenus Ecclesiæ Pontifices. Franciscana verò vnum etiam amplius. Primus horum Nicolaus I I I I. anno M C C L X X X V I I I. qui in hoc munere annis quatuor vixit, omnino optime de vniuersa Christiana re meritus, ob diligentiam & vigilantiam in exequendis omnibus officij sui partibus. Inter alia verò illud etiam insigne in eo extitit, quod in cognatos, & affines ita semper affectus fuit, vt iis nihilo se plus debere diceret, quam cuiuis bono. Itaque hoc quasi domestico vinculo expeditus, eo facilius omnes suas curas in communibus Ecclesiæ commodis curandis defigebat. Nam & multas discordias inter Christianos Principes auctoritate sua sustulit, eósque sacro fœdere deuinxit, & aliquot Ecclesiæ ciuitates, iniuste ab aliis occupatas, armis etiam repetiit, & in potestatem iterum redegit. Quo autem animo honores istos sustineret, iam tum ostendit, cum à Gregorio X. Cardinalis renunciatus, litteris de hac re in Gallia acceptis, rescripsit Pontifici quàm diligentissime potuit, vt eum honorem deprecaretur, neque interea vlla in re statum mutare voluit, donec nouo illius præcepto adactus est. Quin etiam hoc aiunt sæpè eum dicere solitum, multo se malle fratrum coquum esse, quàm Cardinalem. Hunc aliquanto post sequutus est Alexander V. anno M C C C I X. cui tamen breuis illius dignitatis cursus fuit, neque amplius quàm mensium decem. At in iis magnum pij, & celsi animi specimē dedit, qui Ladislaum regem potentissi

potentiſſimum Eccleſiaſticæ ditioni infeſtum regno priuauit. Munificentia verò in pauperes tanta fuit, neque tunc modo, ſed reliqua quoque vita, vt ſe per iocum quendam dicere ſoleret, diuitem Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. Ex hac eadem familia prodiit etiam Sixtus I V. anno M C C C C L X X I. ad ſedem hanc euectus, quam tenuit tredecim annis, inſignis plane omnibus ornamentis ingenij, doctrinæ, atque etiam prudentiæ in rebus agendis. Illud autem zeli fuit pro domo Dei, quod & alia bella geſſit pro Eccleſiæ ditione tuēda, & Turcas ipſos, claſſe in eos miſſa, laceſſere non dubitauit. Quartus ex hoc eodem ordine ad eandem ſedem aſcendit is, qui hoc ipſo tempore, quo hæc ſcriberemus, in ea ſedebat, Sixtus V. de cuius vita, ac geſtis, nihil lo.,uemur in præſenti, ne viuenti adulari videamur, præſertim cum nullius oratio tam bene eum indicare poſſit quam ipſe adhuc viuens ſua ſe præſentia oſtendit. Et is quidem anno M D L X X X V. hac paſtorali cura oneratus eſt, quam ſuſtinet quartum iam annum.

Reſtant præter hos alij Pontifices duo ex duobus diuerſis ordinibus, Eugenius I V. & Paulus I V. Fuit ille ex cœnobio S. Georgij in Alga Venetiis, ex ea ipſa familia, quam Laurentius Iuſtinianus iiſdem temporibus, omnis virtutis laude abundans, magnopere illuſtrauit. Egit autem in Pontificio munere annos ferme ſexdecim, cum id anno ſalutis M C C C C X X X I. ſuſcepiſſet. De quo hæc omnium conſenſu celebrantur, fuiſſe eum & in bellis pro Eccleſia gerendis impigrum, & in pace grauem, ac prudentem, liberalem in homines doctos, patientem in iniuriis, religioſorum autem præcipuum amatorem, quos priuilegiis, & immunitatibus, & redditibus etiam auxit. Verum inter eius præclara facta illud in primis commendatur, quod Baſileenſe concilium aduerſus Pontificiam poteſtatem inſoleſcens, partim fortitudine, partim etiam prudentia quadam debilitauit, ac fregit, alio concilio Ferrariæ primum indicto, deinde eodem Florentiam traducto, quo etiam Ioannes ille Palæologus Græcus Imperator conueniens, Romanum denique caput agnouit. Paulus I I I I. non modo religioſus, ſed Fundator fuit religioſi ordinis Clericorum regularium. Primum enim epiſcopatu Teatino abdicato ad priuatam, ac ſolitariam vitam ſe recepit, deinde adiunctis nonnullis eiuſdem conſilij, ac voluntatis ſociis, religioſam formam inſtituit, quam etiam Romæ publice in S. Petri æde, aſtante eius templi clero,

clero, magna celebritate, ad Apoſtolorum corpora, vna cum illis ſociis profeſſus eſt, editis ijs votis, quæ ſolemnia ſunt omnibus religioſis. Contigit hoc, anno M D X X V I I I. ipſa die, quæ ſanctæ Crucis exaltationi dicata eſt: eáque fuere initia eius, quem dixi, ordinis, qui deinde quotidianis incrementis non ſuo tantum, ſed aliorùm etiam mortalium bono auctus eſt, & in dies augetur. Ipſe autem Paulus I I I I. tum quidem Ioannes Petrus Carafa, non multo poſt à Paulo I I I. Cardinalis, deinde anno M D L V. etiam Pontifex creatus eſt, quam curam annis quatuor ſuſtinuit. Hi ſunt igitur Pontifices, quos Eccleſiæ ab religioſo ſtatu ſuppeditatos eſſe accepimus. Ex quo ſine dubio magnum quoddam huic ſtatui ornamentum accedere neceſſe eſt, non ob illum tantum, quem initio dixi, tantæ huius dignitatis ſplendorem, ſed multo magis ob innumerabilia, quæ talium hominum, tamque multorum eruditionem, ſanctitatem, & ſapientiam ad Eccleſiæ vtilitates promouendas in omni genere, & in omnibus ſeculis contuliſſe videmus. Quare etiãſi nihil eſſet aliud, tamen vel ob hoc vnum ita iudicandum eſſet, religioſum hoc inſtitutum de vniuerſa re Chriſtiana optime meritum eſſe.

De prælatis, qui ex religione prodiere.

CAPVT XXIX.

AD hanc gloriam, quam ſummus Pontificatus tam crebro, tamque fructuoſe in religioſorum ordinem illatus huic ſtatui attulit, accedit proxime illa etiam dignitas aliorum Prælatorum, quos ad Eccleſiæ ſubſidium omni ferme tempore hæc eadem diſciplina produxit. Sed ſummorum quidem Pontificum & numerus, & ſeries, & nomina ipſa percenſeri potuere: Prælatorum autem reliquorum omnino non poſſunt, ita innumerabilis eſt eorum copia: nam nec omnium extat memoria, & tamen etiamſi extet, non ſit operæpretium hic ſingulos nominari. Primum enim ſi de Cardinalibus quærimus, ex ſolis Benedictinis Tritemius, accuratus, & diligens ſcriptor, ad ſua vſque tempora, ideſt ante annos, centum octoginta quatuor fuiſſe teſtatur, quorum quidem nomina ſciri potuerant: nam alios præterea fuiſſe complures. Ex Dominicana autem familia ad triginta: ex Franciſcana tres & quadraginta adhuc fuiſſe comperio, ex aliis vero familiis omnino non ita multi extitere, ſed tamen extitere. Atque hi cum non ex ſanguinis nobilitate, non ambi

3. de vir. ill. c. 21.

ambitione sectandæ aulæ, sed ex doctrina, pietate, ac virtute, eaque multis ante rebus spectata, & explorata, legi solerent, non mirum fuit, dum ad hos gradus euecti sunt, non tam ab ipsis accepisse, quam iis ipsos addidisse ornamentum. Quantus enim vir, vt alios omittam, fuit Turrecremata, quantus vir Caietanus, quantus vtroque antiquior Bonauentura, & alij plurimi, quos numerare necesse non est: cum ipsi se, tum præclare agendo, tum doctissime scribendo, nobilitarint? De Episcoporum vero, vel Archiepiscoporum ordine nihil attinet dicere, cum ex omnibus familiis & antiquioribus, & recentioribus pene infinitos ad hæc gubernacula prodiisse sciamus. Antonius quidem, auctor, vt constat, grauis, ex Dominicana ad suam vsque ætatem dumtaxat, centum, & vigintiquinque profert, illud prætereaadiungens, non omnes à se nominari, sed potius paucos. Ac ne quis hoc illorum temporum feruori tribuendum putet, certe ex Franciscanis, quod nimirum fortasse cuipiam videatur, his proximis septuaginta annis, quorum plenior potuit esse memoria, plures quam centum & octoginta numerantur. Quid autem de Benedictinis dicemus, ex quibus Tritemius idem, quem paulo ante nominaui, quinque mille, & septuaginta, eóque amplius collegit? quod tamen nemini mirum videri debet, cum illud constet, tantam fuisse olim monastici nominis auctoritatem, vt vbique ex solis ferme cœnobiis arcesserentur Episcopi; vt de vna B. Martini familia cum narrasset Sulpitius plures esse factos Episcopos, hoc etiam addat, Quæ enim, inquit, esset ciuitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini monasterio cuperet sacerdotem? In Græcia autem tota adeo hic mos obtinuit, vt hodie quoque in suo illo schismate nullum nisi monachum consecret Patriarcham, vel Episcopum. In ceteris vero prouinciis tum præsertim valde id frequens fuit, cum ambitio in hos Ecclesiasticos honores nondum adeo irrepserat, iique non cupidis, séque vltro ingerentibus, sed potius resistentibus, & tamquam onera magna recusantibus mandabantur. Itaque quis dicere possit quantopere talium hominum lux super candelabrum hoc posita, non iis modo profuerit, quibus regendis præerant, sed aliis etiam tum populis, tum populorum pastoribus, qui ab iis regendis exemplum, ac formam acciperent? Vbi enim melius instruantur homines ad eam, vt Gregorius appellat, artem artium regendarum animarum, quam in religione? Verissimum enim est, quod

P. 3. titu. 23. c. 10.

Lib. 4. c. 129. & 170.

1. Part. past. c. 1.

dici solet, neminem aliis vtiliter præesse, nisi qui libenter subsit, atque etiam subesse didicerit: & cum id opus tam arduum tam robustas vires exigat, nullus est certe locus, ad has vires acquirendas, ipsóque vsu augendas aptior, quam religio. Sensit hoc Innocentius IIII. Pont. quem ferunt cum ex aliis ordinibus, tum potissimum ex Dominicano, tam multos, & tam crebro ad Episcopatus administrandos educere solitum, vt omnes mirarentur. Quod etsi erat ordini ipsi, sine dubio perhonorificum, plerique tamen ex ea familia grauissime, ac molestissime ferebāt ob multas causas, & ob eam præsertim, quod se præcipuis quibúsque, & maxime insignibus patribus orbari videbant. Quamobrem cum Generalis eorum magister Ioannes Teuto suam hanc, aliorúmque querelam Pontifici exposuisset, multúmque cum orasset, vt deinceps suos in ea, quam professi essent, humilitate relinqueret, respõdit Pontifex ex illa Domini sententia, non esse lucernam occultandam, sed in publico proponendam, vt domum totam illuminet, itémque seruum qui talentum abdiderat, esse à Domino damnatum. Accedit etiam illud maximum sine dubio, quod qui eiusmodi sunt, non furtim in ouile irrepunt, sed intrant per hostium, id est non honoris, vel diuitiarum cupiditate adducti ipsi eos gradus affectant, sed à Deo legitime vocati illius voci ac præcepto obediunt. Itaque cum sic eligantur, tum etiam necessarias virtutes ad tantum negotium afferant, illud quoque sequi oportet, vt aptissimi sint ad magnas res gerendas eorúmque industria vberrimos in Dei gloriam fructus pariat. Testis est huius, quod dico, Basilius, eique tum tempore tum charitate coniunctissimus Nazianzenus, cuius vtriusque nota sunt prælia, illius contra Valentem Imperatorem hæreticum, huius autem contra Arianos, contra Macedonianos, contra Apollinaris sectatores, quinimmo aduersus Iulianum ipsum; qui etiam pro hac Dei causa lapidibus aliquando appetitus, vitæ discrimen adiit. Similis huic fuit Chrysostomi virtus, & constantia aduersus Gainam Arianorum principem, quinimmo aduersus Eudoxiam Augustam, quam etiam pro concione alteram Herodiadem appellare non dubitauit. Similis quoque in alia ætate Fulgentij qui Trasamundi regis perfidi procellam in catholicos solus sustinuit, cum doctrinæ, & sanctitatis auctoritate, atque etiam incredibili dicendi vi, qua pollebat, tum suos confirmaret, ac retineret, tum aduersarios magnopere perturbaret, quam etiam ob causam

relegatus

relegatus est in Sardiniam, eóque abiens, mœrentibus omnibus, auditus est plane prophetice, de suo celeri reditu confirmare; quod etiam euenit, Trasamundo non ita multo post sublato, & tranquillitate ab Hilderico eius successore restituta. Atque vt ad propiora veniamus, ex eadem schola prodiit etiam Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & quantum in ea profecisset, egregie ostendit, tum alias, tum in Henricum Angliæ regem, cum is capitali schismate ab Vrbano Pont Max. dissideret, eiúsque nomen in toto regno ne appellari quidem pateretur. Cuius furori Anselmus in synodo ad hoc ipsum coacta inter tot Episcopos, & Abbates, aliósque principes regiarum minarum metu perculsos, solus cum duobus aliis, quos ipsius auctoritas retinuit, ita repugnauit, vt Pontificias partes tueretur, atque insuper Anglia quoque relicta exulatum abiret. His ascribi merito debet etiam Gulielmus ex Cistertiensi ordine sanctissimo, quem ad Bituricensem Episcopatum nulla alia res adigere potuit, quam Abbatis præceptum & Pontificij Legati, qui vterque grauibus, ac seueris literis, ne se Dei voluntati subtraheret, iniunxerunt. In eo vero magistratu, vt accepimus, nunquam religiosum habitum deposuit, nunquam carnes gustauit, denique nihil omnino de veteri disciplina imminuit, aut relaxauit. Quin his quoque priuatis virtutibus illas adiecit pastorales, quod assiduis concionibus publicis, quod familiaribus colloquiis, quod præclaris institutis, ac legibus, oues sibi commissas & pascere, & excolere numquam destitit, quod pauperum greges suis sumptibus perpetuo aluit, quod etiam Franci Regis conatus Ecclesiastico iuri aduersantes intrepide repressit, denique quod hæreticos tota Aquitania furentes coercuit, prius quidem aliquot ex suis Cistertiensibus illuc ad concionandum dimissis; deinde cum hoc non satis fuisset, exercitu cum Summi Pontificis approbatione conflato, cuius ipsemet ætate iam graui, cruce vestibus assuta, pene dux fuit: ac licet in eius expeditionis molitione ex hac vita excesserit, non est tamen dubitandum, quin multo maius auxilium de cœlo tulerit ad eam, quæ paulo post sequuta est, insignem victoriam ab hostibus reportandam.

Atque hæc quidem in bello cum Dei hostibus. Quid in pace, & in temporum tranquillitate? In hac vero maiorem etiam habent locum religiosorum hominum artes, quæ ad quietem potius, & otium informantur. Itaque hoc præ-

sertim Reipublicæ Christianæ statu effulsit talium pastorum vigilantia in pascendo grege tum exemplo, tum verbo, tum vero etiam opere; quæ omnia eo erant illustriora, maioremque vim habebant, quod erant coniuncta cum illo, quem diximus, rerum omnium humanarum contemptu. Hic enim in quibus est, & eos agiliores reddit ad omne Dei obsequium, & reliquos promptiores, vt eis fidem habeant. Bonifacius annum circiter M C L. regio ortus sanguine, nempe, vt scriptum est, Othonis III. Imperat. propinquus, itaque ei carus, vt animam suam appellare eum soleret, arrepta Romualdi disciplina, post diuturnam in ea actam pœnitentiam, motus est à Deo, vt Euangelium in Russia prædicaret: quod illi S. Pontifex non modo concessit, sed eum insuper eius gentis Archiepiscopum instituit. qua ille auctus dignitate, nihil tamen de pristino vestium, & inediæ rigore remisit: quinimmo cum nudis pedibus equitaret, tanta erat vis frigoris, vt ex equo descendens conglaciatum pedem à subhærente ferro auellere non posset, nisi aqua calida superfusa. Sed ista quidem nuditas ingentes breui peperit fructus. Nam cum ad barbaram Russorum gentem venisset, Christique legem Regi prædicare cœpisset, creditus est primum ab eo, victus quærendi causa, noua commenta circumferre. Verum cum multa munera, quæ ei obtulerat, constanter recusantem, insuper etiam per medios ignes transeuntem vidisset, non solum cum toto suo regno Euangelium complexus est, sed ipsemet, filio, quem habebat, hærede instituto, Bonifacij discipulus fieri decreuerat: idque perfecisset, nisi paulo post Bonifacius à Regis fratre impie mactatus esset, quod ipsi quidem bene euenit, atque ex vetere eius desiderio, vt Christi martyr fieret. Sed hæc exempla antiquioribus illis seculis frequentissima fuere; & tamen posterioribus etiam in seculis nunquam defuere in Dei domo eiusmodi lucernæ ardentes simul, & lucentes, vt Andreas ille Fesulan⁹ Episcopus anno ferme salutis M C C C X VI. qui ex Carmelitana familia inuitissimus est assumptus, quod satis ostendit, qui cum primum hoc agi sensit, in Carthusiensium domo sese occultauit, donec infantis voce in Canonicorum, qui eum elegerant, consessu diuinitus plane proditus est, cum eodem temporis articulo ipsimet Andreæ puer in veste candida apparuisset, iubens ne amplius diuinæ voluntati resisteret, qua factum esset, vt Episcopus crearetur; datum autem ei custodem Angelum, qui eum in Dei be-

neplacito

neplacito deduceret. Hic igitur non ab hominibus, sed à Deo tam euidenter electus, facile existimari potest qualis in pastorali cura fuerit. Sic enim ferunt, ita fuisse benignum, & liberalem in pauperes, vt omnes nomine descriptos haberet, nec eos sine lacrymis aspicere posset: prudentia autem tanta, vt præter ea, quæ in sua diœcesi sapienter constituit, Bononiæ etiam cum orta esset ciuilis quædam dissensio, ab Vrbano V. Pontifice eo destinatus, mira felicitate negotium confecerit, conciliatis omnibus inter se, & grauissimo, quod ciuitati illi imminebat, compresso periculo. Denique multa sunt, quæ de huius hominis virtute, & sanctitate scribuntur, cuius hoc satis certum est argumentum, quod & miraculis fulserit, & in sanctorum numerum relatus sit. Quid autem dicemus de Laurentio Iustiniano, qui cum triginta annis religiosam duxisset vitam, ad extremum ab Eugenio IIII. annum circiter MCCXXXV. pastorali sarcina oneratus, omnia primum tentauit, omnes preces adhibuit, omnes etiam quos potuit, amicos interposuit, vt eam excuteret: vbi autem non potuit, ita eam accepit, ita etiam semper gessit, vt ad gubernandi sapientiam, ad zelum pro Dei honore, etiam ad fortitudinem, qua viris principibus sæpe restitit, denique ad curam pauperum, in quos pene prodigus videbatur, commune esset iudicium, nihil addi posse. Itaque ita scribitur, ad eum tamquam ad Angelum de cœlo missum tum ciues, tum externos, idque ex remotis locis, confugere solitos, quin etiam perpetuum fuisse, vt quocumque incederet, ad eum modo spectandum concursus fierent.

Huic etiam æqualis tempore, & virtute fuit Antonius, qui ab eodem Eugenio ad Florentinam cathedrã compulsus, non minorem in ea gubernanda pietatem, ac peritiam, quam in libris scribendis doctrinam, atq; eruditionem ostendit. Hunc enim ferunt clerum illum magnopere reformasse, omnémq; suam diœcesim per se semper lustrasse, quin etiam ingruente pestilentia, non dubitasse bonum pastorem infectos, & tabidos vltro visere, solari, ac recreare, adducto etiam secum iumento medicamẽtis onusto: deniq; ita profusa fuisse in pauperes liberalitate, vt ne tribus quidem panibus, quos domi solos habebat, pepercerit, quãquam hoc quidem cum fœnore: eadem enim arca multo pane, eóque admodum candido statim repleta est. De prudentia vero nihil attinet dicere, tum adhuc priuatus oraculum ferme in omnib⁹ rebus dubiis

esset, neque ciuibus modo, sed etiam externis, ita vt iam tum vulgari cognomine Antoninus Consiliorum appellaretur. Quo autem ardore, qua constantia ecclesiasticam dignitatem aduersus summum magistratum non semel defendit? qua in causa cuidam aliquando acrius minitanti nihil se timere respondit, quoniam angulum haberet, quo se libentissime reciperet: quæ dum diceret, simul cellæ, quam adhuc in monasterio retinebat, clauem ostentabat, vt intelligeretur, vnde ei illa animi magnitudo veniret. Multa similia commemorari possent, non solum ex Italia, vt hæc sed etiam ex Transmarinis, & Transalpinis nationibus, in quibus olim maiorem quendam in modum omnis religio floruit; sed quoniam non est hic locus texendæ historiæ, vno Dustanno contenti erimus, qui annum circiter M X X. in Anglia, ex Calscouiensi Abbate Conturbiensis Archiepiscopus factus, incredibile est, quam præclare, quàq; vtiliter eo munere functus sit; quem etiam accepimus tanta fiducia, ac libertate duos reges, Etelstanum, & Eduardũeius successorem reprehendere solitum, vt ob eam causam iterum, atque iterum in exilium pulsus sit, & tamen semper reuocatũ, atque ob præstantem prudentiam ab iisdem ad grauissima quæuis publica negotia adhibitum. Insignis etiam fuit in illo diuini verbi prædicandi facultas, & ardor, quo in opere dum versaretur, die quodam Christi Ascensioni sacro, ecce in templo oranti ingens multitudo Angelorum candidata affuit, monentium, se venisse ad eum in cœlum deducendum, si tamen paratus esset. Quibus ille, quod ad ipsum attineret, se quidẽ esse paratum, sed tamen moleste laturum, si tam celebri die populus suus sacri verbi pabulo priuaretur. Tum Angeli, excusatione accepta, diem proximum eius migrationi præfiniunt, quo deinde cum magno suo gaudio defunctus. Denique his etiam nostris temporibus, tum in aliis eiusmodi virtus enituit, tum in Martino Sarmiento Franciscano, qui cũ in Mexicana prouincia Indica fructuosissimos labores diu sustinuisset, delatum denique Episcopatum tam constanter repudiauit, vt nisi à Præposito suo, & quidem sancto obedientiæ nomine interposito, adigi numquam potuerit. Eo autem suscepto, nihil de vitæ austeritate, nihil de humilitate imminuit. Nam eodem plane, quo prius, habitu, vnico tantum fratre comitatus, totam obibat diœcesim, & quidem pedibus semper. deniq; etiã suo muneri immortuus est, cum Confirmationis sacramentum tribus continuis diebus impendisset.

His,

His mihi exemplis, quæ pauca ex multis delibauimus, multo melius, quam vllis rationibus, aut argumentis, demonstratum videtur, religiosos ordines in Ecclesia quasi seminarium quoddam fuisse Prælatorum, & talium Prælatorum, qui suis gregibus opera, & aliis etiam exemplo prodessent.

De fructu à religiosis in Dei Ecclesia facto.

CAPVT XXX.

CVM Dei sapientia Franciscani ordinis initia in ipso Frãcisco, & vndecim sociis ponere iam cœpisset, isque tantus fœtus proximus esset partui, ita diuinitus ostensus esse dicitur Innocentio Pontifici, vt videre sibi visus sit, Lateranensem basilicam, quæ tum sedes erat Pontificum, conuulsis fundamentis collabentem; pauperem vero quendam accurrere, qui eam humeris suppositis sustineret. Quod visum, cum paulo post Franciscus ad illum vna cum suis adisset, nouam vitæ regulam approbandam deferens, eo conspecto, eaque regula accuratius expensa, nihil dubitauit Pontifex, quin ad ipsum ipsiusq́ue familiam pertineret, idq́ue exitus ipse demonstrauit. Nam non modo ætas illa, qua primum hic ordo prodijt, mirabiliter eius opera adiuta, & illuminata est, sed totis trecentis, & septuaginta sex annis, quibus deinceps stetit, hoc semper egit, vt Dei Ecclesiã quasi fulciret. Hæc autem laus cum Franciscanę familiæ non falso, nec temere, sed vero, ac solido cœlestis illius visionis testimonio tribuatur, eadem mihi videtur sine vlla dubitatione tribui posse, ac debere Dominicanæ, quæ in hanc eandem curam pari industria incubuit, eadem etiam alijs ordinibus, quos deinceps tamquam varijs horis operarios in hanc Dominus vineam misit. Quæ quidem si de singulis vere dicuntur, vt ad Ecclesiæ cultutam, dignitatem, propugnationem tantopere contulerint, quanto verius de vniuersis simul coniunctis? Itaque hoc statuendum est, magnam omnino esse vtilitatem, magnum fructum, quem religiosi ordines, ex quo instituti sunt, in orbe terrarum effecerunt. Nam in primis etiamsi aliud nihil esset, tamen vel solæ eorum preces, ac tacita etiam merita magnopere valerent ad Deum humano generi vniuerso conciliandum. Ideo enim dixit Bernardus, eos constitutos esse, orare pro corpore Ecclesiæ, tam pro viuis quam pro vita functis, & Nazianzenus, eorum lacrymas esse peccati diluuium, & mundi expiamentum, atque Eusebius quoque, eos *Ser. par. 63. Or. 1. in Iul.*

ſummo Deo conſecratos eſſe pro vniuerſo genere. Itaque
1.Dem. euang. cap.8. quis ſcire poſſit quot mala, quot calamitates eorum deprecationes à mundo depulerint? quod beneficia impetrarint? quam ſæpe Dominus non illorum tantum poſtulationibus, ſed etiam benefactis, orbi terrarum placatus ſit? Sed vt hæc omittam, quæ apud Deum valuere, Deoque ſoli cognita ſunt, cõſideremus quod propoſuimus, in hominibus ipſis quos fructus omni tempore effecerint, idque duplici via, primum exemplo, deinde opere etiam, & labore, atque induſtria. Nam inprimis, quod attinet ad exemplum, non poteſt negari, quin euãgelicæ virtutes magna ex parte in tenebris iacuiſſent, niſi religionis lumen acceſſiſſet, quæ eas virtutes re ipſa exercens, eaſdem etiam mortalium oculis, quaſi in illuſtri loco, vnde ab omnibus videri poſſent, propoſuiſſet. Itaque eorum modeſtia, humilitas, pietas, deuotio, optima ſemper populis omnibus magiſtra extitit, vt merito ob hanc ipſam fortaſſe cauſam à Chryſoſtomi mundi luminaria appellentur. Ab ijs enim didicere homines, quo
Hom.56. ad pop. modo Deus colendus, qua reuerentia, quo timore in templis, in ſacramentis adorandus, qua diligentia, quaue attentione orandus: deinde quæ in rebus duris patientia tenenda, quæ proximo præſtanda caritas: ac denique nulla eſt virtus Chriſtiana, cuius non exemplar mundo ab ijs exhibitum ſit.

Quin etiam licet omnia hæc ceſſent, tamen hoc ipſum, quod omnibus relictis Chriſti crucem amplexentur, & quidem multi ex ijs nobiles, atque opulenti, multi etiam in ætatis flore, quantam vim habet, ſemper habuiſſe oportuit in mortalium animis ad diuitiarum & honorum contemptum inducendum, vt etiam ſi non tantum robori habeant, vt ea abijciant, ſaltem minus ament, vel certe non eſſe amanda ex illorum facto intelligant? Quid autem plura dicamus? Vel ſolus illorum aſpectus tacita eſt ad virtu-
Hom. de diſp. rer. & 59. hom. ad pop. tem cohortatio, & tacita vitiorum obiurgatio; quod cum hodie experiuntur multi, tum etiam teſtatur Chryſoſtomus luculente, eamque ob cauſam in binis homilijs, valde populum hortatur, vt ſæpe monaſteria, religioſaſque domos inuiſat, quod certam inde referat vtilitatem. Sunt namque; inquit, omnia ibi illecebris vacua, & ab omni interpellatione, & inquietudine libera: inſuper ſunt portus tranquilliſſimi, quos qui inhabitant, veluti ſunt, qui cum è loco editiori emicent, lucem eminus exhibent aduentantibus, cumque in portu reſederint, ceteros ad ſuam alliciunt

tranquillita-

tranquillitatem, neque eos qui se intuentur, pati naufragium sinunt, vel in tenebris esse, qui ad se oculos intenderint. Adi igitur viros tales, vtere eorum conturbernio, accede inquam, sanctos tange pedes. multo enim honestius est illorum pedes amplexari, quam aliorum caput. Dic enim mihi, si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam regis tantum imaginem habent, tu si eum tenueris, qui in se ipso Christum habet, non saluus eris? Sancti igitur sunt tales pedes, vel si vilissimi fuerint. Hæc quidem Chrysostomus. Iure ergo religiosis quoque illud applicandum est, quod de Apostolis gloriose dictum, cum iis etiam communicatur, qui apostolicam vitam tenent. Vos estis lux mundi, Vos estis sal terræ; quorum alterum ad exemplum pertinet, de quo diximus, alterum ad operam, de qua iam dicemus. Hoc enim multo etiam maius est, quam exemplum, vt hominum mores non modo ne corrumpantur, tamquam sale adhibito, conseruent, sed etiam iam corruptos (quod quidem salis natura non potest) instaurent, & redintegrent, dum errantes reuocant, lapsos erigunt, rudes edocent, laborantibus consilio, doctrina, atque omni ope subueniunt. Atque hæc quidem non necesse est ex aliorum scriptis, vel ex sanctorum auctoritate repetere, cum res in promptu sit, & ante oculos; atque inter manus versetur. Apertum enim est, quæ omnes ordines ad hominum salutem conferunt, audiendis peccatorum confessionibus, habendis concionibus, vitiis reprehendendis, tollendis etiam quantum licet, peccandi occasionibus, quin etiam simultatibus, & dissidijs conciliandis, denique omni hominum genere subleuando, docendo, instruendo aduersus malignum hostem, aduersus propriam infirmitatem, aduersus mundi illecebras: in quo quidem opere ita iam versantur religiosi, vt certe præter eos pauci, & hi ipsi pauci nonnisi illorum imitatione, sæpe etiam æmulatione. *Mat. 5.*

Sed hæc licet adeo magna sint, tamen quia sunt quotidiana, fortasse ob ipsam consuetudinem, vt plerumque fieri solet, non tanti æstimantur. Illa sine dubio maiora, quæ cum Ecclesię hostibus, cũ ipsis hæreticis geruntur, cuius belli molem vix iam est præter religiosos, qui sustineat. Illi autem ita sustinent disputando, concionando, libris scribendis, priuatis, publicisque sermonibus, vt se tamquam munitionem, ac propugnaculum illorum furoribus opponant. Denique illa maxima sunt, & maxime gloriosa, quæ à religiosis non in

ſingulis hominibus, ſed integris prouinciis, & regnis ipſis Chriſto adiungendis perfecta ſunt: quam ſæpe euangelij lumen, vbi nullum antea erat, intulerint, vbi autem obſcuratum erat, inſtaurarint, quoties fidem, ac religionem vel iam labefactatam, vel penitus perditam reſtituerint, ac redintegrarint. In quo certe ita eorum zelus enituit, vt qui hiſtorias legere velit, modumque cognoſcere, quo in ſingulas prouincias fides inducta ſit, poſt Apoſtolos, & Apoſtolica illa tempora, vix aliorum nomen inueniat, quam religioſorum. Longum vero eſſet omnes percenſere: ſed aliquos quaſi exempli cauſa attingemus. Primum enim ſic accepimus, Remigium illum, qui anno ferme D X X X. Clodoueũ regem, & Franciam vniuerſam ab idolorum cultu ad Chriſtianam fidem traduxit, eundem ab ineunte ætate monachũ fuiſſe, poſtea Remenſem Archiepiſcopum. Huic autem æqualis tempore, anno nimirum D X L. Martinus item monach⁹ Sueuos ab Ariano errore ſanauit. De Anglia notiſſimum eſt, vt ab Auguſtino informata, quem Gregorius Pont. cũ quatuor monachis eo legarat, ad Deum ſe ſe conuerterit, vna cum rege Etelberto, anno D C I I I. Anno autem DCXXII. Lambertus Leodienſis monachus Teſſandriam Germaniæ prouinciam, eodemque tempore Rilianus monachus Scot⁹ Francorum gentem ad fidelium numerum aggregarunt: atque hic quidem in eo opere etiam martyrium ſubiit. Vilfridus quoque ex Hirpuenſi monaſterio in Anglia, poſtea Eboracenſis epiſcopus, annum circiter D C L X X X I I I. cum Romam peteret, tempeſtate in Hollandiam, & Friſian eiectus, ne hyemem illic infructuoſe poneret, aggreſſus eſt euãgelium, quod nullum adhuc auditum fuerat, prædicare. Idẽque in patriam reuerſus, cum ab improbo rege Egirido in ſua ſede hærere non ſineretur, diuertit ad Auſtrales Saxones, adhuc in infidelitatis tenebris iacentes, iisque fidei lumen importauit, & ſimul toti inſulæ, quæ Vectula dicitur. Ceterũ quod hic opus in Friſia cœperat, id deinde continuaui Villibrordus ex monaſterio Ripenſi item in Anglia, qui Traiectenſis etiam Epiſcopus creatus eſt. Eodem tempore Suitbertus Lindiſſæ in celebri cœnobio Angliæ educatus, vna cum vndecim aliis, ad Apoſtolicum numerum repræſentandum, ad Saxones ſe cõtulit: ex quibus innumerabiles in Chriſtiana fide inſtituiſſe fertur, idemque poſtea Verdenſi eccleſiæ præpoſitus fuiſſe, neque tamen à laboribus ſuis vnquã ceſſaſſe. Inſignis quoque in hoc genere fuit Bonifacius, qui adhuc meri-

merito tamquam Germaniæ Apostolus colitur. Hic patria Scotus, cum adhuc quinquennis à parentibus ipsis oblatus diu vitam in sacris claustris sanctissime egisset, à Gregorio I I. Pont. in Germaniam missus, Thuringiam, Frisiam, Hassiam Christo adiunxit, anno ferme D C C X V I. quam ob causam ad eos, quos docuerat, regendos, Moguntino Archiepiscopatu ornatus est: quamquam maius etiam postea ornamentum ex martyrio accepit. Villeardus item, & Lugderus ex monasterio S. Villibrordi in Gallia, in Franconiam Germaniæ prouinciam profecti annum circiter D C C C. & plurimos illic filios Christo Domino pepererunt, & ipsi plurimos eadem causa labores pertulerunt. Paulo post etiam, id est annis decem, Ansgarius cum tribus sociis ex monasterio Corbiensi in Gallia Belgica, plures regiones Euangelij causa peragrarunt, Daciam, Sueciam, Gottiam, Grolandiam, in quibus omnibus vix credi possit quantum fructum reliquerint. Ex quo eodem monasterio prodiit etiam Stephanus, qui primum Ansgario in Suetica messe successit, deinde in Helingensem prouinciam se transtulit, quam totam ab erroribus ad viam veritatis adduxit: atque ibidem tamen ab impiis quibusdam mactatus ad martyrij palmam euolauit. Quo etiam referri debet Albus Floriacensis monasterij abbas, quod à S. Mauro in pago Flori Comitis ædificatum fertur. Is enim in Vasconia Galliæ parte, religionis propagandæ causa, strenue laborauit, vir eloquentia insignis, nec minus sanctitate, ad extremum etiam martyrio. Vixit autem anno ferme D C C C C L X X. Quid autē de Adalberto dicamus, qui Pragensis prius Archiepiscopus, deinde Romam veniens, in Cassinensi monasterio, anno ferme D C C C C L X X X. religiosam vitam diu professus, vna cum Gaudentio fratre, monacho item S. Alexij Romæ, in Pannoniam abiit ad disseminandam Christi fidem, vbi in Geisam regem incidit, diuino iam antea oraculo admonitum de eius aduentu. Itaque ab illo cum honore exceptus, totam eam gentem antea feram, ac duram, Christi cultu imbuit: mox ad Sarmatas digressus, Russis, Lituanis, Moschis, Prussianis, sed præcipuè Polonis, eorúmque regi Bolislao Euangelium promulgauit. Denique in Prussia cum ab impiis ad stipitem alligatus, septémque lanceis confixus palpitaret, egisse Deo gratias dicitur, quod se martyrij, quod tam diu iam optarat, compotem fecisset. At Bruno ex Ducali familia, nempe Lotarij Saxoniæ Ducis filius, monasticam vitam Romæ professus in

cœnobio B. Alexij, à Ioanne X I X. ad Rhutenos missus, annum circiter M X X V. multos populos ad salutis viam reuocauit; qua in causa ne quid illi ad laudem deesset, martyrij quoque gloria ornatus est. Eodem quoque tempore Bonifacius, cuius aliquanto ante mentionẽ fecimus, Romualdi discipulus in Russiam profectus, Russianum regem, eiúsque regnum, præter fratrem, conuertit, à quo impie cæsus vineã à se plantatam sanguine etiam irrigauit. Anno verò M L. Humbertus ex ordine S. Benedicti Constantinopolim à Pontifice legatus ad Græcorum schisma confutandum, cum Niceta congressus, coram Constantino Imp. ita eum disputando conuicit, vt librum, quem conscripserat, comburere coegerit. Otho etiam ex monasterio Vabergensi, quæ erat Germaniæ ciuitas, anno M C X X V. à Calisto I I. in Pomeraniam missus, Varcislaum principem conuertit cum suis. quin idem etiam loca omnia maritima, Daciæ, Poloniæque finitima, cum magna animarum conuersione peragrauit; denique complures Saxoniæ ciuitates obiens, magnos vbique ad salutem motus effecit. Huic similis fuit Vicellinus, qui non multo post hunc, vna cum quatuor sociis, ex Gallia ad Vandalos profectus, triginta totis annis incredibili labore vniuersam illam regionem, in qua innumeri ferme erant populi, Christianis imbuit præceptis, & in iis insignia complura fundauit cœnobia.

Multa præterea eiusmodi commemorari possent ex monachorum ordine profecta, sed ijs breuitatis causa omissis, ad posteriores ordines veniamus, qui simul ac in Dei Ecclesia orti sunt, ij ferè deinceps ad hæc negotia sunt adhibiti. Nam de Patribus quidẽ Dominicanis hoc constat, cum alias sæpissime in hoc genere præclaram operam Deo, eiúsque Ecclesiæ nauasse, tum verò, vt accepimus, annum circiter M C C X L V I I. quo tempore aliquot ex eis, quorum caput Ascellinus, vir sanctus, Innocẽtij I I I I. Pontificis auctoritate ad Tartaros se contulerunt; etsi tunc quidem nullus alius extitit eius peregrinationis fructus, quam eorũ ipsorum, nimirum in perferendis tam multis & iniuriis, & incommodis, vt mirũ fuerit, vel corpora, vel animos durare potuisse. Quare meliore vtique successu paucis post annis maior etiã numerus ad infidelium cõuersionem destinatus, multas barbarorũ prouincias peragrauit, in quibus nulla adhuc Christi notitia, nullum lumen erat: idque eo fructu, vt ita scriptũ sit, iniri non posse numerum animarũ ad rectam fidem per eos traductarum,

rum, præsertim verò in Cumanorũ gente; vnde Benedictus, qui cæteris præerat fratribus, ad Generalẽ Magistrum scribens (quæ adhuc extant litteræ) hoc narrat, multa hominum millia non solum ex plebe, sed etiam ex prima nobilitate baptismum suscepisse. Quare hoc sufficiat quasi specimen eorum fructuum, quos hic ordo in Ecclesia tulit, fertq; in dies; quibus recensendis iusta iam volumina scripta sunt. Ex Franciscana autẽ familia, pręter alia anno ferè Dñi M C C L X X. missus est Constantinopolim, ad tractandam illius Græcæ Ecclesiæ recõciliationem, Hieronymus Esculus, is, qui postea ad summum Pontificatum euectus, Nicolaus I I I I. est appellatus, & quidem felici successu, quippe qui Imperatori, & genti illi persuaserit, secúmque X L. ex proceribus ad sacros Pontificis pedes, & ad Concilium, quod eo tempore Lugduni habebatur, cum magno omnium gaudio, perduxerit. Iidem etiam ad Tartaros neque semel adierunt, primum ab Innocentio I I I I. missi anno M C C X L V. quo tempore cum magnus hominum numerus Euangelium admisisset, paulo post multo plures illuc operarij destinati, monasteria multa instituta, denique res Christiana feliciter prorsus administrata est. Iterũ deinde anno M C C C X L I. à Benedicto X. Pont. duo ex ijsdem missi tamquam apostolici Legati, cum aliis sociis adiunctis, qui item accepta ab Imperatore illo promulgandi Euangelij facultate, multa denuo & templa, & monasteria cum diuini cultus propagatione, multáque animarum conuersione instruxerunt. Anno autem M C C C X X X I I. non parua horum manus in Armeniam ipsam penetrauit, inter quos præcipuum fuisse ferunt Gonzalum Sauratum, virum doctissimum, qui tum concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conuersis, multum profecit. Eodem etiam ferme tempore, & Paschalem inter Medos, & Gentilem inter Persas versatos esse accepimus: & illius quidem extat epistola, qua narrat se, cum munera, & vxores, quas barbari illi offerebant, aliásque blanditias constanter repulisset, tentatum deinde esse contumeliis, bis etiam lapidatum, faciem, & plantas igne adustas: quibus tamen rebus ita se numquam territum, vt nec habitum deposuerit, nec à prædicando destiterit. De Gentili autem hoc omnino notabile traditur, cum Babylone degeret, neque in ediscendo Arabico idiomate, cuius illic vsus est, magnopere proficeret, decreuisse in Italiam regredi: in ipsa autem via occurrisse illi adolescentulum, qui causa cognita,

cognita, redire eum iuſſit, quoniam Deus illius ſermonis notitiam ei concederet; itaque ab ea hora tam bene, & expedite ſciuiſſe, ac ſi in eo natus eſſet. Atque etiam circa idem tempus Boſina vrbs Dalmatiæ Gerardi Generalis Miniſtri opera conuerſa eſt ab hæreſi, cum illac forte iter habuiſſet; qui deinde pluribus etiam eo miſſis, finitima loca, quæ erant eadem labe infecta, expugnauit, & ad Chriſti ouile reduxit. Odoricus autem Foroliuienſis eodem ipſe quoque ferme tempore, tum vt honores fugeret, qui illi ab omnibus habebantur, tum feruenti animarum zelo adductus, impetrata à Superioribus facultate, contulit ſe inter infideles, vbi per varias excurrens prouincias verſus Orientem, & Meridiem, eo in opere annis decem & ſeptem poſitis, viginti mille animas ſolus baptizaſſe, & ſalutari doctrina inſtituiſſe dicitur. At verò circiter annum M C C C L X X. Gulielmus Pratus Cataium miſſus euangelizandi cauſa, plures quàm ſexaginta ex ſuis abduxit. In Hungaria autem cum Rex ille finitimas quaſdam prouincias recens ſubieciſſet, deſtinatis eo Franciſcanis octo, non pluribus diebus, quàm quinquaginta C C. millia hominum ad Chriſtum adduxerunt, quo ſucceſſu impulſus Rex optimus, ad ordinis Generalem diligenter ſcripſit, vt duo mille fratres ad ſe mitteret, quoniam nulli defuturum eſſet opus: legitúrque adhuc huius Generalis epiſtola, qua ſuos ad tam optabiles, & glorioſos labores, pie & feruenter inuitat. Nec tacendus Ioannes Capiſtranus, qui annum circiter M C C C C L. vna excurſione duodecim infidelium millia, & multos præterea ſchiſmaticos Eccleſiæ aggregauit. Multa liceret eiuſmodi colligere fructuoſe facta & ab aliis familiis, & ab hac minima Societate noſtra, quæ tum in Italia, & Hiſpania, vbi catholica pietas viget incorrupta, eam operam nauat, quàm omnes norunt, ac vident, tum verò in Gallia, in Belgio, in Germania, Polonia, totóque illo Septentrionis tractu hæreſum ferme peſte laboranti, impigre ſe vbique impendit catholicis confirmandis, rudibus edocendis, hæreticis vel reducendis, vel ſaltem conuincendis, idque & concionibus, & ſcholis, & priuatis congreſſibus, & omni denique ratione, ac vita; quod quantopere Satanæ doleat, declarauit ipſemet nuper, qui, vt certo accepimus cum in energumena quadam exorciſmis adigeretur, confeſſus eſt inter cetera, nullam ſe gentem acerbius odiſſe, quàm Ieſuitas.

Verum ne ſimus longiores, duos tantum ex duabus familiis

liis commemorabimus, vt appareat quid vniuersi ordines prodesse potuerint, cum singuli homines ex ipsis ordinibus adeo profuerint. Alter igitur est Bernardus, cuius certè beneficia in Ecclesiam vniuersam vix æstimari possunt. Is enim in tetro illo schismate aduersus Innocentium ita elaborauit, vt verè dici possit, illius vnius opera, & auctoritate tandem esse sublatum. Primum enim Gallias ei solus coniunxit, cum Stampensis synodus ad hanc rem ex omnibus Episcopis, & Rege, & principibus conflata, omne suum iudicium in illius iudicium reiecisset. Deinde Henricum Angliæ Regem idem conciliauit, & quidem renitentibus, & aduersantibus omnibus prouincialibus Episcopis: Deinde Germaniam quoque omnem. Postea venit ad Pisanum Concilium, quo omnes Occidentales Episcopi conuenerant; cuius actis omnibus de rebus grauissimis, & maximis, non solum interfuit, sed etiam quodammodo præfuit, cum scilicet ad eum omnia referrentur. Exinde cum Burdegalensis Ecclesia perditorum hominum factione agitaretur, & pluribus iam locis legitimi Episcopi pellerentur, ipse à Pontificis Nuntio Carnotensi Episcopo excitus, flammam illam oratione, miraculis, auctoritate extinxit. Post quæ ad vrbem Romam publicis calamitatibus afflictam Pontificis, pluriúmque Cardinalium litteris euocatus, publica disputatione Rogerium Siciliæ regem confutauit, tum Petri Leonis Antipapæ partes ita consilio, ac sapientia debilitauit, vt ille ab omnibus desertus ad extremum miserrimè perierit. Quid? Petrum Abailardum hæreticum doctrina, atque eloquentia præfidentem, cum iam vix esset qui resistere posset, quomodo primū in priuato congressu, deinde in Senonensi Concilio abiecit? Mox Gilbertum Porreatanum, cuius item celebre nomen erat, quomodo in Concilio Rhemensi conuicit, vt ipsemet errorem suum palam condemnaret? Denique Henricum apostatam, qui Tholosanam diœcesim impietate sua infecerat, & inficere pergebat, solus ipse fudit, ac fugauit, ex qua ipsa fuga retractus in vinculis, atque Episcopo traditus est. Quid aliæ peregrinationes, modo Mediolanum, modo Genuam, modo ad Galliæ Regem, omnes pro arduis Ecclesiæ negotiis, omnes etiam cum felicissimo exitu? In his autem itineribus, quę ad eum vbique causæ deferebantur, qui concursus fiebant, cum perpetuo eius domus euntium, & venientium, ac sese inuicem comprimentium multitudine compleretur? Fructus verò, qui ex eius concionibus ad populum existebat, ne cogi-

tari

tari quidem poteſt: quam innumerabiles videlicet ex vitiis ad bonam frugem ſe receperint, quam multi diſſidentes ſint eius oratione reconciliati, quam multi ex Satanæ faucibus erepti, cum quocumque ille accederet, diuini amoris faces iniјcere videretur: quod vel ex eo apparet, quod præter eos, qui illius opera ad alios religioſos ordines ſe è ſeculi vanitate recipiebant, numquam ille Clareuallem rediſſe dicitur, niſi magna ſtipatus caterua nouitiorum, quos illius ſermones in rete Domini compulerant, & quidem ferme theologia, & eloquẽtia, tum etiam nobilitate inſignium; inter quos Henricum numerant Franciæ Regis germanum fratrem, & alterum, Herueum nomine, ex ſanguine item regio. Atque hæc de Bernardo. Alter cum hoc viſus eſt nominandus Vincentius ex Prædicatorum familia, cuius quidem opera tam longe, lateque peruagata eſt, vt mirum fuerit, tam multas regiones potuiſſe vnius hominis paſſibus percurri, quot ille euangelizando peragrauit. Primum enim in Hiſpania Valentiæ regnum, Cataloniam, Aragoniam, Nauarram, denique excepta Gallitia, & Luſitania, quibus ob certas cauſas abſtinuit, ſingulas prouincias, ſingulas vrbes, ſingula ferme oppida obiit. Hinc Galliã ingreſſus regnum Occitanum, Delphinatum, Franciam, Burgundiam, Normanniam, Prouinciam, Aluerniam, Vaſconiam, Britaniam, & Flandriam ipſam, ac totam Sabaudiam, poſtea in Italiam deſcendens Pedemontum, Inſubriam, Liguriam, & omnia eius littora adiit: poſtremo etiam ad Baleares inſulas nauigauit. Deinde ab Henrico Angliæ rege humaniſſimis litteris, ac nunciis, & naui ad hoc ipſum miſſa, inuitatus, eam primum inſulam totam, mox Scotiam, poſtremo etiam Hyberniam luſtrauit, & quidem, vt ante dixi, non metropoles tantum, aut maiores ciuitates, ſed vbique villas ipſas, & ignobiles pagos Chriſti exemplo circumiens. Itaque quis præter Deum numerare poſſit, quot ille animas ex vitiorum cœno, ex ipſis inferni portis reuocarit, quæ vitia ex totis ciuitatibus, & prouinciis eradicarit, quantam vbique lucem diuinarum rerum reliquerit? Illud quidem conſtat, Iudæorum modo, contra quorum perfidiam, cum eo tempore abundaret, illius zelus exarſerat, ſupra viginti, & quinque millia, Saracenorum octo millia ab eo ad Chriſtum abducta fuiſſe, Chriſtianorum vero perditorum, qui ſe ad bonam frugem receperunt, pluſquam centum millia. Sed facilius, & certius ſit prouincias, ac regiones, quam animas numerare, quas ille ad ſalutem reuoca-

reuocauit. Sic enim scribitur, quocumque is pedem intulisset, statim illic sequi consueuisse generalem pœnitentiam priorum delictorum, generalémque morum reformationem, aleam, blasphemias, periuria, aliáque flagitia, immo vero etiam ineptias, & ludos ita cessare solitos, vt ne eorum quidem esset recordatio: denique tãtam fuisse omnium cõtritionem, religionem, modestiam, nec solum dum ipse adesset, sed aliquandiu postea, vt prisca illa Apostolorum ætas redisse videretur. Itaque si nullos alios habuisset religio præter hos duos, qui in hominum moribus reformandis operã posuissent, & de Ecclesia benemeriti essent, nónne hoc ad eius laudem, ac gloriam satis magnum, & illustre fuisset? Sed habuit etiam alios permultos, vt Franciscum ipsum, de quo mirabilia in hoc genere accepimus, vt Antonium Patauinũ, Bernardinum Senensem, vtrumque Vincentio huic pene æqualem, aut etiam fortasse æqualem, vt etiam alios, quos longissimum esset percensere.

Atque hæc quanquam ita sunt gloriosa, & honorifica religiosis, nihil tamen præclarius, aut gloriosius, quam totius noui orbis conuersio, quæ quantacumque est, tota est religiosorum. Ipsi enim primi Euangelium in oras illas intulerunt, ipsi Christi nomen antea ignotum, & inauditum promulgarũt iidémq; adhuc proferre, & propagare nõ desistũt. Primos omnium, qui tantam hanc prouinciam aggressi sint, Franciscanos fuisse legimus, atque eosdem etiam in iis regionibus inueniendis, cum antea ne de nomine quidem auditæ essent, magnopere contulisse. Cum enim Christophorus Columbus de ea nauigatione instituenda apud Ferdinãdum Hispaniæ regem ageret, nec ei, vt in re tam noua atque incerta, multum fidei haberetur, Patres duo Franciscani valde eum iuuisse dicuntur, tum ipsum animando, tum etiam Regem impellendo, vt eam occasionem omnino tentaret. Itaque cum impetrata classe Columbus Mexicana regna feliciter aperuisset, atque in Hispaniam tam lætæ rei nuncius reuertisset, statim aliquot eius familiæ patres in ea loca nauigarunt, annum circiter à Christo nato M CCCXCIII, Atque eodem pene tempore ad Occidentalem Indiam Emanuelis Lusitani regis auspiciis à Vasco Gama patefactam, anno videlicet M D. missi sunt Euangelij causa ex eadem familia viri octo, tum doctrina, tum pietate præstanti. Ab his initiis hic ordo per eas regiones diffusus, multiplicatis breui tempore domiciliis, tres-decim, vt ipsi vocant, prouincias

Hh instituere,

instituere, in quibus magnam Christianæ rei operam nauarunt, & adhuc nauant. Ad eosdem labores paulo post, id est anno Domini M D V. nauigauere etiã Dominicani, qui item multa illic præclare gessere, deinde Augustiniani, postremo loco nostra Societas I E S V, quæ in Orientalem Indiam, Ioannis Lusitani regis rogatu, per Franciscum Xauerium introducta est, anno M D X L I. in Occidentalem paucis post annis Philippi Hispaniarum Regis voluntate: in quam quidem prouinciam, ex quo eam suscepit, sic incubuit, vt non solum eos, qui iam Christiani essent, excolere non cessarit, sed etiam Euãgelium latius propagare, eóque inferre, quo nunquam antea peruenerat, vt in Iaponem; quæ regio cum pluribus, quam sexaginta regnis constare dicatur, tamen quicquid adhuc est illic religionis, ac fidei, ipsa sola plantauit, sola rigauit, Deus autem tale incrementum dedit, vt iam ducenta fere Christianorum millia censeantur. Ac nuper etiam in Sinense regnũ illud, tantum támque opulentum, vt fidem pene excedat, quod antea quasi clausum à dæmone tenebatur penetrarunt tamen nostri, nihil veriti periculum capitale omnibus aduenis propositum, in eóque hoc tempore versantur, tam bonis initiis, vt si successus respondeant, magni deinceps sperentur progressus. Consideremus nunc igitur quanta sit hæc res, quámque honorifica religiosis corã ipso Deo, & Angelis eius, quod ad hoc tam præclarum munus in tota illa mundi parte soli ipsi adhibiti sint. Nam in primis ipsum opus euangelizandi, & fidem Christianam promulgandi, vbi antea nulla erat, maximum certe est, & Apostolicum. Vt enim Christus Dominus Apostolos elegit, quibus dixit: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, & docentes seruare quæcumque mandaui vobis: vt igitur orbis huius nostri cõuersionem discipulis illis suis mandauit, sic illius alterius orbis mandasse videtur religiosis. Atque ille quidem orbis si cum huius nostri magnitudine, & amplitudine comparetur, eam fere exæquare dicitur: si vero mores, atque ingenia spectemus, multo illic maior barbaries, & tenebræ, & cæcitas, cum alij solem, ac lunam, alij serpentes, aut lapides, nonnulli etiã boues venerarẽtur: alicubi vero, vt in Mexicano regno, festos dies immolandis hominibus funestarent, multi quoq; humanis carnibus auidissime pascerentur; deniq; bona pars, quod natura adeo abhorret, nullum vestimenti vsum nossent: ex quibus omnibus constare possit, ita in eis ipsum naturale

Matt. & Mar. vltimo.

turale lumen hebetatum, atque obscuratum fuisse, vt in hominis figura belluæ feritatem gererent. Itaque in tanta nocte, támque densa mentis caligine, illud quoque necessarium erat, vt magna scelerum, & flagitiorum immanitas sequeretur, vt mirum esset, quod de iis cognouimus; quam infanda peccata, quam nihili fieri consueuissent. Ex his igitur intelligi potest quanti laboris, ac sudoris id opus fuerit vt tanta ruditas, ac feritas hominum ad Dei noticiam, & timorem adduceretur, & tâquam mansuefacta Christi iugo collum insereret, brutisq; illis moribus abiectis, Christianam humilitatem, modestiam, castimoniam disceret. Hæc enim tota laus, post Dei gratiam, eorum fuit, à quibus gens illa tam agrestis edocta, & instructa, & ad hanc humanitatem, atque pietatem informata est. Ad hunc, quem dixi laborem, accedunt deinde quasi pro cumulo gloriæ, multæ quoque difficultates, atq; incommoda, & innumeræ tum corporis, tum animi molestiæ, vt in primis ipsa nauigatio tam longa, támque difficilis, deinde regionum conditio, & natura, alibi frigoribus grauissimis, vt in Iapone, alibi intolerandis caloribus, vt Hormutij, vbi homines æstate in ipsa aqua collo tenus immersi iacere dicuntur: tum etiam sæpe inopia alimentorum, vt in locis sterilibus, atque incultis; quæ vero sunt alimenta, valde insueta, atque aliena. denique accedunt etiam frequentia naufragia in illis syrtibus, atque typhonibus, & quod omnium gloriosissimum est, crebra pericula à barbaris fidei hostibus; quod quidem cum contingit, vt fidei causa illorum manibus quispiam mactetur, verissimum, ac certissimum est martyrium. Itaque credo equidem ex aliis quoque ordinibus, sed quod scriptis à me cognitis extet, ex Franciscanis ferme triginta, variis in locis, & vario lethi genere pro Christo cæsi sunt, ex Societate autem nostra, his paucis annis, circiter septuaginta, ex quibus aliqui recentissime. Quæ cum ita habeant, quam gratos Domino, ac Saluatori nostro esse putemus labores illos tam fructuosos nobis, tam salutares proximis, tam ipsi Domino gloriosos? Declaratum est hoc aliquando Franciscano cuidam Alphonso Rozæ, qui pluribus annis in eo opere exhaustis, cum se quasi colligere, & ad mortem diligentius comparare cupiens, in Hispaniam reuertisset, quoties diuinarum rerum meditationi vacare vellet, toties Christum ipsum in cruce præsentem intueri videbatur, qui cum querela, & obiurgatione quadam interrogaret, cur se in cruce illa reliquisset, & suæ potius quieti consuluisset.

Quo ille viso tam sæpe iterato commonitus, & multum commotus, Indicam messem repetendam decreuit, in qua etiam deinde plures annos se exercuit. Simile etiam huic fuit illud, quo Xauerium nostrum Dominus ad idem opus multo ante inuitauit. Nam, vt ipse narrabat, sæpe per quietem visus est sibi Æthiopem in humeros sublatum deferre, cuius pondere adeo grauaretur, vt ipsa oneris magnitudine excitaretur è somno mire defatigatus: quod vtrumque postea exitus ostendit, cum & populos illos studio, atque opera quasi ad Christum pertulit, & in ea re tot, tantósque labores exhausit, vt mirum fuerit hominis vires potuisse sufficere. Hæc igitur pauca dicta sint de innumerabilibus fructibus, quos religiosorum feruens industria Christiano orbi attulit.

Causa cur status religiosus aptissimus sit omnium ad hunc fructum efficiendum.

CAPVT XXXI.

NON solum tanta extitit ex religiosis ordinibus spiritualium fructuum vbertas, quantam diximus; sed hoc etiam verissimum est, nullum hominum genus, nullum statum reperiri ita ad hoc idoneum, & aptum; idque propter multas rationes, quas breuitatis causa in tres contrahemus, Prima ducitur ex ipsius Dei natura, & more. Nam si quis Dei rationem, atque institutum in mortalium salute propaganda ab ipso Ecclesiæ initio attentius inspexerit, facile intelliget, hoc semper fuisse eius consilium, vt ad tantum hoc onus eos maxime administros, adiutorésque adhiberet, qui essent maxime humanis omnibus præsidiis nudati. Notauit hoc,
1. Cor. 1. & docuit Paulus Apostolus, qui de primæua illa Ecclesia loquens, testatur, non multos in ea fuisse potentes, vel nobiles vel sapientes secundum carnem, quoniam infirma mundi elegisset Deus, vt confunderet fortia, & ignobilia, atque contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret. Cuius causam illam sapientissime reddit, vt non glorietur omnis caro, id est, ne tantæ rei perfectæ laus, Christi
Lib. 5. in Luc. Cruce, vt idem ait, euacuata, in homines, humanásque vires transferretur. Quam in sententiam illud quoque ab Ambrosio recte dictum est, Aduerte, inquit, cæleste consilium, non sapientes aliquot, non diuites, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxisse potentia, ne redemisse diuitiis, ne potentiæ, nobilitatísq; auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, vt veritatis ratio,

ratio, non disputationis gratia præualeret. Non igitur putandum est, mutatū esse Deum, Deíque sapientiam aliam nunc formulam in hominum conuersione sequi, quam antea sequeretur: nam neque in Deum cadere potest mutatio, & eędem causæ nunc quoque extant, ne humanis viribus id, quod omnino diuinū est, tribuatur, ad quod procliue esset hominum iudicium, quorum videlicet oculi, vt carnales, exteriora tantum vident, quæ ab hominibus geruntur, interioris autem gratiæ vim à qua promanant hi effectus, videre non possunt. Sed hoc interest inter hæc tēpora, & illa, quod tum quidem eos fere Dominus elegit, qui statu, ac conditione inopes essent, & tenues, nunc autem qui sua sponte ad eam se paupertatem redegerunt. Cuius ratio hæc est, quin si diuites, vel nobiles omnes ab hac perfectione excluderētur; magno scilicet bono nulla ipsorum culpa priuati essent: & rursus si cum diuitiis ipsis admitterentur, illa, quam diximus, diuinæ sapientiæ regula perderetur. Quamobrem sic vtrumque mirabili artificio tēperatum est, vt etiam opulēti, & potētes, & claris natalibus orti, huius laudis participes esse possent, sed ita, si illas opes, & illum splendorem exuerent, séque ipsos ad humilem, inopémq; statum sua voluntate componerent. Itaque hoc etiam obseruare licet, quamdiu Ecclesia opibus caruit, eiúsq; operarij pauperes ipsi, ac rebus omnibus terrenis vacui, hanc Domini vineam coluerunt, ita vt, sicut Apostoli, in fame, & siti, in frigore, & nuditate vitam ducerent, nullis ferme aliis ministris vsum esse Deum. At vero posteaquā, vt ait Hieronymus, potentia, & diuitiis maior, sed virtutibus minor effecta est (quam ille ætatem iam tum fecem temporum appellat) tunc primum, ac deinceps semper Dei bonitas religiosorū pauperum genus ad opus illud, quod omnino per pauperes geri volebat, aduocauit. Hoc enim illud est, quod ad Goliath gygantem Deo, & Dei copiis insultantem, qui dæmonis est typus, prosternendum non alterum gygantem, ac ne virum quidem firmiori ætate, sed puerum, cúmque inermem adhibuit. Hoc est, quod mœnia Hierico, idest Satanæ munitiones, non bellicis tormentis, non militari impressione, sed sono, quo nihil est inanius, subuerti, ac dirui voluit. Hoc etiam indicat noua illa pugnandi forma, non alio telo, quam lampadis lagena inclusæ, quod est sanctitas exterioris vitæ humilitate contecta, quæ tamen erumpat necesse est, & erumpens omnem Satanæ exercitum, viresque confundat. Hæc igitur ratio valet apud Deum.

In vita Malach. *1. Reg. 17* *Ios. 6.* *Iud. 7.*

Altera est, quæ valet apud homines ipsos, in quibus faciendis est fructus. Nam cum ad cohortandum multo maius pondus habeant exempla, quam verbo, frustra de gloria fugienda, de amanda paupertate, de voluntario sui contemptu, ac submissione, deque tota euangelica mortificatione differet, quē auditor videbit ipsum vel diuitiis abūdare, vel honoribus, aut externa eiusmodi gloria. Nam esi possunt ista haberi sine affectu, & ita vt, iis cor non apponatur, tamen & hoc rarissime fit, & cum fit, homines latet, qui scilicet animi arcana penetrare non possunt. Nunc autem non id quærimus, quid fieri queat, sed quid ad faciendam populis fidem, & ad animos permouendos magis valeat. Cui autem dubium sit, quin multo certius credituri sint homines, illum res humanas contemnere, qui eum contemptum ipsis factis, & re ipsa prę se fert, quam eum, qui si modo ita affectus est, tamen eum contemptum animo inclusum tenet? Est etiam auctoritas quædam in hoc vitæ genere. Nam cum maior mortalium pars tum voluptatibus, quæ sunt quædam blandissimæ dominæ, tum ceteris præsentibus bonis capiantur, quod deinde perspiciunt iis vitiis tam facile obsistere, quibus & se ipso, & alios captiuos retineri sciant, eos vero suspiciunt, ac tum tacitis cogitationibus tantam præstantiam admirantur, tum etiam apud alios maximis efferunt laudibus, eaque mirifica quædam res multitudini videtur. Nec iniuria. Magnum est enim & ista vincere, & seipsum, suasque cupiditates subigere; & qui mundum omnem cum suis præmiis despexerunt, eos omnino magno, excelsoque animo esse oportet. & in iis excellentes quasdā, & singulas inesse virtutes. Quare cū hæc rerum despicientia admirabilitatem tantam faciat, apparet nihil ad persuadendum aptius, nihil grauius ad voluntates commouendas esse posse: qui autem hoc non habeant, eos magno plane adiumento carere, & quasi instrumento ad hunc fructum & serendum, & demetendum. Videamus quid in hanc sententiam dicat Chrysostomus, qui aperte hāc esse putat causam, cur & Apostolorum tempora tam fructuosa fuissent, & sua iam tempora adeo sterilia essent, & infœcunda. Si homines, inquit, duodecim, terrarum orbem cōuerterunt, cogita quāta sit militia nostra, qui ne subditos quidem nostros corrigere possumus, cum tamen simus tam multi, vt decem millibus mundis pro fermēto sufficere valeamus. Sed dices, Apostoli signa habebant. Atqui non signa eos mirabiles effecerunt,

Hom. 46. in Matt.

runt,

sunt. Multi enim, qui dæmones eiiciebant, quia peccatores erãt, nihil tale fecerunt, sed puniti sunt. Quid est igitur quod eos magnos ostendit? pecuniarũ cõtemptus, gloriæ despect⁹ ab omnibus vitæ huius negotiis ereptio; quæ si non habuissent, etiamsi mortuos suscitassent, nõ solum nullos iuuissent, sed etiã seductores existimati fuissent. Hæc Chrysostomus, aptissime omnino ad religiosum statum, qui hanc ipsam paupertatem, rerumque omnium abrenunciationem profitetur.

Superest nunc tertia ratio, ducta ab iis ipsis operariis, qui hanc animarum quasi mercaturam tractant. Non enim dubitari potest, quin ad opus hoc multo melius parati sint, qui nihil omnino in hoc mundo possident. Primum quia liberi sunt, expediti, & alacres ad currendum quocumque eos Domini spiritus impulerit: propterea quod non liberorum, non agrorum, nõ rei familiaris procuratione eorũ cogitationes illigãtur, ex quibus duo magna damna consequi solẽt. Nam & tempus eripiunt, quod in aliis melioribus studiis vtili⁹ poneretur, & ipse animus, velit, nolit, reb⁹ ipsis, quas tractat, nimiũ adhęrescit; quod vtrumque euangelico operario & indignum, ac turpe, & maxime etiam incommodum est. Atq; hoc quoque à Deo in veteri illa bellica lege aperte designatum est, qua ij castris excedere iubebantur, qui vel domum nouã ædificassent, vel nouam vineam cõseuissent, vel etiam vxorem recens despondissent, aut denique ob aliam aliquam causam formidolosi essent. Quo quidẽ delectu tum alias sæpe multi, tũ in Gedeonis bello viginti & duo hominum millia dimissa scribũtur, quin etiam ex reliquis decem millibus quotquot se ad bibendum pronos proiecerunt, omnes à Deo exauctorati sunt, trecenti tantum retenti qui erecti biberãt, quorum opera, cum tam pauci essent, insignem victoriam patrauit. Quid hoc igitur est aliud, quam id, quod iamdudum tractamus, qui vineis procurãdis, id est terrenis negotiis, qui vxoriis deliciis, ceterisque corporis voluptatibus, aut alio vllo mundano vel timore, vel amore tenentur, quique ad infima ista sese abiiciunt, eos ad cœlestem hanc militiam ineptos esse? Itaque selectus ille trecentorum hominum manipulus, exiguus certe, sed virili plenus robore, aperte religiosos designat, tum curis omnibus terrenis vacuos, tum etiam omni humano timore, qui ad eas curas consequi solet; qui ipsi quoque pauci, si cum reliqua hominum multitudine comparentur. Itaque bene, & sapienter Ambrosius in Lucam. Qualis, inquit, debeat esse qui euangelizat regnum

Deu. 20. *Iud. 7.* *Lib. 6. in Luc.*

Dei, præceptis euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est subsidij secularis adminicula non requirens: fideque tutus putet sibi, quo minus ea requirat, magis posse suppetere. Accedit etiam aliud quod cum homines non fere ignorantia peccent(satis enim iam promulgata est Dei lex, satisque norunt omnes quid agere debeant (cum igitur non ideo peccent: quia nesciant in quibus peccent, sed quia infirmam, & corruptam gerunt voluntatem, profecto non tam docendi, quam inflammandi, nec tam instruenda est eorum mens, quam excitandus affectus. Atqui ad alios excitandos nihil tam necessarium est, quam vt qui id facere velit, ipse excitatus, & commotus sit: quod egregie, vt omnia, attigit Gregorius quodā
8. Mor. ca. 25. loco Moralium. Mens, inquit, concupiscentiis exterioribus occupata, igne diuini amoris non calet; & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. Neque enim res, quæ in se ipsa non arserit, aliud accendit. Quod Gregorij dictum illa etiam necessaria ratione confirmatur, quoniam cum, vt Philosophi sentiunt: omnes effectus causis suis, à quibus manant, similes, & congruentes esse oporteat, numquam opera illa, amandi Deum, deserendi peccata, & cupiditates, & alia eiusmodi, quæ sunt plane cœlestia, ac diuina, humanæ doctrinæ, vel eloquentiæ vi perfici poterunt, sed cœlesti, ac diuina virtute opus est. Hæc autem virtus quam rara est in seculo, tam frequens est in statu religionis: ex huius enim fontibus plenius, largiusque hauritur, vbi repletus quisque deinde ex cordis abundantia ad aliorum vtilitatem, quasi ex thesauro profert noua, & vetera.

Restant duo in religiosis, quæ ad hunc fructum proximorum, & ad hostium profligationem valde sunt apposita, primum coniunctio ipsa multorum, & tanta coniunctio, qua nō possit esse maior. perspicuum est enim nullam rem magnam effici posse sine multorum adiumentis. Cuius ratio ea est, de qua alio loco à nobis ipsis vberius dictum est, quoniam nemo omnia solus habere potest. Ex quo fit, vt qui in proximorum fructu solus elaborare velit, quemadmodum in aliis rebus omnibus, ita in hac etiam necesse sit eum multis, & necessariis præsidiis destitui.

Const. Mo. c. 19. Contra vero in religiosis illud euenit, quod præclare dictum est à S. Basilio, vt veluti milites testudine, quam vocant, facta, sese inuicem ita muniunt, vt sint impenetrabiles, sic ipsi

sic ipsi propter coniunctionem, qua nexi sunt, sese mutuo, vt ipse ait, consepiant, & se inter se protegant; ex quo non solum fit vt inimicorum ictus repellant, sed etiam inimicos ipsos facile fundere, & fugare etiam ab alijs possint. Id autem faciunt multorum viribus, ingeniis, laboribus in vnum collatis, eoque magis faciunt, quo maior vigeat in vnoquoque ordine animorum, voluntatumque consensio.

Altera res est professio castitatis, quam Deus ita amat, vt eam etiam ad dæmonem frangendum, ac debellandum adhibeat, cuius imaginem cum gereret Holofernes cum suo exercitu, merito ad eum profligandum non aliis armis vsus est Dominus, quam Iudith pudicitia. idque vidit, & prædicauit summus sacerdos Ioacim, qui in communi gratulatione post tantam victoriam, sic eam celebrauit, Eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nesc:eris, ideo & manus Domini confortauit te, & eris benedicta in æternum. Quare si in tanto populo vnam Iudith extitisse mirabile fuit, & vna, quæ extitit, tantam vtilitatem attulit toti genti, quam pulchrum, & gloriosum erit Christianæ Ecclesiæ, quod in ea tot agmina visuntur integre & caste viuentium, quæ vero etiam vtilitas ex iis manabit, aut quæ vis ad infernum illum Holofernem, idest Satanam, eiusque satellites perdendos, ac profligandos? *Iudit.15.*

Hoc igitur intuentibus licebit admirabilem Dei prouidētiam agnoscere, qui suam Ecclesiam nouis semper supplemētis iuuare, atque opportune recreare non destitit. Videtur enim tres eius quodammodo ætates, & tempora distinxisse, primum sanctorum Martyrum, qui hunc Ecclesiæ agrū sanguine suo rigantes fœcundiorem effecere: deinde vero sanctorum Doctorum, quos Gregorius hyadum mysterio in libro Iob designari ait: quoniam vt hæc astra hyeme, demum transacta, apparere incipiunt, & pluuiam afferre solent, ita viri illi scientiæ imbres in terram effundere cœperunt, cum remota persequutionis bruma, & diminutis infidelitatis noctibus, verna temperies, & tranquillitas aduentauit. Tertia vero ætas fuit hominum religiosorum, qui post illos vtrosque tū multo magis multiplicati, tum etiā in humani generis subsidium inducti sunt. Ac vt initiis illis, cum nascens Christi fides à tam multis hostibus oppugnabatur, eos esset oportuit, qui propriæ vitæ opposito eam tuerentur: vt etiam numero fidelium adaucto, opportuna fuit Doctorum eruditio ad eos instruendos, & ad hæreses, quas simul nasci necesse erat, *9. Mor. cap. 9.*

coercendas; ita in hoc tertio ſtatu, in quo pacis, ac ſecuritatis diuturnitas terrenarum rerum amorem, cœleſtium obliuionem tamquam tenebras offuderat, diuino vtique cõſilio factum eſt, vt ea viuendi formula in orbem terrarum paſſim induceretur, quę ſimul & hæc vitia, paupertatis, humilitatiſque voluntariæ exemplo caſtigaret. & tamẽ etiam doctrina aduerſus hæreſes, quæ ſemper pullulant, depugnaret. Quæ quidem omnia expreſſe mihi videtur præclara quadam viſione S. Franciſco demõſtrata, atque eadem opera aliis quoque, qui, vt Franciſcus, nuntium ſeculo remiſerunt. Hunc enim narrat Bonauentura, cum aliquando ſecularis adhuc, pauperi cuidam ipſas ſuas veſtes Dei amore donaſſet, proxima nocte in quiete viſum ſibi eſſe, duci ſe in amplum palatium, in quo ampliſſima item eſſet aula omni armorum genere referta, ipſa autem arma Chriſti cruce omnia inſignita. Quærenti autem cuiuſnam illa eſſent, audiſſe reſponſum, ipſius eſſe omnia, eiuſque militum. Igitur è ſomno experrectus, cum, vt adhuc ſpiritualium rerum rudis, nocturnum viſum de temporali militia interpretatus, principatum ſibi in eo genere, magnamq; gloriam portendi credidiſſet iter ingreſſus eſt ſtatim ad quẽdam Appuliæ Comitem, cuius pręſidio aditum ſibi ad eam fortunam paraturus videbatur. In quo itinere iterum Dominus eidem dormienti, Franciſce, inquit, vter tibi melius facere poteſt, dominus, an ſeruus, diues, an pauper? Cum Franciſcus quod erat reſpondiſſet, Cur ergo, ait, pro ſeruo dominum relinquis, & pro paupere homine diuitem Deum? Tum ille, Quid me igitur facere iubes? Redi, inquit, in patriam tuam: quod enim vidiſti, nihil temporale indicat, nec humana, ſed diuina ope in te complendum eſt. Ex hoc igitur Dei teſtimonio illud cognoſci poteſt, tum familiam hanc, tum reliquas, quæ, vt illa, pro animarum profectu contra dæmones bellum gerunt, quotquot eæ ſunt, totidem eſſe armentaria bene inſtructa, aut totidem turres
Cant. 4. Dauid, quæ ædificatæ ſunt cum propugnaculis, ex quibus, vt dicitur in Canticis, mille pendeant clypei, & omnis armatura fortium.

Quam multi religioſi in doctrina, & in eloquentia excelluerint.

CAPVT XXXII.

POſt ſpiritualia ornamenta, quæ ſunt ſupra naturam, & quæ ſine vlla controuerſia prima, ac præcipua exiſtimari oportet,

oportet, tamen sunt etiam alia naturalia, quæ hominem magnopere illustrant, & augent: in quibus duo illa amplissima censeri debent, doctrina, & eloquentia. Nam cum hominis naturæ duo sint propria, ratio, & oratio, quo vtroque naturam belluarum superat, sequitur vt qui hæc maximè perfecerit, is maximè inter alios homines emineat, multo plus, quam si opibus, aut diuitiis emineret. Itaque hæc etiam ex eo genere sunt, quæ mortales ipsi suspicere, & admirari solent. Quamobrem etsi propria religiosorum bona, in quibus regnant, sunt bona gratiæ, & spiritus, tamen hoc etiam placuit diuinæ bonitati, vt eos insuper his, quæ dixi, cumularet, siue vt nihil huic statui deesset ex veris, solidísque ornamentis, siue quod hæc optime, & commodissime cum spiritualibus bonis conspirant, tum ad nostrum ipsorum profectum, tum ad opem proximis ferendam, cui pleraque hæc instituta diriguntur. Atque eruditionem quidem ita in religiosis effloruisse videmus, vt verè dicere possimus ab ijs etiam erudiriorem esse factam, maiorémque in modum illustratam, vt facilior, & planior posteris traderetur. ij enim tum viuentes docendo, disputando, interpretando litteratis hisce studiis incredibile lumen attulere, tum verò ea etiam scripta, támque multa post vitam reliquere, quæ omnes ferè scientias planiores, apertioréfque fecerint, quas quidem dignas statuissent, in quibus elaborarent. Libet igitur quasi cursim omnem religionum ætatem ab initio inspicere, vt eorum multitudinem, & copiam videamus, qui in doctrinarum studiis magni fuerint: quod etiam eo magis mirum est, quoniam veteres illi monachi de industria sese à litteris remouebant, quo se totos in vna rerum cœlestium contemplatione abderent, vt de Benedicto narrat Gregorius, qui cum liberales artes Romæ aggressus esset, consilio eas deserens, recessit, vt ille ait, scienter nescius, & sapienter indoctus. Sed tamen neque illo tempore, neque vmquam defuere eruditi, vt Serapion, & Pamphilus, Lucianus, vt sex Ecclesiæ Doctores, tres Græci, totidémque Latini, de quibus antea diximus, & alij complures, quos omitto, vt ad propiora veniamus. Nam vt à Benedictino ordine antiquissimo incipiamus, iam sunt mille, & septuaginta anni, ex quo hic ordo natus est. His igitur vndecim ferè seculis, mirum certè est quàm multos semper, & quam præstantes in omni genere produxerit viros. Primo enim seculo, id est vsque ad annum Domini sexcentesimum viguit, vt scimus, Cassiodorus, de

2. Dial. cap. 1.

quo

quo ſupra diximus, eíque æqualis Dionyſius cognomento Paruus, vir ſui temporis eruditiſſimus, tum diuinis, tum etiam humanis litteris, quod oſtendunt ſcripta ab eo relicta: eodémque tempore Gregorius Magnus, Gregorius Turonenſis, & Leander Hiſpalenſis, ſatis adhuc per ſe noti. Secundo ſeculo à ſexcenteſimo ad ſeptingenteſimum, multum, vt accepimus, claruit Cæſarius, de quo item alibi diximus, in Gallia, Eutropius in Hiſpania, in Luſitania Ioannes Gerundenſis Epiſcopus, in Scotia Adamannus abbas, in Anglia Theodorus, qui Romæ monaſticam vitam profeſſus à Vitaliano Pont. Cantuariam deſtinatus eſt ſeptimus Archiepiſcopus, cuius de laudibus Beda ſæpè. Tertio ſeculo vſque ad annum octingenteſimum, Beda ipſe notiſſimus libris ſcriptis, tum Bonifacius ille Germaniæ apoſtolus, quem non ſola ſanctitas, ſed vt traditum eſt, inſuper etiam eruditio illuſtrauit. Deinde Ægidius abbas natione Græcus, idem philoſophus, ac poëta, quin etiam medicus inſignis, quippe qui multa de arte medica carmine ſcripſerit. In primis autem Alcuinus, qui ſuæ ætatis doctiſſimus habitus eſt, Caroli Magni magiſter, ita ei carus, vt eum delicias ſuas appellaret, cuius etiam prudentiæ Pariſienſem Academiam, quam Roma illuc tranſtulerat, ordinandam commiſit, idémque multa edidit, tum in ſacram ſcripturam, tum ſuoptè ingenio. Quo eodem tempore floruit etiam Paulus Diaconus auctor celebris hymni in S. Ioannem Baptiſtam, pluriúmque librorum, quorum pars adhuc extat. Quarto ſeculo vſque ad annum D C C C C. inſignis fuit Haymo monachus Fuldenſis, poſtea etiam epiſcopus, Alcuini auditor, omnino inter doctiſſimos numerandus, qui totam ſcripturam commentarijs illuſtrauit, aliáque propria ingenij monumenta reliquit. Neque huic inferior Rabanus ex Fuldenſi abbate Archiepiſcopus Moguntinus, qui iuſtam penè bibliothecam ſolus edidit. nam cum puer adhuc ab ipſis parentibus Fuldenſi monaſterio oblatus eſſet, tantum in poëſi, in philoſophia, & in ſacris litteris profecit, vt in tota Germania, fortaſſe etiam toto orbe, nullus ei æqualis putaretur. Cui tamen vt tempore, ſic ingenio proximi fuere, vt alios complures omittamus, Angelomus Luxouienſis, notus ipſe quoque ex libris ſcriptis, & Strabus Fuldenſis, cuius opus dicitur eſſe gloſſa, quæ ordinaria vocatur, ex ſanctorum patrum ſcriptis concinnata. Quinto ſeculo ab anno D C C C C. ad milleſimum, celebratur in primis Odo abbas Cluniacenſis, diuinis, & humanis

Libr. 4. & 5. hiſt.

nis

nis litteris eruditus, Herigerus abbas Lobiensis non in Gallia solum, sed tota Italia, & Germania ob doctrinæ opinionem celeberrimus: tum Ratherius ex monacho Lobiensi Episcopus Veronensis, qui miræ simplicitatis, sed magnæ litteraturæ fuisse traditur, & alij deniq; permulti: inter quos tamen nihil ita enituit, vt Radulphus monachus Fuldensis, de quo in Ecclesia tota hæc erat constans opinio, nullum ei vel in philosophia, vel in theologia parem esse, vt propterea ad eum ex toto ferme orbe difficillimæ quæque quæstiones referrentur. Sed multo etiam feracius talium ingeniorum fuit sextum seculum, in quo præter alios multos, quorum adhuc extant nomina, floruit Marianus Scotus, qui Fuldæ vndecim annos, quindecim Moguntiæ in cella inclusus durauit, quo tempore Chronica scripsit ab initio mundi ad sua vsque tempora, fuítque ob doctrinæ, & multo magis ob sanctitatis nomen in magna omnium veneratione. Ac eodem tempore celeber etiam fuit Lanfrancus, qui in dialecticis totáque philosophia, sui temporis princeps habitus est, idémque lumen, ac magister theologorum. Hunc tradunt, cum Papia, vbi natus erat, & vbi publicam scholam cum laude habuerat, in Galliam proficisceretur, à latronibus spoliatum, & abductum, prius impatienter tulisse, deinde in se reuersum, damnare cæpisse se ipsum, quod tam diuturnum studium sacræ scripturæ impendisset, neque adhuc Deum in tribulatione laudare didicisset, statímque vouisse, si euaderet, se deinceps Deo famulaturum. Liberatus igitur venit ad Monasterium Beccense, vbi aliquandiu ita latuit, quasi idiota, & illitteratus, donec ab Italis mercatoribus agnitus, & patefactus, primum à suis adhibitus est ad domestica studia moderanda, deinde etiam à S. Pontifice Cantuariensi ecclesiæ præpositus. Huic omnino simillimus fuit is, qui ei proximè in sede successit, Anselmus eius auditor, & in Beccensi item schola successor; de cuius Anselmi eruditione nihil attinet dicere, cum eam libri editi satis ostendant. His ascribendi duo Cardinales eiusdem temporis, Humbertus monachus Tullensis, quem Leo IX. ob excellentem doctrinam, & pietatem, ad eum honorem prouexit, & Constantinopolim legauit, vt Leonis Bulgarorum Episcopi audaciam frangeret. Alter fuit Petrus Damianus, cuius adhuc eruditio, & facundia ex eius pluribus scriptis nota est. Illud sanctitatis fuit, quod diu Cardinalis, & episcopi Hostiensis munere functus, denique pertæsus eius vitæ, Nazianzeni exem-

plo,

plo, ad pristina se recepit monachorum studia: cuius etiam facti rationem luculento scripto reddidit. Denique vt alios omnes omittamus, magnus etiam fuit per ea tempora Hermanus cognomento Contractus, cuius doctrina eo mirabilior fuit, quod eam insigni miraculo adeptus est. Ita enim scriptum est, hunc in Sueuia ex nobili Comite ortum, ab ineunte ætate omnibus membris captum fuisse, atque ob eam causam nomē illud, quod diximus, Contracti accepisse. Qui cum monachus factus esset, multis precibus Beatam Virginem rogare institit, vt ipsum eo morbo liberaret. Illa verò clara luce se ei visendam præbens, optionem obtulit, vtrum è duobus mallet, sanus ne fieri, sed vt erat rudis, & indoctus permanere, an perseuerare in morbo, & omnibus scientiis insignis euadere. Cum autem Hermannus, vt debebat, hoc posterius prætulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere litterarum facere cœpit, adeo vt neminem in his superiorem, vix etiam æqualem habere crederetur, ac nominatim tres linguas, Latinam, Græcam, Hebraicam, ita calleret ac si in ijs natus esset. In septimo seculo vsque ad annum M C C. multos item accepimus fuisse omni doctrina, atque optimarum artium studiis eruditissimos: quo in numero præcipuè ponitur Petrus abbas Cluniacensis, cuius tum alij libri extant, tum vnus de mirabilibus, & reuelationibus suo tēpore factis. Tum verò Sigibertus ex Gemblacensi cœnobio, & Gratianus ex Bononiensi, quorum ille insigne chronicon conscripsit, & alias insuper historias, hic nobile illud opus Decretorum ex Patrum sententijs, & Pontificum responsis digessit, approbatum deinde ab Eugenio I I I. Inter omnes autem maximè celebres illi duo, Hugo è cœnobio S Victoris Parisiensis, & Rupertus abbas Tuitiensis, cuius doctrinæ excellentiam non solum multa volumina ab eo scripta indicant, sed etiam miraculum, quo eam doctrinam accepit. Nam cum ingenio tardior esset, instarétque precibus apud Virginem Dei matrem, vt sibi à filio scripturarum intelligentiam impetraret, apparuit ei Mater illa gratiæ denuncians eius preces ab se auditas, tantúmque ei lumen impertitum iri vt nullus eius ætatis doctrina ei æquari posset, tantum videret, ne id talentum in terra defoderet, sed strenue exerceret; quod quidem ab illo abunde perfectum constat. numquam enim deinceps à legendo, vel scribendo cessauit. Octauo seculo ab anno M C C. vsque ad M C C C. floruisse accepimus Helmandum monachum Beluacensem,

in

in diuinis scripturis eruditissimum, & in secularibus etiam litteris, ac multis quoque libris scriptis nobilitatum: eodémque tempore Gulielmum abbatem Pictauiensem, non solum theologiæ, sed iuris etiam ciuilis scientissimum, deinde Philippum Pergamum in cœnobio Patauino egregium virum tum doctrina, tum eloquentia: tum etiam Petrum Bertorium monachum Parisiensem, cuius librorum grandis extat catalogus. Ab anno autem M C C C. vsque ad M C C C C. toto hoc seculo multi item celebrantur, vt Lapus Abbas S. Miniatis, in theologia, & insuper in vtroque iure peritissimus, Petrus Boherij abbas Auianensis, ipse quoque Decretorum doctor, præcipuè verò Petrus Rogerius, is qui postea ad Pontificatum euectus, Clemens VI. vocatus est, quem acerrimo ingenio, ac tum omni doctrina, tum etiam dicendi facultate egregie instructum fuisse ferunt, ita vt populum, quo vellet, concionādo impelleret. Quare nil mirum, si eum tot merita ad summam Ecclesiæ dignitatem extulerunt. Seculum decimum vsque ad annum quingentesimum, præter alios insignes viros, aliquot etiam habuit in iure Canonico admodum excellentes, vt Henricum Abbatem Nurembergensem, Ioannem Rode abbatem Treuerensem, cuius egregia opera constitit in Concilio Basileensi, tum verò Nicolaū illum, qui prius abbas Monacensis, postea Archiepiscopus Panormitanus, denique etiam Cardinalis factus est. Scripsit autem multa consilia, & vberrima commentaria in vniuersum corpus iuris canonici, quorū tanta hodie est auctoritas, vt nullus in hoc genere notior, ac celebrior sit. Denique hoc vltimo seculo, quod nunc labitur ab anno quingentesimo, non paucos scimus eminentes viros, vt Ignatium ex cœnobio Florentino, ex Parmensi Ioannem Baptistam, vtrunq; Abbatem, vtrunque magno progressu in diuinis, & humanis litteris: in Hispania verò Pasqualem, qui in Salmanticensi Academia publicam theologiæ scholam cum ingenti approbatione professus est. Postremo, ne longiores simus, multum etiam viguit hoc tempore Gregorius, qui prius in nobili illo Mantuano cœnobio Abbas, deinde etiam Cardinalis à Paulo III. creatus est. Hunc verò omnibus scientijs excultum tradunt, vtraque etiam lingua, Græca, & Latina peritissimum, ita vt loqueretur, & scriberet expedite, atque elegāter. Idem etiam dicitur, imminente morte, Cubiculario cuidam suo ita dixisse, Ecce iam annis pluribus Cardinales fuimus: quid autem nunc superest de hoc honore? Quanto satius, fuisset

in

in religione mori, vbi minus erat animæ periculum?

Atque hi quidem ex monastico ordine, quos de multis paucos nominauimus. In aliis autem institutis eo etiam magis viguerunt litteræ, quod omnia ferme ad aliorum quoque hominum salutem dirigebantur, quod sine litteris agi non poterat Itaque mirum est quanta deinceps in omnibus ingeniorum, quanta doctorum hominum seges extiterit. Sed hi quo recentiores, eo notiores, ideoque strictim attingendi, & tantummodo nominandi. Primum enim ex Dominicano qui viri, & quales prodiere? Albertus, qui Magni cognomen adeptus est, Herueus, Durandus, Hugo Cardinalis, qui totam scripturam sacram optimis commentariis illustrauit, Raimundus, is qui, vt scribit Antoninus, Decretales libros iussu Gregorij Pont. ordinauit, Antoninus ipse non minori eruditione, quam sanctitate, Capreolus, Petrus Tarantasius, idem postea Innocentius V. Pont. Max. Petrus Paludanus, Chrysostomus Iauelleus, Ferrariensis, Sotus vterque, duo Cardinales, Turrecremata, & Caietanus, alijque permulti, quos nimis longum esset recensere, sed is præcipue, quem merito ab aliorum grege secreuimus, omnium princeps S. Thomas, cuius scientiæ copiam, claritatem, profunditatẽ, quis pro dignitate collaudet? Ac preter hos, quorum nomina ex ipsorum scriptis celebrantur, quis deinde eos numeret, qui omni ætate partim in scholis docendo, partim consilijs dandis, deque dubiis respondendo, magnam operam Ecclesiæ, & proximis nauarunt, ipsique in summa hominum laude vixerunt, quorum quidem est pene infinita multitudo? Franciscani paulo serius, neque adeo generaliter initio, hæc literarum studia acceperunt. Eorum enim auctor, & caput S. Franciscus, cum ipse sapientia potius de cœlo infusa, quam humano labore quæsita vteretur, eodem modo etiam suos institui volebat. Idem tamen Antonium, cui postea Patauini cognomen additum est, cum iam bene doctus ad eam familiam accessisset, passus est docere inter suos theologiam: extátque breuis epistola, qua hoc ei permittit, ita tamen, vt caueat ne orationis (sic enim ait) spiritum occupatio illa extinguat. Itaque tum hoc exemplo, tum etiam necessitate adducti, vt proximos iuuare possent, alij quoque litterariam exercitationem complexi sunt, in qua breui magnos fecere progressus. Nam & paulo post, id est anno ferme M C C X L V. extitit Alexander ille Halensis, quo nemo illa ætate eruditior, & huius auditor Bonauentura, tum plenus

3. Par. tit. 23. cap. 10.

plenus omni scientia, cum etiam dilucidus, & ad difficillima quæque explicanda aptissimus. Neque multo post Ricardus Media villa annum circiter M C C L X X X. & Ioannes Dunsius, is qui Scotus est appellatus, anno M C C C. cuius acumine, & subtilitate quid admirabilius? Deinde eius discipuli Gulielmus Ochan vir ingeniosissimus, Franciscus Maronius, is qui in Parisiensi Academia Illuminati nomen obtinuit, eodémque tempore Aluarus Pelagius vtriusque iuris peritissimus, simúlque diuinarum litterarum, cuius præstans doctrina magno in pretio fuit apud omnes, ac præcipue apud Pontificem Ioannem X X I I. His addi potest Petrus Aureolus, quem eruditio ad Aquensem cathedram prouexit, tum Nicolaus Lyrinensis genere Iudæus cuius ingenium eluxit in tota scriptura ad litteralem sensum explananda, annum circiter M C C C X X X. denique omnium recentissimi Alphonsus Castrensis, Michaël Medina, Franciscus Titelmannus, optimus plane sacrorum librorum interpres, & alij quamplurimi, iíque ita noti, vt pigeat hic commemorare. Idem dicere licet de aliis familiis, quæ omnes multos semper doctos, aliquos etiam interdum admodum eminentes habuere, vt Augustiniana Ægidium Romanum anno M C C L X X X. Carmelitana Thomam Vvaldensem anno M C C C C X X X. Carthusiensis Dionysium anno M C C C C L X X X. Denique qui doctrinam, & doctrinæ fœtus in omni genere ex religiosis ordinibus natos nosse cupiat, is Tritemium legat, qui scriptores omnes Ecclesiasticos à Christi ortu per omnem ætatem diligenter, & accurate collegit; quo in opere bene longo, tam multis partibus videbit superare religiosos, vt certe non multi alij occurrant. Itaque nullum esse potest in hac re certius, aut euidentius argumentum. Quo in genere hæc quoque nostra Societas I E S V, quamquam postremo quasi loco adueniens, aliquid tamen operis, & aliquid adiumenti ad rem litterariam attulisse videtur. Nam non solum corpus ipsum vniuersum ita hæc studia colit, vt hoc sit inter reliqua, quæ ex instituto profitetur, sed insuper hoc aggressa est, quod ab antiquis religiosis vsitatum, iampridem intermissum erat, vt sua studia non intra domesticos parietes concluderet, sed ea quæcumque sunt, publicis gymnasijs apertis, cum aliis communicaret. Deinde quo latius, ac fructuosius ad omnem ætatem eius manaret industria, hoc sibi faciendum putauit, vt non vnum tantum, aut alterum doctrinarum genus, vt ceteri religiosi philosophiam

ferme,& Theologiam,ſed omnes artes, omnéſque ſcientias, etiam politiorem litteraturam complecteretur: deniq; nullam omitteret, niſi quæ admodum eſſent alienæ ab religioſo inſtituto, cuiuſmodi ſunt quæ ad forenſes controuerſias, vel ad medicinæ artem pertinent. Quamobrem hæc ſumma ſit totius huius diſputationis licere quodammodo religioſis gloriari, pleráſque doctrinas eorum ſtudio, ac labore eſſe ab interitu vindicatas, quæ alioquin eſſent extinctæ, alias meliores, cultioréſque factas Quid enim eſſet Theologia tam præſtans ſcientia, vel potius regina omnium ſcientiarum, niſi ab ipſis exculta, & ad hanc quam nunc videmus rationem, ac viam redacta eſſet? At philoſophia tametſi alios præterea ſcriptores, & doctores habuit, tamen ipſa quoque magnam ab iiſdem lucem, incrementúmque accepit, quoniam multa ab ipſis addita, multa explanata, deniq; etiam multa ad fidei veritatem correcta ſunt.

Venio nunc ad eloquentiam, quæ certe non minor fuit in religioſis, quã doctrina. Quod vt magis intelligatur, cogitemus, quam innumerabilium concionatorum voce omnia ſemper pulpita perſonent, præſertim certo anni tempore: in quibus etſi non eadem omnibus eſt dicendi vis, quamplurimos tamen fuiſſe, & eſſe ſcimus, in quibus inſit maxima, & quorum ex ore fluat oratio abundãs ſonantibus verbis, vberibúſq; ſentẽtiis, quæ multitudinem teneat, demulceat, moueat, & in omnẽ partem deflectat. Etenim ſi effectus eloquẽtiæ eſt audientium approbatio, certe eam eſſe oportet ſingularem dicendi facultatem, quæ homines vulgares, atque etiã, vt Paulus loquitur, animales, qui alioquin ſpiritualia faſtidiunt, tamen non modo ad audiendum alliciat, ſe etiam ſuſpenſos retineat, & delectet, itaque in eorum animos influat, vt alios à turpitudine ad caſtitatem, alios ab illicitis lucris ad æquitatem, ab ira, & odiis ad concordiam, & pacem traducat: denique etiam nõ paucos à mundi amore, quo plane abſorpti ſunt, ad eiuſdem contemptum, & ad terrena omnia penitus deſerenda impellat. Magno olim in pretio fuere oratores, qui ad populum apte dicere poſſent, quod qui poſſent, paucos omnino tum in Græcia, tum Romæ extitiſſe legimus, ſed hos paucos ita celebres, vt ipſas, vbi nati ſunt, nationes nobilitarint. Quãto igitur maior gloria noſtra, qui tam multis abundamus? Deinde ſi ſententiarum grauitatem, ſi rerum magnitudinem, ſi, vt ante dixi, effectus ipſos cõparemus, quid ſimile cum noſtris? Bernardinum Seneuſem ex ordine Minorum

rum ita dicẽdo valuisse accepimus, vt quocumque tempore, & quocumque loco concionaturus esset, nõ modo otiosi, sed ipsi opifices tabernis, reliqui etiam omnes domibus occlusis, ad eum cõcurrerent. Idem quoque de Petro scribitur ex ordine Prædicatorum, cui postea Martyris etiam nomen additum est. Is enim totam fere Italiam obiens, singulis in ciuitatibus, ac pagis insistens omnes mortales salutaribus clamoribus ex vitiorum peccatorúmq; cæno excitauit. Cui ferunt ad vrbem, oppidúmve aliquod aduenienti, solenne fuisse, vt omnes incolæ obuiam effunderẽtur, summmi, & infimi, cum vexillis, & cum tubarum sonitu, quin etiam recedentem eadem cum pompa deducerent, tanta perseuerantia, vt vix ab eo diuelli possent: ad concionem autem tantã semper multitudinẽ confluere solitam, vt sæpe carruca ex tabulis compacta gestari eum necesse fuerit, ne à turbis elideretur. Quid Antonius Patauinus, ad quem audiendum tanta hominum multitudo concurrebat, vt cum templa quæ ad hoc ipsum deligebantur amplissima, capere non possent, suggestus in campos, vel plateas latissimas deferretur: vbi etiam ad occupandum tempestiue locum adeo ab omnibus certatim properabatur, vt cernere esset nobilissimos viros, atque matronas, antequam lucesceret, concursantes, & ad multas horas vocem illam, quasi de cœlo venturam, præstolantes. illo autem loquente, cum sæpe ad millia hominum triginta adessent, tamen non strepitus, non murmur, non etiam exscreatus audiebatur, tantum erat omnium silentium, & attentio. Quid igitur tale vnquam Demosthenes, aut vllus ex illis, qui diserti in seculo sunt habiti? Eadem plane narrantur de S. Vincentio Dominicano; idque præsertim, quod ad dicendi vim proprie pertinet. Cum enim duo ob turpissimum facinus ad supplicium ducerentur, stare eos iussit in eodem loco, quo ipse concionem habiturus erat, vultu cooperto, fortasse ne oculi animum distraherent. Ille autem de peccati deformitate, ac fœditate, de inferni pœnis, & de cæteris rebus, quæ pœnitentiam ingenerare solent, tanta efficacia disserere aggressus est, vt duo illi præ doloris, ac cõtritionis magnitudine, primum æstuare, deinde ardere cœperint, denique in veros carbones, quasi igne deflagrassent, conuersi sint; quod ad extremum apparuit, cum retecta facie ab omnibus conspecti sunt. Quam igitur esse oportuit illam dicendi facultatem, quæ non solum mentem, sed ipsa quoque corpora incenderet? Ac licet eiusmodi facta, vt hoc Vincentij, non sæpius

visantur, tamen & alia visuntur eiusdem generis, vt conuersiones, morum mutationes, restitutiones pecuniarũ, & quod Vincentius, & alij tam potẽtes verbo inter religiosos fuerint, ad totius religiosi status commendationem, & laudem pertinet. Quare hęc summa sit, qua totum hoc caput naturalium horum bonorum concludatur. Vt enim Iudæi ex Aegypto migrantes iussi sunt à Deo, optima quæque vasa, pretiosámque suppellectilem ab Aegyptiis acceptam asportare, sic religiosi seculum deserentes, non sane vacui naturalibus dotibus abscederunt, sed potius sua secum deferunt ornamenta ingenij, memoriæ, doctrinæ, ac cæterorum talentorum, quæ deinde cura, & labore excolunt, & accedentibus insuper cœlestibus donis, ita augent, vt multo maxime excellant. Ex quibus omnibus apparet, quanto hæc bona vberiora, & ampliora euadant in religione, quam si eadem in seculo mãsissent. Nam in seculo quam sæpe, vel potius quotidie, hæc ipsa, quæ modo diximus ingenij acumen, docilitatem, facultatem eloquendi, & cetera eiusmodi talenta, perdi omnino videmus, cum vel otiosa, & quasi sepulta sint, si, vt plurimũ fit, non ad agendum applicentur, vel si ad seculares actiones applicentur, tamen nihilo minus otiosa fiunt, quoniam in res terrenas, ac perituras conferuntur? At vero si in religiosa negotiatione collocentur, & multo magis splendescunt, ob eas, quas diximus, causas, & fructuosissima fiunt ad Dei gloriam propagandam. Quæ cum ita sint, vere, & commode à quibusdam dictum est, Religionem in sancta illa Iudith expressam esse, quæ ad Holofernem hostem capiendum, non tantum preces, aut cilicium, vel ieiunia, quibus antea vtebatur, sed etiam inaures, & annulos, & sandalia, & denique omnem muliebrem mundum adhibendum putauit, ipsámque naturalem, qua pollebat, formam, impensiori cura adornandam: cuius studium Deus quoque ipse comprobauit; qui, vt scriptura commemorat, quiddam insuper ei gratiæ, ac splendoris contulit; eiúsque causa redditur, quoniam compositio illa non ad libidinem, sed ad virturem referretur. Sic enim religiosi, dum ista naturalia bona exquirunt, non suis commodis, quæ iam omnia contempserunt, sed Dei gloriæ seruiunt, & illorum saluti, quorum oculis illa pulchritudo præparatur. Quare ad Dei quoque bonitatem pertinet, vt illa ipsa ornamenta augeat, itaque faciat, vt sint etiam, quod ante diximus, multo gratiora, & illustriora, quam si eadem essent in statu seculari.

Iudith, 10.

De

De caussis cur religiosi ita profecerint in litteris.

CAPVT XXXIII.

PRAETER hanc Dei opem, quæ sine dubio præcipua est, aliæ sunt etiam plures causæ, cur religiosi adeo in omnibus doctrinis, quibus se applicuere, excelluerint, & fere excellere soleant. Primum enim sapientiæ studium & tempore, & animi attentione indiget, quod vtrumque in secularibus rarum est, in religiosis vel maxime abundat. Nam occupationes, negotia, curæ, in seculo fere perpetua sunt: si qui vero iis careant, ipsi se ludicris rebus impediunt, alij venando, alij aliis lusibus, cum plerique hominum laborem fugiant, vt inimicum naturæ. At religiosi & negotiis omnibus terrenis expediti sunt, quo fit vt tempus vacuum habeat, & hoc tempus non res illas inanes conferre possunt, & denique non laboris molestia terrentur, quippe qui vt in reliquis rebus, in hac item, cruce, ac mortificatione delectentur, itaque assuefacti sint. Confert etiam ad hunc profectum, animi quies, & tranquillitas, quæ sequi solet, compressis, & eradicatis omnibus eius turbulentis motibus. Nam si cum corpus vehementiori aliqua motione, aut cursu agitatur, non potest animus cognitioni vacare, quanto minus cum mens ipsa cōmota est, vt in fonte cœnoso, ac turbido, vllam rem liquido, ac perspicue poterit contemplari? Adiuuat etiam ipsa virtus temperantiæ, ac sobrietatis; quoniam, qui multo cibo, ac potione complentur, ne mente quidem recte vti possunt, fiuntq; ingenia obtusiora. Quid autem plura dicamus? 7. Physi.
Auerroes ipse barbarus philosophus, sed bonus philosophus, castitatē ait, & alias virtutes, quibus cōcupiscentia carnis cōprimitur, pręcipue valere ad acquirēdas sciētias speculatiuas. Deniq; vt proxime dixi, sed dicendū est paulo vberius, adiuuat præ omnibus Dei lumē & gratia. Cum enim omnes religiosorum labores ac lucubrationes ipsius numini seruiant, & ipsius obsequio dirigātur, dū Deus hos labores promouet, suā causam suūmque negotiū promouet, quod longe secus est in secularibus fere omnibus, qui ad suum vel lucrum, vel honorem studia referunt. Atque hoc quidem tanti est, vt etiā sæpe miraculo, & præter naturæ ordinem, religiosorum mentes Deus illustret, obscura patefaciat, eásque habiles efficiat ad difficillima quæq; capienda. S. Thomas in grauissimo quodā nodo laborans, auditus est à fratre, & socio eius Reginaldo, qui in eodem cubabat cubiculo, de multa nocte eum nescio

quo colloqui:qua ſermocinatione abſoluta, Reginaldum vocauit,dictauit multa, nihil vt alias ſolebat, demorans, nihil hæſitãs,ſed quaſi antea cõpoſita,& confe a.Tum ille ad ſancti viri pedes accidens,rogãdo,& obſecrãdo vigere cœpit,vt diceret quis ille eſſet,quicum antea loquebatur.Ille vict⁹ cõfitetur,Paulum apoſtolum fuiſſe,à quo eius quæſtionis explicationem accepiſſet. Quin idem etiam alias huic ipſi Reginaldo familiariter aperuit, ſe quicquid ſcientiæ conſequut⁹ eſſet,potius diuino lumine, quam proprio ſtudio cõſequutũ quam rem Reginaldus ſecretam quidem habuit, quãdiu is vixit(ſic enim ipſe exegerat) illo autẽ mortuo,tum in priuatis ſermonibus,tum in publicis ſcholis, ſæpe commemorare ſolebat, vt alios etiam hoc exemplo doceret, quænam eſſet via proxima,& quaſi compendiaria ad ſapientiam.Sed mirabilius eſt etiam quod paulo ante narrauimus de Hermanno illo Contracto, & de Ruperto abbate Tuitienſi,quorũ vterque B. Virginis beneficio doctiſſimus euaſit. Simillimum quiddã contigit etiam Alberto Magno.Hic enim,vt in Prædicatorum annalibus ſcriptum eſt, ſextodecimo ætatis anno in eũ ordinem ingreſſus, cum in litteris pene nihil proficeret, eo quod ingenio,ac memoria eſſet tardiore, tanto affici cœpit tædio,vt etiam de religioſa vita deſerenda tentaretur. In qua fluctuatione dum hæreret, viſum eſt ei nocte quadã, cũ ſcalis ad monaſterij muros admotis abitum pararet, apparere matronas quatuor venerabili admodum vultu,quarum vna,deinde altera ſemel iam, atque iterum ſcandẽtem, manu impulſum deturbaret:cum autem tertio idẽ conaretur,interrogatum eſſe à tertia, quidnã ageret,& qua de cauſa:qua expoſita,monuiſſe illam,vt opem potius à quarta matrona, quæ Dei mater,cœlique regina eſſet,expoſceret;ſe vero cum reliquis deprecatione adiuturam.Paruit ille,& benigne acceptus à Virgine,inſuper etiam interrogatus eſt, vtra in ſcientia excellere mallet,diuina, an naturali.Tum adoleſcẽs,qui pro ætate nihil adhuc altius guſtaſſet, cum philoſophiam dixiſſet,Fiat,inquit illa,quod petijſti. Sed tamen quia ſcientiam hanc filij mei ſcientiæ prætuliſti,extrema vita omnem perdes doctrinam,&,in hanc ipſam,quam nũc exues,hebetudinem recides. Nec mora. viſo dilapſo,ſtatim ſe mutatum ſenſit; quicquid audiret,quicquid legeret, facillime capiebãt,aut ſi quid paulo difficili⁹ incidiſſet, cum ſe ad Virginem deprecandam, quaſi promiſſum efflagitans, conuertiſſet,illico conſequebatur.Quare cum talis tantuſque vir euaſiſſet,

ſiſſet, & multos annos tum docendo, tum ſcribendo conſumpſiſſet, denique triennio antequam è vita migraret, dum publice è cathedra neſcio quid interpretaretur, repente omnem ſibi memoriam rerum omnium, quas tenebat, funditus excidiſſe ſenſit. Tum ille coram omnibus, qui aſtabant, quid ſibi adoleſcenti accidiſſet enarrauit, ac profeſſus, quicquid ſibi poſtea eueniret, ſe fidei articulos ex animo complecti, inque eorum confeſſione emori velle, deſcendit è ſuggeſtu, proſequentibus eum auditoribus cum fletu, eúmque amanter amplexantibus. quin etiam reliquam deinceps vitam quaſi repueraſcens in magna ſimplicitate tráſegit; ita tamen, vt nullum religioſi inſtituti officium prætermitteret, nam in his tantùmmodo memoriæ facultas conſtabat. Hic igitur tam admirabilis Alberti euentus, à quo Deus ſcientiam omnem quaſi mutuo commodatam repetiit, vt à ſe datam oſtenderet, alios quoque indicat religioſos, qui in doctrinis excelluere, vel excellunt, id certa Dei ope, ac peculiari gratia conſequutos.

De triplici religionum pulchritudine, & dignitate.

CAPVT XXXIV.

NVNC illud quoque videamus, quantam habeat dignitatem, quod ab omnibus theologis traditur, triplex eſſe reigionum genus, quorum aliud in agendo, aliud in contemplando verſetur, tertium vero tum actionem, tum contemplationem coniungat, & commiſceat. Prima igitur forma externa tãtum opera complectitur, quę opera quamquam hominibus exhibentur, tamen in Deum redundant. Recte enim B. Thomas, de hoc ipſo diſſerens, id eo confirmat argumento, quia religionis ſtatus ad caritatem dirigitur, caritas autem non ad Deum ſolum, ſed etiam ad proximum ſeſe protendit. Sed cum proximus Dei cauſa diligatur, quæcumque illi impenduntur obſequia, Deo impenduntur, quo nomine ad religionis virtutem pertinent; quam ob cauſam omnem eiuſmodi beneficentiam, quæ in hominem conferatur, videmus à Paulo Apoſtolo ſacrificia quędam, & hoſtias appellari. Ex quo fit, vt, eodẽ B. Thoma auctore, quodcumque opus ſit, quod proximo vtile, & aptum ſit, ei exercẽdo inſtitui poſſit religio, vt ad ſtudia litterarum, vt etiam ad militiam, modo pro Dei honore, vel pro Eccleſia, aut publico bono: idéque dici poteſt de aliis operibus, quæ pietatis

2.2.quæ. 188.ar.2

Heb.vlt.

cauſa ſuſcipiuntur, redimere è ſeruitute captos, eleemoſynas conquirere, quibus vel inopes ſuſtententur, vel tenues puellæ in matrimonio collocentur, vt etiam Xenodochiis miniſtrare, aliáque eiuſmodi. Hanc vero rationem non ſane recentem eſſe, ſed etiam olim receptam, declarat id quod
Coll. 14. cap. 4. apud Caſſianum legimus, vbi Neſterotem abbatem ita diſputantem facit, hunc practicæ vitæ, vt ille appellat, modum multiplicem ac varium eſſe: alios enim ſuſcipiendorum hoſpitum prouinciam amplexos, quo in genere ille Macharium manſuetudinis, & patientiæ nomine commendat: alios ægrotantium curam elegiſſe, alios etiam deprecationem pro miſeris, atque oppreſſis, quoſdam docendis, atque erudiendis proximis operam addixiſſe: denique alios alijs ſtudijs, atque occupationibus; qui, vt ille ait, inter magnos, ac ſummos viros, pro affectu ſuo, ac pietate viguerunt. Quid igitur de horum laudibus amplius dicatur, qui ſe vltro miniſtros, & famulos non modo Dei, ſed ipſorum etiam hominum, & quidem egentium, & infirmorum, Dei amore effecerunt? quantum enim in eiuſmodi inſtitutis tum caritatis, tum humilitatis, tum etiam patientiæ veræ,
Mat. 25. ac ſolidæ elucet? Denique hos Dominus ipſe ita commendat, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Itaque ſæpe etiam aperto miraculo, ſuáque ipſa præſentia Rex ille regum eiuſmodi opera honorarare voluit, vt Gregorij hoſpitium, vt Martini eleemoſynam, vt Ioannis Columbini caritatem, cui cum leproſi tabidi, & iacentis ſpecie apparuiſſet, ab ipſo domum in humeris relatus, diligentérque ablutũs, & in lecto collocatus, nunquam amplius viſus eſt. Alterũ ẽſt genus, quod, vt diximus, in contemplatione, & mentis
10. Ethi. cap. 7. ſolius agitatione conſiſtit: cuius quidem vitæ tantus eſt ſplẽdor, vt in ea Ariſtoteles, & quicumque ex philoſophis melius, rectiúſque ſenſerunt; hominis felicitatem collocandam putarint. Neque vero ea ceſſatio iners, aut languida putanda
7. Ethic. cap. 3. eſt: recte enim idem Ariſtoteles negat eam otioſam eſſe, quod etſi actionibus careat ijs, quæ foras prodeunt, habet tamen internas, ipſáque ſpeculatio actio quædam eſt; quod apparet, quia externa ipſa opera ijs tribui ſolent, qui in ijs non corporis viribus, ſed animo, & cogitatione elaborarunt, vt Imperatori victoria; in qua is non manu depugnauit, ſed conſilio. Quæ cum ab ethnico homine cognita ſint, quid nobis ſentiendum ſit, qui probe cognoſcimus quanta res in Dei contemplatione agatur, qui ſint cum illa bonitate cõgreſſus,

qui

qui amoris æstus, quæ lumina? Itaque quam hæc occupatio, & studium Dei cognoscendi excellens, ac præstans est, tam oportet excellentem esse eam religionis formam, quæ hanc actionem complexa est. Augustinum audiamus, qua eam eloquentia exornet. Nihil, inquit, de ijs dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & cuius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil igitur de ijs loquar. Videntur enim nonnullis res humanas, plusquam oportet, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum, & superuacaneum puto. Nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum, & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Hæc Augustinus. Itaque si huius vtriusque instituti comparatio inter se facienda est, non est dubitandum, quin hoc etiam aliquanto nobilius sit illo, quod in externa tantum actione versatur. Magna enim (ait Gregorius) sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora: quod ille per bina illa sororum paria demonstratum putat, Rachelis, & Liæ, Mariæ, & Marthæ, quarum & Rachel à Iacob ardentius dilecta, & Maria à Saluatore amplius legitur commendata, quoniam nec solicita esset, eiúsque pars optima, nec vnquam auferenda. Sed quoniam rudes quilibet, qui res oculorum aspectu æstimant, tantúmque capiunt, quantum vident, difficiliora existimare solent negotiosa illa instituta, quam hæc, vt illis quidem videntur, otiosa, & vacua, is quoque error eiusdem Gregorij auctoritate in alio loco confutatur, atque etiam ratione, quam affert. In actiua, inquit, vita sine defectu mens figitur, à contemplatiua autem infirmitatis suæ pondere victa lassatur. Illa quippe tanto firmius durat, quanto ad vicina se erga vtilitatem proximi dilatat. Hæc tanto celerius labitur, quanto & carnis claustra transgrediens supra semetipsam ire conatur. Illa per plana se dirigit, & idcirco pedem operis robustius figit. Hæc autem quo super se alta appetit, ad se eo citius fessa descendit. Cum igitur ex his duabus vna sit præstantior, sed tamen vtraque præstans, facile intelligi potest, tertiam illam, quæ ambas contineat, longè antecellere, eiúsque multo maiorem

De Mor. eccl. c. 31.

6. Mor. cap. 18.

10. Mor. cap. 11.

eſſe dignitatem. Nam ſi hæ duæ diligentius inſpiciantur, animaduertetur in tanta præſtantia quiddam tamen vtrique deeſſe. Vt enim ab eodem Gregorio non diſcedamus, Rachel viſum principium, Lia verò laborioſa dicitur. In cōtemplatione quippe principium, quod eſt Deus, quæritur, in operatione autem ſub graui neceſſitatum faſce laboratur. Vnde & Rachel, pulchra, ſed ſterilis, Lia autē lippa eſt, ſed fæcunda, quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt, ſed Deo minus filios generat: cum verò ad laborem prædicationis ſe dirigit, minus videt, ſed amplius parit. Hæc ſunt Gregorij verba, ex quibus apparet, ſi quod eſſe poſſit inſtitutum, quod huius vtriuſq; ſublatis incōmodis, vtriuſque commodis fruatur, nihil eo fieri poſſe perfectius, aut præclarius. Nam cum primus omnium apud nos eſſe debeat Deus, qui & ſummum eſt bonum, & à quo omnia accepimus, huic autem proximi homines eadem nobis natura cōiuncti, quæ eſt maxima propinquitas, nulla etiam maiora exiſtimari debent in terris officia, quam quæ ad illius gloriam, horum autem ſalutem propagandam cōferuntur. Quin etiā cum princeps ille Deus, qui omnem hunc mundum regit, in hoc vno ſuas omnes cogitationes, ac ſtudia ponere videatur, vt mortalium animos, qui ad res caducas defluxere, rurſum erigat in ſe ipſum, nihil eſt dubitandum, quin hanc illius curā imitari, atque in ea Deo domino allaborare, vna res ſit omnium præſtantiſſim, ailliq̄ue ipſi acceptiſſima. Quamobrem rectè S. Thomas negocioſæ, & occupatæ vitæ munera duplici genere diſtinguit: alia enim ſola exteriori functione compleri, cuiuſmodi eſt, ſeruire hoſpitibus, vel ægrotis, aut militare; atque hæc quidem non paulo minora eſſe contemplatione: alia verò eſſe, quæ quaſi fluunt ex abundantia quadam contemplationis, qua videlicet cum mens diuino amore incenſa fuerit, agitur in opera externa, vt eſt concionari, vel docere rudes & alia ſimilia. Hæc verò maiora, & nobiliora eſſe non ſolum illa actione, ſed etiam ipſa contemplatione, ſi ſola, ac ſimplex ſit, & ſi in ſe tantū ipſa vertatur, ac nihil ex ea in alios vtilitatis ſequatur. Neque verò timendū eſt huic vitæ mixtæ, ne in illud vitium incidat, quod in Martha reprehenſum eſt à Domino, vt nimium ſit ſolicita, & turbetur erga plurima. Cum enim interior meditatio vna cum exteriori opere conſociatur, tam bene inter ſe conueniunt, vt & hoc ab illa adiuuetur, & illa ab hoc nulla ex parte impediatur. Verè enim Auguſtinus, ſecuritatem, ait, animi gaudiúmq; illud ſolidum nullis

6. Mor. cap. 18. — *2. 2. q. 188. artic. 6.* — *Luc. 10.* — *Ep. 116.*

nullis omnino lætitijs, vt eius verbis vtamur, vlla ex particula conferendum, aliquando homini contingere, & tanto crebrius contingere, quanto quis magis in mentis penetralibus Deum adoret, neque id solum in solitudine, ac secessu, verum in actu quoque humano istam manere tranquillitatem, si ex illo adyto ad agendum procedatur. Ac mihi quidem, qui ita virtutem suam cum hominibus communicare instituerunt, non modo nihil de virtute sua deperdere videntur, sed etiam aliquid, atque adeo multum eam augere. Quasi enim necessitatem quandam inijciunt Deo, vt ipsis primum impertiat, quod per ipsos in alios effundi velit. Nam in hos etiam vel maxime illud cadere potest, Date, & dabitur vobis. quod etiam in Prouerbijs indicatur illis verbis, Anima, quæ benedicit, impinguabitur; & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Euenit enim his idem quod principis alicuius eleemosynario, cui semper à principe multam oportet suppeditari pecuniam. Quamquam isti quidem si modo fidelis esse velit, nihil ad proprios vsus remanet, neque is propterea ditior redditur. Quare dicamus potius similes esse nutrici regiæ, quæ cum regio cibo alatur, quod sibi superest, id infanti impertit. Quam autem vita hæc, de qua loquimur, reliquis institutis præstet, hinc planè cognosci potest, quod illi etiã, qui se à negotiis remouerunt & ad spirituale otium perfugerunt, tamen si proximorum spiritualis causa agatur, contra officium faciant, si non cogitationis studijs relictis, ad eos iuuandos accurrant. Quo argumento vsus est Augustinus in epistola quadam ad Caprariæ insulæ monachos, qua eos hortatur, ne suam quietem necessitatibus Ecclesiæ præponant, cui, inquit, parturienti si nulli boni ministrare vellent, ne ipsi quidem quomodo nascerentur inuenturi fuissent. Itaque veteres illi tam magni, támque sancti Patres sæpè hac vna causa solitudinem, quàm multis annis coluerant, reliquerunt, vt Theodoretus in eo libro, quem Religiosam historiam inscripsit, commemorat de Iuliano, cum Arianorum impietas late serperet, ab Acatio Episcopo his rationibus à spelunca abductum: cum ille tam multa tolerarct, vt Deo placeret, eam esse viam placendi quam maximè, si in arenam prodiret, & laboranti Ecclesiæ pro virili opem ferret. Sic Christum, cum Petrum ter interrogasset, an ipsum diligeret, ter etiam præcepisse, vt suas oues pasceret. Ac cum Deus adeo hominum salutem amet, eandem etiam ab omnibus, qui eum ament, & qui se ab illo amari velint, amandã esse.

Luc. 6.
Prou. 11.
Ep. 81.

esse. Eodē quoque modo narrat idē Ammianū Eusebio persuasisse, cum eum monuisset, vt videret, ne plus se ipsum, quàm Deum diligeret, quia omnem curam, ac industriam in sui ipsius profectu consumeret. nam si Deum verè amaret, profectò curaturum, vt complures secum efficeret eiusdem amatores. Optime autem Aphraates vir sanctissimus, quem scribit idem Theodoretus, in Valentis Imperatoris furore aduersus Ecclesiam, eremo, in qua diu vixerat, relicta, tamquam bonum militem ad certaminis locum venisse, seque pugnantibus vltro miscuisse. Quin etiam cum aliquando Tyranno occurrisset in via, cauillari hunc cœpisse, quid ageret monachus inter hominum turbas, illum autem intrepide sic respondisse. Dic Imperator, si puella essem, quam pudor in conclaui retineret, vidissem autem in patris mei domum ignem coniici, eámque conflagrare, num intus sedens ociose incendia spectare deberem? Atqui si hoc facerem, me quoq; ipsum flamma absumeret. Sin autem laudabile duceres, quod statim accurrerem, aquam afferrem, & omni ope ignibus resisterem, hoc ipsum nunc ago, qui flammæ à te in Dei domum, cui verissimus est pater, iniectæ pro mea parte remedium afferre conor. Hæc tum Aphraates: neq; verò nunc multo meliora sunt tempora, minoresve pestes vbique hoc tempore infert Satanas, quam tunc Valens. Quare ordines illi religiosorum, qui eius sese furoribus opponunt, quod iam plurimi faciunt, eos optime de Ecclesia mereri, iisque multum laudis, ac gloriæ deberi, existimandum est.

Religiones continere formam perfectissimæ reipublicæ.

CAPVT XXXV.

HActenus ferè dictum est de ea dignitate, quàm vnicuique religioso sua virtus affert, quæ quidem virtus ex religionis fontibus tam copiose hauritur. Nunc libet vniuersum quoque corpus inspicere, quam habeat pulchritudinem, atque excellentiam: quia non verisimile est, cum partes singulas ita Deus ornarit, ipsam communitatem totam esse ab eo neglectam; cuius etiam bonum diuinius est, vt ait *Initio polit.* Aristoteles. Itaque hoc demonstrandum est, inesse in his hominum cœtibus exactissimam quandam perfectæ reipublicæ formam: quod eo pluris etiam æstimandum est, quod cum multi veteres philosophi in hoc laborarint, vt absolutam aliquam politiæ ideam describerent, & in eo omnes ingenij neruos intenderint, non vt eam in opus, ac rem producerent,

ducerent, sed cogitatione tantum, & scripto effingerent, numquam tamen hanc perfectionem assequi potuerint; vt multo minus sit quod illi cõmentando ac disputando adumbrare potuerunt, quàm quod nos ipsa re tenemus. Igitur hoc primum omnium ponendum, ac stabiliendum est, cum homo duplicem habeat vitam, naturalem hanc, quæ corpore videlicet, & anima cõtinetur, deinde supernaturalem, quam affert gratia, ceteriq; cœlestes, ac diuini habitus, hinc etiam oriri duplicem inter homines, alteram in priori, alteram in posteriori genere, communicationem. Ex quo etiam duplicem reipublicæ formam consequi necesse est, quæ, vt ait Augustinus, nihil est aliud, quam hominum multitudo ali- 15. Ciuit. quo societatis vinculo colligata. Itaque quanto hoc vincu- cap. 8. lum nobilius, & præstantius est, in quo homines inter sese communicant, & quod est quasi communitatis, seu reipublicæ fundamentum, tanto eam communitatem, ac rempublicam nobiliorem, & præstantiorẽ esse oportet; vt exempli causa, Romanorum, in qua commune erat amplissimum totius terrarum orbis imperium, multo sit augustior, quam respublica agricolarum, aut operariorũ, si quæ sit eiusmodi. Itaque hoc præcipuum est, in quo nostra hæc respublica politias omnes, non modo quæ vnquam extiterunt, sed etiam quæ optari, aut animo cõcipi à philosophis potuerunt, longè antecellit. In illis enim nullum aliud bonum commune esse potest, quam humanum, & terrenum, in hac omnia diuina, & superna, quæ tanto sunt excellentiora quantum nemo cogitare queat. Aliud est etiam, in quo nostra præstet respublica. Etenim, auctore Aristotele, non sunt ciuitates institutæ ob 3. Pol. eam tantum causam, vt viuatur, sic enim, vt ille ait, etiã bel- cap. 6. luarum posset esse ciuitas, quoniã ipsæ quoque vitam attingunt: neque verò vt prẹsidiũ suppetat aduersus hostes, neque etiam mutui cõmercij gratia: quoniam si hoc valeret, quotquot essent populi fœderati, in vnam coalescerent ciuitatem. Igitur causa constituendarũ ciuitatum illa vna est, rectè viuendi, atque ex virtutis præscripto. Nam cum quisquis ex ratione agit, propter aliquod bonũ agat, tum maxime ciuitas, quæ præstantius quiddam est, quam singuli separatim, oportebit vt agat propter maximum, ac præcipuum bonum, quod est virtus. Hæc Aristoteles; quæ quidem cuinam reipublicæ, vel ipso Aristotele, si nunc existat, iudice, verius, ac melius congruant, quã religioni, quæ tota ad virtutis finẽ dirigitur, & ad eam adipiscendam tot vias, tam aptas, tamque faciles

nacta est? Ex quo illud quoque sequitur, quod est ab eodem
2. Pol. Aristotele sapienter dictum, vbi non summus honor, ac super
cap. 9. reliqua omnia virtuti tribuitur, illic optimum statum non posse esse diuturnum. At inter mundanas quidem respublicas, vbi talis inueniatur, in qua non potius potentiæ, opum, nobilitatis, gratiæ ratio ducatur? Atqui hoc in religionibus non modo ordinatiũ, sed pene necessarium est, nempe abiectis his omnibus, quas modo dixi, externis rebus, quarum splendor mortalium oculos adeo præstringere solet. Itaque illam etiam quasi regulam religionum videmus, quam pro
3. Pol. magna re alio loco posuit hic Philosophus, non qui diuitijs
cap. 6. superant, eos verè superiores esse, nec verè pares, qui pares sanguine, sed qui virtute præstant, vel exequantur, eos verè vel superiores esse, vel æquales. Hoc igitur religiosæ huius reipublicæ initio ac fundamẽto iacto, nunc reliqua eius forma videnda est, cuius sunt potissimæ partes duæ. Vt enim animantis corpus tum capite, quod regit, tum reliquis membris, quæ obediunt, & reguntur, constat, sic totum cuiusuis reipublicæ corpus habet membra sua, id est singulos homines, qui in vnam conuenere societatem, habet & caput, id est rectores, ac magistratus. Atque vt ab eo, quod præcipuum est, incipiamus, illud in religiosis ordinibus & vtile, & spectabile ac decorum est quod ab vno potius, quam à pluribus regantur. Nam cum multitudinis, quæ gubernatur, hoc sit præcipuum bonum, vt sit quam maxime coniuncta, & vna, non est dubium quin ad hoc efficiendum multo aptior sit vnius gubernatio, quam plurium, cum hos ipsos plures in gubernando vnum quiddam fieri necesse sit, sed per accidens, vt cũ pondus aliquod à multis defertur, vel trahitur. Non enim trahere, aut deferre possent, nisi aliquo modo coniuncti, ac consociati aliquam similitudinem eius, quod verè, ac per se vnum est, acquirerent. Atque etiam huius rei expressum est exemplũ in natura, cuius gubernatio omnis ab vno fluit initio: nam & omnia membra ab vno corde, & animæ partes ab vna ratione, & totus mũdus, & omnia quæ in eo sunt, agentia, ab vno reguntur Deo. Sed in humanis quidem imperiis illud maximum inest periculum, ne si in vnius manu sint omnia, vel potentiæ, vel diuitiarum, vel ambitionis amore ad priuatum commodum deflectant. Quamobrem vt recta sit
1. de reg. gubernatio, illud existere oportet, quod pluribus à S. Thoma
prin. c. 8. in boni principis institutione confirmatum est, vt qui aliis præsidet, quicumq; is sit, vnum sibi Deum ante oculos propositum

poſitum teneat,& eius honorem, atque obſequium, & obedientiã in ijs,qui ſibi ſubiecti ſunt,propagare ſtudeat. Quod quidem ſtudium quis non videt quam difficile ſit extra religionem,quam facile,& perpetuum in religione?Etenim quæ maxime poſſunt hominũ animos ſubuertere, atque à recto Dei obſequio ad propriorum commodorum reſpectum detorquere,qualia ſunt,ſtabilire potentiã, velle timeri,coniurationũ origines, & cauſas præcidere,frui deliciis,& cetera terrenorum bonorum copia, ea omnia longiſſime abſunt à Dei famulis, nimirum quia nulla in hoc paupertatis ſtatu, vel diuitiarum,vel voluptatum materia verſatur, quæ eorum cupiditatem incendere poſſit. Atque hoc quoque in ijs, qui inter religioſos poteſtatem gerunt, vel maxime cõmodum eſt,quod nulla re ab alijs diſcernuntur,niſi auctoritate: non pompa,non palatijs,non famulorum copia, vt ſeculares magiſtratus; quæ omnia non ſolum alunt, ſed etiam inflant,& inflammant ambitionem,ex qua deinde omnia vitia gubernationis oriuntur. At verò in religioſis humilitas ipſa ſtatus, quam nihilominus retinent, eos videlicet admonet ſemper, vt ſciant ſe pares eſſe ijs, quibus imperant. Itaque in ipſis maxime illud Gregorij præceptum viget,quod qui præſunt, non in ſe poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem conditionis cogitare debent, vt non præeſſe hominibus gaudeant, ſed prodeſſe. Quin etiam hoc ipſo in genere id melius habet noſtra reſpublica,quam aliæ pleræque, quod illud obſeruatur,quod ab Ariſtotele quoque multo ſalubrius eſſe iudicatum eſt,vt aliorum rectores non ex genere, & ſanguine,ſed ex vita,& moribus, & prudentia deligantur. Qui enim hæreditarium ius obtinent gubernandi, ij tamquam ſi caſu in tantum munus incidant,quicumque ſunt,tolerandi ſunt, ex quo ſæpè innumerabilia mala in ciuitates inuecta ſunt, cum alij ſe,alij etiam ſuos,quos tueri debebant, vel inſcitia, vel temeritate perdiderint: à quibus ſane malis abeſt religioſa gubernatio, quæ non iure vllo acquiritur,ſed vel ſuffragiis, vel à legitima poteſtate defertur. Atque in ipſis ſuffragiis illud eſt in aliis politiis damnoſiſſimum, quod magiſtratus, & publica munera non niſi petentibus, & ambientibus tribuuntur, vt is ferè vincat, qui plus diligentiæ, nonnumquam etiam plus pecuniæ adhibere potuerit ad hominum animos deliniendos. In religione autem longe ſecus: potius enim recuſantibus, & detrectantibus; de quo quid nobis ſentiendum eſt, cum Ariſtoteles plane affirmet, eos qui petunt,

2. Paſt. cap.6.

2. Pol. c. 7. & 9. & 3. Pol. cap.10.

2. Pol. cap.7.

petũt,hoc ipso,minus esse dignos,quippe ambitiosos,& honoris amantes,cuiusmodi qui sunt,multa iniuste faciũt.Iam verò de horum rectorum potestate illud quoq; ab hoc eodẽ
3. Pol. cap.11. philosopho rectè constitutum est,ita amplam,& simul ita limitatã esse oportere, vt maiorẽ habeant, quam singuli,minorem quàm vniuersi; quod quidẽ in nulla ferme republica terrena seruari videmus.Quicunque enim semel principatus arcem tenuerit,ita se cõmunit, vt deinde,quasi freno populis iniecto,eos agat,& impellat pro suo libito At verò in religiosa formula id expressum est,quoniam illi ipsi, qui totis familiis præsidẽt,ijs vt ea potestas à familiis ipsis cõceditur, sic ab ijsdem tum circumscribi,tum limitari,tum etiam rursum auferri potest.Denique ne longiores simus,videamus ex
3. Pol. cap.4. huius ipsius philosophi sententia, quod sit maximum officiũ eorum qui alios gubernant, quod ille quidem in eo positum putat,vt se subditorum suorum seruos existiment, nihílque aliud agant,aut moliantur,quam vt illorum vtilitatibus consulant. Atque hoc sane ait initio fuisse cuiusq; bene morati regis institutum, quod postea corruptum sit,nullam aliam ob causam, quam propter ea cõmoda, quæ munus hoc comitari solẽt. Igitur hoc ipsum,quod Aristoteles dicit olim in vsu fuisse,postea exoleuisse,facile apparet,quam vigeat in religione, in qua rectores suorum quisque subditorum commoda ita procurant, vt serui dominorum, præcipue quidem quæ ad animum,sed illa etiam,quæ ad corpus pertinent.Itaq; quiescentibus subditis, atque etiam,ignorantibus vnde sibi alimenta, vnde omnia necessaria ad victum proueniant, ea vigilia, ísque labor præpositorum est:& dum quisque pro se ipso plane vacuo, ac soluto est animo, ipsi pro omnibus soliciti esse coguntur. Quæ ergo est seruitus si hæc non est?Quare ne id quidem periculum est, ne vt in regnis,& imperiis,ea quæ consequuntur commoda,disciplinam hanc corrumpant, quoniam paupertas, quam religiosi profitentur, ista omnia commoda excludit, ac potius multa inducit incommoda, vt nihil sit in ea inuidendum, nihil ambiendum.

Atque hæc de capite. si vero membrorum comparatio inter se fiat, duo sunt potissimum, quæ harum rerum publicarum dignitatem, ac pulchritudinem commendent. alterum est maxima quædam æqualitas inęqualium membrorum,alterum maxima,& summa quæ esse possit, communio rerum omnium. Nam vt ea ciuitas male omnino constituta sit, nec se diutius tueri possit, quæ non varios hominum gradus, ordinésque

dinésque

dinésque contineat, nobilium, tenuium, mediocrium, tum etiam opificum, & infimorum: rursúsque magna sit cõfusio, si non ista varietas aliquarum rerum participatione vinciatur, & colligetur, quoniam nec aliter in vnum coalescere queat, &, vt ait Aristoteles, necesse sit eiusmodi ciuitatẽ plenam esse hostium reipublicæ: hoc igitur cum in omni multitudine cõgregata euenire oporteat, idem quoque in religiosis cœtibus necessarium est, qui ita temperati sunt, vt vtriusq; rei bonis, vtriusque vitiis detractis, perfruantur. Primum enim eam inæqualitatem recipit, quæ nascitur ex disparibus ingeniis, ac dissimilibus, vt cuiusque fert natura, & propensionibus, & artibus, & scientiis, addo etiam captu, ac facultate: quod quidem discrimen in omni rerum ordine necessarium est. Nam & in cœlo alia sunt aliis maiora vel minora astra: in mundo autem non omnia animalia eiusdem magnitudinis, aut sagacitatis, aut earumdem virium: quin etiam in corpore ipso maxima est membrorum differentia, aliúdque ab alio & dignitate, & vtilitate superatur: denique inter ipsos homines non omnibus eadem talentorum mensura à magno illo Patrefamilias tributa est, sed alij vnum, alij duo, alij etiam quinque. Hanc igitur necessariam, & sane vtilem etiam disparitatem admittit religio; quæ ipsa, si recte cogitemus, inter eius etiam ornamenta numerari debet. Sed ne hæc disparitas concordiæ & caritati officiat, rursum illam nescio qua admirabili æqualitate temperat, vt nihil sit æqualius, nihil similius, quam eiusdem inter se familiæ religiosi. Apparet hoc primum in iis, quæ oculis ipsis conspiciuntur, in habitu, in cultu, in habitatione, denique in tota victus ratione: sed tamen multo magis viget in rebus internis, in amore, in coniunctione, in illa, de qua superiore libro multa diximus, bonorum operum cõmunione, præterea in communione omnium beneficiorũ, quæ religio suis affert, quæq; vel communia sunt omnibus ordinibus, vel propria cuiusque ordinis. Hæc enim sunt vera bona religionis, in quorum participatione nulla est inter doctũ, & indoctum, vel inter prudentissimũ quémq; & quemlibet idiotam differentia. Quod si ita est, cui melius conueniat illud quod ab Augustino dictũ est de bene instituta ciuitate, similem eam esse melodiæ vocibus, in qua ex diuersis sonis proportionatis fit cantus suauis, & delectabilis auribus? De qua, inquã, ciuitate hoc verius, & aptius dici potest, quã de religiosa, vbi illa, quã ante dixi, varietas tanta, eadem tamẽ est discordi quadam concordia,

3. Pol. c. 3

Mat. 25.

2. Ciuit. cap. 21.

vel concordi diſcordia colligata? Atque vt nexus iſte naturalium rerum, quem videmus, aliarum ex aliis pendentium, ſéque à primis ad infimas perpetua connectione mouentium, tam pulcher, & admirabilis eſt, ſic ſi ſeries eadem in natura rationis compote exiſtat, tanto eam pulchriorem eſſe oportet, quanto eſt hæc natura præſtantior, & perfectior. Quare ſi illa diſpoſitio, atque ordinatio iucunditatem affert contemplando, multo hæc magis agendo; quæ fuit ratio cur Pythagorici illi in corporibus cœleſtibus armoniam ponerent, nimirum quod eorum motus tam ordinati, tam perpetui, & pro rata portione diſtincti, ſuum ſemper tenorem modúmque ſeruantes, concentum quendam muſicum æquabiliter varium imitarentur; quod idem omnino in religioſis ordinibus ita expreſſum eſt, vt eorum quoque concentu animi aures, ſi id attendant, maiorem in modum mulceantur. Deniq; ad hunc religioſæ reipublicæ ornatum accedit illa, quam diximus, perfectiſſima rerum omnium communio, tum interiorum, tum exteriorum, vt nihil cuiquam proprium ſit, nihil ſeparatum. Quod cum tanti ſit, vt Plato olim, optimus philoſophus, ſuæ Reipublicæ ſummam in eo ferme vno conſtituerit, vt à nobis ipſi alio loco dictum eſt, nuſquam tamen perfici, aut in rem ipſam deduci potuit, præterquam in hac religioſa Republica. Hoc enim illud eſt, quod ſæpe Chryſoſtomus adeo laudat in religioſis, quod ab illorum domibus longiſſime abſit Meum, & Tuum; quæ duo verba omne fere humanum genus perdiderunt. Eſt autem hoc magni æſtimandum, non ſolum quia caritatem, & mutuam coniunctionem indicat: ſed etiam quia eam alit, perpetuóque conſeruat: præcidit enim omnem fere diſſidiorum, ac contentionum radicem, & quaſi fomitem, qui in harum rerum appetitu, quæ à pluribus ſimul poſſideri non poſſunt, vel maxime regnat. Quo fundamento poſito, accedūt deinde tot vincula, tótque cauſæ ad hanc vnitatem, & concordiam tum conciliandam, tum etiam quotidie magis aſtringendam, vt illud exiſtat, quod alibi ex Auguſtino diximus, vna anima, & vnum cor, & multa quidem corpora, ſed non multa corda. Vna menſa, inquit Chryſoſtomus, & miniſtrātibus, & iis quibus miniſtratur, eadem fercula, eadem indumēta, habitacula eadem, eadem vita. Non eſt ibi paupertas, & diuitię, gloria, & ignobilitas. Nam ſunt quidem parui, & magni, ſecundum virtutis menſuram, ſed nemo hoc intuetur. Paruus non dolet, quaſi contemnatur, nec vllus eſt qui contemnat. Quæ cum

Dialo. 5. de repu.
Hom. 58. ad popu. & alibi.
In Pſ. 132.
Ead. homi. 58.

cum ita sint, merito Dauid inter alia Dei mirabilia opera; hoc etiam commendat, his verbis, Qui habitare facit vnius moris in domo, id est, ita secum concordes, & vnanimes, ac si multi vnus essent. Merito etiam Dominus ipse per Sophoniam prophetam hoc quasi magnum quoddam promissum facit, Reddam, inquit, populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. His enim duobus aptissime religiosi status natura descripta est, cuius sunt partes duæ, altera, quæ ad Deum colendum, & inuocandum, laudandúmque dirigitur, quæ hic omnia labij, & labij electi nomine comprehenduntur: altera ad fraternam hanc coniunctionem, quæ facit vt omnium viribus in vnum conflatis, vnóque ex omnibus tamquam humero effecto, minus etiam sentiatur, leuiúsque à singulis portetur, quodcumque est onus huius seruitutis. *Psal. 67.* *Soph. 4.*

Quantum Ecclesiæ ornamentum addiderint religiosi ordines.

CAPVT XXXVI.

NON potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum: vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Hoc enim habet virtus, vt quemadmodum lux suo se ipsam prodat iudicio, eóque magis, quo fuerit perfectior, ac maior. Quod si in vno homine hoc efficit, quanto magis cum plures homines virtute præditi ita coniuncti sunt, vt quasi ciuitatem quandam efficiant? Hanc ergo ciuitatem supra montem positam aptissime dicere possumus esse Religionem, quæ & ex multis conflatur, quasi ciuitas, de qua proximo capite multa diximus, & in arduo, atque eminenti loco sita est, id est, in ipso apice euangelicæ perfectionis, ad quem apicem quicunque nondum peruenerunt, sed inferiori in gradu substiterunt, ij necesse est vt hos admirentur, & tamquam superiores suspiciant. Igitur eiusmodi ciuitas tam præclara, támque illustris, & in monte collocata, cum latere non possit, ac potius omnium oculos in eam incidere necesse sit, quanta est ipsius laus, ac præstantia, tantam etiam Ecclesiæ toti, cuius est pars, laudem, ac gloriam afferat, oportet. Ex quo illud est, quod Nazianzenus religiosos omnes primitias vocat gregis Domini, vocat columnas, & fidei coronas, & denique pretiosas margaritas. Cui simillimum est illud Hieronymi, Certe, inquit, flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Eccle- *Matt. 5.* *Or. 1. in Iulia.* *Epi. 17.*

ſiaſtica ornamenta, monachorum, & virginum chorus eſt. Florem, ac gemmam appellat religioſum inſtitutum, quorum alterum ad pulchritudinem pertinet, alterum præter pulchritudinem pretium etiam habet; quod vtrumque hic ſtatus Eccleſiæ ſanctæ confert. Quare hic tantus huius vitæ ſplendor tum domeſticos fidei magnopere iuuat, delectat, ac confirmat, tum vero aduerſarios magnopere confundit, ac perturbat. Itaque S. Auguſtinus acer propugnator rectę fidei, in eo opere, quod ſcripſit de moribus Eccleſiæ catholicæ, inter cetera argumenta, quibus Manichæorum, contra quos illa ſcribebat, perfidiam impugnat, hoc vno vel maxime nititur, quod in Eccleſia tam ingens numerus eſſet tum anachoretarum, qui ſolitariam, tum cœnobitarum, qui communem in monaſteriis ducerent vitam; quorum mores, atque inſtituta cum prolixe deſcripſiſſet, tum vero quaſi inſultans hoſtibus, hęc addit, Iſtis, inquit, Manichęi ſi poteſtis, obſiſtite. Iſtos *Cap. 34.* intuemini, iſtos ſine mendacio ſi audetis, & cum contumelia nominate. Iſtorum ieiuniis veſtra ieiunia, caſtitati caſtitatem, veſtitum veſtitui, epulas epulis, modeſtiam modeſtiæ, caritatē deniq; caritati, &, quod res maxime poſtulat, præcepta præcepta conferre. Hunc locum ipſum multo etiā copioſius tractat Laurentius Iuſtinianus, magnus vtique vir & *Libr. de obed. cap. 18.* ſanctitate, & doctrina, & certe dignus, cuius etiam longiorem orationem hic inſeramus. Inter cetera, inquit, quæ gloriam Dei in terra prædicant, & catholicam fidem infidelibus hominibus commendabilem reddunt, & ſocialis vita fideliū, eorum præcipue, qui ſpreto perituri ſeculi luxu, abdicatiſq; de à ſe diuitiarum, honorum, & carnis illecebris, in monaſteriorum clauſtris voluntariæ ſeruitutis ſe perpetuo dedicarunt voto. Quis enim diuinam bonitatem, & ſapientiam ineffabilem, laudum non extollat præconiis, cum vtriuſque ſexus homines pene innumerabiles intuetur iuuentutis flore, ac decore corporis ſoſpitate potiri, terrenarum facultatum abundare affluentia, poſſidere agros, vineas, domos, ſeruos, & ancillas, amicorum, affiniúmque generoſitate clareſcere, ſponte renunciare ſeculo, illius pompas ſpernere, propinquos omnes relinquere, atque ſub ignoti quodammodo viri diſciplina per obedientiæ exercitium Chriſto Domino militare? Hoc quippe humanę conſuetudinis, & communis vitę ſupergreditur limites. Non enim naturalis pignorum affectus patitur, vt contemnamus eos qui nos genuere, & in hanc viſibilem mundi iſtius produxerunt lucem. Non, inquam, lex

cordibus

cordibus innata mortalium suadet, deserta vrbe propria, vniuersis relictis consanguineis, coæuis adolescentulis, familiaribus, & notis, peregrinari per alienas ędes, remotas peragrare prouincias, ciuitates, & castra, non vno, duobus, vel tribus annis, sed toto vitæ suo decursu, atque spōtanea deliberatione pati famem, sitim, frigus, nuditatem, corpus quoque attenuare vigiliis, macerare ieiuniis, laborib⁹ exponere, quotidiana alimentorum domare inedia, & quod his omnibus maius est propriæ voluntatis debellare affectus. Nam natura ipsa trahit, vsus docet, impellit humana fragilitas, allicit socialis amor, mutua inclinant obsequia, dulcissimúmq; domesticorum, & maxime propinquorum contubernium cogit, vt quilibet rationis compos in illo, in quo natus est, habitet solo, suorum affinium fruatur consortio, propriarum opum curam & delectationē capiat, nec non arbitrij sui sectetur illecebras. Cæterum cum his contraria actitari conspicimus, aut ex metu mortis, aut ex certa cognitione prætereuntis, & fallacis seculi, siue ex bonorum id agitur spe validissima futurorum, quam vtique spem non nisi præuio fidei lumine gustari permittitur. Hæc namque, de qua loquimur, fides nequaquam ex humano arbitrio, sed ex Dei miserentis, trahentis, custodientísque munere possidetur. Istius fidei gloriosissimi martyres irradiati splendore flagrantissima charitate pro Christo perpessi sunt ignem, carceres, vincula, flagella, tormenta, opprobria, exilia, damna, & mortem. Huius (inquam) fidei anachoretæ sancti claritate perfusi deserta repleuerunt perlustrauerunt solitudines, construxerunt cœnobia, in quibus diuinis intenderent laudibus, crebris vacarent orationibus, operi manuum opportuno insisterent tempore, congregaréntque in vnum Dei filios circumquaque dispersos, atque inuisibilium inimicorum latentes laqueos superarent. Intelligebant profecto diuinitus inspirati, seculum hoc, carnis concupiscentia, oculorum lenociniis, & voluptatum, & vitæ superbia esse refertum. Intuebantur quotidie homines ire per abrupta vitiorum, Dei legem negligere, eius mādata despicere, prælectnium delectationum oblectamēta sectari, terrenis lucris, fugitiuis honoribus, impudicitiis perniciosis, ac secularibus curis incumbere, quæ vtique alienum à Deo, ignotum sibi ipsi, & virtutibus auersum, suum efficiunt amatorem. Non enim in vnum conueniunt, neque simul stare valent lux & tenebræ, vanitas, & veritas, virtus, & vitium, dilectio Dei, & sæculi, opera carnis, & spiritus, temporalis vitæ

 gaudium,

gaudium, & futuræ. Quamobrem vt debitum pietatis cultum exhiberent Deo, vt vitiorum paſſiones reprimerent, quę de peccati fomite, & carnis prurigine indeſinenter ebulliunt vt proprias compeſcerent voluntates, à quibus pabulum ſumit omnis origo delicti, talibus pro Chriſti amore ſe mancipauere ergaſtulis. Hac intentione laudabili, hoc ritu viuendi ſancta mater illuſtratur Eccleſia. Non enim deſunt temporibus iſtis, in quibus abundare iniquitas, & multorum cernitur refrigeſcere caritas, qui ſanctorum patrum, etſi non eodem feruore caritatis, veſtigia imitentur. Sunt nanque diuerſæ Chriſto domino famulantium congregationes, quæ licet ſint in habitibus diſtinctæ, variæ in conſtitutionibus: & in ceremoniis diſcretæ, vna tamen intentione glorificandi Deum, & proximum lucrifaciendi, vnoque fine cœleſtem patriam conſequendi, ſe exercendo deſudant. In hac ſeruorum Chriſti numeroſitate maxima, quæ toto pene terrarum orbe vſquequaque diffunditur ò quot vtriuſque ſexus præcipua eminent ſanctitate, quot ſingulari deuotione, & orationis aſſiduitate pingueſcunt, quot ve virtutum magnanimitate decorantur. Alij namque humilitatis ſtudio, aliqui patientiæ conſtantia, quidam mentis puritate, nōnulli zelo rectitudinis, aliqui Dei, & proximi dilectione, plurimi vero cæteros religioſæ cōuerſationis ſingularitate præcellunt. Omnes ij ſine æmulatione fraterna, & abſque cordis elatione, ſecundum menſuram fidei, & gratiæ eiidem collatæ, certant placere Deo, quotidie proficere, & talentorum ſibi præſtitorum lucra cumulare. Hæc Iuſtinianus; quibus tā diſerte, & copioſe dictis non iam eſt quod plura addamus, præter illud, quod ex horum patrum ſenſu licebit religioſis
Eſa. 43. accōmodare, dictum olim à Domino per Prophetam: Populum (inquit) iſtum formaui mihi: laudem meam narrabit. Hic enim tantus populus de longinquo adductus, vt ibidem dicitur, & de extremis terræ in vnum congregatus, à quo formatus ſit, niſi à Deo, qui ſolus de tenebris iubet lucem ſplendeſcere, & quem ad finem formatus, niſi vt eius laudē narret? Hoc vero religioſi faciunt, non ſolum eius laudes vocibus, & cantibus perſonnando, aut eius magnalia inter homines eloquendo, ſed etiam ipſis, vt ante dixi, moribus, totoque ipſius vitæ contextu. Vt enim elegans pictura, vel quodvis egregium opus artificis ſui præſtantiam tacite prædicat, & ipſis oculis ingerit, multoque certius, atque euidentius perſuadet, quam quælibet oratio, ſic talia viuendi inſtituta,

quæ à Deo ſolo exiſtere poſſunt, ipſius & bonitatem & ſapiẽtiam, omnium optime, clariſſimeque demonſtrant.

De honore qui etiam in hac vita exhibetur religioſis.

CAPVT XXXVII.

EST Domini ſententia per Prophetam prolata, eiuſque perpetuo more confirmata: Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, ignobiles erunt. Itaque cum religioſi quoque ita Dei gloriæ amplificandæ ſe impendant, vt nihil eis magis propoſitum ſit, quam ſe ipſos humiliare, & abijcere, merito videtur diuina bonitas hunc quoque ſtatum viciſſim honoraſſe, atque ei quiddam ſplendoris addidiſſe, quod etiam hominum æſtimatione magnum eſſet. Oportuit enim in ipſis etiam illud extare promiſſum, quod eſt in Prouerbiis de ſapientiæ fructibus, Arripe illam, & exaltabit te, glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmentum gratiarum, & corona inclyta proteget te. Baſilius quidem inter ceteras rationes, quibus homines cohortatur ad religioſam diſciplinam amplectendam, non dubitat hanc quoque afferre, quod qui id fecerit, ei etiam in terris magna ſit parata gloria, quod apud amicos erit in pretio, quod eum adiutorem, & deprecatorem in ſuis caſibus adhibebunt, quod vt ſtrenuo militi alimenta ſuppeditabunt, eumque ad ſe inuitabunt, & lætabudi tamquam Angelum Dei excipient, & quemadmodum ait Apoſtolus, vt Chriſtum Ieſum. Quod ſi rei naturam æſtimemus, intelligemus ferme neceſſarium eſſe, vt ita ſit. Primum enim veriſſimum eſt illud, quod Ariſtoteles ait, veram honoris materiam eſſe bonum, idque eo magis, quo excellentius.

1.Reg. 2. *Pro. 4.* *Præf. in Alcet.* *4.Eth.c. 3.*

Itaque ſi vero iudicio res æſtimetur, virtutem ſolam, & eos in quibus ea ſit, honore dignos eſſe: nobiles autem, & diuites, vel qui imperia gerunt, externam tantum excellentiam præ aliis habere, eoſque à vulgo honorari, quia ſcilicet nulla alia bona cognoſcit, quam hæc exteriora. Hæc Ariſtoteles, ex cuius dicto hoc etiam ſequitur, non modo ſapientes, ſed ipſum vulgus, ſi aliquod lumen veræ virtutis aſpiciat, multo eam magis honoraturum eſſe, quam illa externa. Itaque ſi quæ tanta virtus ſit, tamque conſpicua, vt etiam apud homines obſcura eſſe non poſſint: eã ſine dubio in magna veneratione eſſe oportet. Talis eſt autem religioſa perfectio. Ipſe enim ſtatus eminens, ac remotus eſt à communi vita,

plenuſque iis moribus, atq; iis inſtitutis, quæ omnibus intuẽtibus mira videantur. Cum enim maior mortalium pars honoris, aut pecuniæ, aut voluptatis, ac reliquarũ eiuſmodi rerum terrenarum amore, ac deſiderio capiantur, non poſſunt deinde non eos ſuſpicere, quos tam alte euolaſſe vident, vt illa non conſectentur, ſed contemnant, & abiiciant. Neque vero iſte contemptus in animo latet, ſed ipſo habitu, ipſo ſtatu, totaque vita proditur, ac manifeſtatur, vt in oculos etiam rudium incurrat, & ſine magna meditatione eos tamen deuinciat, & rapiat. Accedit ipſa etiã coniunctio, & quaſi propinquitas cum Deo, cui dicati ſunt, & cum quo tanquam famuli, vel potius domeſtici, & amici familiariter verſantur. Hæc enim res etiam vel in primis eos efficit venerabiles, idque ipſa docet natura; quod ex eo apparet, quoniam non modo inter Chriſtianos, ſed etiam inter gentiles, & à vera Dei notitia alienos, ſemper hæc opinio, atque inſtitutum valuit, vt qui diuini numinis obſequio ſe deuouiſſent, iis quiddã maioris reuerentiæ deberetur. Vt enim nulla gens tam fera, tamque immanis eſt, cuius mẽtem non imbuerit hæc opinio, eſſe naturam quandam ſuperiorem, & prępotentem, à qua tum beneficia petenda, tum ſupplicia metuenda, & cui ob hanc cauſam præcipuus cultus, ac ceremonia tribuenda ſit, ita nemo eſt, qui non eos, qui huic naturæ maxime coniuncti ſint, proxime colendos, ac venerãdos putet; idque ſemper fuiſſe videmus in omni antiquitate. Nam in Ægypto, quod in Geneſi
Gen. 47. ſcribitur, hic mos erat, vt ſacerdotes publice alerentur, quæ cauſa fuit, cur in communi fame eorum agri intacti permanſerint. Romæ autem tum Pontifices, ac flamines varij, tum augures, & reliqui ſacrificuli in tanta erant exiſtimatione, vt ea dignitas populi ſuffragiis cum magno ambitu decerneretur; quin etiam ita regium erat ſacra iſta curare, vt regibus exactis, cũm ceteris in rebus nihil eſſet odioſius, regis tamen nomen in ſolo ſacerdotio remanſerit. De Flamine quoque Diali hoc legimus, tantam fuiſſe eius auctoritatem, vt ad eũ quaſi ad aſylum vulgo concurreretur. qui enim ad eius pedes accidiſſent, ſi vincti eſſent, ſoluebãtur, ſi noxij omnis pœna condonabatur. Virgines autẽ Veſtales quæ apud illos monialium noſtrarũ inſtar erant, ita quaſi ſacroſanctæ habebãtur, vt nec attingi poſſent, & duobus lictoribus vterẽtur, ac ſi caſu in aliquem incidiſſent, qui ad ſupplicium duceretur, is ſtatim liberaretur. Atque vt hæc vetera omittamus, hoc ipſo tempore quantam eſſe ſcimus apud Iaponenſes ſuorum Bonziorum

ziorum potestatem, ac dignitatem? qui cum nostrorum monachorum habitum, cantum, communitatem vitæ, ac deniq; omnia ferme, præter castitatem, morumque probitatem imitentur, tanto esse in pretio dicuntur, quasi dij quidam terrestres: itaq; omnia pene eorum arbitrio geri, eosque sæpe regna dare, & adimere. Denique hoc certum est, quotquot vnquam vim, ac naturã diuinam esse arbitrati sunt (omnes autem arbitrati sunt,) illos etiam, qui huic naturæ colendæ sese addixerunt, & consecrarunt, præcipuo semper loco habuisse, idque ita sensisse non hominum colloquutione inter se, aut lege iussove principum, sed natura duce, nulla institutione, nullaque doctrina. omni autem in re generalis consensio gentium omnium ipsius naturæ vox putanda est. Sed tamen apparet, si non solum inanis, sed impia etiam superstitio falsorum deorum, qui ne erant quidem, tantum semper potuit, & adhuc potest, quanto plus posse debeat vera religio veri, ac summi Dei. Oportet enim, quo maius, atque augustius est, quod Christiani iam norũt de illa maiestate, quam quod illi de suis simulacris etiam errore conceperant, eo maiorem honorem ijs impendi, qui tantæ maiestati propius se adiunxerunt. De B. Dominico ita scribitur, quo se ipse profundius abijciebat, eo magis ab omni hominum genere, & quidem ab ipsis etiam Cardinalibus, & Pontificibus coli solitum, à vulgo vero ita impense, vt se beatos putarẽt, qui cum eo colloqui, vel eius vestem manu contingere possent: quare cum omnes ex eius tunica certatim particulas præcidere studerẽt, quas deinde reliquiarum loco asseruarẽt, perpetuum ei fuisse, vt vestẽ vsque ad genua decurtatam gereret. Quinimmo hoc etiam accepimus, cum fratres, vt eam ab illo molestiam depellerent, quosdam vestimenti laciniam vellicantes prohiberent, ab ipso inhibitos, cum diceret, sinẽdos esse, vt suæ deuotioni satisfacerent. Franciscus autem cum quodcumque oppidum ingrederetur, tanti concursus fierent, vt pene comprimeretur, hoc inter cetera de eo fertur, aliquando eum constitisse, vestemque, ac manum omnibus ad se accedentibus osculandam præbuisse: quod intuens eius comes, ac discipulus, cum admiratus esset, ac deinde solus à solo causam sciscitaretur, Scito, ait Franciscus, ne minimam quidẽ mihi ab his honoris debiti partem persolutam esse; quo responso, cũ ille multo adhuc magis obstupuisset, causam reddidit, quoniam homines illi nõn ipsum honorarent, sed Deum in ipso, qui ei quicquid religionis, aut quicquid bonorum habebat,

bebat, contulisset. Neque vero plebeij modo homines religionis dignitati deferunt, sed ipsi etiam principes, & magni reges, vt Constantinus Antonio, Otho Imperator Romualdo, cuius etiam cellulam ipse visere, atque in eius paupere, ac duro lectulo tanta maiestas cubare voluit. Cum vero Maurus à S. Benedicto in Galliam esset destinatus, non solum Florus Theodeberto Regi ita carus, vt ab ipso vno secundus haberetur, & filium, & opes, quæ maxime erant, & insuper seipsum, tota mirante Gallia, eius monasterio addixit, sed Rex ipse Theodebertus ad illam nouellam Christi domini cohortem visitandam aliquot dierum itinere adiit: quo cum venisset, post preces in templo pie peractas, in fratrum conuentum pergens, sese quam humillime in pauimento prostrauit, regiam purpuram, summamque potestatem sub pannosorum, & pauperum hominum pedibus deprimens, præterea etiam deprecans, vt se in suam (sic enim loquutus est) societatem recipere ne grauarentur, suumque nomen inter eorum nomina ascribere: ad extremum etiam donis plurimis ex auro, atque argento ad ecclesiæ ornatum prolatis, ita discessit, vt magnum se à Domino beneficium accepisse reputaret, quod illos Dei famulos videre, & alloqui potuisset. Illud autem multo recentius in eodem regno, cum Ludouicus XI. ab extremis Calabriæ finibus Franciscum Paulensem tum precibus, tum etiam Sixti IIII. auctoritate interposita exciuit: quem quidem quam amanter, quamque honorifice excepit? quantum in vnius hominis inopis, & plane ignobilis aduentu totum Galliæ regnum, totaque tanti regis curia exultauit? Itaque in hoc etiam illud expresse apparuit, quod sæpe efficere solet hæc religionis dignitas, vt quemadmodum disserit quodam loco Chrysostomus, qui in seculo obscuri, atque inimo loco nati essent, quique si in seculo permansissent, in eadem ignobilitate semper iacuissent, iidem statu immutato, cœpti sint ab ijs coli, à quibus antea despiciebantur. Arsenius Arcadium adolescentem Theodosij Imperatoris filium instituendum susceperat, tam parua eius gratia, vt ei fugiendum fuerit, quod necem sibi ab illo parari comperisset. Idem tamen cum post diuturnas latebras compertus esset in Dei famulatu, Arcadius ipse ad imperium iam prouectus, litteras ad eum vltro scripsit pene supplices, quibus & se, & imperium suum illi commendabat. Certe huic nihil doctrinæ, qua etiam antea abundabat, vel nobilitatis accesserat: quin potius quicquid prius externi splendoris

2. Libr. con. vitu. vita mon.

doris habuerat, omnino decesserat. Vnde ergo nouus hic honor, & tantus, nisi ex statu religioso? Possent alia multa eiusmodi, partim ex veterum, partim ex recentium vita, & gestis proferri: sed ne longiores simus, concludamus hunc locũ luculento Cassiani testimonio, qui illud cẽtupli promissum hac etiam præsentis honoris mercede persolui cõfirmat: sic enim ait. Nonne obsecro etiam in hoc centuplum gratiam euidentissime, qui fideliter Christo deseruiunt, consequuntur, dum pro nomine eius à summis principibus honorantur, ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen etiã in persequutionũ angustijs iudicibus cunctis, ac potestatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forsan despicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate nataliũ, vel pro conditione seruili, si in seculari conuersatione mansissent? Quod euidẽtius in abbate Ioanne, qui in illa eremo, quæ Lyco oppido adiacet, cõmoratur, possumus approbare: qui perobscuris maioribus natus, ita pro Christi nomine, vniuerso pene humano generi admirabilis factus est, vt eum ipsi quoq; rerum præsentiũ domini, qui mundi huius, atque imperij gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis, regibúsque terrori sunt, velut dominũ venerẽtur, & oracula eius de tam longinquis regionibus expetentes, imperij sui apicem, & statum salutis, belloiúmque prouentus illius orationibus, meritísque cõmittant. Hæc Cassianus, quibus vnum illud addere possumus, ex honoribus omnibus, qui in hac vita hominibus deferãtur, hunc videri verissimum, & meo iudicio etiã amplissimũ. Nam cum alij honorantur, in quibus est aliquid potestatis vel opum, ac diuitiarũ, non tam ipsi honorari videntur, quam ipsorũ opes, vel potentia, & hoc alicuius præmij, vel cõmodi spe. Quare cum in religioso statu nihil omnino eiusmodi sit sine dubio, quicquid ei obseruantiæ tribuitur, id omne vnius status pulchritudini, ac virtutis, quæ in eo statu interlucet, amplitudini tribuitur. Quo in genere memorabile quidẽ fuit quod Ioanni Becano ex Minorũ ordine in ipsorum actis legimus contigisse. Hic enim sui seculi eruditissimus, cũ Romæ in sacro palatio publice theologiã doceret, tanta erat eius doctrinæ opinio, vt ad eum audiendum tum alij ex omnibus gradibus plurimi ventitarent, tum verò Episcopi, & Cardinales non pauci; qui etiam, quoties ille per mediam scholam ad suggestum adiret, omnes honoris causa consurgere, & detecto capite stare consuerant. Verum cum ita accidisset, vt eo ipso tempore is ad Cantuariensem Archiepiscopatum

Coll. vlt. cap. vlt.

epiſcopatum proueheretur, ac nihilominus docere pergeret, nemo deinceps ex Cardinalibus ſe mouit, quod antea, vt aiebant, honorē illum virtuti tribuerent, cui ſe inferiores agnoſcebant: tum verò dignitati tribuere viſi eſſent, qua erant ſuperiores. Hic eſt igitur, vt dixi, verus honor, qui in virtute, & in ſtatu ipſo fundatur, quod eſt optimum, & ſolidum fundamentum. Nam quod interdū religioſi aliquas calumnias, vel probra patiantur, id & rarius eſt, nec ſolius dæmonis malitia euenit, vt nos oppugnet, ſed etiam Dei permiſſu, vt noſtram virtutem exerceat, vt coronam augeat, vt conformes filio ſuo faciat, qui diſcipulos ſuos, & in diſcipulis ceteros omnes ita præmonuit: Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. redditque rationem, Quia non eſt ſeruus maior domino ſuo: quaſi hoc dicere velit, qui verus eſſe ſtudeat diſcipulus, veruſque ſeruus, illi eadem eſſe ferenda, quæ Chriſtus pertulit. Quare in hoc quoque admirabilis elucet Dei ſapientia, atque in nos ipſos prouidentia, quod cùm huius ſtatus præſtantia à pleriſque cognoſcatur, & vt debet, colatur, aliquos tamen voluerit non deeſſe, quorum oculis hæc eſſent abſcondita, quique in religioſos interdum eſſent proterui, vt ſimul & noſtris, & aliorum vtilitatibus miro quodam modo conſuleret. Nam ſi omnes contemnerent, nulli in proximis fructus exiſterent: ſin omnes fouerent, & in ſinu geſtarent, hoc ipſum nobis ad multa damnoſum eſſet. Itaque in altero Deus noſtram, in altero proximorum ſpectauit vtilitatem, vtramque autem ita temperauit, vt quemadmodum dicit Apoſtolus, noſtra hæc vita quaſi quibuſdam paſſibus ſemper incideret per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, noſque ipſi ſicut qui ignoti, & cogniti, & ſeductores &, tamen veráces. Verum etſi nos ita armatos à dextris, & à ſiniſtris eſſe oportet, illud tamen manet, quod ſupra poſitum, & confirmatum eſt, magnam eſſe huius ſtatus etiam apud homines dignitatem, multoq; eminentiorem omnibus regum ſceptris, atque imperijs. Hoc bene intellexit Ludouicus ille Caroli Gallorum regis filius, de quo ſupra à nobis alio loco dictum eſt, qui cum terreni regni tam opulenti hæreditatem contemnens, Franciſcani ordinis habitum ſuſcepiſſet, quem diuturnis, ardentiſſimíſque votis concupierat, eique à quodam eiuſdem ordinis fratre inter gratulandum dictum eſſet, valde illum eo die Franciſcanam familiam honoraſſe, reſpōdiſſe fertur, Immo verò ego potius ex hoc habitu magno ſum hodie honore affectus.

Ioan. 15.

2. Cor. 6.

DE



DE
BONO STATVS RELIGIOSI
LIBER TERTIVS.
PROOEMIVM.



AGNVM olim exemplar totius religiosæ vocationis à Deo propositum, est in Iudæis ab Ægyptia seruitute in terram illam felicem, tamque longa, ac laboriosa peregrinatione quæsitam, educendis. Ita enim in eo opere, quod fuit omnium operum, quæ à Domino in gentem illam extiterint, celeberrimum, & maximum, noster hic status expictus, atque expressus est, vt nihil propius, aut similius videatur; quatenus tamen spiritualia carnalibus, interiora exterioribus, quæ longe inferiora sunt, exprimi possunt. Itaque tum alij, tum Bernardus etiam in sermone quodam id diserte notauit, & ita mysterium hoc interpretatus est, quasi omnia illis in figurá, & vmbra contigissent, nobis autem corpus solidum & fructus ipse tributus esset. Ibi, inquit, populus eductus est de Ægypto, hic homo de seculo. Ibi prosternitur Pharao, hic diabolus. Ibi subuertuntur currus Pharaonis; hic carnalia, & secularia desideria, quæ militant aduersus animam, subruuntur. Illi in fluctibus, isti in fletibus. Marini illi, amari isti. Puto & tunc clamitare dæmonia, si fortè contingat incidere in talem animam, Fugiamus Israëlem, quia Dominus pugnat pro eo. Hæc Bernardus, & plura. Nos autem, quando ita est, in isto Hebræorum beneficio, quasi in imagine, nostrum hoc tãto maius beneficium, cum ea qua decet gratia agnoscamus. Nam si secularem statum, in quo antea degebamus, purioribus oculis, quod iam Dei beneficio possumus, inspiciamus, quid aliud erat, quam

Ser. 39. Cant.

quam ſeruitus, & quidem multo durior, tetriórque quam Pharaonis, quoniam non ea corpus, quod adeo miſerum videri ſolet, ſed animum, quod eſt multo miſerius, captiuum, ac vinctum tenebat: Quin etiam hominem homini ſeruire non ita turpe eſt: at turpius ſeruire vitio, & diabolo, quo vtroque nihil eſt fœdius: ſeruire etiam mundo, quo nihil eſt vanius. Quod etiam eo magis apparet ex ipſorum operum, quæ tam ſæuus dominatus indixerat, tum ignobilitate, tum inſuper moleſtia, & grauitate. Quæ enim nobis quoque alia erat occupatio, quam vti illis, in verſando luto, in colligendis paleis, in conficiendis lateribus, ſordidis omnino, & famularibus miniſteriis? Cùm enim honoribus, vel diuitiis augendis, vt ferè hominum mores ferunt, noſtra omnis vita dirigebatur, idque vnum noſtræ curæ, ac labores ſpectabant, nihil quidē aliud agebamus, quam quod die, ac nocte, terram manibus, terram corde tractabamus, ſiquidem hæ res omnes terrenæ ſunt, & aliud nihil, quam terra. Neque verò duriſſimi, & acerbiſſimi deerant exactores, ipſæ ſcilicet cupiditates noſtræ, quæ nos aſſiduè vrgerent, ſtimularent, atque adigerent ad labores duplicandos, ad maiora aggredienda, neque vllam nobis omnino quietis partem permitterent. Itaque miſerrimum illud vitæ genus non ærumnis ſolum, atque anguſtijs, quod ipſum Ægypti nomen ſonat, refertum erat, ſed erat etiam illiberale, & indigniſſimum, contra quam homines vulgares inſipienter exiſtiment, quippe cum ſeruitutem, & eam adeo abiectam, atque humilem contineret. Ex qua quidem ſeruitute quicumque ſe tandem diuino inſtinctu impulſus eripere meditetur, quo illum impetu, quo etiam furore inuadere ſolet ſæuiſſimus hic Pharao, id eſt mundus, & qui in mundo dominatur, Satanas? Tum enim quaſi claſſicum canens, omnes quos poteſt ad arma conuocat, vt ſalutares illas cogitationes præcidat, aut diſſipet. Hinc enim ſeculi commoditates, libertatis dulcedinem, ſpem honorum, opum amplitudinem, propinquorum earitatem proponit; quo quaſi agmine facto hominem aggreditur. Illinc verò difficillima quæque intentat, religioſam auſteritatem, paupertatis incommoda, obedientiæ moleſtias, aliaque id genus ad terrorem aptiſſima. Atque hæc interna, quæ ſi minus procedere ſenſerit, tum verò externas quoque admouet machinas, peruerſa amicorum conſilia, ſodalium irriſiones, ſæpè etiam vim potentiorum. In quibus tamen peſtibus omnibus nullæ ſunt nocentiores, quam

quam domesticæ, cum nos vel paterna auctoritate frangere, vel maternis blanditijs, lacrymisve, vel fratrum, aut affinium precibus mollire conatur. Atque hi quidem sunt currus, hi equites, quibus ille humanæ salutis hostis fugientes insequitur. Contra verò Deus, ac dominus noster, qui nos ex Ægypto vocat ad offerendum ei in deserto perenne sacrificium, ita pro nobis pugnam suscipit, quasi non nostra, sed ipsius causa agatur. Itaque non modo dæmonum improbos conatus frangit, insidiásque detegit, sed quicumque ei ex hominibus in tam impia causa seruiunt, eos quoque grauissimis mulctare solet suppliciis, vt Pharaonem: nec ferè aliud vllum peccati genus tam seueris, támque præsentibus pœnis vindicari videmus. Et merito. Quæ enim maior est Dei iniuria, quam sponsam ei præripere, templum profanare, & pulcherrimum eius opus disturbare, ac destruere? proximo autem quod maius, aut qua maiori in re damnum inferri potest? Quamobrem rectè, & grauiter Hieronymus ad Eustochium, quæ se in vrbe Bethleem nobili illo monasterio concluserat? Dominus, inquit, curis te secularibus soluit, vt paleas & lateres Aegypti derelinquens, Moysem sequaris in eremo, & terram repromissionis introeas. Nemo sit qui prohibeat, non mater, non soror, non cognata, non germanus. Quod si voluerint impedire, timeant flagella Pharaonis, qui populum Dei ad colendum Deum nolens dimittere, passus est ea, quæ scripta sunt. Neque verò ad hos tantum puniendos promptus est Dominus, sed multo magis ad religiosos ipsos iuuandos, & educendos in manu potenti, & brachio excelso, vt si opus sit, ijs maria aperiantur, siccentur fluctus, & impedimentis omnibus profligatis, non modo ex Aegypto egrediantur, verum etiam cantantes egrediantur, id est, læti, & alacres, eique gratias agentes, qui equum, & ascensorem proiecit in mare. Hoc enim est lætum illud carmen, quod describit S. Bernardus, cum ita fratres suos alloquitur: Vos, inquit, si vestram experientiam aduertatis, nonne in victoria, qua vicit mundum fides vestra, & in exitu vestro de lacu miseriæ, & de luto fecis, cantastis & ipsi Domino canticum nouum, qui mirabilia fecit? Rursus cum adiecit primum supra petram statuere pedes vestros, & dirigere gressus vestros, puto quod & tunc nihilominus pro indulta nouitate vitæ immissum sit in os vestrum canticum nouum, carmen Deo nostro. In his autem Aegypti plagis, & contra in Hebræi populi beneficiis illud quod sapienter

Ep. 22.

Ser. 1. Cant.

18. Mor. cap. 25.

18. Mor. cap. 25. pienter à Gregorio consideratur, quod illi quidem muscarum vi percussi sunt, hi verò sabbati custodiā acceperunt in munere; quoniā, inquit, populus, qui Deum sequitur, accipit sabbatum, id est, requiem mentis, vt nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Aegyptus verò, quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur. musca enim nimis insolens, & inquietum animal est, in qua quid aliud quam insolentes curæ carnalium desideriorum designantur?

Ceterum egressis Aegypto duo adhuc restant, terra promissionis, & desertum; quod vtrumque religionem significat, sed hoc initia religionis, illa verò progressum, ac perfectionem, cum iam animus hac disciplina excultus, omnibus eius bonis vberius fruitur. Verè autem ipsum quoque desertum est religio, quæ ab humanis omnibus negotiis, & ab hominum secularium cōsuetudine segregata, in eum se subducit locum, quo nec iactatio, nec sonitus perstrepentis mundi peruenïat. Hæ enim sunt solitudines illæ, quas sibi ipsis huius terræ consules, vt ait Iob, ædificant; quod ita Gregorius interpretatur, vt nihil sit aliud, quam à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & vna intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. Atque in hoc quidem deserto, licet in speciē aspero, & odioso, quæ solatia, quæve gaudia inueniuntur? Nam vt Iudæis illis, cum siti laborarent, silices ipsi aquas profundebant, aut si amariores aquæ occurrerent, ligno immisso, statim dulcescebant, sic profectò in religiosa vita quicquid est difficultatis, aut molestiæ, euanescit nescio quo modo, itaque conditur à Deo, vt non sentiatur. Itaque & ieiunia, & vigiliæ, & quod horum omnium maius est, voluntatis frangendæ contentio, & cetera religiosæ disciplinæ officia, quæ interdum eminus intuentibus ita grauia videri solent, vt solo aspectu exterreant, eadem, cum deinde in rem ventum fuerit, etiam delectant, nec vllus labor tam arduus, tamque supra humanas vires est, qui non Dei gratia, & ope, mollis, procliuisque reddatur, vt quod Apostolus dicebat, omnia possumus in eo, qui nos confortat. Nec tamen satis est diuinæ illi bonitati, & benignitati, omnem istius status amaritudinē abstergere, sed insuper eum propria, ac præcipua quadam suauitate aspergere voluit, eaque magna, ac multiplici; quod item in populo hoc Israëlitico demonstratum est, cui & coturnices suppeditauit, non labore quæsitas, sed vento delatas, tanta copia, vt omnem locum late complerent, &, quod est mirabilius,

[Margin notes: Iob. 3. 4. Mor. c. 28. — beside "peruenïat"; Phil. 4. — beside "aspergere voluit"]

bilius, manna de cælo pluens angelorũ manibus cõfectum. Hoc enĩ aperte cœlestes indicat delicias, quib⁹ animę illæ recreãtur, & quasi saginãtur, quæ Aegypto relicta, Deo sese verissime tradiderunt. Vt enim manna illud vetus ea vi præditum fuisse scribitur, ut omnem omnium ciborum, ac cõdimentorũ saporẽ haberet; sic hæ spirituales epulæ rerũ oĩum terrenarum iucunditatem non modo superant, sed etiã in se ipsis eminenter, ac cumulate cõtinent: ex quo fit vt tãquam optimi vini copia exhausta, oĩs statim vel aquę, vel etiã leniorũ vinorum sitis extinguitur, sic religiosi hoc diuino pabulo ita satientur, vt iam nihil sit vltra quod cupiant, illudq; in se ipsis experiãtur, quod de se Propheta dicebat, Qui replet in bonis desideriũ tuũ. Porro ad has epulas ita dulces, & ita perpetuas, accedit etiã Dei duct⁹, ac prouidentia quędam in hoc omni itinere, plena amoris, & curæ, quæ nos tueatur, custodiat, defendat, quę deniq; vt illos olim, deducat in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis, id est, & ardores huius vitę temperet, & tenebras depellat, vt omnem ęstus molestiã tãquã vmbraculo arceat, & omne noctis incõmodũ, aut periculũ, tamquam prælata manibus suis face, auertat. Neq; vero deest hic etiã Moses noster, rectores nimirũ, ac moderatores; quos nobis Dominus vicarios suos præposuit: quod ipsum beneficiũ iucũdissimum est, vt scilicet habeamus qui diuinos nobis nut⁹ interpretentur, qui ad nos Dei iussa perferat, qui vicissim deprecatores se pro nobis exhibeant: deniq; qui interdũ etiã nobis oscitãtibus, ac ludentibus, ipsi in mõte pro nostra salute vigilent, nostramq; causam diligenter apud Diuinũ numen agant. Ac ne illud quidẽ vacat, quod vt olim Israëli, ita nobis quoque in hoc itinere occurrunt nonnumquam hostes, nempe tentationes, quas modo interna naturę nostrę corruptio, modo perennes aduersarij nostri ingerunt; quę pugnę, si soli essemus, nostrisq; virib⁹ niteremur, essẽt plane formidabiles. At vero Dei præsidio, qui nos in hac via deducit, nobisq; semper adest, nihil facilius, quã ex iis etiam adaucta gloria, ac præmio euadere. Ipsius enim ope, ipsius robore fit in religiosis, quod de gẽte illa Hebræa scriptũ scimus, vt vnus persequatur mille, & duo fugent decem millia, vt vel tenuẽ flatum hostiles munitiones concidant, vt etiam erectis in cęlũ manibus irruentia illorum agmina consternẽtur. Verum vbi hęc beneficia, hæque tam multæ, ac magnæ delicię, & cui hominũ generi tribuuntur? Nimirum,

Sap. 16.
Psal. 102.
Psal. 77.
Deut. 3.
Iof. 6.
Exo. 17.

rum, vt ante diximus, non nisi in deserto, nec nisi iis, qui ex Aegypto vere, ac toti prodierunt. Itaque illo etiam tempo-
Exo. 16. re manna illud, quod hoc manna præsignificabat, non an-
Ios. 5. tea de cœlo venit quam Aegyptia farina defecisset, idemque venire desiit, simul ac deserto egressi fruges terræ gustare cœperunt. Ex quo intelligi debet, hac diuina dulcedine alium neminem perfrui posse, nisi qui omnino, ac peni-
27. Mo. & tus sese à mundo mũdanisque reb⁹ abstraxerit. Itaq; hanc
13. ob causam ait Gregorius, dulcem hunc cibũ, qui de supernis accipitur. Manhu appellatum, quasi Quid est hoc? quoniam dũ anima ab infima cogitatione suspenditur, ea quæ de supernis conspicit, tamquam insolita miratur. Sed vidẽdum iam est, si ipsum desertum tantis affluit solatiis, quid
Deut. 6. existimandum sit futuram terram illam promissionis, quæ quasi termin⁹, & quasi merces hui⁹ viæ proposita est. Hic igitur multo verius, & plenius illa sunt, quæ carnalibus Iudæis proposita, eorum cupiditatem adeo incendebant, soli fertilitas, aquarum, ac fontiũ iugis copia, hic frumẽti hordei, ac vinearum abundantia, hic ficuum, & oliuetorum, & omnium arborum omnia genera, hic denique illa lactis, & mellis vbertas; quæ à terrenis, crassisque figuris, quibus olim describebantur, ad spiritualem intelligentiã translata, satis indicant, quam hic omnia beata sint: etsi hęc experiendo magis, quam dicendo, aut legendo sentiuntur.

Itaque quoniã de religiosæ vitæ tum vtilitate, tum verò de præstantia etiam, & dignitate dictũ est superioribus libris, tertius hic liber iucunditati tribued⁹ est, vt nullũ bonũ, nullamue perfectionem, quod initio diximus, ei deesse appareat. Est autem eo magis de hac religionis dulcedine disserendum, quoniam hæc minus nota est, & minus etiã credita à secularibus hominibus, qui dignitatẽ sane spirituali vitæ facile cõcedant, multoq; facili⁹ vtilitatẽ: at vero quod ad delectationem attinet, non modo negent, sed etiã asperam, multisq; difficultatibus eam refertam putant. Qui iam error conuincendus est, idq; probandũ, quanta in hoc statu insit iucunditas, & quanto etiã maior, quam in ipso seculo. Itaque Chrysostomus, cũ alias sæpe multa religiosæ vi-
Ho. 69. tę cõmoda cõmemorat, tum verò homilia quadam in Matthæum, eius etiã suauitatem tã magnam, vt eam longe præferat sęculari vitæ, imo verò iis ipsis sęcularis vitę gaudiis, quæ omniũ prima, ac præcipua existimãtur, vt quæ ex theatri spectaculis, vel etiam quæ ex turpiori intemperantia capiuntur;

piuntur: inter quas vitas, ac delectationes tantum ait esse discrimen, quantum est inter angelos modulate canentes, & porcos in suo cœno inconditè grunnientes. Et quoniam teterrimus ille Pharao, quem supra descripsimus, quos à seculi seruitute ad religionis desertum profugere videt, eos tum per seipsum, tum per suos iisdem tamen telis instructos, insequi numquã desistit, hos quoque exarmemus, quantum possumus, iisque tela eripiamus, id est subdolas rationes, & fallacia argumenta, quæ ad hominum mentes subuertendas adhibere solent, infringamus. Sic enĩ hostibus istis in mare rubrum denuo demersis, omnes animę iustæ, vel quæ discessum ex Ægypto parant, vel quæ iam discessere, iamque in desertum, & in hanc felicem terram peruenere, securius, & tranquillius eius dulcedine perfruentur.

Delectationes animi multo esse maiores quam corporis.

CAPVT I.

QVOD superiore libro fecimus, vt ad religiosi status dignitatem constituendam, videremus prius quæ esset vera dignitas, & in quibus ea rebus consisteret, hoc idẽ fundamentum in hac etiam, quam nunc aggredimur, iucunditate, ponendum putamus. Sunt enim multi, ac nescio an plerique hominum, qui eas tantũ delectationes norunt, quæ gustatu, quæ tactu, quæue aliis sensibus percipiuntur: quare vel nullas alias reperiri putãt, vel has certe esse pręcipuas, & maximas. Quod quidem iudicium pecudum potius esse videtur, quam hominum. Sic enim hi loquũtur, & sic sentiunt, quasi solum corpus haberent. Nam si ratione, ac mente se pręditos esse meminissent, sine dubio intelligerent, huic quoq; parti, pręsertim tanto præstantiori, suas actiones, suasque delectationes tribuendas esse. Non ita Aristoteles, quãquam ethnicus, & à fidei lumine tam alienꝰ, à quo est illud sapienter scriptum septimo libro ethicorũ, õnes homines naturæ instinctu delectationẽ quęrere, quoniã omnibus rebus diuinum quiddam impertitum est, quo inclinantur in optimũ. Sed tamẽ quia corporis delectationes magis notę sũt, atq; omnes ferme illuc trahimur; ideo has solas, quasi hęreditario iure, delectationis nomẽ occupasse, multosq; esse, quibus ita persuasum sit, nihil aliud esse quod delectet. Atque idem etiam Aristoteles libro decimo ita scribit, delectatiões turpes, ac fœdas, non esse vere, & Cap. 13. 10. Eth. 3.5.6.

abſolute delectationes;quoniam non tales vidētur,niſi iis, qui male ſunt affecti : iudicium autem veræ delectationis ſumendum eſſe ex delectatione hominis boni,ac virtute præditi quippe qui regula ſit omnium actionum,& delecta tionum humanarum, & illæ tantum veræ ſint delectationes, quibus ille delectetur: quod autem alia aliis iucunda videantur,id euenire ex corruptela,eaq; non eſſe abſolute, & omnino iucunda, ſed iis tantum, qui ſic affecti ſint. Nā vt pueri,quæ ipſi amant,& quibus capiuntur, præſtantiſſima putant, quæ eadem tamen à viris nihili æſtimentur, ſic alia placere bonis,alia improbis, qui autem ſinceræ, ac
1.2.q.31. liberalis voluptatis guſtum nō habent,eos ad corporis vo-
art..4. luptates confugere. Hęc omnia Ariſtoteles:ex cuius etiam principiis illa vberius à S.Thoma in hāc eādē ſententiā diſ putantur,ad delectationem tria omnino requiri,primū aliquod bonū,quod coniungatur,deinde id cui coniungitur, tertio ipſam coniunctionem;quæ omnia,quo maiora ſint, & perfectiora,eo maiorem conſequi delectationem. At bo num quidem ſpirituale maius eſſe,quam bonum corporis, idemque homini magis carum,& dilectum:quod ex eo ap paret, quia nemo ſit, qui nō oculorū lumine carere malit, quā lumine mentis,vt carent belluæ, vel amentes. Preterea vim cognoſcendi acriorem eſſe in menti & multo nobiliorē,quam ſenſui;de quo dubitari non poteſt. Quod verò ad coniunctionem pertinet, hanc quoque eſſe tum interiorē tum perfectiorem,tum etiā firmiorem. Interiorē quidem quia ſenſus hæret in externis accidētibus,vt in ſapore,aut colore,aut reliquis,ratio peruadit,ac penetrat eſſentiā ipſam:perfectiorem autem,quia nō poteſt ſenſ⁹ cōiūgi cū re obiecta,ſine motu quodā,qui eſt act⁹ imperfectior; ex quo fit,vt huiuſmodi delectationes nō poſſint totæ ſimul exiſtere,cum neceſſaria ita fluāt, vt parte vna labēte,altera pars ſuperueniat. At mentis delectationes omnis motionis expertes ſunt,ſuntq; totæ ſimul,vt res ipſæ omnes,quæ cogitādo intelliguntur. Deniq; quod firmior ſit,ex eo fieri,quoniā quæ corpus permulcent,ſunt omnia corruptioni obnoxia, citoque deficiunt;vt cibi, vt reliqua;bona autem ſpiritualia ſemper manent, neq; vnquā vel vſu,vel vetuſtate deteruntur. Vt igitur ex S.Thomæ auctoritate reliqua noſtra manet oratio, hoc primū deteriores ſunt voluptates oēs, quæ corpore ſentiuntur quod;cū ex re creata percipiātur, omnem eas cōditionem ſubire neceſſe eſt, quæ in ipſis rebus

creatis

creatis insit, inter quas illa maxime incommoda est, quod perpetuo quodam cursu abeunt, ac defluunt, & ad finẽ tendunt, quin etiam cum earum vsura, ac fructus cum tẽpore coniunctus sit, ipsarum quoq; dulcedo eiusdem temporis mensura concluditur, vt pars partem sequatur, & singulis temporis pũctis singula delectationis puncta respondeãt, denique ita sint fugitiuæ, & volaticæ, vt est ipsum tempus, quo nihil velocius. Atq; hoc illud est, quod Augustin⁹ quodam loco egregie disserit. Vbi sunt, inquit, deliciæ vestræ, propter quas ambulatis vias prauas? Nõ dicimus vbi erũt, cum hęc vita transierit, sed modo vbi sunt? Cum hesternũ diẽ hodiernus dies abstulerit, & hodiernum crastin⁹ ablaturus sit, quid eorum, quæ diligitis, non transcurrit, & trãsuolat? Quid non fugit pene antequam capiatur, cum ex ipso hodierno die nulla possit vel hora retineri? Ita enim secunda excluditur à tertia, sicut prima exclusa est à secunda; ipsius horę vnius, quę pręsẽs videtur, nihil pręsens est: omnes enim partes eius, & omnia momenta fugitiua sunt. Sic Augustinus. Huic etiam accedit, quod materia ipsa taliũ delectationũ humilis sane est. quid enim generosum, aut quid homine dignum habent epulę exquisitę, ciborum condimẽta; & reliqua huius generis, omnia plane infima, & terrena? Ergo ipsam etiam iucunditatem, quę ex his nascitur, necesse est nihilo esse nobiliorem: de quo recte Bernardus. Cõsolatio, inquit, mundi vilis, & ad nihilum vtilis, & quod magis metuendum est, verę & salubris consolationis impedimentum. Accedit quod istę voluptates aliquam ferme fœditatem admixtam habent, alię quidem maximam, alię minorem, sed aliquam tamen: quod ex eo apparet, quod etiam in rebus necessariis, qui moderatiores sunt, occultãt, ac dissimulant appetitum voluptatis; quo indicio natura ipsa demõstrat, esse eã indignã hominis præstantia: quod cõtra euenit in solatiis animi, quę eũ potius puriorẽ, viuidiorem que reddunt; vt verum sit illud Augustini, Fœlix anima, quę huiusmodi delectationibus delectatur, vbi turpitudine nulla inquinatur, & veritatis serenitate purgatur.

Ser. 25. de ver. Ap.

Ser. 4. vig. Natiuit.

Ser. 5. de verb. Ap.

Quin etiam, si interiorem naturam, ac vim harum delectationũ inspiciamus, intelligemus nihil eas per se cõtinere optabile, ac iucundum, nisi quod vt fomentum quoddã, aut medicamentũ applicantur ad oppositos dolores leniendos. Quod etiam recte ab Aristotele dictũ est, qui philosophiã ait mirabiles habere delectationes & firmitate, & puritate;

10. Eth. c. 7.

dispensare sine tribulatione eadem temporalia non valēt, ea cura punguntur miseri, qua premuntur. Manēt sub sensibus, & hoc ipsum delicias æstimant, quia & dura quidem ex præsentis vitæ amore tolerant, & tamen affectu nimiæ cupiditatis obligari, laborem eiusdem tolerantiæ voluptatem putāt. Plura alia Gregorius de eodem argumento disserit, inter quæ illud optimū, quod eiusmodi homines veteribus Hebræis persimiles esse ait qui Aegyptias ollas, pepones, porros, & cepas suspirabant. Quid enim, inquit, signatur per ollas carniū, nisi carnalia vitę opera in tribulationū dolorib⁹, quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros, & cepas exprimitur, quæ plerumq; qui comedunt, lacrymas emittūt, nisi difficultas vitæ pręsentis, quę à dilectoribus suis & nō sine luctu agitur, & tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deserētes, cum peponibus, ac carnib⁹, porros, cepasq; quæsierūt, quia videlicet peruersę mentes dulcia per gratiā quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus laboriosa huius vitę itinera etiā lacrymis plena concupiscūt, contemnunt habere vbi spiritualiter gaudeant, desiderāter appetūt vbi & carnaliter gemāt. Horū itaq; vecordiā veridica voce Iob reprehēdat: q a nimirū peruerso iudicio perturbata trāquillis, dura lenib⁹, aspera mitib⁹ trāsitoria æternis, suspecta securis anteponūt. Hacten⁹ Gregorius, nō minus in hoc, vt quidē solet in omnib⁹, ver⁹, quā disertus. His omnibus potest alia quoq; adiungi ratio, quæ est apud Bernardū. Etenī si anima corporis, cui iūcta est, voluptates sētit, quāto magis suas ipsi⁹ sentiet, quæ eā poti⁹, & veri⁹ attingūt? Vt enī homo aliter afficitur, cum suū iumētū fœno refici videt, aliter cū suis ipse reficitur cibis, eadē est animę ratio aduersus carnē suā, qua vt iumento vehitur. Ex quo ita cōcludit: Noli ergo errare, noli seduci, vt nō magis spiritualibus spiritum credas, quā in corporalibus oblectari. *Ser. Ecce nos reliq.*

Maxime autem in hanc partē illud quoque valet, quod res omnes eo cuiq; suauiores, iucūdioresq; sunt, quo illius naturę aptius cōgruant. Sic enim videmus alios cibos hominib⁹, alios belluis esse gratiores, atq; inter ipsas belluas, alias carnib⁹, alias granis, alias herbis libētius vesci: omnibus tamen id maxime dulce esse, quod cuiusq; naturæ maxime cōuenit. Videam⁹ igitur quæ sit hominis natura, nēpe rationis compos; nā licet eius etiam vitæ particeps sit, quæ sensu, & motu, & nutritione cōtinetur, hæc tamē in illo in-

 fima

sima sunt, nec ei propria, sed cõmunia cum brutis: propria autem est ea, quã dixi, intelligentia, & ratio, quę videlicet hominis naturã ita constituit, ac perficit, vt sine ea homo non sit, sed brutũ. Ergo illud sequitur, vt eæ delectationes, quę cum ratione cõiunctę: & in ipsa ratione insitę sunt, humanæ naturæ propiores sint, & ob eam causam etiam gratiores: præsertim si hoc addam⁹; quod iure addi debet, cum in homine multæ sint facultates, tanto quamque maiorem vim habere, plusq; posse, quanto sit superior, ac nobilior, quare cum mens tam longo interuallo nobilior sit, quam sensus, hãc quoque oportet sua perfectius munera exequi, quam sensum sua, atq; vt in reliquis, ita ad delectationes quoque percipiendas multo esse aptiorem. Denique in harum delectationũ comparatione magnopere attendendũ est, quod egregie scriptum est à Gregorio, hoc distate inter delicias corporis, & cordis, quod corporales, inquit, deliciæ cum non habentur, graue in se desideriũ accendunt, cũ vero auide eduntur, comedentẽ protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ, cum nõ habentur, in fastidio sunt, cũ vero habentur, in desiderio, tantoque à comedente amplius esuriuntur, quantò & ab esuriente amplius comedũtur. In illis appetitus placet, experiẽtia displicet. In istis appetitus vilis est, & experiẽtia magis placet. In illis appetitus saturitatẽ, saturitas fastidium generat. In istis autẽ appetitus saturitatẽ, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant, quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod auidius ametur: & idcirco non habitæ amari non possunt, quia earũ sapor ignoratur. Non poterat expressius ostendi quãtum sit interuallum inter carnis suauitates, ac mentis, quam eo quod Gregorius dicit, illas quidem periclitatas nauseã mouere, has vero, quo abundantius hauriantur, eo magis cupiditatem accendere. Nã vt vinum bonũ à deteriori nulla re melius discernitur, quã gustũ, isque demum est certissimus index, ita solidũ gaudium à falso, & mendaci tunc optime diiudicatur, cum vtroque tentatò, & exploratò, in altero quidem omnia vacua, & inania, in altero ita omnia vera, & certa inueniũtur, vt etiã opinionem superent, nosq; semper magis oblectẽt. Satis igitur & rationibus, & sanctorũ Patrum testimoniis hoc probatũ est, in genere voluptatum primũ, ac præcipuum locum animi voluptatibus tribuendũ esse. Sed tamen

Hom. 36. in Euang.

tamen quia apud plerosque nescio quo modo sanctorum Patrum auctoritas suspecta esse solet, quasi altius prouecti, & maiora loquuti sunt, quam communis ferat infirmitas, libet etiã præter illa, quæ ex Aristotele supra attulimus, locum hunc cõcludere luculẽta Platonis ratiocinatione, hoc ipsum quod hic agimus, confirmantis. Vt enim, inquit, fames, ac sitis vacuitates sunt quædam corporis, sic ignorantia, & imprudentia vacuitates sunt animi: vtque corpus impletur, dum alimenta capit, ita animus, dum cognitionem, ac scientiam. Quæ autem repletio verior? nonne ea, quę fit per res illas, quę magis sunt, veriusq; sunt? Quænam igitur purioris sunt substantiæ, cibus ne, & potus, obsonium, & quodcumque alimentorum genus, an veræ opinionis species, & scientiæ, & in summa virtutes vniuersæ? Certe illud verius existere dicendum est, quod semper inhæret rei immortali, & immutabili, & quod ipsum quoque immortale est, atque immutabile, qualis est rei cuiusque essentia, & consequenter eius scientia, quam quod inhæret rei mutabili, & ipsum mutabile est; quo in genere sũt ea omnia, quæ ad corporis curam pertinent. Igitur si repleri rebus naturæ consentaneis, iucundum est, illud vtique quod verius impletur, & verioribus rebus, voluptate afficietur & veriori, & magis naturali. Et hic est animus. Homines igitur virtutis expertes, epulisque, ac similibus rebus dediti, numquã verã, ac puram voluptatem degustant, sed veluti pecora in terrã proni spectant, ventrique obedientes, ætatem consumũt, proque iis potiendis calcibus inter se, & cornibus, vnguibusque decertant. Itaq; necesse est, homines istos eiusmodi voluptates sequi, quæ multis doloribus mixtæ sint, quæque vmbræ sint, & simulacra voluptatis veræ, quo modo Stesichorus poëta Troianos ait veram ignorantes Helenam, de ipsius tantum imagine contendisse. Hæc Plato. *Dial. 9. de Rep.*

Veram animi delectationem non esse nisi in Deo.

CAPVT II.

Cvm igitur hoc positum, ac stabilitũ sit, verã hominis delectationẽ in solo animo cõsistere, nunc etiã videndum est, hæc ipsa animi delectatio in quo cõsistat. Atq; hoc quidẽ facile, ac breue dictu est homini prẹsertim Christiano, qui nouit, quique certissime persuasũ habet, verũ animę cibũ, veráque vitam, vnũ esse Deum. Quãquã hoc quidem ita clarũ, atq; apertum est, vt etiã veteres illi ęthnici,

quicumq; paulo elegãtius, doctiusq; philosophati sunt, nõ aliud sentire potuerint; è quib' Aristoteles, cum multa de
10. Eth. felicitate, in qua summa est delectatio, disseruisset, tũ illud
7. & 8. ad extremũ concludit, sitam eam esse in cognitione, & contemplatione Dei, & mẽtium, vt ille ait, à corpore, & ab omni concretione abstractarum. Hanc enim rationis humanę functionẽ esse ex omnibus suauissimã, & iucundissimam, præterea sibi quoque ipsi sufficientẽ, neque externis indigentem rebus, quas contemplanti non modo non necessarias esse ait, sed etiã magno impedimento. Cum autẽ Deo, & mentibus illis separatis, aliqua actio tribuenda sit, (non enim stupidas esse putandũ est, & inertes, semperque dormientes) hãc esse omnium actionum nobilissimã, & maximam, vt in perpetua contemplatione versentur: ex quo fit, vt quicũque hominum in terra eiusmodi vitam instituerint, ea censenda sit & perfectissima, & Deo simillima. Hæc igitur cũ ab homine cœno, & euangelicæ veritatis experte tam bene dicta sint, quid à nobis dici, aut existimari par est? Augustinũ igitur audiamus Christianũ philosophum, qui multo hoc clarius, & expressius, vt in lumine, quam ille in
In Psal. caligine: Bonum, inquit, tuum quęre, ò anima. Est enim bo-
102. num aliud alteri, & omnes creaturæ habẽt quoddã bonum suum, bonũ integritatis suæ, & perfectionis naturalis suæ. Interest quid cuique necessarium sit, vt perficiatur. Quære tuum bonum. Nemo bonus, nisi vnus Deus. Summum bonum, hoc est bonum tuum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est? Sunt & inferiora bona, quę aliis, & aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere vẽtrem, carere indigentia, dormire, gestire, viuere, sanum esse, generare? Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi quid gaudes? quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omniũ. Similitudinem pecudum iis exprobat Augustinus, qui bestiarũ ritu nullum aliud bonum norunt, nullas delectationes, nisi ad sensum permanẽtes, quod eo turpius est eis, qui ita facti sunt, vt possint esse hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi, idest, qui Dei filij nominentur, & sint. Recte autẽ animæ bonum non epulas, non somnum, non etiam alia indigniora, sed Deum solum esse confirmat, quoniam, vt idem ait, id est cuique bonum, à quo perficitur, & fit melius: at illa non modo animum non perficiunt, sed deteriorem etiam faciunt: detrahunt enim illum à sublimibus, ad quæ factus est, & abiiciunt ad infima,

ma,quorũ amore,& cõtactu fordefcit. Atq; hoc etiam alia ratione demonftrari poteft.Certũ enim eft,atq; neceffariũ cum cetere res omnes creatæ finem aliquẽ habeãt, multo magis hominẽ quoq; fuum habere,ne tam præftãs natura tãto bono careat,ex quo cetera ferme pendent oĩa.Hic vero humanę naturæ finis,quem omnes appetunt, neq; aliud eft, quam beatitudo,nec beatitudo alia vlla eft, quã Deus. Quod B.Thomas huiufmodi ratione confirmat,quia bonũ illud,in quo fita fit beatitudo,neceffario tale,ac tãtum effe oportet,vt omnino appetitũ impleat, atq; ex omni penitus parte exfatiet.Neq; enim vltimi finis vel ratio, vel nomen illi conueniret,fi aliquid prętereà appetendũ reftaret. Cum igitur humanæ voluntatis obiectũ fit bonum vniuerfale, obiectũ autem rationis,atq; intelligẽtiæ fit vniuerfale verum,hinc efficitur,nihil poffe huic vtriq; tantę,tamque capaci facultati fatisfacere,nifi ens vniuerfale,quod idem eft etiam bonũ vniuerfale;quod quidem in rebus creatis non eft inuenire,quoniã habent omnes finitã, ac limitatã tum naturã,tum bonitatẽ. Reftat igitur vt in folo Deo hominis felicitas collocata fit,in quo omnia funt infinita. Quo etiã pertinet illa docta, & accurata Auguftini difputatio in eo libro,quẽ fcripfit de morib⁹ Ecclefiæ,vbi ita differit, Omnib⁹ infixũ,& innatum effe,vt velint beate viuere, ad beatitudinẽ autem tria requiri,vt id quo beatitudo quæritur, fit hominis optimũ,deinde vt ametur, tertio vt etiã habeatur.Nã & qui appetit quod adipifci nõ poteft,cruciatur, & qui adeptus eft quod appetendũ non eft,fallitur, & qui nõ appetit quod adipifcendũ effet,ægrotat.Addit deinde, hoc quod homini optimũ fit,aliquid effe oportere, quod nõ fit ipfo homine deterius,aut min⁹, quia quifquis id fequatur, quod ipfo deterius eft,fieri ipfum quoq; deteriorem:fed id tãtum,quod fit homine ipfo melius,& excellentius, idque habere poffit, & ita habere,vt nũquam inuitus amittat, qui enim de bono,quo fruitur,certus non eft,ac fecurus, eũ in amittendi perpetuo timore beatũ effe nõ poffe.Quare hoc nihil aliud effe poffe,quã virtutẽ,& Deum,cui virtute coniungimur,quẽ nos fi fequimur,bene,fi affequimur,nõ tantum bene,fed etiam beate viuere.Hęc Auguftin⁹,quæ omnino vera,ac poti⁹ neceffaria funt.Ea enim eft natura finis, vt quicquid finẽ habet,nec cõquiefcere poffit, nifi eo adepto,nec eo adepto nõ poffit non cõquiefcere;infuper etiã, quo propius ad eũ quibufdã quafi paffibus accedat,eo magis

1.2. q. 2. ar. 8.

Cap. 2.

gis

gis quieſcat,& gaudeat;quo vero lõgius recedat,turbetur, ac peius habeat.Sic igitur etſi perfectũ gaudium tum futurum eſt,cum reuelata facie videbimus Deum,ſicuti eſt, tamen quã hoc verum eſt;tam neceſſario illud quoq; ſequitur,vt in hac etiam vita,quo magis ei propinquamus, quo diutius cum eo verſamur, quo clarius eum cognoſcimus, eo maiora gaudia in animo gignantur, quæ eiuſdem ſint generis,atque naturæ cum illis cœleſtibus, quamquam eo differunt,quod illa minora,hæc maiora ſunt.

Verũ quid multis opus eſt in re tam euidenti?Quantum enim diſtat Dei natura à natura cuiuslibet rei creatæ, tantum inter vtriuſq; iucunditatem intereſſe oportet. Quid autẽ ſunt epulæ,quid horti,quid reliqua eiuſmodi ad oblectationẽ facta,ſi cum Deo comparentur? Vtrum enim melius, Deus qui eſt ipſum bonũ,an caro vituli, aut quoduis obſonium? Quod ſi tãta eſt diſtãtia,vt etiam pudeat huius comparationis,illud quoq; conſequẽs eſt,vt maior exiſtat ex illo ſuauitas,cum animi palato guſtatur,quã horum, cũ
Epiſt.114 corporis.Iure ergo Bernardus,Re vera,inquit, illud verũ, & ſolum eſt gaudiũ,quod non de creatura, ſed de creatore percipitur,& quod cũ poſſederis,nemo tollet à te:cui comparata omnis aliũde iucunditas mœror eſt, omnis ſuauitas dolor eſt,omne dulce amarũ,omne decorum fœdum, omne poſtremo quodcumq; aliud delectare poſſit, moleſtum. Accedit poſtremo ad hæc omnia illud, quod quia in hoc genere maximũ eſt,breuiſſime quidem, ſed quã planiſſime dicendũ eſt. Nihil enim eſt in rebus creatis, quod vere ſit, nullus gradus bonitatis,nullus pulchritudinis, qui non idẽ multo abũdantius,& perfectius inſit in Deo.Primum,quia illa natura infinita eſt:ſi autem aliquid ei deeſſet, nõ eſſet infinita.Deinde quoniã quicquid iſta habent,habẽt à Deo.
Serm.1. om. ſan. nemo autem alteri dare poteſt quod ipſe non habeat.Itaq; recte Bernardus,Miraris,inquit,in ſole ſplendorẽ, in flore pulchritudinem,in pane ſaporem, in terra fœcunditatem? ſed à Deo hæc vniuerſa ſunt, nec dubium quin multo amplius reſeruauerit ſibi,quã dederit creaturis.Hoc igitur cũ ita ſit,ſequi neceſſe eſt,vt qui Deũ teneat,ſimul etiam vniuerſa teneat,eamque ipſam,ac multo maiorem ex illo delectationẽ percipiat,quã ex ſingulis rebus perciperet, ſi iis ſingulis frueretur. Vt enim qui aureũ nummũ poſſidet, ita pretiũ poſſidet multorũ argenteorũ, ac ſi illos ipſos argenteos haberet,ſed hoc cõmodius,quod illius molis, ac ponderis

deris molestia caret, quæ esset in argento: sic qui cum Deo coniunct⁹ est, succũ, vt ita dicam, habet omnis boni, quod in tanta rerũ huius mundi varietate dispertitũ est, reiectis tantum, ac resecatis incommodis, quæ cuiusq; natura finita, & exilis, & corporea necessario continet. Itaq; hoc illud est, quod, vt accepimus, B. Franciscus adeo in ore habere solebat, Deus meus, & omnia; quod illi ita erat infixũ, vt nihil pene aliud cogitaret, & in huius meditatione totas noctes ponere soleret. De quo etiã egregie illa ab Augustino dicta sunt, quibus ita Deum alloquitur. Quid amo, cum te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec cãdorẽ lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarũ omnimodarũ, non florum, & vnguentorum, & aromatum suaue olentiũ, non manna, & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cũ amo Deum meum: & tamen amo quandã lucem, & quandã vocem, & quendam odorem; & quendam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum meũ, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexũ interioris hominis mei, vbi fulget animæ quod non capit locus, & vbi sonat, quod non rapit tẽpus, & vbi olet, quod non spargit flatus, & vbi sapit, quod nõ minuit edacitas, & vbi hęret, quod non diuellit satietas: Hoc est quod amo, cum Deum meum amo. Hactenus Augustinus. Quare cum omnibus his rationibus, quas ita strictim attigimus, certum sit omnis eius naturæ, quæ mente, atque intelligentia constet, summam iucunditatem esse ipsum Deum, facile iam est videre, quam iucundum esse oporteat religiosum statum, qui ad Deum fruẽdum totus factus est, & ad eum fruendum tot vias, totque modos tam aptos habet. Sed hoc tamen planius fiet, si singula eius oblectamenta, quæ varia sunt, percurramus.

10. Conf. c. 6.

De prima iucunditate religionis, quia careat secularibus molestiis.

CAPVT III.

INter multas religiosę vitę suauitates, quas iam aggredimur, hæc quoq; primo loco numerãda est, quod omnibus molestiis, quę seculare statũ molestissimũ reddunt, nos omnino expedit. Quod beneficiũ quanti æstimandũ sit, etiã si nihil sit aliud, vel hinc intelligi potest, quod nõ defuerunt veteres philosophi, iiq; nõ obscuri, qui beatitudinẽ ipsam

in

in indolétia, siue in omnis doloris vacuitate reponerent; ex quo appareat hoc ipsum, carere malo, nō mediocre esse bonū. Sed tamē huius boni magnitudinē nemo satis ęstimare potest, cui nō perspecta sit illa infinita malorū, ac miseriarū seges, quibus seculū scatet. Hę vero tantę, & tā multæ sunt, & tam frequētes, vt facilius eas oculis spectare liceat, quā oratione describere, cum adeo omnia doloribus, calamitatibus, ærumnis redundent; vt in hoc etiā seculū Aegypto si-
Exo. 12. millimum dicere possimus, vbi, quod in Exodo scriptū est, nulla domus erat, quæ primogenito orbata, non luctuosis clamoribus personaret. Etsi ergo vsu hęc poti⁹, & experientia cognosci possunt, hic tamē locus à multis sanctis elegā-
De virg. c.57. ter, & copiose tractat⁹ est, atque in primis à Chrysostomo, qui vt virginitatis, quā laudabat, felicitatē ostenderet, tam multa de coniugij infelicitate congerit, vt ea legētes pene exhorreamus, ita enim disputationem hāc instituit, vt tum ante nuptias, tum in nuptiis ipsis, tum vero deinceps semper, nullū vnquā esse tempus ostendat, quod dolore, ac perturbatione vacet, ac non potius ingenti molestiarum concursu refertum sit: quib⁹ nullo modo comparādū sit, si quid aliquando interuenit lætitię, cum illud ipsum quicquid est, & præsentium, & porro impendentiū ærumnarum acerbi-
Lib. de virg. c.3. tate extinguatur. Similia plane sunt apud Nyssenum, qui item multus est in his malis describēdis, quæ certe vel ipso auditu, vt ipse ait, tragœdiæ speciem repræsentant. Primū enim, vt anteriora taceantur, incredibiles omnino esse ipsius partus dolores, ac cruciatus, quibus miseræ parentis vterus discerpitur, quorū sensus in virum quoq; redūdare necesse sit, si modo vllo humanitatis affectu tāgitur: deinde vt hęc abierint, periculumq; cum cruciatu cessarit, diuq; optatus fili⁹ in lucem editus sit, tamen plorādi potius auctā esse materiā, quam imminutam: incipere enim statim educādi solicitudinem multo semper metu plenā, ne quid aduersi accidat, ne fortuiti casus (cuiusmodi casib⁹ tū omnis ætas, tum pręsertim infantiū proposita ęst) aut febrim, aut alium morbū afferant. Denique, inquit, varia, & multiplex est malorū copia, quę ex matrimonio existūt. Dolorē enim liberi afferunt, & nati, & non nati, & viui, & mortui. Hic liberorū multitudine gaudet, sed gemit, quia non habet vnde alat. Ille contra, qui in diuitiis quęrendis multum laborauit, nūc hærede caret, cui eas relinquat. Itaq; vnius bona fortuna, alteri⁹ ęst calamitas, cum sibi vterq; illud euenire

velit,

velit,quo alterum cruciari videt. At huic mortuus est suauissimus puer,illi vero viuit filius perditus: verq; sane cōmiseratione dignus:vnius enim filij morte, alter vita dolet.Affect⁹ porro,& perturbationes,rixas,tum ex rebus veris,tum ex falsis suspicionib⁹ temere ortas,quis enumeret? Hæc fere Nyssen⁹,& multa alia,quæ eadem pene ad verbū copiosissime,& disertissime cōmemorantur item à Basilio in eo libro,quē inscripsit de vera virginitate:eadem etiam nec minori copia, atq; vbertate à Hieronymo in libris aduersus Iouinianum. Atque in hac miseriarum iliade illud etiā verum puto,quod est à Chrysostomo dictū, qui re ipsa expertus non sit, nō satis eas posse cogitatione complecti: qui autem experti sint, solos nosse,quanto plus in iis, quas homines delicias putant,laboris sit, atque ærumnæ, quam deliciarum,ac voluptatis.Addamus etiā illud,quod est verissimum,hęc incommoda,vt alia omnia, necesse esse, vt multo minora videantur cogitando, aut legendo, quam deinde experiendo.Semper enim minus feriunt mala,dum ea adhuc quasi procul dissita,& præcipue dum quasi aliena animo tantum quisque complectitur, quam cum eadem iam præsentia ipsa re sentiuntur. *Lib. 1.* *De virg. c. 57.*

Hæ sunt igitur communes,ac generales secularis status ærūnę, quas ne ea quidem vita euadere potest, quæ vulgo beata videri solet,vt pote otiosa, & remota à negotiis,& in sola re familiari,vel liberorū educatiōe occupata.Sed sunt aliæ vitæ negotiosæ, turbulētæ,laboriosæ,vt militum inter assidua pericula,inter æst⁹,& frigora,deniq; inter incōmoda omniū generum:vt etiam mercatorum, qui omne tempus traducentes cogitando,scribendo, numerādo nō multo leuius opus sustinere mihi videtur,quā agricolę in versanda terra,nisi quod hi in sole,illi in vmbra.Sed illorū quidē multo maiores solicitudines,curę,anxietates, met⁹ incommodorū, ne nauis,quæ expectatur,in mari perierit,ne fruméti pretiū copia minuat,ne aliquis aduersus casus,qui multi incurrere solēt,rem longo sudore congestā vna hora auferat.Quid vero dicam⁹ de honorū cupidis, qui libertatem suā aliis addicūt,& dominatus desiderio,eoque incerto,fiūt ipsi certissima aliorū mancipia,quorū ex nutu pendent,ad quorū arbitrium se totos effingunt?Quos enim ab istis quoq; dies,quas noctes sustineri putemus?aut quę flāma est,per quam non currant qui hæc ambiunt, qui tamen cum etiam adepti fuerint quę volunt, maiori flamma tor-

Ep. 121. quentur; vt vere illa ab Auguſtino ſcripta ſint. Diuitię, atq; faſtigia dignitatũ, ceteraq; eiuſmodi, quibus ſe felices eſſe putant mortales, veræ illius felicitatis expertes, quid afferunt conſolationis, cum ſit eis non indigere, quã eminere prętantius, quæ plus excruciant adeptæ timore amiſſionis, quam cõcupitę adeptionis ardore? Quæ quidem huius vitæ miſeria elegãter mihi videtur à S. Paulino expreſſa, cum ille iuuenem Licentium Romanæ ambitioni ſeruientem ad Chriſti obſequium longiori carmine reuocans, hæc ei ſcribit inter alia,

Inter epiſt. Auguſt. 36.

Nunc te ſollicitat varijs male ſuada figuris
Heu validos etiam vertere Roma potens.

Quod autem de Romano illo ſeculo Paulinus dicit, vt etiam validos, id eſt, virtute robuſtos propoſitis inanibus caducarum rerum figuris ſæpe peruertat, & à virtutis curſu auertat, idem de omnibus aliis mundi locis dici poteſt. Ille vero honorum deinde inanitatem, & pericula commemorat,

Scandere celſa iuuat, tremor eſt deſcendere celſis:
Si titubes, celſa peius ab arce cades.

Quis autem ita fortis eſt, vt numquam titubet, præſertim in tam lubrico loco? Itaque denunciat illi futuram aliquando pœnitentiam, quam rerum iſtarum experientia afferre ſolet.

Serus, & incaſſum ſpes accuſabis inanes,
Et modo quæ nectis, rumpere vincla voles.

Sæpe enim ita euenit, vt in eos laqueos nos induamus, vt etiamſi velimus, eos abrumpere nequeamus, niſi id mature fiat. Itaque deſcripta copioſe talis vitæ miſeria, inuitat eum ad Chriſti ſeruitutem multo leuiorem, ac feliciorem.

Quid retrahis fera colla iugo? mea ſarcina lenis,
Suaue iugum Chriſti: vox pia, crede Deo.
Hac bona libertas, Chriſto ſeruire, & in ipſo
Omnibus eſſe ſuper, non dominis hominum
Non vitijs ſeruit, non regibus ille ſuperbis
Tantum qui Chriſto ſe dederit domino.

In qua comparatione pergit ille pluribus, & eorũ libertatem qui Deo ſeruiunt oſtẽdere, & eorum ſeruitutem, *qui* vt ipſe ait, *aulas, & palatia magna frequentant,*

Et quiſquis Romam, ſponte miſer, patitur.

Scite omnino, quod nouo more non Romæ viuere, ſed

Romam pati dixit, quaſi rem grauem, & laborioſam. Illud autem optimum, quod eiuſmodi homines ſponte miſeros appellat, quod nihil aliud eſt, quam bis miſeros eſſe. Nam cum quis inuitus malum aliquod perfert, ſed tamen adhuc iudicio ſanus eſt, id ipſum eſt maximum ſolatium, nec ſolatium modo, ſed ſæpe etiam eius mali remedium: qui vero ipſa mala, in quibus eſt, amat, non ſolum in mentis errore verſatur, quod per ſe eſt miſerrimum, verum ne effugium quidem quærit, éſtque eius deſperata curatio. His igitur omnibus malis, his angoribus, his omnibus miſeriis tam multis, tam magnis, quæque ita hominum pectora lacerant, & fodicant, expers eſt religioſa vita. Id autem quantopere æſtimandum ſit, ſatis intelligi poteſt exemplo corporis. Vt enim corpus etiam ſi nulla peculiari mulceatur voluptate, tamen hæc ipſa magna putatur voluptas, ſi recte valeat, ſi nulla iactetur febri, nulla humorum inæqualitate perturbetur; quod quidem quanti ſit, indicat contrarium, ſi forte vel laterum, vel pedum, vel alterius membri doloribus crucietur: quod ergo eſt in corpore iſta generalis, & perfecta ſanitas, idem eſt in animo hæc ægritudinum, ac moleſtiarum ſecularium vacuitas, vt per ſe ipſam dulcis, & iucunda videri debeat. Itaque ſi ſanitas illa corporis ita hominibus cara eſſe ſolet, vt eam & longo tempore, & magnis impenſis quærant, ſíntque qui eius rei gratia, vt mulier illa in Euangelio, omnem ſuam ſubſtantiam erogarint, & prætcrea ferrum, & ignem patiantur, ſéque ſecari, & vri ſuſtineat, an non ſimillime, ac multo etiã magis hæc religioſi ſtatus tranquillitas omni ſtudio, ac contentione expetenda eſſet, eiúſque adipiſcendæ cauſa omnia vel eroganda, vel toleranda? Recte enim Chryſoſtomus in eo libro, quem ſcripſit in monaſticæ vitę defenſionem Quid, inquit, leuius eſt, atque tranquillius, tantíſne, & tantarum rerum curis implicari, earúmque cuſtodiæ, ac ſeruituti obnoxios fieri, & in quotidiano metu, ac ſolicitudine viuere, ne res familiaris diſtrahatur, ac pereat, an vero his omnibus curis, atque vinculis expediri, liberúmque eſſe? Nam etſi quis non plus eo, quod habet, deſideret, nec pro augendis diuitiarum ſarcinis laboret, vt interim hoc concedamus, nónne multo præſtantius eſt, iam impoſitas ſarcinas abiicere, quam ab ijs ipſis opprimi? Denique ſi, vt ante diximus, maximum bonum eſt, paucis, minimíſque eſſe contentum, certe maioris fœlicitatis erit, neceſſitate omni ſuperiorem euadere. Similia ſunt quæ idem Chryſoſtomus homilia quadam diſ-

Luc. 8.

Libr. 2. cont. vitu. vita mon.

Hom. 16. ad pop.

ſerit, vbi monachorum vitam, quæ grauis putatur, & oneroſa, multo dulciorem, atque optabiliorem eſſe (eius enim omnia hæc ſunt verba) confirmat omni illa vita, quæ facilis, ac mollis videtur. Cuius rei teſtes citat ipſóſmet ſeculares, ad quos illa loquebatur, quos ait, cum ſe ærumnis, & angoribus circumſeptos vident, ſolere eos appellare beatos, qui coniugij expertes in cœnobiis cum tanta tranquillitate viuunt, quia non ſecularem triſtitiam, non dolorem, non curas illas, non pericula, non inſidias, non inuidiam, non zelotypiam, non abſurdos amores, non aliud quidquam eiuſmodi patiuntur. Hæc ille.

Intelligendum eſt autem in hoc bono, quod tractamus, duo maxima bona ineſſe. Primum vt tam graui onere, atque, vt eam Chryſoſtomus vocat, ſarcina ſeculari alleuemur, deinde vt alleuati, & quodammodo ſoluti, libertate quadam potiamur, quæ quidem libertas incredibili plena eſt voluptate. quod quoniam vnius Dei manu, atque potentia effici poteſt, iure Dominus de hoc ſuo opere glorians apud
Iob. 23. B. Iob, illum ſe ſolum eſſe profitetur, qui onagri vincula ſoluerit, eúmque liberum dimiſerit, eíque in ſolitudine domum dederit. Sic enim hunc locum de religioſis egregie,
30. Mo. vt ſolet, exponit Gregorius: Onager, inquit, qui in ſolitudi-
cap. 12. ne commoratur, non incongrue vitam eorum ſignificat, qui remoti à turbis ſecularibus conuerſantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna eſt ſeruitus ſecularium negotiorum, quibus mens atteritur vehementer, quamuis in eis ſponte deſudet. Cuius ſeruitutis conditione carere, eſt in mundo nihil iam concupiſcere. Quaſi enim quodam iugo ſeruitutis premunt proſpera, dum appetuntur, premunt aduerſa, dum formidantur. At ſi quis ſemel à dominatione deſideriorum temporalium colla mentis excuſſerit, quandam iam hic in hac vita libertate perfruitur, dum nullo deſiderio felicitatis afficitur, nullo aduerſitatis terrore coarctatur. Aſperum quippe, & duræ ſeruitutis pondus eſt, ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntia ſed cum tranſeuntibus nolle tranſire. Liber ergo dimittitur, qui calcatis deſideriis, ab appetitione rerum temporalium ſecuritate mentis exoneratur. Hactenus Gregorius. Quare vt concludamus, quemadmodum ſi quis compedibus, aut carcere liberetur, aut ex aquis, quibus iam pene merſus eſſet, eripiatur, etiamſi nihil ei amplius donetur, hoc ipſum pro ingenti beneficio

ficio accipit: ita qui ex ſeculo educitur, cum non ex vno malo, vnáve moleſtia, vt hi, ſed ex plurimis, & grauiſſimis educatur, licet nullum aliud bonum in hoc ſtatu eſſet, nónne hoc ipſum ſolum maximum eſſet, & maxime optandum? Hoc enim illud eſt; propter quod Spiritus ſanctus, ſi Bernardo credimus, in Canticis religioſam vitam lectuli, & quidem floridi vocabulo deſcripſit, cum dixit, Lectulus noſter floridus: quia vt nullus eſt locus, in quo ſuauius homines requieſcant, quam in lecto, ita in religione. In Eccleſia, inquit, lectum in quo quieſcitur, clauſtra exiſtimo eſſe, & monaſteria, in quibus quiete à curis viuitur ſeculi, & ſolicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demõſtratur, cum exemplis, & inſtitutis patrum, tamquam quibuſdam bene olentibus floribus, fratrum conuerſatio, & vita refulget. Sic Bernardus. *Cant. 1. Ser. 46. Cant.*

De facilitate religioſæ diſciplinæ.

CAPVT IIII.

NON ſufficit remouiſſe à religione difficultates, ac moleſtias omnes ſeculares. fieri enim poſſet, vt his carens, alias tamen haberet proprias, ac ſuas quæ eam grauem nihilominus, odioſámque redderent. Quare hoc quoque oſtendendum, omnem eius diſciplinam facilem, ac leuem eſſe, ídque eo diligentius faciendum, quoniam nihil remotius puto a vulgi opinione, qui fere hæc inſtituta ita animo concipiunt, tamquam onera montibus grauiora. Primum igitur, vt à naturæ principiis ordiamur, hoc ponendum eſt, nihil tam amicum, & conueniens eſſe hominis naturæ, quam virtutem. Virtus enim, ſi recte inſpiciamus, nihil eſt aliud, quam ipſa ratio exculta, & perfecta. Cum ergo ratio ita naturalis ſit homini, vt ipſemet ſibi, quoniam ſine ea ne homo quidem ſit, ſequitur, vt perinde illi virtus etiam conueniat. Hoc idem etiam oſtenditur ex ea inclinatione, ac propenſione, quæ omnes ſentiunt, animi lætitia in benefactis, & contra eiuſdem animi contractio, & mœſtitia in peccatis. Quod ſi ita eſt, vt tantus ſit naturæ impetus ad virtutem, illud quoque ſequi neceſſe eſt, vt virtutis functio ſit ei & facilis, & certe etiam iucunda. id enim perpetuum eſt in omnibus rebus, vt quæq; res eo maxime gaudeat, quod eius naturæ eſt maxime aptum, vt aues volatu, piſces natatu, & omnia animantia ſuo alimento. Nam etſi hic, quem diximus, naturæ curſus ad virtutem multum debilitatus eſt plaga illa originali, ac deinde

etiam propriorum peccatorum multitudine, tamen quia hæc impedimenta ſunt tantummodo extrinſecus addita, vt nubes ſoli, aut cineres igni ſuppoſito, viuit ſemper intus illa vis, manétq; ſemper pondus illud inſitum in ratione ad verã honeſtatem, vt remotis illis impedimentis, eo ſponte deferatur. Cum igitur hoc ita ſit in ea animi parte, quæ eſt ſuperior, videamus etiam inferiorem cuiuſmodi ſit. At hæc quoque, vt ait Ariſtoteles, ita nata, itaque facta eſt, vt alteri parti ſuperiori, quæ eſt ipſa ratio, obediat, atque obtẽperet: in quo quidem differre illam docet à ceteris facultatibus vitalibus, vt ea, quæ vel nutriendi, vel augendi cauſa eſt, quæ rationis imperio non ſubduntur, nec eius audiunt præcepta: at appetitus etſi ſuos quoſdam habet motus in bonum delectabile, tamen & ſe, & illos motus mentis lumini ſubiicit; nam alioquin, inquit Ariſtoteles, & maiorum obiurgationes, & æqualium admonitiones, & deprecationes inferiorum fruſtra adhiberentur. Neque illud paruum eſt huius argumentum, quod naturale eſt rebus omnibus, vt ſui ſimilibus, ſuíque generis rebus delectentur. Quare cum anima noſtra ſit plane ſpiritualis, conſequens eſt, vt ſpiritualibus eam magis capi oporteat. Vnde eſt illa Abbatis Iſaac ſanctiſſimi viri ſententia apud Caſſianum, animum noſtrum leuiſſimæ plumæ comparantis. Vt enim pluma, niſi aqua aut humore aliquo craſſiore ſuperfuſa fuerit, vel exiguo flatu in aërem è terra extolletur, ſic animus hominis, vtpote ſpiritus, naturalem habet inſitam leuitatem, qua, niſi vitiis, curíſque mundanis aggrauetur, ad ſuperna facile efferatur, & humilia faſtidiens ad cœleſtia euolet. Denique quid pluribus opus eſt argumentis, cum qui de hoc dubitet, diuinam ab eo ſapientiam quaſi minus ſapientem accuſari neceſſe ſit? Nam cum homines omnes ad hunc vnum finem condiderit, vt rectis, honeſtíſque operibus æternam ſibi felicitatem acquirerent, id quoque ſine dubio ad illam prouidentiam pertinuit, quæ omnia ſuauiter diſponit, vt talem eis tribueret naturam, quæ etiamſi ſola, & per ſe non ſufficeret, tamen non modo non repugnaret, hominémque à ſuo fine non abſtraheret, ſed eo potius impelleret, & quantum eius vires ſeſe protendunt, etiam proueheret. Cur enim de hoc ambigamus, cum in reliquis naturis creatis hoc ipſum à Deo optimo artifice perfectum videamus. Nam & igni, vt ſupera ſemper appeteret, qui ei finis erat, leuitatem inſeruit, terræ contra, grauitatem, cuius centrum in medio mundi ſitum: idémque in reliquis omnibus

1.Ethic. c.vlt. & 1.Polit. cap.2.

Coll.9. cap.4.

tum

tum animatis, tum vitæ expertibus. Igitur quod in rebus tanto interuallo minoribus, & quibus tanto ignobilior finis esset, tamen à Deo seruatum est, non idem efficeret in natura omnium harum præstantissima, & ad præstantissimum finem progenita? Hinc igitur profecta est illa S. Basilij oratio, quæ licet de caritate sola, ad alias tamen virtutes nihilominus pertinet. Sic enim ille virtutem hanc confirmat esse homini facillimam, & maxime naturalem. Caritas, inquit, erga Deum non in doctrinæ præceptis posita est. Neque enim aut luce gaudere, aut vitam diligere, aut eos, à quibus geniti, educatíque sumus, caros habere, ab vllo didicimus. Sic igitur, & multo etiam magis, nulla est externa disciplina, quæ nos doceat Deum amare, sed simul ac homo constitit, statim insita est ei naturalis quædam rationis vis, quæ in se cõtinet initia cuiusdam necessitatis eum amandi. Probat hoc deinde Basilius longa argumentatione, quoniam cum ad omnia quæ Deus homini præcepit exequenda, naturales ipsi dederit facultates, ne queri posset quod mandata Dei grauia sint, multo magis necessariũ hoc fuisse in eo præcepto, quod omnium est maximum, de Deo diligendo: itaque in ipso ortu nostro vim nos quandam nancisci, qua ad id impellamur. Hæc, & multa alia Basilius, quæ si in solam, de qua ille loquitur, caritatem conuenirent, tamen fatendum esset, magnum in natura principium inesse ad omne bonum, ob illud imperium quod caritas habet in virtutes vniuersas: sed eadem cõmunia sunt cum omnibus virtutibus. Etenim valet in omnibus illa Basilij ratio, vt facilior esset diuinorum præceptorum obedientia, oportuisse etiam in natura principia quædã gigni, quibus adiuta non resisteret, sed quasi promptius curreret, quo præceptum impellebat. *Reg. fus. initio.*

Atque hactenus quidem de ea facilitate, qua Deus naturam ipsam præditam esse voluit. Sed hæc sine dubio, quantacumq; sunt, nihil sunt, si cum diuinæ gratiæ vi conferãtur. Nam in natura quicquid est, nihil aliud est, quam vt diximus initium, aut semen quoddam, quod tamen per se nihil possit. Gratia autẽ veram formam affert, ex qua elici possint actiones; eáque, vt breuiter dicamus, alium hominem in homine creat, & quidem, vt ait Apostolus, cœlestem, ac diuinum ea nobis dat cor nouum, & in visceribus nostris spiritum rectum innouat. Cuius gratiæ vis recte mihi videtur à Machario descripta in homilia quadam, vbi ait, dominum nostrum Iesum Christum de cœlo venisse, vt naturam nostram conuerteret, *1. Cor. 15.* *Ho. 44.*

transmutaret, renouaret, & hanc animam, quæ propter peccata prauis esset affectionibus inuoluta, reformaret, contemperans eam cum suo spiritu diuino. Venit itaque, inquit, vt nouam mentem, nouam animam, nouos oculos, nouas manus, nouam linguam spiritualem, &, vt semel dicam, nouos homines eos, qui in se crederent, efficeret. Qui enim materiam quinque panum adauxit, ac multiplicauit, & asini naturæ prorsus mutæ sermonem dedit, & ignis naturam vrentem quasi ventum roris flantem reddidit, qui leonum feritatem in Danielis gratiam mansuefecit, is etiam potest animum desertum, & à peccato agrestem effectum in suam bonitatem, & pacem conuertere, bonoque spiritu implere. Verum ad communem hanc gratiam, de qua tam multa hic Macharius, accedit etiam illa propria, & peculiaris gratia religiosæ vocationis, quæ quamcumque subierit animam, eam ita informat, nouisque auget viribus, vt facile, ac nullo propemodum negotio possit quæ nec alij possunt, qui ea gratia carent, nec ipsa prius eadem anima poterat. Vt enim animal si rationem non habeat, nullum ei omnino rationis op⁹ efficere licebit, non consequentia cernere, non iudicare, non consilium dare, aut futura prouidere; homini vero, cum ratione præditus sit, tam procliue id est, quam vti manibus, aut pedibus: sic qui nondum à Deo vocationem hanc, & spiritũ hunc consequutus est, in quo & paupertas, & obedientia, & aliæ multę virtutes concluduntur, nihil ei grauius erit, quam nihi possidere, seque ipsum alterius voluntati subijcere: qui vero illam consequutus sit, etiam cum gaudio hæc faciet. Postremo vero loco ad hanc naturam, & ad hãc gratiam accedit vsus diuturna exercitatione contractus, ex quo gignitur in animo habitus ille, qui vere, ac merito quasi altera natura existimatur. Certe enim eandem habet efficaciam, idẽque pondus, isque cum acquisitus, & stabilitus fuerit, virtutis officia tum agiliora, tum etiam iucundiora reddit. Recte enim S. Leo, Hic, inquit, affectus, quo amor terrenus excluditur, bonorũ operũ cõsuetudine roboratur, quia necesse est, vt bonis actibus conscientia delectetur, & libenter faciat, quod fecisse se gaudeat. Dum igitur in religione, perpetua quædã vigeat virtutum omnium tractatio, atque exercitatio, consequens est etiam, vt eæ in dies magis, ac magis faciles efficiãtur, ita vt cum studio, ac tempore adauctæ fuerint, simillime vt arbores excultæ, fructus vberrimos ferant, non solũ ad copiam, & vtilitatem, sed etiam ad suauitatem. Hic enim acqui

Ser. 5. de ieiu. 7. men.

riitur

ritur ille habitus, quem quodam loco Cassianus describit, cũ animus (sic enim ait) transijt in ipsius virtutis affectum, ideſt iam ei assueuit, itaq; eam ama, vt nihil pretiosius ea iudicet sitque ei per se graue supplicium, vel virtutum perniciosa transgressio, vel vitij virulenta contagio. Ad hunc igitur statum cũ animus peruenerit, multo eum magis gaudere necesse est continentia, & sobrietate, quam alij gaudent incontinentia, & crapula, multoque ei dulciorem esse castitatis florem, quam impudico suarum voluptatum cœnum: denique maiori etiam lætitia perfundi, cũ humiliatur, & cũ pro Christi domini amore aliquid ei pati contingit, quam superbos omnes in hominum plausu, & gloria, & in ijs honoribus potiundis, quos acerrime cõcupiuerunt. His igitur causis, alijsque similib⁹ illud efficitur, vt, quod initio diximus, disciplina hæc religiosa, nõ modo nõ aspera, & difficilis, sed etiã admodũ suauis sit. Declarauit hoc aliquãdo Reginaldus ex Dominicanorũ familia, & ex ipsius B. Dominici socij inter primos, ac præcipuos. Hic enim cum in seculo diues, & opulentus esset, vitæque molli, ac delicatæ assuetus, postea laboriosum illud, & graue institutum suscepisset, qui eum prius cognouerant, sæpe cũ admiratione quærebant ab eo, num magna afficeretur molestia; quibus ille & animo, & vultu alacri respondere solebat, Atqui scitote ita mihi hæc omnia iucunda & suauia videri, vt sæpe ex animo doluerim, quod nimis molliter viuerem, & certe nullum me in hac vita meritum cõsequi arbitrarer. Hoc ergo, quod hic Reginaldus dixit, plures dicerẽt, immo omnes probi religiosi dicerent, si idem interrogarentur, vt nos ipsi multos sæpe audiuimus non solum hoc dicentes, sed etiã grauiter dolentes, quasi otiosam, & inertẽ vitam agerent, eam tamen ipsam, quæ secularibus ex suo sensu rem metientibus adeo seuera, & grauis videri solet. *Col. 11. cap. 9.*

De iucunditate vitæ religiosæ ex passionum mortificatione.

CAPVT V.

MAGNAM omnes in nobis ipsis, si nos bene introspicimus, affectuum turbam gerimus, quos quidem vtiliter admodum in natura Deus inseruit, vt tamquam boni, obedientesque famuli sic ad rationis imperia, ac nutus præsto essent, eique in rebus omnibus inseruirent. Ex quo intelligi debet, nihil deinde vel turpius, vel periculosius esse, quam cum eiusmodi appetitus rationis, obedientia abiecta,

tamquam infrenes equi aurigam, à quo regi debuerant, ita hominem pertrahunt, aut impellunt quo volunt. Etenim cum hęc noſtri pars, in qua vel cupiditas, vel irarum fomes exiſtit, eadem ſit in nobis, quæ in belluis, manifeſte conſtat, nihil in ea non modo ſapientiæ, ſed ne lucis quidem, atque intelligentiæ ineſſe poſſe. Quod ſi in humano corpore hoc fieri poſſet, vt ordine membrorum inuerſo, moueret ſe quiſpiam capite in terram depreſſo, plantis autem ſurſum erectis, primū quidem id fœditatis ſequeretur, vt quicquid eſſet luti, vel ſordium, in faciem eius ingereretur, pręcipuam hominis partem: deinde hoc quoque, quod intolerabili labore, & dolore conficeretur, tantum immutata illa naturali membrorum collocatione. Quod igitur in hoc exteriori homine eueniret, ſi hoc fieri poſſet, id euenire neceſſe eſt in interiori, cum ita fit, vt ordo ille ſuperioris, atq; inferioris partis perturbetur.
9. Eth. 4. Quam ſane miſeriā, ac calamitatem, rectè deſcripſit Ariſtoteles ipſe, qui ita ait, vitioſos homines ne ſecum quidē ipſos concordiam habere; agitari enim, ac diſtrahi eorum animos in cōtrarias partes, quaſi inteſtina ſeditione, dum vna animi pars dolet iis, quibus caret, altera de ijs gaudet, quib' turpiter fruitur, vt quaſi diuulſus huc, illucque trahatur; & quamquā non poſſunt ſimul & dolere, & lætari, tamen dolere mox quia lætati ſunt; ex quo fieri, vt talium hominū vita ſemper plena ſit pœnitentia. Igitur cum tanta ſit horum infelicitas, qui ita turbidis iſtis animi motibus, vt aculeis quibuſdam, vel potius vt furiis aguntur, ſic è contra, qui omni vacāt concitatione, & in quibus omnia pacata ſunt, & tranquilla, in iis & placidiſſimam pacem, quæ omnē ſenſum exſuperat, & vitam omnino ſuauiſſimam effici neceſſe eſt. De qua re operæ certe pretium eſt videre quid vnus ex veteribus philoſophis, idemque elegantiſſimus, & diſertiſſimus, quamquam ethnicus, ſcriptum reliquerit. Quid (inquit) illum, quem libidinibus inflammatum, & furentem videmus, omnia rabide appetētem, cum inexplebili cupiditate, quoque affluentius voluptates vndique hauriat, eo grauius, ardentiuſque ſitientē, nonne rectè miſerrimum dixeris? Quid? elatus ille leuitate, inanique lætitia exultans, & temere geſtiens, nonne tāto miſerior, quanto ſibi videtur beatior? Ergo vt hi miſeri, ſic contra illi beati, quos nulli metus terrent, nullę ęgritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ lāguidis liquefaciunt voluptatibus. Quod ſi quis eſt, qui vim fortunę, qui omnia humana quæcūque accidere poſſint, tolerabilia

Cic. 5. Tuſc.

ducat,

ducat, ex quo nec timor eum, nec angor attingat, idémque si nihil concupiscat, nulla efferatur animi inani voluptate, quid est, cur is beatus nõ sit? Et si hæc virtute efficiũtur, quid est cur virtus ipsa per se non efficiat beatos? Hacten⁹ ille, de cuius hoc tam præclaro dicto idem mihi videtur dici posse, quod Augustinus, cum eiusdem sententiam quodã loco attulisset, adiunxit, Quid tibi videntur hæc verba? nonne ab ipsa veritate per quemlibet hominẽ dicta sint? Possumus ergo hic dicere quod Apostolus ait de quodam propheta Cretẽsi, cum eius illi sententia placuisset, Testimonium hoc verũ est. Similia sunt apud alterum philosophum ex eadem gẽtilitate, qui insuper hanc quoque affert rationem quod quemadmodum omnis eius delectationis, quę corpore percipitur, fundamentum est ipsius corporis valetudo, & firmitas: quoniam si hæc perturbata fuerit, vel in optimis cibis nauseatur: sic ad animi voluptates fruendas, oportere, vt ipse prius animus valeat, id est, vt motus vacuitatem, & tranquillitatẽ teneat; quæ sanitas si desit, numquam vllam lætitiæ partẽ gustabit. Nam etiam si quid aliquando bonæ spei, aut delectationis arrideat, subito eam cura aliqua, vt solicitudo erumpens confundet, ac perturbabit, sicut tranquillo cœlo nauigantibus obiectus repẽte scopulus. At vero si hæc adsit, quẽadmodum morbo depulso, naturalíque calore restituto, iidẽ qui antea delicatissimas epulas fastidiebant, deinde cibario quouis pane, & caseo, aliisque eiusmodi vulgaribus escis, auide, iucundéque vescuntur, ita qui animum à noxiis affectibus perpurgarit, ei in summa inopia bene semper fore. Cõtentus (inquit) eris te ipso, si didiceris, quid bonum sit, atque honestum. Abundabis in paupertate, & rex eris, vitamque priuatã, & otiosam non minus gratam habebis, quam in imperijs, & magistratibus. Cum igitur tanta felicitas, & iucũditas, eo præsertim maxime expetenda, quia naturæ humanæ maxime conuenit, ex sedatis, sanatisque his turbulentis animi motibus consequatur, restat vt videamus quid ad eos sanandos religiosa disciplina conferat. Confert autem hoc primum, quod eorum causas præcidit. Nam vt medici noxios quosdam cibos interdicere solẽt, qui prauos humores in corpore gignũt, sic religio ea omnia submouet, ex quibus eiusmodi concitationes oriuntur. Etenim, quod Gregorius ait, omnem caritatis conscissionem ex terrenarum rerum cupiditate nasci, dum quæ diligimus, alij nobis eripere conantur, id multo latius patet. Omnis enim animi perturbatio, quæ

Ep.121.

Plut. libr. de virt. & vit.

Ho.27. Euang.

ſeſe foras iactet, atq; impetu quodã in alios incurrat, nõ aliũ de originẽ habere poteſt, niſi ex amore alicuius rei terrenæ. In harum enim rerum tractatione incidunt iurgia, contentiones, diſſidia, pericula, iactationes, diceptiones, & alia eiuſmodi, quæ animos humanos ſolicitant, ac pene diſcerpunt.
Hom. 5. Quam ob cauſam egregie dictum eſt à Machario, filios, vt ipſe appellat, ſeculi, ſimiles eſſe frumento, quod quaſi in cribrum terræ huius coniectum, volubilibus mundi cogitationibus concutiatur, & aſſidua tempeſtate rerum, atque cupiditatum terrenarum iactetur. Vt enim triticum in cribro alliditur, agitatur, aſſidueque verſatur, ſic principem nequitiæ diabolum homines omnes, quos terrenis occupationibus obligatos tenet; per eas ipſas occupationes perpetuo agitare, & commouere, neque illis horam vllam quietis permittere. Atque hic quidem ita de mundanis. De religioſis autem, quæ dicit Chryſoſtomus homilia quadam in Matthæũ,
Ho. 69. vbi tantum ait eſſe interuallum inter iucundiſſimam (ſunt enim hæc eius verba) monachorum vitam, & ſecularium voluptates, quantum inter portum tranquiliſſimum intereſt, & mare procelloſum, ac fluctuoſum: eius autem felicitatis illud eſſe fundamentum, quoniam fori, & platearum tumultus fugientes, ibi degunt, vbi nihil cum ſecularibus rebus commune eſt, vbi nihil humanarum rerum perturbat, non mœſtitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non liuor, non turpis amor, non aliud eiuſmodi, ſed ea tantum omnes, quæ futuri ſunt regni, meditantur. Hoc igitur primum efficit in nobis religio ad hos animi æſtus mitigandos.

Alterum eſt huic ſimile medicamentum, quo quidem totius etiam morbi radix funditus tollitur. Intelligendum enim eſt, omnem eiuſmodi motum duplici tantum cauſa cieri in animis noſtris, opinione boni, & opinione mali. Nam vt primum obiecta eſt ſenſui ſpecies aliqua boni tum ex ea quaſi applicatione naturæ ad rem ſibi congruentem, exoritur in appetitu amor, ex amore, ſi nondum res teneatur, cupiditas, ſi teneatur, voluptas. Contra autem ſi res quæpiam mali, ac noxij ſpeciem oſtentet, primum omnium in appetitu exiſtit odium, ex odio fuga, & receſſus, aut ſi euitari non poſſit, iamque præſens ſit, triſtitia. Similiter in illa altera parte, in qua eſt vis iraſcendi, binæ ſolent eſſe commotiones ex opinato bono, ſpes, & deſperatio, binæ de malo impendenti, timor, & audacia, vna de præſenti, nempe ira: hæc enim ita differt à triſtitia, quod non ſuccumbit ingruenti malo,

ſed re-

sed repugnat,ac resistit. Quare cum omnis hæc affectionum multitudo vnam habeat originem,hanc quam diximus opinionem boni, vel mali,sequitur , vt qualis fuerit hæc opinio, ac iudicium tum de bono,tum de malo , tales etiam appetitiones,& animorum commotiones existant.Igitur hoc præcipuum est religionis,in eoque tota versatur , vt nos à terrenis,quæ falso appellãtur bona,ad spiritualia , quæ vera sunt, bona,traducat;quinimmo expoliet omnino,atque exuat illis omnibus,vt in vno horum studio,& inquisitione contineat: quod qui fecerit,is quasi vno falcis ictu omnes perturbationum radices , fibrásque præciderit. Quid enim eum perturbet? aut quid ille timeat? an ne merces naufragio pereant, aut grando vineas deuastet , aut ne filio impuberi aliquid mali eueniat?an verò ne principes offendat , vel hominum gratia excidat? at si se vltro his omnibus subduxit,itaq; præuenit omnes istos casus,vt se aduersus eos inexpugnabilem reddiderit. Denique hoc est maximum discrimen inter res spirituales,& temporales,quod hæ,quia facile perdi possunt, suntque multis casibus expositæ , earum vel procuratio , vel defensio magnis semper curis,angoribúsque plena est. Contra verò spiritualia vltro etiam à Deo offeruntur , nec vlla est potestas vel in terra , vel etiam in inferno , quæ ea nobis inuitis eripere valeat Itaque qui hæc tractant,ij omnis omnino timoris expertes viuunt,illo timore excepto , quẽ Propheta sanctum vocat , id est qui nos domino Deo,tãtæ potestatis cognitione,subiicit;qui tamen timor non modo placatus est,& sedatus, sed etiam miro quodã modo ipsam auget securitatem. Accedit ad hæc omnia & proprium cuiusq; studium,& studium propositorũ in extirpandis,atque eradicandis eiusmodi affectibus cum nihil ferme aliud feruentius in hac disciplina agatur, ísque sit puluis , id studium , in quo se quisque strenue exerceat. Accedit etiam ipsius virtutis amplitudo,ac dulcedo,accedũt spiritualia gaudia, & illa suauissima mentis ebrietas,quæ ex Dei cõsuetudine hauritur ; quæ quidem,cum ex mente vt solet,in ipsum etiam appetitũ , ac sensum redundarit,ita omnem eius famem nobilioribus his cibis replet,vt deinde communes, vulgarésq; cibos vltro fastidiat.Postremo illud quoque adiumẽtum præstat religio ad has omnes commotiones comprimendas,quod est ex victus, cultúsque temperantia , ac sobrietate. Vt enim multo cibo, ac potione completi,epulisque referti,tum mentis vires imminuunt,tum sensuum vires augent, sic cõtra per continentiam *Psal. 18.*

tiam

tiam & pars illa nostri, quæ voluptate alitur, tamquam iumentum hordeo imminuto, minus ferox redditur ad calcitrandum,& pars altera, in qua mens, ac consilium inest, vegetior, robustiórque euadit De quo vtroque illud egregium

Ser. de abdi. rerum. est apud Basilium: Quemadmodum (inquit) fons aquæ, si in plures riuulos dissectus sit, vicinas glebas, per quas funditur, viriditate conuestit, fœcundásque facit, sic gulę vitium, si per cordis venas se effuderit, atque inde per meãs, sensus omnes irrigarit, tum libidinum multarum syluam conseret, tum animam quoque ferarum habitaculum efficiet. Hæ sunt igitur rationes, ac viæ, quibus religiosæ animæ ad eum statum perducuntur, in quo omnibus turbulentis motibus sedatis, atque compressis, vna dominetur, quæ dominari debet, ratio, eaque ipsa, quoniam nulla vi tenetur, facile sese diuinæ subdat voluntati, itaque fiat, vt tamquam in bene constituta familia, nihil iam dissideat, nihil resiliat, aut discordet, sed omnia in officio sint, suúmque munus prompte obeant. Itaque hoc quidem dubitandum non est, quin animus ita constitutus statum teneat felicissimum, ac iucundissimum, iamq; in terra primitiis quibusdam fruatur illius cœlestis status, vbi omnia ad summam perfectissimamque pacem redigentur. Hanc ego crediderim illam pacem, ac sessionem, & il-

Esa. 32. lam requiem, internumque silentium, quod ab Esaia Propheta iustitiæ amplissimæ virtuti promittitur, cuius proprium munus est, vt suum cuique tribuat: id autem præcipuè elucet in religione, quæ nos Deo, cuius, vt antea diximus, omnes sumus, restituit, perfecteque subiicit. Et erit (inquit) opus iustitiæ, pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Quid enim optabilius homini, quam requies, & ea quidem non iners, & vacua fructu, cuiusmodi in plerisque mundanis otiosis esse solet, sed vt hic describitur, opulenta, & diues, & omnibus spiritualibus bonis affluens?

De iucunditate, quam religiosi capiunt ex oratione.

CAPVT VI.

ACcedunt ad hæc solatia ea quoque solatia, quæ ex oratione, Deique meditatione capiuntur; quæ quidem meditatio, si verè cogitemus, magnam religiosæ vitæ partem occupat. Eius autem quanta sit dulcedo, & quam eius proprius locus sit religio, vtrumque coniunctim indicasse videtur

videtur Esaias his verbis. Filios (inquit) aduenæ, qui adhærēt Domino vt colant eum, & diligant nomen eius, & sint ei in seruos, omnem custodientem sabbatum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in monte orationis meæ. holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. Hoc est amplissimum spiritus sancti promissum, cuius vel exterior ipsa species, non modo interior sensus, ita religioso cuique congruit, vt etiam vix expressiori interpretatione indigeat, ne, vt quodam loco in simili re ait Augustinus, prophetici eloquij obtundatur sapor. Quid autem mirum, cum prophetis futura Ecclesia ostenderetur, ostensam simul esse tāto ante religionis formam. Ecclesiæ partem tam præstantem? His igitur primū aduenarum nomen egregie conuenit, qui scilicet nihil hic proprium possidentes, & tamquam peregrini vtuntur hoc mundo, quasi non vtantur, nec habent ciuitatem permanentem, sed futuram inquirunt. ij etiam adhærent Domino, cum quo valido, atque insolubili votorū nexu astricti sunt, suntque ei in seruos, tum re, tum etiam nomine, quoniam & in eius famulatu viuunt, & hoc nomine libenter gloriantur. Quin ijdem quoque crebra holocausta, id est se ipsos totos Domino offerunt, eiusque colunt sabbatum, nimirum otium, atque vacationem non inertem, & infructuosam, qualis sæpè est in seculo, sed sanctitatis, pietatisque plenissimam, in qua à terrenis operibus feriati, totos se Deo contemplando, & amando tradunt. Illa verò domus orationis, quam Deus suam vocat domum, cur non ipsa Religio dici possit, quæ & iuge studium orandi exigit, & simul commoditatem omnem tribuit id optime faciendi? Primum enim religio externas curas remouet, non modo maiores illas, vt agrorum culturam, vt mercaturam, vt reliquas negociationes, sed etiam minores, vt administrationem rei familiaris, liberorum educationem, denique omnes alias. Hæc enim quasi venena sunt meditationis rerum diuinarum, tum ipsa occupatione, quæ tēpus subtrahit, tum multo magis affectibus, qui in eam tractationem incurrunt, iræ, timoris, tristitiæ, pro variis rerum euentibus; qui sane affectus partim animum perturbant, ac de statu suo dimouent, quod plane impedit contemplationē, partim ita absorbēt, vt eius omnes vires, & succum exsugant. Certa sunt enim, quæ in hoc genere apud Cassianum præcipit Isaac, vir magnus, ad bene orandum

Esa. 56.

18. Ciui. cap. 28.

Coll. 9. cap. 3.

dum omnino necessarium esse, vt solicitudo rerum carnaliū (sic enim loquitur) generaliter abscindatur, deinde nullius negotij nō modo cura, sed ne memoria quidem admittatur, tum verò detractiones, vaniloquia, seu multiloquia amputanda, præ ceteris autem iræ, ac tristitiæ perturbationem: denique etiam concupiscentiæ carnalis, & auaritiæ noxium fomitem funditus eijciendum. Quæ si ita sunt, sine dubio necesse est, quam frequentia sunt in seculo eiusmodi incommoda, tam rarum esse orationis studium: contra verò in religione nihil pene negotij habere, quod illa iam impedimenta longe submota sunt ab ipso statu. Adiuuat deinde maiorem in modum etiam continentia, & castitas; quod tum euidenti
1.Cor. 7. ratione apparet, tum ex Apostoli auctoritate, qui ideo virginitatem, & cœlibatum tantopere commendat, quod facultatem, vt ille ait, præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, credo ob eam causam præter alias, quod humanus animus, vt corporis voluptate ingrauescit, & ad infima deprimitur, sic continentia fit quodammodo leuior, vt quasi alis quibusdam ad Deum se efferat, ac puritati illi sua quoq; puritate coniungatur. Adiuuat etiam humilitas, quæ est in ipso statu paupere, & remoto ab omni humana gloria. Quod enim in Saluatoris vita legimus fecisse aliquādo, vt paruulos ad se adductos amanter amplexaretur, quin etiam discipu-
Mat. 19. los, qui prohibebant, obiurgaret, dicens, Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum: id videtur adhuc de cœlo seruare, vt cum talibus sit sermocinatio eius. Nam si hæc beneuolentiæ signa ijs impendebat, in quibus præter ætatis infirmitatem nihil aliud erat humile, quanto magis ijs, qui se sponte humiliauerunt, & ad paupertatem, infimumque locum vltro demiserunt? Igitur & ob has, & ob alias complures causas dubitari non potest, quin religio sit domus orationis, id est locus omniū aptissimus, & maxime idoneus ad mentem in oratione, ac cælestium rerum meditatione perpetuo continendam. In quo opere vno omnium nobilissimo, & maximo, quantum deinde iucunditatis sentiatur, indicat idem Dominus illis verbis, Lætificabo eos in domo orationis meæ. Auctorē se facit huius lætitię, & verè, quoniā & ab ipso, & de ipso est: ab ipso, quia eam ipse in animum nostrū infundit, ipsius nos radij illuminant, ipsius sanctitas, & lux in corda nostra illabitur. Est autē de ipso, quo-
Ser. 18. Cant. niā nulla res alia proponitur, ex quo id gaudiū gignatur, nec gigni potest tantum gaudiū, nisi ex Deo. Rectè ergo Bernar-

dus,

dus, Orando, inquit, bibitur vinum lætificans cor, vinũ spiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem. & Augustinus: Dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum. De sancto autem Francisco hoc accepimus, cum ille religiosis magnopere solitus esset commendare lætitiam spiritualem, vt magnum præsidium aduersus Satanæ tentationes, adiicere etiam solitum, hanc lætitiam, tamquam ex fonte nasci ex puritate animæ, & acquiri bonis operibus, maxime verò oratione; & ideo in eius sinum, ac portum confugiendum esse, cum aliqua nos mœstitiæ tempestas iactet. Quod si hominum consuetudo, qui vel doctrina præstent, vel prudẽtia, ita delectare solet, vt totos dies cum eis iucundissime consumamus, quæ oportet esse colloquia, quosve congressus, qui assidue habentur, modo cum angelis, quorum caritati, atque in nos prouidentiæ tantopere debemus, modo cum aliis sanctis, qui hanc corporis sarcinã aliquando ipsi etiam gestarunt, modo cum omnium horum Regina, qua post Deum nihil est in rerum vniuersitate pulchrius, nihil ad cogitandum, & ad amandum dulcius? Quid autem de Deo ipso dicemus? Primum enim ipsa eius ñatura, quæ infinita bonitate, ac potentia, bonísque omnibus constat, immensa quædam suppeditat spatia, quæ dum animus peregrinetur, nulla in extremitate consistens, abysso quadam deliciarum immergatur. Deinde cum hic idem animus ad eius beneficia recolenda se conuertit, non solum quæ sola voluntate, ac propensione quadam largitatis contulit, sed in quibus conferendis adeo maiestas illa laborauit, cumque ipsius dolores, ac cruciatus, illud præsepium, illam paupertatem, verbera, spinas, crucem, secum attentius cogitat, eaq; omnia tamquam suas opes, suasque diuitias, ac thesauros infinitos contemplando tractat, tum verò quæ lætitiæ, quæ in eo gaudia oriuntur? Hic lacrymarum, hic suauissimi fletus copia, hic cordis exultatio, in ipsam quoque carnem sæpè erumpens, cum tot, & tanta diuini in se amoris monumenta colligit, quod ipsum per se iucundissimum esset: deinde ob ipsos etiam huius amoris fructus, defensionem, curam, gratiam in hac vita, certã verò spem æternæ vitæ. Quamquam vel præcisa omni vtilitatum nostrarum cogitatione ipse tamen ad Deum accessus, qui fit orando, & colloquendo, mirum in modum oblectaret. Etenim vt qui igni propinquant, de eius calore incalescunt, & quicquid cum melle cõmiscetur, eius dulcedine dulcescit, ita quicũque se cum Deo, totius beatitudinis

In Psal. 127.

beatitudinis fonte, coniungit, & quodam modo in eum mergit, quod fit meditatione, & precatione, eum oportet illius quoque beatitudinis aliquo modo participem eſſe. Cuius
Exo. 34. exemplum extitit in Moſe, qui ex conſortio ſermonis Dei, vt ſacræ litteræ narrant, tantum ſplendorem animo conceperat, vt etiam ex ipſa fronte cornuum more emicaret. His igitur delitiis, & his epulis, quibus nullæ epulæ terrenæ comparari poſſunt, frui ſolent Dei famuli, eorúmque animæ hoc quotidiano paſtu ſaginari, vt nil mirum ſit, ſi adipe iſto, ac pinguedine ſpirituali repletæ tantas vires habeãt ad opera tam præſtantia tam facile obeunda. His fruebatur Antonius, quem, vt ſcribitur, ſæpè ineunte nocte orare ingreſſum matutina lux in eodem veſtigio oppreſſit, eum etiam quereretur, quod ea nimis propere aduenißet. His etiam Arſenius, de quo idem pene commemoratur, cum veſpere ſe in preces dediſſet occidentem à tergo ſolem relinquens, ſæpenumero immotum ſtetiſſe, donec luceſcente iterum die faciem ſol afflaret. Syluanum quoque accepimus ob longam precationem oculos comprimere ſolitum, ne videlicet, vt aiebat, rerum harũ infirmarum deformitatem videret, qui à ſupernarũ illarum tam admirabili ſpectaculo veniret. Quid Franciſcus, qui modo ad vnius hominis, modo ad arborum, ſæpe etiã ad nubium altitudinẽ ipſo quoque corpore extollebatur? Quid deniq; alij innumerabiles, quorum ecſtaſes, raptus, & lõgiſſimas orationes eiuſmodi miraculis plenas legimus, quorum ne hac quidem noſtra tempeſtate deeſt copia; multáque eiuſmodi, ſi id ageretur, afferre poſſemus? Nos autem de grege, vt dicitur, atque ex communi vita, etſi ad hæc tam magna aſpirare omnino non poſſumus, in ea tamen ipſa, quam Dominus concedit, mediocritate, tantum ſuauitatis experimur, vt hoc ipſum exiguum, quod guſtamus, deſiderabilius ſit ſuper aurum, & topatium, & dulcius ſuper mel, & fauum.

De alijs multis ſpiritualibus religioſorum gaudijs.
CAPVT VII.

LAVRENTIVM Iuſtianianum, de cuius ſanctitate, & ſapientia ſæpe iam nobis incidit mentio, hoc inter alia de religionis laude dicere ſolitum accepimus, conſulto à Deo eſſe factum, vt eius iucunditatem abſconderet, atque occultaret, quoniam ſi eam homines cognoſcerent, futurum eſſet, vt mundus plane totus exhauriretur, ita ſe omnes tenere non poſſent, quin ad eam concurrerent.

Eſt autem

Est autem hoc tanti viri testimonium eo pluris faciendum, quod & hoc, quod testabatur, ipse expertus erat, eámque laudabat vitam, in qua ab ineunte ætate semper vixerat, & præterea tanta ingenij præstantia, &, quod caput est, diuinæ gratiæ lumine abundabat, vt eius iudicium maximam habere merito debeat auctoritatem, Sed non huius tantum hæc fuit sententia, atque iudicium, verum omnes, iique maxime, qui vitam hanc tenuerunt, idem professi sunt, idémque semper prædicarunt. Palladius certe de Apollo, cuius nomen inter veteres Patres celebre est, ita commemorat, cum ad quingentos haberet discipulos, sic eos instituere consueuisse, vt essent semper alacres, & læti, ita plane, vt nullam similem in terris lætitiam, atq; exultationem videre liceret, cuiusmodi inter illos perpetuo erat. Sic enim aiebat, non decere eos tristes esse, qui tam certam spem habeant felicitatis æternæ: & quidem gentilibus, aut Iudæis, aut etiam improbis Christianis luctum esse relinquendum, iustum, ac verum: at vero Deî famulis semper esse lætandum. Quod si qui terrena animo agitant, gaudent in rebus terrenis, religiosi qui tanta bona & præsentia tenent, & futura tam certo sperant, cur non perpetua viuant lætitia? Sic Pater ille, & vere. Primum etenim inest in hoc statu illa iucunditas bonæ, rectæque conscietiæ, quæ & secundas res ornat, & aduersas, si quæ interdum incidant, consolatur, & denique omne hominis religiosi tempus exhilarat. Est enim hic quasi magister, monitórq; perpetuus hominibus datus, nimirum lumen in mente, quod etiã nullo monẽte bonum à malo, iustum ab iniusto dignoscit; deinde inclinatio in voluntate ad illud bonum amandum; & ad malum illud, quod cognoscitur, fugiendum; ex quo fit, vt qui huic lumini, & huic inclinationi renitatur; is semper in cruciatu, & in quadã carnificina viuat: qui vero ei pareat, eiusq; ductum sequatur, viuat in gaudio. Sic enim Chrysostomus. Licet, inquit, virtus in eius exercitatione aliquid laboris habeat, multa tamen conscientiam implet delectatione, & tantam intrinsecus exhibet voluptatem, vt nullo sermone exprimi possit. Quid enim tibi de præsentibus iucundum videtur? Nónne lauta mensa, & corporis sanitas, & diuitiæ? Sed hæc suauia, si illi voluptati comparentur, amara videntur. Nihil enim suauius bona conscientia, & bona spe. Porro hæc conscientiæ tranquillitas in religione non per se tantum adeo suauis est, vt dicit hoc loco Chrysostomus, sed eam etiam cõsequuntur innumerabiles aliæ suauitates; quas optime Ma- *Hom. 63. ad pop.*

charius homilia quadam complexus est, in qua de hac ipsa spiritualium gaudiorum abundantia disserens, ait, Dei seruos interdum sic se habere, vt qui in regio conuiuio magnificentissimo accumbunt, omni lectissimorum ciborum copia referto, in quo satietate mirabili, & lætitia, quam nemo verbis æquare possit, exultant. Alio tempore habere se vt sponsam, quæ in diuinis amplexibus, cœlesti nescio qua voluptate liquescat. Interdum fieri vt Angelos corporis expertes, tantámque leuitatem, ac simplicitatem acquirere, vt non magis corporis grauentur pondere, ac si eo careřent. Interdū se delectari, vt qui vinum optimum largius potant, ebrióśq; fieri sancta ebrietate diuinorū mysteriorum, vt nihil iam de humana hac vita sentiant. Nonnumquam vero esse velut in luctu, & lamētatione totius humani generis, pro cuius salute preces Deo fundunt, suas pro ea causa animas deuouere parati. Nonnunquam etiam ita hoc proximorum spirituali amore inardescere, vt si fieri possit, omnes homines in sua viscera, nullo bonorum, malorúmve discrimine, condere cupiant. Alias præ spiritus humilitate sic se infra omnes homines demittere, vt omnium mortalium postremos, minimos pessimósq; æstiment. Contra vero sic se interdum gerere, vt robustus quispiam, qui resumptis armis in prælium vltro venit, & aduersus hostes fortiter dimicat. Sæpe in summo quodam silentio animā conquiescere, suauissima, trāquillissimáque pace perfruentem, qua incredibilem in modū oblectetur. Denique sæpe etiam euenire, vt eo Spiritus sancti dono, quod intellectus dicitur, & Sapientia, ita eorum mens inclarescat, eásque res momento temporis doceatur, quæ nullius oratio explicare possit. Hæc Macharius. Quare cuiusmodi esse oportet illud institutum, quod assidue inter has delicias versetur, vt quemadmodum in conuiuiis ferculum ferculo, sic in hac vita gaudium gaudio, delectatio delectationi succedat? Iure igitur Dauid Propheta Quā magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Magna, sed abscondita iisq; tantū cognita, qui vere Deum timeant. Errant ergo, & multum errant, qui vtilitatem solā, & salutem iis qui se Deo consecrant, propositam putant, sed eam salutem magnis emi molestiis. Habet, habet etiam hoc iter spirituale oblectationes suas, & quidem multo maiores, quā caro, & sanguis habere possit. Itaq; nihil fere magis in sacris litteris iteratū, & crebrius inculcatū est. Lux, inquit Dauid, orta est iusto, & rectis corde lætitia: quod ideo dicit,

Psal. 30. (margin, beside "cedat? Iure igitur Dauid Propheta")

Psal. 96. (margin, beside "in sacris litteris iteratū")

quia

quia illa demum est vera lætitia, quæ ex animi luce, atque ex corde recto oritur. Quo etiam pertinet illud. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. & illa. Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Iusti autem epulentur, & exultent in conspectu Dei. Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo: omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi. Illud vero optimum, ac quodammodo nostrum, qui in domo Dei degimus, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Torrentem vocat propter copiam, & quoniam hoc aquarum genus non è terra nascitur, sed de cœlo, & large demittitur. Ebrietatem autem, quia qui talibus solatiis saturati sunt, non solum omnem sitim altam extinxerunt, sed nihil in terra vident, aut curant etiam ex iis, quæ ante oculos sunt, intus vero feruent spirituali æstu, qui feruor ad multa impellit, quæ ab aliis fortasse vel inepta, vel etiam stulta reputentur. Similia sunt apud Esaiam Prophetam, tum alibi sæpe, tum loco illo, Ponet, inquit desertum eius quasi delicias, & solitudinem quasi hortum Domini. Gaudium, & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Felix desertum, in quo tanta sit gaudiorum copia. Quid autem verius desertum hoc erit, atque hæc solitudo, quam religio, locus remotus tum à vulgi consuetudine, tum ab honoribus, ac diuitiis, & reliquis commodis huius mundi?

Psal. 118.
Psal. 117.
67.
Psal. 34.
Psal. 35.
Esa. 51.

Hæc igitur, & eiusmodi multa cum in diuinis oraculis legimus, quæ mentiri non possunt, satis esse debent vt etiamsi nobis ipsis vsu nostro minus ista percipere licuisset, ea tamen etiam certius, constātiúsque crederemus, quam quæ oculis, quæque tactu explorauimus, quod hi sensus fallere possunt, Dei vero dicta non possunt. Sed præterea confirmantur hæc dicta per ipsam Dei naturā, & innatam bonitatem, quæ cum tanta fuerit, vt eum è cœlo in flagella, in spinas, in crucē impulerit, idque pro inimicis, quid faciet pro amicis, quid pro filiis? præsertim cum illa quidem tam caro ei steterint, nempe sanguine, & vita, in his autem solatiis homini impertiendis, nihil iam ei laborādum sit, neque vllum propterea felicitatis suæ damnum sustinendum: vt nulla supersit dubitandi causa quin illa benignitas in suos famulos, pro suo more, pro sua etiam natura, semper liberalis futura sit. Itaque quæ tanta esse poterit huius vitæ molestia, quæ his suauitatibus nō mitigetur? quæ tanta hominis infirmitas, quam non talia dona corroborent? quid tam durum, & graue, quod talibus con-

dimentis non facile molliatur, ac dulcescat? Quapropter re-
Ser. ecce nos reli. ctè Bernardus in sermone quodam bene longo, & diserto, quem totum de religiosi felicitate scripsit, hoc etiam addit, diuinæ omnino largitatis fuisse, vt non solum æternæ vitæ præmium proponeret, sed etiam huius vitæ spirituali gaudia promitteret. Sic nimirum, inquit, & operariis huius seculi solet cibus in opere, merces in fine dari. Sic militibus & stipendia ministrantur pro necessitate laboris, & nouissime donatiuum maius pro quantitate laboris. Sic & filiis Israël, donec terram promissionis intrarent, in deserto manna non defuit.
Sap. 10. Habes hanc duplicem promissionem & in Propheta euidenter expressam, vbi ait, Reddet Deus mercedem labo-
Psa. 118. rum suorum, & deducet eos in via mirabili. Ipsa est enim via testimoniorum Domini, in qua Propheta alius sicut in omnibus diuitiis delectatum se esse testatur. Hanc igitur spiritualium solatiorum, de qua loquimur, abundantiam, multorum quæ legimus exempla testantur, vt Abbatis illius Ioan-
Coll. 19. cap. 4. nis, quem scribit Cassianus, tanta perfundi solitum interiori dulcedine, vt ne id quidem recordaretur, an pridie comedisset: vt etiam beati Ephren, qui dicitur, cum pene eius præcordia cœlesti lætitia rumperentur, clamare sæpe solitum, Recede à me Domine parumper, quoniam vasis huius infirmitas ferre non potest. Bernardus quoque ita iisdem gaudiis absorbebatur, vt toto die lacui obequitans, numquam eum viderit, & toto anno vna in cella degens, adhuc ignoraret, an ea cella tectum haberet. Ac similes quidem multos illorum seculorum fructus vbique, & passim legimus, vt nihil opus sit, plura eorum exempla colligere. Neque tamen desunt etiam hac nostra ætate, vel deesse vnquam poterunt, quoniam non perdit Deus bonitatem, ac liberalitatem suã, à qua ij fructus manant: sed sunt fortasse occultiores, vt solet in viuentibus, aut recentibus, quibus videlicet nondum antiquitas auctoritatem conciliauit. Certe de fundatore, ac parente nostro Ignatio hoc cognouimus ab eius familiaribus, tam perennem fuisse in eo spiritualium lachrymarum copiam, vt paulatim exesa luminis vi pene oculos perdiderit, & sine dubio plane perditurus fuerit, nisi medicorum monitu, & suorum impulsu, illam etiam à Deo facultatem impetrasset, vt earum quasi habenas in manibus teneret, quas pro libito vel laxaret, vel astringeret. Franciscum quoque Xauerium ferunt sæpissime cum solus esset, manu pectori admota, oculis in cœlum erectis, propter harum consolationum abundan-

abundantiam huiusmodi voces edere solitum, Sufficit Domine, sufficit: quasi ipse quoque, vt Ephren, de quo diximus, ferre non posset amplius. Quin etiam cum iter faceret, quod ille semper pedibus faciebat, adeo mentem suspensam, & in Deum absorptam gerebat, vt sæpe de via deflectens in vepres, & dumeta, & lapides impingeret nec aduertens: quam sanè ob causam semper ei plantæ ac tibiæ sanguine, & tabo fluebant, cum tamen ille ne sentiret quidem. Ac nos quoque ipsi plures ex hac eadem Societate nostra nouimus, & de aliis pluribus audiuimus, in quibus tanta fuit cum Deo communicatio, vt in his eisdem, vel propemodum eisdem gaudiis, & solatiis semper viuerent; qui etiam nominari possent, nisi institutum meum tenere mallem, nullius, quamdiu viuat, nominandi. Verum hæc quidem extraordinaria sunt, & sine dubio non omnibus contingunt. Sunt autem alia etiam solatia magis communia, & frequentia, vel potius quotidiana, sed tamen magna, & magnopere expetenda, quæ videlicet ipsa communis, & ordinaria religiosorum vita consequi potest, & facile consequitur; quoniam ex corde puro, ex virtutum exercitatione, atque ex sui ipsius mortificatione proueniunt. Vt enim sol ita lucem suam cum aliis communicat, vt illa ad capiendum apta sunt, & aërem quidem si purus sit, perfecte illuminat, sin autem nubilus, ac caliginosus, non ideo nihil illuminat, sed tantum immittit radiorum, quantum densitas illa admittit, idémque se in domum infundit per rimulas, quantum earum patiuntur angustiæ: sic Deus, cuius non minus propensa est natura ad benefaciendum, quam solis ad lucendum. Is enim in quibus nihil inuenit impedimenti, vt in magnis illi viris, iis totam sese communicat, & impertit largissime, qui autem nondum omnino perfecti, & nubeculas adhuc aliquas retinent, non tamen eos omnino negligit, ac reiicit, sed proportione quadam, vt eorum fert captus, tantum eis sui luminis, suæque lucis tribuit. Itaque etiamsi nostra infirmitas ad tantam illorum sanctorum altitudinem recedere non possit, ipse tamen Deus ad nostram sese infirmitatem inflectens, quicumque eum in hoc, quod paulò ante diximus, desertum sequuntur, numquam eos ieiunos dimittit, ne deficiant in via, sed ita satiat, vt etiam multi fragmentorum cophini super sint. Tanta autem est vis horum gaudiorum, vt vel minima eorum particula omnem in nobis mundani gaudij sensum, ac cupiditatem extinguat.

Sed hactenus de ea multiplici, ac varia iucunditate, quam rerum ſpiritualium fructus religioſis affert: quę quamquam eſt in ipſis præcipua, non tamen omnino temporalium etiā rerum iucunditate carent. Quin potius ita hac quoque ſæpenumero fruuntur, vt ne ipſi quidem mundani homines, qui temporalia tam auide conſectantur, & ſe ijs quodammodo immergunt, tamen ita liquidam, & veram ex ijs voluptatem percipiant. Duas ſane hoc loco excipio voluptates, vel obſcœnas, vel quæ cum peccato, & culpa ſunt coniunctæ, quas vtraſque nemo ſanus verum hominis gaudium dixerit, cum alteræ beſtiarum ſint, alteræ infixum gerant aculeū, qui ſemper pungat, pluſque ſolus cruciet, quam illa oblectēt. Sed his ſeclusis, ſi de homine, qui verus ſit homo, quæratur, id eſt, qui rectam rationem ſequatur, eique obediat, hoc certo affirmandum, ex his ipſis rebus, quæ ſunt in mundo, multo maiorem eſſe ſpiritualium, quam carnalium hominum voluptatem. Nam carnales quidem, quod minimum eſt in creatura, in eo toti hærent, nimirum in externa ſpecie, qua cum præter regulam, nimiſque cupidè fruuntur, quid faciūt, niſi id quo Auguſtinus ſeipſum accuſat, vt in iſta formoſa,

10. Cōf. cap. 27. quæ Deus fecit, deformes irruant? At vero ſpirituales longe alio modo, & ad iucunditatem etiam magis apto: quem modum ex B. Franciſci amore accipere poſſumus, quem pro-

In eius vita. lixe commemorat Bonauentura. Ita enim ille ibi, illum ex creaturis ipſis incredibilem delectationem capere, atque in ipſis, vt eius verbo vtar, exultare ſolitum, cum omnia, tanquam Dei opera contuens, ſummam illam bonitatem in rebus ſingulis, tamquam in riuulis fontem hauriret, earumque naturas, & vires, & effectus à Deo ipſis tributa, tāto ordine connexa, tātaque pulchritudine ornata conſiderans, tāquam cæleſti quodam concentu recrearetur, atque in ipſis pulchris Deum pulcherrimū agnoſceret, & amaret. Hoc igitur faciebat Franciſcus, quod idem imitantur, faciuntque ij omnes, qui non oculos ſolum corporis, ſicut equus, & mul⁹, in quibus non eſt intellectus, ſed oculos etiam mentis adhibent. Atque hæc delectatio quanto ſit maior, quam illa ho-

Serm. de ſpectaculis. minum rudium, & carnalium, indicat etiam Cyprianus, qui hoc ipſo argumento vtitur ad homines à theatri ſpectaculis reuocandos. Sic enim ait: Habet Christianus ſpectacula meliora, ſi velit, habet veras & profuturas voluptates, ſi ſe recollegerit, &, vt omittam illa, quæ nonnullum contemplari poteſt, habet iſtam mundi pulchritudinem, quam videat

 atque

atque miretur. Solis ortum aspiciat, rursus occasum mutuis vicibus dies, noctesque reuocantem, globum lunæ temporũ cursus incrementis suis, decrementisque signantem, astrorũque micãtium choros, anni totius per vices membra diuisa. Hæc Cyprianus, & multa alia, quæ addit de naturalibus Dei operibus admirandis, ex quorum aspectu multo ait maiorem capi posse ab homine Christiano voluptatem, quam ex vllius ludi, aut similium rerum, quibus vulgares homines adeo tenentur, aspectu. Quæ si omnia colligamus tum externa, tum interna, tum spiritualia illa, quæ mente videntur, tum hæc etiam, quæ modo diximus, quæ corpore constant, & corpore sentiuntur, facile conuincemus, nihil iucundius esse posse religiosa vita, in qua omnia plena sint gaudiorum, & in qua ita perpetuæ, & contextæ sint voluptates, eæque puræ, & veræ, vt ait Cyprianus, profuturæ, vt vna aliam excipiat, immo plerumque vna aliam eodem tempore cumulet. Itaque in hoc quoque implet Veritas promissum suum, quæ ideo se venisse professa est, vt electi sui vitam haberent, & abundantius haberent, id est lætiorem, & alacriorem, omnibusque gaudijs pleniorem, quam ipsi mundani. *Ioa. 10.*

De delectatione, quam religiosi capiunt ex paupertate.

CAPVT VIII.

NON desunt etiam alij delectationis fontes in religione, & in primis ipsa paupertas. Quamquam hoc fortasse paradoxum quoddam, contraque communem hominum opinionem videatur, eorum videlicet, qui, vt Dauid ait, beatum dixerunt populum, cui temporalia affluant, filij, ac filiæ multæ, eæque admodum ornatæ, ouium greges plurimi, ac fœtosi, prõptuaria ita plena, vt ab vno in aliud rerum copia efferenda sit. Atque id quidem est vulgi iudicium: quem errorem confutat statim Propheta, meliorem, veriorémque subijciens sententiam, Beatus populus, cuius Dominus Deus ei⁹. Hunc autem populum, qui ita Deum habeat pro domino, ac principe, vt illi soli seruiat, nec alium dominum habeat, præter Deum, quis negabit esse religiosos, qui etiam propterea populus vocantur, quia non separatim id faciunt, sed loco, & legibus, & rerum omnium communione deuincti, ipsa multitudine sua vnã familiã, vnamq; efficiunt gẽtem? Itaque in hunc quoque populum illud apte conuenit, quod ab eodem Propheta dictum est, Beat⁹ populus qui scit iubilationem. Nam vt aliæ sint spirituales animæ, *Ps.143.* *Ps.88.*

quæ spirituali dulcedine interdum recreentur, eæ tamen singulæ per se, ac separatim res suas agunt religiosi autem ipso conuictu populum hunc conflant, qui in perpetua iubilatione viuit; & cuius iubilatio ex ipsa plurium coniunctione duplicatur. Beatus igitur hic populus, etiamsi diuitijs illis careat, immo vero ob hoc etiam ipsum inter cetera beatus; quia illis diuitijs caret: caret enim simul multis, ingentibúsque molestijs, quas ea rerum abundantia necessario secū adducit, vt qui à Deo illuminati interiora perspicere possunt, hanc ipsam intelligant primam esse felicitatē paupertatis, quod à diuitiarum infelicitate absit. Hoc vero bene, vt cetera, intellexit Gregorius, qui locum illum sacræ

Iob.20. scripturæ, Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet in eum, ita interpretatur, vt cum totum ad locupletem hominem referat; qui videlicet satiatus sit

15. Mor. ca.13. rerum istarum copia. Prius namque, inquit, dolorem habuit in ipsa suæ concupiscentiæ defatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret. At postquā acquisitis rebus peruenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, vt cum solicito timore custodiat, quod cum graui labore meminit acquisitum. Hinc inde insidiatores metuit, atque se hoc perpeti, quod ipse fecit aliis, pertimescit, formidat potentiorem alterum, ne hunc sustineat violentum: pauperem vero cūm conspicit, suspicatur furem. Ipsa quoque quæ congesta sunt, curat magnopere ne ex naturæ propriæ defectu per negligentiam consumantur. In his itaque omnibus, quia timor ipse pœna est, tanta infelix patitur, quanta pati timet. Vere Gregorius hæc omnia, idque præsertim, quod vt cetera omnia pericula externa desint, illud numquam deesse potest, quod intrinsecum est, & in istarum rerum natura penitus insitum, vt senescant semper, & ad interitum tendant, nisi perpetua cura conseruentur, & tamquam per se ruentes, studio, cautione, solicitudine fulciantur. Ex quo fit, vt quo magis diuitiæ augentur, eo magis hunc ipsum laborem augeri necesse sit, qui quidem labor ita mentem occupat, vt ne diuitiarum quidem fructu, si quis est, gaudere possit. Quod si ita est, parum ne solatij, ac felicitatis existimandum est, expertem esse tot ærumnarum, præsertim tam ignobilium, & tam etiam inutilium? Sed hoc quidem, quod diximus. multis molestijs diuitias esse respersas, ne diuitiarum quidem amatores negant. illud arcte tenent, illas, quæcumque sunt, molestias, compensari pluribus commo-

commodis, & voluptatibus, quas eæ suppeditant. Itaque videamus iam, quantum valeat ista compensatio. Nam si naturæ principia, vt debemus, inspiciamus, hæc omnia, quæ sunt in mundo, facta esse videbimus ad hominis alimẽtum, quod fere cibo, potione, vestitu, domicilio, & siquid eiusmodi est, continetur; pecuniæ vero vsus ad hominis vitam sustentandam per se nullus omnino est, sed ideo tantum inuect⁹, vt illa, quæ diximus alendæ vitæ necessaria esse, facilius commutari possent, vt, quemadmodum ait Aristoteles, qui vna re abundabat, aliam, quæ deerat, sibi compararet. Quare cum pecunia nihil aliud sit, quam rerum istarum naturalium instrumentum, ac supplementum quoddam, vbi eæ deficiant, sequitur, vt ne ipsius quidem pecuniæ alius sit vel finis, vel vsus, quam illarum, idest, vt corpus hoc sustentetur: quicquid autem amplius est, non solum vitiosum, sed superfluũ, & inutile, &, si vere æstimemus, etiam pondus est. Nam si hac naturæ mensura rem moderari velimus, nihil facilius, ac breuius, quam eius vel necessitatem, vel etiam desideria, non dicam cohibere, sed plane, ac penitus satiare: ita ea paucis, simplicibusque contenta est. In quo quid nos Stylitem, aut Arsenium aliquem, vel Macharium adhibeamus, quorum rigor paucis fortasse imitabilis videatur? philosophum audiamus, eumque ethnicum, quid de hoc aptissime, & verissime disserat. Non illud, inquit, præcipio, vt aliquid naturæ neges. contumax est, non potest vinci, suum poscit. Sed vt quicquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio, edendum est. Vtrum hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio, vtrum hæc aqua sit, quam ex lacu proximo excepero, an ea, quam multa niue elisero, vt frigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, sitim extingui. Vtrum sit aureum poculum, ac chrystallinum, an vitreum, an manus concaua, nihil refert. Fames me appellat: ad proxima quæque porrigatur manus. En ipsa mihi commendauit quodcũque comprehendero. Nihil contemnit esuriens. In hac eandem sentẽtiam illa quoque à Hieronymo dicta sunt in libro contra Iouinianũ posteriore. Quod mirandum sit, inquit, Epicur⁹ voluptatis assertor omnes libros suos; repleuit olerib⁹, & pomis, & vilibus cibis dicit esse viuendum, quia, carnes & exquisitæ epulæ ingenti cura, & miseria præparentur, maioremque pœnam habeant in inquirendo, quam voluptatem in abutẽdo.

1. Pol. cap. 6.

Seneca ep. 120.

Corpora autem noſtra cibo tantum, & potu indigere. Sapiẽtiæ quoque operam dare non poſſumus, ſi menſæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio, & cura indiget. Cibo expletur naturæ neceſſitas, frigus, & fames ſimplici veſtitu, & cibo expelli poteſt; vnde & Apoſtolus, Habentes, inquit, victum, & veſtitum, his contenti ſumus. Deliciæ, & epularum varietates fomenta auaritiæ ſunt. Grandis exultatio animæ eſt, cum paruo contentus fueris, mundum habere ſub pedibus, & omnem eius potentiam, epulas, libidines, propter quæ diuitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, & craſſiore tunica compenſare. Tolle epularum, & libidinis luxuriam, nemo quæret diuitias. En igitur ex Hieronymo modus, ac ratio, qua paupertas dulceſcat, ſi epularum, ſi ceteræ intemperantiæ cupiditas radicitus extirpetur. Quare quãdo paupertatis cauſa ex hoc pendet, videamus hoc etiam, quam nihil faciendæ ſint iſtæ deliciæ, immo vero quam multo ex felle refertæ ſint, eaque ipſa dulcia, quæ videntur, quam ſint moleſta, & amara. Hoc vero diſerte, & copioſe commemorat

Cap. 69. Chryſoſtom⁹ in eo libro, quẽ de virginitate ſcripſit. Sic enim ait, ex ſumptuoſis menſis ebrietates, ventris intentiones, ſpiritus anguſtias, vertigines, & alia his grauiora gigni: atq; hæc quidem præſentia, illa deinde ſubſequi: pedum dolores, tabes, ſacrum morbum, neruorum diſſolutiones: quorum malorum magnitudinem tantã eſſe, vt nulla ratione tanti emẽda ſit exigua illa, ac breuis voluptas. At vero frugalitatem ẽ contra potius ſanitatem, bonamque valetudinem tueri, nec perturbari vllo ex ijs malis, quorum ſingula per ſe voluptatẽ omnem extinguunt. Addit deinde Chryſoſtomus, etiam his omnibus malis præciſis, maiorẽ tamẽ in paupertate voluptatem reperiri, quam in diuitijs; quod etſi præter communem opinionem videtur, tamen tũ hoc eodem loco, tum in quadã homilia id ita cõfirmat, vt nullam relinquat dubitationem.

Hom. 2. ad pop. Sic enim ait, vnum eſſe in quo diuitiæ paupertatem ſuperare videantur, nimirum quotidianis diffluere delicijs, & multa in conuiuijs repleri delectatione. Atqui hoc etiam in pauperum menſis contingere, & quidem multo melius, quam diuitum. Nam delectationem in conuiuijs, inquit, non ciborum natura, ſed ipſorum hominum diſpoſitio facit; quia cũ quiſpiam eſuriens ad menſam accedit, quicumque ſit cibus, etiamſi vulgaris, iucundior videbitur, quam quoduis obſonium innumeris illecebris conditum. At vero qui neceſſitatem, & famem præueniunt, vt ſolent diuites, etiamſi nobiles

epulas

epulas viderint appositas, nullam sentient suauitatem, languente videlicet appetitu: quod præter quotidianã omnium experientiam, testatur etiam Scriptura, cum dicit, Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Quod autem de cibis dictum est, idem valet in potu. Vt enim fames voluptatem affert supra ciborum conditionem, sic & sitis iucundissimum facit potum, etiã si pura aqua bibatur. Vnde dictum est à Propheta, Et ex petra melle saturauit eos; non quia Moses mel è saxo eduxerit, sed quia Iudæi sitientes in aquas illas inciderunt, ipsæ aquæ melle iucundiores visæ sunt. Hoc idem etiam fit in somno. Nõ enim molle stratum, neque deargentatus lectus, neque silentium in domo indictum, neque aliquid eiusmodi somnum inducit, sed labor, & lassitudo, quæ facit, vt valde somno egeamus, & iam dormitantes in lectulo reclinemur; de quo Salomon, Iucundus somnus seruo, siue parum, siue multũ bibat. Hæc Chrysostomus in vniuersum de paupertate. Sanctus autem Basilius, nominatim etiam de religiosis loquens, ita ait, eos exiguam admodum, & vilissimam ciborum portionem tanta cum iucunditate accipere, cum quanta ne ipsi quidem seculares magnos epularum apparatus splendidissimis, & copiosissimis omnium generum ferculis instructos. *Pro. 27.* *Psal. 80.* *Eccl. 5.* *Con. mo. cap. 27.*

Denique illud etiam in toto hoc genere valde considerandum est, neminẽ esse qui ideo diuitias quærat, quod eas per se amet, sed quia se ipsum amat, sibiq; per eas animi fructũ, & gaudium quærit. Nonne igitur melius, optabiliusq; esset, si fieri posset, hunc ipsum animi fructum, & gaudium quod diuitiæ per tot anfractus, totque labores, tanta rerum varietate inquirunt, sine vllis diuitiarum molestiis, quasi fructum sine cortice tenere? At hoc facit paupertas religiosorum, quæ tam gaudet, tamque contenta est nihil habendo, quam diuites omnes multa possidendo, immo hoc amplius, quod diuites, vt plurima, atque adeo vt omnia possideant, non possunt ad illam animi quietem peruenire, quam quærunt. Non enim potest animus quiescere, nisi satietur, non potest autem satiari rebus externis, quia foris manent, sed satiatur virtute, quæ intus in animo ipso est, & præsertim hoc paupertatis voluntario affectu. Quamobrem egregie Chrysostomus ad Esaiæ locum alludens, paupertatem caminum quendam appellat, in quo renouari ait miraculum trium illorum puerorum, quos in fornace non modo non flamma corrigit, sed etiam aura quædam in mediis ignibus refrigerabat. *Hom. 4. in Matt.*

bat. Nam per se quidem paupertatem ignem esse acrem, & molestum, sed tamen si quis in eam se voluntarie cöiiciat, & in ea Deo gratias agat, eius vincula dissolui, flammã extingui, aut si non extinguatur, quod multo est admirabilius, pro flamma rorem sentiri: id verò apparere in famulis, qui se paupertati deuouent, quoniã in paupertate ditiores sunt diuitibus, & in medio igne, purissimo, ac placidissimo rore perfunduntur. Maximum enim rorem, & ad animam recreandam aptissimum esse, non teneri diuitiarum concupiscentia. Atque vt pueri illi Regem cõtemnentes facti sunt Rege ipso clariores, sic qui omnia huius mundi præmia despiciunt, toti mundo honorabiliores euadere. Hactenus Chrysostomus.

Sed tamen quoniam paupertatis nomen triste, odiosumq; est, atque ipse eius sonus quandam quasi malorum turbam repræsentat, hoc etiam intelligendum nobis est, vnde hic error, ac fallacia in hominum animis oriatur. Oritur autem ex eo, quod cum, vt alibi à nobis dictũ est, aliud sit genus paupertatis ignobile, plebeium, idemque graue, ac laboriosum, qui hæc diiudicare nesciunt, ambiguitate vocis decepti, huius paupertatis incommodo eadem etiã in religiosa paupertate inesse suspicantur. Quod quidem ita abest à verò, vt inter hoc vtrumque genus multa sint discrimina, sed præcipua duo. Primum, quod in illa paupertate, quam necessitas, non virtus peperit, coniunctum est etiam habendi desiderium, ex quo desiderio nascitur tum studium quærendi, tum si nõ suppetat quod quæritur, angor, & mœror, & solicitudo. In hac autem paupertate, quæ & voluntate suscepta est, & voluntate retinetur, nõ modo procul absunt omnes illæ perturbationes, sed ne sentitur quidem inopia, quoniam ea ipsa amatur, & expetitur. ex quo illud est à Seneca Philosopho commode, & verè dictum. Nihil interest, vtrum non desideres, an habeas. Quamobrem nihil est in hac paupertate, quod eam torqueat, aut cruciet, sed in ea animus quasi in omni rerum abundantia, ac copia, ita conquiescit. Altera est differentia, quod nostra hæc paupertas magno quodam præsidio nititur, quod non adeo habet illa vulgaris, nimirum Dei cura, ac prouidentia, atque etiam certa eius promissione. Hoc enim est pactum illud, ac fœdus, & quasi mutua obligatio, quam sanctus Franciscus dicere solebat initam inter Deum, ac religiosos, vt ipsi ex sua parte omnia relinquant, Deus autem pro sua parte eos sustentet, & alat, non modo vt herus famulos, sed vt pater filios, & eos filios, qui & eius

gratia, & amore omnibus humanis adiumentis priuarunt. Quod si hanc caritatem natura inseruit coruo tam rusticæ aui, vt pullis suis de nido eum inuocantibus escam aduehat, & quidem longè, non multo magis eandem curam præstabit Deus ijs, quos genuit, & quibus tam excellentem vitam dedit? Immo verò hoc etiam admirabile habet paupertas ista, vt simul & diuitiarum incommodis careat, ijs quæ supra attigimus, & tamen diuitiarum commodis fruatur, vt ei videlicet vitæ alimenta non desint, aliorum laboribus curata, Dei verò benignitate prouisa; quod ipsum ad hanc quam tractamus iucunditatem pertinet. Nam qui se summo illi regum Regi tantæ curæ esse intelligant, eiusque curæ quotidiana hæc indicia accipiant, cur non eis hoc dulcius sit, quam omnes omnium diuitiæ? Cuius rei multa possent ex sanctis hominibus testimonia peti, sed omnium instar erit S. Franciscus, huius præcipuè virtutis amator acerrimus, qui cum alias alia eius bona, tum aliquando eius etiam dulcedinem ita demonstrauit. Cum enim iter in Galliam habens, ad fontis oram vna cum Masseo comite, prandij causa consedisset, expositis ab vtroq; exigui panis frustulis, quæ ostiatim mendicando collegerant, & quidem bonam partem acidis, & duris, ille spiritu exultans, fratremque compellans, excitare illum cœpit ad gratias Deo agendas de illo tam ingenti paupertatis thesauro, idque ipsum elata gradatim voce iterare. Quærenti autem Masseo, quisnam is esset thesaurus in tanta rerum etiam necessariarum inopia, vbi non obsonium, non vinum, non etiam mensa suppeteret, respondit, illud ipsum esse magnum beneficium, quod illa omnia, quæ deessent, à Deo supplerentur, qui illum eis panem, ac fontem, illum etiam lapidem tam prouide præparasset. paulo autem post inde digressus, in quodam templo, quod primum occurrit, orare institit Deum, vt sibi, & suis sanctæ paupertatis amorem inspiraret, idque tanto feruore, vt ex facie ignis emicare videretur. Itaque hoc diuino ardore incitatus, mouit se versus Masseum brachiis apertis, eumque magna voce ad se aduocans; qui cum admirans, ac stupens, in sancti Patris brachia se immisisset, tantus fuit Francisci æstus interior, vt anhelitu solo per oris hiatum erumpente, multis illum cubitis in sublime eiaculatus sit: in quo ascensu, is postea sæpius narrauit, tanta se dulcedine delibutum, quantam antea numquam in vita sua gustasset. Tum Franciscus, Eamus, inquit, Romam ad sanctos Apostolos Petrum, & Paulum exorandos,

dos, vt nos doceant tam præclarum paupertatis thesaurum rectè ac fructuosè possidere: is enim ita præstans, itaque diuinus est, nos autem ita viles, & abiecti, vt indigni simus, qui cum talibus vasis teneamus. Hæc enim est virtus de cœlo in nos influens, quæ nos ita instituit, & informat, vt terrena cuncta vltro conculcemus, quæque obices omnes è medio tollit, quo humana mens cum domino Deo suo liberrime, atque expeditissime coniungatur.

De iucunditate castitatis, & obedientiæ.

CAPVT IX.

NOn est minor castitatis, & obedientiæ dulcedo, quam diximus esse paupertatis, quin etiam eo maior, quo hæ maiores, præstantioresque virtutes. Sed de castitate quidem illud verè dictum est ab Abbate Chæremone, qui apud Cassianum de hac virtute disserens, tum alia multa præclare, tum hoc, quod eius indicat iucunditatem, nec qui expertus numquam fuerit, posse illam mente percipere, nec qui expertus fuerit, posse oratione explicare. Vt, inquit, si quis dulcedinem mellis ei, qui numquam id gustauerit, velit sermonibus enarrare, profectò nec ille saporis illius suauitatem, quam numquam ore percepit auribus capiet, nec iste dulcedinem, quam gustus voluptate cognouit, verbis poterit indicare, sed propria tantum agnitione suauitatis illectus, necesse est, vt experti saporis iucunditatem intra semetipsum solummodo tacitus admiretur. Sed tamen si hoc minus intelligitur, quam ipsa per se dulcis sit, sunt aliquæ viæ ad id æstimandum, comparatione aliarum rerum, & in primis earum molestiarum, quæ sunt in coniugio, cuius, si verè cogitemus, omnia tempora amarissimis angoribus referta inueniemus. Itaque rectè Hieronymus de virginitate aduersus Iouinianum disputans, Nos, inquit, ignari rerum putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid erit reliquum propter quod nubant, cum & in spiritu, & in anima & in ipsa carne tribulatio sit? Facile esset hoc loco infinitas propemodū commemorare ærumnas, ac miserias, quas partim inuicem sibi coniuges, partim liberi, partim etiam domestica administratio, & aliæ denique plurimæ congerunt causæ. Sed & hæc minime recondita, ac potius in omniū oculis, & eadem nos quoq; supra attigimus. Quapropter illud tantum Catonis, hominis ethnici, sed grauis,

Coll. 12. cap. 13.

Lib. 1. con. Iouin.

grauis, & prudentis, afferendum videtur celebre omnino dictum, si sine vxoribus mundus esse posset, vitam nostram futuram esse, qualis est deorum cœlestium: quare eas malum esse sed malum necessarium. Rectè hic, vt in tenebris, qui rem hanc vidit malam esse, id est, incommodorum, ac miseriarum plenam: illud non rectè, nec verè, quod necessariam esse dixit, & vitari non posse. Hanc enim vim humanæ naturæ adeo infirmæ, & corruptæ attulit Christi gratia, vt in cubilibus, id est, in ijs cordibus, in quibus prius dracones habitabant, nimirum turpitudo, & obscœnitas, oriretur viror calami, & iunci, omnísque suaue olentia pudicitiæ, atque sanctimoniæ, neque hoc ita arduum esset, vt pauci ad hanc virtutis præstantiam peruenire possent, sed pene vulgaris fieret, itaque facilis, vt nulla vel ætatis, vel sexus infirmitas ab illa laude deterreretur. Atque hoc illud est quod Dominus apud Matthæum Eunuchorum nomine designauit, cum indicaret, quam facile eunuchus ab eo sibi temperat, cuius ne facultatem quidem habet, atque ideo nec cogitationem habere debet, tam facile etiam continentes voluntarios, quia quod in illis natura, idem in his efficit gratia: quamquam in his etiam plura sunt, & maiora, quæ castitatem faciliorem, procliuiorémque reddant. Cogita tecum, inquit, Chrysostomus, si aut à natura eunuchus esses, aut iniuria hominum sic effectus, quid faceres, cum & huiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia, rutilantésque coronas habebis, si ita viues, quemadmodum illi sine aliquo præmio, immo verò multo facilius, tutius, atque iucundius, tum quia spe retributionis corroboratis, tum quia conscientia virtutis gaudes. Et certè quid in religiosi animo efficere possit ista spes cœlestis præmij, quam dicit Chrysostomus, cum etiam terreni præmij cupiditas, aut intensius aliquod studium, aut occupatio, facile homines ab omni obscœnitate auertat? Sic enim Plato ipse, quod mirandum est, ad pudicitiam colendam iuuenes adhortatur, adducto Tarentini cuiusdam, & aliorum plurium, quos nominat, exemplo, qui vt corporis vires ad Olympica certamina integras, illibatásque seruarent, omnem sibi totius huius generis continentiam indixerant. Illi igitur, inquit, vt luctando, & currendo, atque in ceteris eiusmodi alios vincerent, ab ea voluptate, quæ beata vulgo existimatur, abstinere voluerunt; nostri adolescentes, victoriæ causa longe præstantioris, non poterunt?

Esa. 35.
Mat. 19
Hom. 63 in Matt.
Dial. 8. de legi.

poterunt? Cuius victoriæ? nempe vt voluptate profligata, feliciter viuant: præterea metus ille, ne flagitiũ faciant, nonne ſufficere poterit, vt ea videlicet ſuperent, quæ alij quamuis deteriores ſuperaſſe dicuntur? Quid dixiſſet Plato, ſi vim diuini amoris experiri potuiſſet, quando hanc vim etiã rerum terrenarum amori tribuit? Atqui diuinus amor ita mentem afficit, vt nullam aliam delectationem ſentiat, quam ex diuinis, & cœleſtibus rebus: quæ verò cum aliqua turpitudine coniuncta ſunt, multo magis, quam mortem ipſam, abominetur. Quod optime docuit Macharius hoc argumento, Si, inquit, carnalis coniugij dilectio hominẽ à patre, à matre, à fratribus ſeparat, ita vt illa omnia quaſi extranea reputans, coniugẽ tantum, & quæ coniugis ſunt, quaſi propria, & ſua diligat: ſi ergo carnis amor ſic hominem ſoluit ab omni alio amore, quanto magis qui ſe cum Deo intime coniunxerint, illiúſq; amorem hauſerint, omnium aliarum rerum amorem, & delectationem contemnent? His igitur de cauſis tam facilis fit omnium iſtarum voluptatum continentia, nec facilis modo, ſed & iucunda, vt ſit quod ait Hieronymus de huius virtutis laude, Quanta, inquit, felicitas, non vxoris ſeruum eſſe, ſed Chriſti, non carni ſeruire, ſed ſpiritui? qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Recte ergo, & vere S. Bernardus tum de caſtitatis, de qua agimus, tum de aliarum virtutum, quæ cum ea coniunctæ ſunt, ſuauitate illud inducit, quod eſt à Propheta breuiter verbis, ſenſu ampliſſime dictũ, Delectare in Domino; hãc autem delectationẽ in Domino ita religioſis omnibus conceſſam, vt eorum nemo negare poſſit ſe eam noſſe. Fratres mei, inquit, ſeculares hoc dicere poſſunt, vos non poteſtis. Quis enim veſtrũ eſt, qui non ſæpe expertus cõſcientiæ bonæ delectationem, qui non guſtauerit ſaporem caſtitatis, humilitatis, caritatis? Non eſt hæc delectatio pot⁹, neq; cibi, aut ſimilis cui⁹ libet rei: delectatio tamẽ eſt, & maior omnibus illis. Diuina enim eſt, & nõ carnalis delectatio.

De hac etiã caſtitatis iucũditate egregie S. Ephren, quaſi ei⁹ admiratione defixus, O caſtitas, inquit, mater dilectionis, & angelicæ vitæ ratio. O caſtitas, quæ mundo es corde, & dulci gutture, hilarique aſpectu. O caſtitas, quæ homines angelis ſimiles reddis. O caſtitas portus tranquillus in ſumma pace, ac ſecuritate conſtitutus. O caſtitas, quę cor poſſidentis te lætificas, & animæ ad cœleſtia alas adiungis. O caſtitas, quæ ſpiritu ale gaudium paris, & mœrorem aufers. O caſtitas, quæ paſſiones minuis, & animum à perturbationibũs

Marginalia: Hom. 4. — Lib. 1. cõtra Iouin. — Serm. 1. Quadr. — Pſal. 36. — Ser. de Caſt.

nibus liberas. O castitas currus spiritualis possessorem tuũ in sublime euehens. O castitas, quæ rosæ instar in medio animæ, & corporis efflorescis, & domum vniuersam flagrãtia comples. Hæc, & alia sanctus iste, & antiquus Pater. Et reuera si ipsamet obscœna turpitudo tantam habet illecebram, tantumque ardorem quibusdam immittit, cum tam fœda sit; honestas, & puritas, & omnis ille tantæ virtutis decor non multo maiorem illecebram habebit? quæ enim comparatio lucis ad tenebras, aut luti, quod est porcorum volutabrum, ad illa lilia, inter quæ ita pascitur Sponsus, vt sine illis nullum admittat pastum? Hactenus de castitate. *Cant. 6.*

Restat nunc obedientia, cuius etiam suauitas aliquanto manifestior est, quod nec illa habet annexa incõmoda, quę Paupertas, nec tam acrem habet hostem, quam Castitas, id est corpus, quod puritatis gustum sentire non potest, & potius ad voluptatem toto impetu fertur. Obedientia autem in sola mente consistit, quæ cum tantæ virtutis pulchritudinem intueri possit, & facile sibi ipsi persuadere potest, vt eam amet, & cum persuaserit, aut leue, aut nullũ ei amplius restat externum bellum. Accedunt deinde aliæ etiam suauitates, primũ quod nos iis molestiis, & angoribus liberat, quę sepe nos torquent in vita nostra gubernanda, in negotiis suscipiendis, vel non suscipiendis, deniq; in omni pene re, & in omni tempore Deinde quia nos in manib⁹ Dei collocat, eiusq; brachiis committit gestãdos, regendos, fouẽdos. Hoc autem quid dulcius, aut optabilius? Nã si honor quęritur, qui ipse iucundus esse solet, nõ potest esse maior, quã ita amari, ita etiam tractari à tãta maiestate: si vtilitas, in qua itẽ multũ est delectationis, nihil salubri⁹, quã nostrã omnem vitam, omnesque actiones tali ductore niti: denique in hoc vno omnia solatia, omniaque delectationũ genera continentur, quod ita coniuncti simus cum illo, qui vnus est pater misericordiarum, vt ait Apostolus, & Deus totius consolationis. Sed hoc quoque, vt cetera spiritualia, non satis ęstimari potest, nisi ab expertis. Qui vero experti sunt, ita libenter, & cupide obedientia fruuntur, vt ipsam libertatem pro cruce accipiãt; quod de B. Aegidio Franciscano scriptum legimus, cui cum S. Franciscus propter eius singularem sanctitatem, potestatem fecisset eundi quo vellet, & manendi vbi vellet, ille vix quatuor diebus in ea libertate exactis, animaduertit spiritum suum nullam requiẽ inuenire. quare ad Franciscum rediit orans, & obsecrans, *2. Cor. 1.*

vt certũ sibi locũ, mansionemque definiret, quoniam in illa libera, & laxa obedientia plane conquiescere nõ posset.

De religiosorum delectatione ex spiritualium fratrum conuictu.

CAPVT X.

VENIO nunc ad aliud solatij genus, quod est ex suauissima spiritualium fratrum consuetudine quod iã non in animo solum consistit, sed sensibus quoque ipsis quodammodo percipitur, videndo, loquendo, audiẽdo eãque ob causam certius est, & communius, nec tanto labore indiget, vt sanciatur. Quam autem magnum sit, intelligi potest, quia non vnam, sed multas in se habet suauitates. Prima illa est, quod etiam si nihil aliud sit; tamen ipsum amare, & ipsum amari, dulcissima quædam res est; quod quã vim habeat ad delectandum, facile intelligi potest, si animum reflectamus non modo ad gratiæ, sed etiam ad ipsius naturæ humanę principia, quæ ita facta est, vt societatem appetat, solitudinem verò exhorreat: quod apparet, quia nemo sit, qui omnibus copiis circumfluere, atque in omnium rerum abundantia viuere velit hac tamen conditione, vt nec ipse diligat quemquã, nec ab vllo diligatur. Quare cũ hæc applicatio, & aggregatio hominis ad alios homines adeo sit secundum naturam, necesse est, vt eam magna etiam sequatur delectatio. Certe Aristoteles hoc ipsum confirmat, ideoque in amicitia magnam ait esse oblectationem, quia maxime naturæ congruat, idque constare exemplo ipsarum bestiarum, siue volucrum, siue natantiũ, ac non solum cicurum, sed etiam agrestium, & ferarum, quæ cum aliis eiusdem generis sese coniungunt, & cum iis esse gaudent: in homine tamen id esse euidentius, cum nemo sit, qui non tenuem vitam, & inopem, modo cum copia hominum, multo præferat vitæ alioquin abundanti, & beatæ, in qua hominem non videat. Ex hoc principio tum Aristoteles, tum veteres omnes docti amicitiæ fructũ magnopere commendarunt, eiusque fontem dixerunt à natura ipsa constitutum, non tam mutui auxilij indigentia, quod in ea aliquid sane est, sed minimum, quam inclinatione quadam ad amandum. Itaque illud Aristotelis dictum à Laertio commemoratur, maximum bonum esse bonorum amicitiam: id quod is fortasse à Socrate hauserat, quem idem Laertius scribit solitum dicere, nullam pos-

8. Eth. c. 1.

sessionem

ſeſſionem vero, bonoque amico pretioſiorem, nec aliã rem vllam eſſe in mũdo, ex qua vel maior vtilitas, vel maior etiam voluptas capiatur. Quę ſi vera ſunt, ſatis apertum eſt, quantum eſſe oporteat fructũ illum, quẽ diximus, religioſæ cõiunctionis, qui ex mutuo amoris ſenſu exiſtit, ſiue cũ amamus, ſiue cũ redamari nos ſentimus, quando vtrumq; ita naturale eſt, vt nihil ferme magis. Quare ſi ex hoc amicorũ genere, quod à philoſophis illis deſcriptũ eſt, in oĩbus ſeculis vix tria, aut quatuor paria nominãtur, quib⁹ ipſi etiã immanes tyranni inuiderẽt, quãto ſit maior religionis felicitas; in qua tã magni, & referti viſuntur ſodaliũ greges, tanta caritatis cõſpiratione cõſentientes, vt quotquot in ea ſunt homines, tot ſint nõ iam dicã ſodales, aut amici, ſed veriſſime & animo, & re, & vocabulo fratres? Etenim ſi vulgares, quæ vidẽtur, amicitias melius inſpicere voluerim⁹, vix vllam reperiemus dignam hoc nomine. Qui enim propter vtilitatem aliqua coniuncti ſunt, aut etiam propter delectationem, ij non amicum diligunt, ſed ſeipſos: quam ob cauſam eiuſmodi conſociatio ne amicitia quidẽ appellanda eſt: Hoc enim modo agros, & prata, & pecudes, aut ſi de hominibus loqui volumus, hoc etiã modo medicos, & nautas, cum eorum opera nobis commoda eſt, diligimus, aut ſcurras quorum ſalibus oblectamur. Reſtat igitur vt veræ amicitiæ fundamentũ ſola ſit honeſtas, ſolaque virtus, eaque demum ſtabilis, ac ſolida ſit, quæ hoc vinculo colligetur. Hæc Ariſtotelis fere ab verbum, quę eadẽ conuincunt, *8. Eth.c. 3. & 4.* ita perfectam eſſe inter religioſos amicitiæ rationẽ, vt prę ter eos in pauciſſimis reperiatur; quoniam nullũ eſt inter eos aliud fundamentum neceſſitudinis, præter religionem ipſam, & reliquarũ virtutum ſtudium: quod cum ita ſit, illud etiam ſequi manifeſtum eſt quicũq; ſint veriſſimę amicitiæ fructus, qui tam multi à ſapientibus commemorãtur, eos maxime religioni conuenire. Accedit deinde etiã ſimilitudo, quæ ad animos copulandos plurimum valet; quoniam nihil eſt appetẽtius ſui ſimilium, nihil rapacius (vt ita dicam) quam natura. Quanta autem inter religioſos ſimilitudo, nõ naturæ ſolum, vt inter omnes homines, non fidei, vt inter Chriſtianos, ſed vitæ, morum, ſtudiorũ, inſtitutorum, etiã ipſius habitus, ac veſtium; ex quibus admirabilis quędam exardeſcat oportet beneuolentię mutuę magnitudo, quæ beneuolentia quo maior eſt, eo etiam dulcior. Vt enim ſecum cuique eſſe, ſecumq; viuere iucundum eſt, nec

 poteſt

potest quemquam sui ipsius tędere, sic quo aliorum hominum coniunctiones strictiores fuerint, & ad hūc gradum propius accesserint, eo sunt iucundiores. Iam vero si hoc facit coniunctio in quoscunque homines, vt videm⁹ in propinquis, & in filiis, qui vel improbi, & deformes, tamen diliguntur, & quantum diliguntur, tantum eorum oblectat consuetudo, quanto maior erit voluptas, si huic vinculo, etiam adiuncta fuerit virtus? Ea enim est vis probitatis, vt se amari cogat, vbicumq; ea sit; quod maxime apparet in iis, quos nūquam de facie nouimus, aut etiam qui nobis aliquando nocuerunt. In quibus tamen si aliqua virtutis significatio eluxerit eos nobis conciliat tacita quadam commendatione. Hoc ergo si in alienis quoque fit, quanto facilius fiet in iis, quibus cum vsu coniuncti simus, & quorum nobis pietas, ac religio quo familiarior, eo notior, ac perspectior? Absurdum enim esset, cum videamus, quā multi inanibus rebus adeo delectantur, vt venatione, vt equorū cursu, vt hominum plausu, aut vestitu elegāti, aut ædificio, dubitare nū maior sit delectatio ex eiusinodi animo, qui tum sanctimonia ornatus sit, tum etiam amoris vicem nobis referat. Et quidem scita, & vera fuit illa Platonis sentētia, virtutem, si oculis corporis cerni posset, mirabiles sui amores excitaturam esse. Atqui in religioso conuictu, si bene consideremus, cerni potest. Vt enim animum corpore inclusum, etsi ipsum non videmus, videmus tamen in eius operib⁹, in motu, in sermone, in ratiocinatione, id; ita clare, vt nō magis in dubiū venire possit, quā si sub oculos caderet: sic etiam virtus ex suis officiis externis ita spectatur, ac si oculis pene ipsis subiiceretur. Spectatur enim caritas, cum se ad fratres curandos, fouendosq; exerit. Spectatur humilitas, cum se vltro ad quæuis abiecta demittit, quę in vita religiosa sunt frequentissima. Spectatur etiam patientia in duris tolerandis, in cruce amplectenda. Deniq; omnia ista animi ornamenta ita se oculis etiam ipsis ostendunt, dum foras prodeunt ad sua opera impigre exequēda.

Quamquā præter hanc probitatis, & sanctitatis, quā diximus, pulchritudinem, sunt in plerisq; religiosis alia quoque nō pauca, quę eorum familiaritatem optabilē efficiāt, vt in aliis doctrina, & eruditio, in aliis prudētia, in aliis sermonis gratia, quā Apostolus inter alia dona connumerat,
1.Cor.14 quę omnia quā sint suauia testari possunt seculares ipsi, qui cum gustatum mundi saporibus infectum gerant, tamē ita-

sępe

sæpe religiosorũ domos visitant, vt seeorũ præsentia, & colloquutionibus magnopere recreari profiteantur. Ab iis enim in rebus aduersis solarium, in dubiis lucem, & consiliũ, in omni porro tempore salubres præceptiones, & monitiones hauriunt. Igitur id quod illi vna, aut altera hora cum fruuntur, multum se assequutos putant, religiosis non solum quotidianum, sed etiam perpetuum, ac potius proprium est, idque eo abundantius, quo confidentius, & liberius inter se, vt fratres & domesticos, quam cum alienis cõmunicant. Itaque illam quoque suauitatem affert hęc religiosa societas, quod conuiuendo frequentem, ac potius assiduam prębet quorundã officiorũ copiã, quibus amor fraternus, quasi ignis suo pabulo, & alitur, & augetur primum cõsuetudine & vsu tam familiari, vt nõ possit esse interior, cõgressibusq́; & colloquiis humanissimis: deĩdę beneficiis datis, & acceptis & vicissitudine quadam studiorũ, & obsequiorum non inanium, cuiusmodi inter seculares pleraq; sunt, in speciẽ & ad propriũ ferme cõmodum, sed spiritualiũ, & in quibus aliud nihil, quã fraterna vtilitas, vel Dei honor quęritur. Neq; enim ita existimandũ est de virtute, ac sanctitate, tãquã dura sit, & quasi ferrea, vel quę semper silẽtiũ, semper pœnitentiã meditetur. Est enim virtus omnib⁹ in rebus, sed pręcipue in proximorum consuetudinę, tenera atque tractabilis: idque bonum, quod certe magnum, & maxime cõmodum est, ex caritatis dulcedine haurit, vt sese ad alterum alterius causa accommodet, & quasi diffundat. Quare quid inueniri potest dulcius ista remuneratione beneuolentię & tam amanti concertatione officiorum, in qua tum vincere, tum etiam vinci ęque ferme optabile sit: Verum est igitur quod scripsit Aristoteles, & multo etiã verius in hoc tam sancto nexu, quam in illo, quem ipse describit; etiamsi amicitiæ ortus multo nobilior, generosiorq; sit, quam delectatio, vel vtilitas nimirum ex virtute, & honestate, tamen cum à virtute nata sit, ne illa quidem duo ei deesse quin potius vtilitates cõsequi, & quidem magnas, ex mutuis beneficiis, delectationes verò multo etiam maiores, quã aliarum amicitiarũ; quoniã vt sua, cuiq; virt⁹ ac virtutis opera iucundissima sunt, sic etiã amicorũ. Addamus postremo illud quasi pro condimento omnium delectationum, quod vulgares quidem amicitię sępe ex opinionum dissensione, vel ex morum, aut status, aut etiam ætatis mutatione, sępe ex contentione alicuius rei, quam

8. Eth. c. 3.

vterq; amicus habere non poſſit,aut ex aliis pluribus cauſis,ita diſcinduntur, vt etiam magnæ iræ,atque odia exardeſcant,quæ non ſolum poſteaquam euenerint, amicitias funditus tollunt,ſed etiam ante quam eueniát,eas infidas, ſuſpectaſque reddunt, vt ex nulla fere eiuſmodi amicitia extare ſoleant ſolida illa,quæ diximus, ſolatia, præſertim cum adeo vbique regnet venenum illud, ac peſtis, amoris proprij ad ſe ipſum omnia referentis, quo nihil poteſt inimicius eſſe amicitiis.Quare hoc etiam dulcior eſt amabiliſſimus hic nodus religioſorum,qui cum caritate aſtrictus ſit,& prætérea remotus ab omni cupiditate,minime expoſitus eſt iis,quæ diximus,periculis,& caſibus. Quod optime docuit Abbas ille Ioſeph apud Caſſianum,qui cũ multa genera ſeculariũ neceſſitudinum commemoraſſet, omnia ait incerta eſſe,vnum autem illud inſolubile,quod ſola virtutũ ſimilitudo deuinxit;hoc enim nullis vnquã caſibus ſcindi,quippe quod quod non ſolum diſſociare, vel delere locorum,aut temporum interualla non prævalent, ſed ne mors quidem ipſa diuellat.

Col.16. c.3.

Verum hæc quidẽ iucunditas,quam hactenus diximus, ex ſingulorum fratrũ conuictu,& congreſſu exiſtit. Qualis ergo exiſtet ex tota familia,aut collegio ſimul coniuncto?Quis enim noſtrũ non ſæpe expertus eſt,cum eiuſmodi fratrũ copiam,cum eo corporis habitu,quo tales homines ſolent,ad omnem modeſtiã,& deuotionẽ, & grauitatem cõpoſito,aſpexerit,vel in choro pſallẽtem, vel ordine procedentẽ,vel ad ſpirituales ſermones conſedentẽ, vel in aliquo opere occupatã, vel denique in ipſo etiã communi cœnaculo accũbentem,quis(inquam) tali ſpectaculo non ſæpe ſe commotũ ſenſit,ſecumq; ipſe dixit,Caſtra Dei ſunt hæc,& quidem caſtra non militum,ſed filiorum Dei?Hanc ob cauſam dicebat S.Leo,plurimum ſe gaudere,cũ Dei famulorum frequentiam videret,& in tot ſanctis, Angelorũ præſentiam ſe ſentire,nec dubitare quin abundãtiore Dei gratia viſitarẽtur omnes,quando ſimul adſunt,& vno lumine micant tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei,tot mẽbra excellentiſſima corporis Chriſti.Egregiũ dictum. Dei tabernacula,& Chriſti mẽbra eos vocat,qui Deo cõſecrati ſunt, & quidem admodum excellẽtia,qui etiam ſi ſinguli per ſe luceant, plurium tamen luce coniuncta, multo maiorem, multoque iucundiorem lucis amplitudinẽ excitari neceſſe eſt;vt iam nihil dubitandum ſit,quin poſt ea gaudia, quę ex ipſius

Gen. 32. Ser.1. de ſua aſſũ.

ipſius Dei contemplatione,& amore percipi ſolent, proxima ſint gaudia,quæ ex fratrũ amore, & conſuetudine aſſidue percipiuntur.Optimũ vero huius ſpecimẽ,& viua quędam imago extitit in illa ſanctiſſima B.Iob familia, in qua tam multi filij,& tanta inuicem vincti erant caritate, vt etiamſi ſuã quiſque domum haberet, vna tamen omnium domus,vna omnium res videretur;quoniã, vt ait Scriptura, mutua ſibi quotidie per orbem conuiuia exhibebant, vnuſquiſque in die ſuo: ex quo fiebat, vt & ſimul omnes ſemper viuerent,& iucundiſſime viuerent, nẽpe inter perpetuas epulas. Sorores autem quamquã fratres ſuos inuitare non poterant,inuitabantur tamen ipſæ à fratribus, vt comederent,& biberẽt cum illis.Sic igitur religioſus quiſque quaſi ſpirituales quaſdã epulas aliis fratribus quibuſcũ viuit,& verſatur,aſſidue præbet,non ex vilib⁹, communibuſq; cibis,ſed ex virtutib⁹,ex ſermonibus,ex factis optimis;idque in orbẽ, quoniã omnes omnibus tales ſe præbent.Quare hoc quoq; nos amplius habem⁹, quod filij illi Iob ſingulis diebus vna ſingulorũ menſa fruebantur, nos ſimul,& eodem tempore,omniũ.Quinimmo ſi qui ſint etiã inter religioſos,vt ſorores illæ in ſexu,ita ipſi in virtute,ac feruore paulo infirmiores,& imperfectiores, cuiuſmodi ſi qui ſunt,pauciſſimi omnino ſunt aliorũ reſpectu(nam illas quoque ſorores tres tantum fuiſſe, maſculos vero ſeptem fuiſſe legimus)hi licet non eam fortaſſe virtutum copiam habeãt,qua aliis conuiuiũ exhibere queant,hoc tamen lucrum ex fraterna coniunctione faciunt, quod ab aliorum conuiuiis minime excludũtur,ex quibus tum præſenti voluptate afficiantur,tum etiã paulatim proficientes, & quaſi adipe,ac pinguedine repleti,tales ſe reddãt, vt ipſi quoque aliis deinde eadem aliquando conuiuia dare poſſint.

Iob. 1.

De religioſi oblectatione ex ſtudijs litterarum.

CAPVT XI.

POST ſpirituales voluptates,quę ſupernaturalẽ omninò habent originẽ,ſequũtur eæ voluptates,quas ſciẽtiarũ, & artium variarum doctrinæ pariunt,in quibus etiã quãta ſit iucunditas,ex duobus cognoſci poteſt,primũ ex nobilitate,cum ea ſtudia & nobiliſſimæ partis,ideſt,mentis, atq; intelligentiæ fętus ſint,& eã partẽ viciſſim ornent,ac mira-

biliter illustrēt: deinde ex hoc, quod naturā humanā intime attingunt. Etenim, vt ait Aristoteles, omnis homo natura trahitur, & ducitur ad cognitionis, & scientię cupiditatem: cuius ille hoc signū affert, ex amore sensuum, maxime autē eorum, qui maxime seruiūt cognitioni, vt visus, & auditus. Igitur hac posita tanta hominis inclinatione ad sciendum, magnā deinde necesse est ex scientiis sequi voluptatem. Ita enim euenit cuique rei, vt eo opere præcipue gaudeat, quod ei præcipue propriū, eiusque naturæ consentaneum est, vt auiculæ volando, pisces natādo; quod idem faciunt hominis sensus, vt oculi vidēdo, gustus vescendo, aures audiendis concentibus. Cur non igitur, & multo etiam magis, ratio, atq; ingenium intelligendo, ac veritate inuestiganda, quod est eius propriū pabulum, pastusque suauissimus? Quā ob causam nō dubitauit Aristoteles id dicere, qui voluptate frui, & tristitia carere velit, nullū aliud esse remediū, quam philosophiā: eius enim multas, & omnino magnas esse delectationes. Quod dictum nemini mirū videbitur, qui earum rerū, quæ in philosophia tractantur, & multitudinem, & amplitudinē, & pulchritudinem etiā quādam perspiciat. Etenim si vere cogitem⁹, cum philosophia nihil aliud sit, quam naturæ inuestigatio, quā late patet, & quam pulchra est vniuersa natura, tam etiam patet, & tam admirabilis est ipsa philosophia. Nihil enim in illa est quod hęc sciētia non scrutetur, ac peruestiget. Primū quatuor illa principia, & causas, quæ ad omnia efficienda concurrūt: deinde tēpus, motum, locum, res ita semper pręsentes, & tamē adeo obscuras, & inuolutas: tum vero hominis totius fabricationē, animā, corpus, & omnes vtriusq; partes, & facultates: deniq; quæ in terra, quæve in aere fiunt, vt ventorū, fulminum, pluuiarū originem, postremo cœlū ipsum, & ea tam multa, quæ ad eius notitiā pertinent, magnitudinē, perspicuitatem, lucem, numerū orbium; præsertim vero motū ita constātem, ac ratum, & efficientiam ad conseruationē, & salutem rerum omniū. Quæ cum tā multa sint, & præter hæc, alia etiā innumerabilia cognitu iucūdissima, potest ne aliquis dubitare, quin animus eiusmodi res tā magnas, tam admirabiles, & cōmuni hominū captu ita remotas intuens atq; in omnes partes, orasque circumspiciēs, in maximis sēper delectationib⁹ viuat? Quid enim absurdius, quā cum oculorum, vel aurium tāta sit vis atque voluptas, animi ipsius, per quem & oculi, & aures gaudent, nullam

Iuit. veta.

2. Pol. cap. 5.

nullam esse putare? Nam si eleganti equo, exẽpli gratia, vel patula arbore intuenda oblectamur; cur nõ maior sit oblectatio, cum vel equi, vel arboris naturã, & essentiã animo contemplamur, in qua contemplatione & illa insunt, quæ oculis videntur, & insuper alia multo maiora, & meliora? Etenim vt imago, aut tabula bene picta omnes quidem tenet, sed eũ præcipue, qui pingendi arte peritus sit, quiq; in ea non colores tantum, ac lineamenta inspiciat, sed eorum etiam rationem intelligat, ac tum vmbrarum, tum partium extantiũ conuenientiam, aptitudinem, mutuáque inter se colligationem notare possit: ita in rebus omnib⁹ vulgares quidem homines externũ modo corticem spectant, eoque adeo capiuntur; doctiores autẽ aliquid interius perspiciũt, quæ earum natura, quæ vires, quam apta dispositio; quæ vt sunt longo interuallo præstantiora, sic etiam iucundiora. Quæ omnia cum quemuis capere possint, & adeo caperent veteres illos philosophos, vt nihil beatius putarẽt otio litterato, tum deinde religiosi nescio quod dulcius habere possunt condimentũ, quod illi nõ poterant, vt cum illa non tam naturæ opera, quam Dei, qui auctor est naturæ, aspiciant, ita consuescant, vt in his operibus artificis potẽtiam, sapientiam, amoremque agnoscant, & quasi oculis ipsis videãt, qua cogitatione quid dulcius, aut etiam quid vtilius?

Hactenus de naturalium rerũ cognitione; ex quibus facile intelligitur, quanto maiorem porro iucunditatem necessario efficiat diuinarũ rerum cognitio, quam nobis præstat Theologiæ lux: Cuius quidẽ scientiæ triplex quodammodo factus est, vnus eius partis, quæ Scholastica dicitur, quę ratione, ac via, atq; eo ferme modo, quo humanę disciplinę cõscripta, & tradita est, de cui⁹ dulcedine quid maius dici potest, quã hoc, materiam ei subiectam solũ esse Deũ? Hæc enim omnia, quæ de illo numine ab hominis ingenio cognosci possunt, cõplectitur, vnitatem, infinitatem, potẽtiam immẽsam, simplicitatẽ, scientiã, quam nihil latet, prouidẽtiã, qua tum reliqua omnia, tũ maxime hominũ salutẽ gubernat. Deinde vero quosdã eius processus, tum interiores, quib⁹ tres personę in vna constituũtur essentia, tum exteriores, quę est ipsa rerũ creatio: quo in genere cũ principem locũ teneant angeli, eorũ quoque natura, prestantia, ordinesque in multas diuisi classes studiose inuestigantur. Homo vero, quod est alterũ Dei opus, dignitatẽ secũdum, ipse quoque longũ in hac disputatione argumentũ, locum-

que obtinet;quis eius finis,quæ ad hũc finem vitæ,& adminicula,gratia in primis,tũ Dei præcepta,ac leges, tum etiã virtutes,& illæ,quę ideo theologales vocantur,quia Deum ipſum petunt,& aliæ morales , inter quas de iuſtitia,ac de eius partibus longiſſima diſputatio , qua omnia Chriſtiani viri officia in dando, accipiendo , rebuſque contrahendis continentur.Illa verọ theologiæ pars vberrima , & iucundiſſima,qua totum myſterium humanæ carnis à Dei verbo ſuſceptæ explicatur:deinde quod huic,quaſi effectus cauſæ , coniunctum eſt,ſacramentorum quoque vis tractatur, eorumque materia,forma,efficacitas,denique etiam ceremoniæ exponuntur,qui ſunt quaſi aluei , per quos omnis virt⁹ ex Chriſti paſſione in homines deriuatur.Quamobrẽ ſi eorum,qui in cœlo degunt ideo beata vita eſt, quoniam in Deo ſemper mẽtem defixam tenent , quid iucunditatis neceſſe eſt habe: e hanc ſcientiam,quæ eundem Deum tota pertractat,niſi quod illud intereſt,quod in cœlo perſpicue,nulloq; interpoſito velo conſpicitur,hæc vero ſcientia non quidem aſpectu,ſed ratiocinatione, certiſſimis tamen fidei fundamentis nixa in eodem Deo defigitur?

Atque huic materia ſimilis,dignitate etiam , & auctoritate ſuperior eſt ſacra Scriptura,altera ex tribus, quas propoſuimus,theologiæ partibus.Hanc vero Auguſtinus iure & merito delicias ac diuitias ſpiritus noſtri appellat: diuitias quidem ob plenitudinem,copiamque omnium bonorum,quibus abunde animus hominis ad omnem virtutem inſtruitur,& eruditur:delicias autem propter incredibilẽ, quæ in ea latet,dulcedinem; quam etiam ob cauſam idem alio loco eaſdem litteras de cœli melle melleas ; & de Dei lumine luminoſa vocat. Hieronymus autem ea epiſtola, qua Ruſticum monachum ad optimam vitæ rationem informat,eas pomario comparans,ipſum hortatur , vt varia earum poma decerpat,his vtatur deliciis , harum complexu fruatur. Bernardus quoque hos Dei ſermones epulis comparat,quæ triplici emineant,vt ille ait,gratia, delicioſa ad ſaporem,ſolida ad nutrimentum, efficaci ad medicinam,quoniã & ex eo quod ſuauiter ſonant, affectum mulceant,& de ſenſuum vbertate mentem impinguent, ac nutriant , & de altitudine myſteriorum dum intellectum ſimul & exercent,& terrent , miro modo tumorẽ ſanent inflãtis ſcientię.Illud vero optimũ,quod Abbas Seren⁹ apud Caſſianũ ita differens inducitur,vt diuinam hanc ſcripturam

In pſal. 145.

Conf. 9.4.

Epiſt. 4.

Ser. 67. Cant.

ram opimo, & fertili agro comparandam dicat multa gignenti, & proferenti, quorum alia ita vt nascũtur, cruda, vsui sunt, alia, nisi pri⁹ flãmis mitigata, ac mollita fuerint, propter asperitatem, vel minus grata sunt, vel etiam noxia: quædam vero ad vtrumque apta, vt nec incocta displiceãt, & tamen ignis calore lenita magis arrideant, & salubriora reddãtur. Sic enim sacras litteras quædã continere, quę ita accepta vt voces sonant, pascunt, ac nutriũt; alia vero, quę nisi explanatione aliqua extenuentur, damnũ potius afferunt; nonnulla etiã esse ad vtrumq; vsum communia. Hæc Cassianus, & vere: hoc enim distãt scripta illa ab hominum scriptis, quod homines quidẽ voces tantum, & verba adhibere possunt ad animorũ sensa expromenda, Deus autem, qui rerũ etiam, & factorum auctor, moderatorq; est, ipsis quoque rebus, factisq; vtitur ad mentis suæ arcana indicãda: ex quo multiplex ille scripturarũ sensus existit, qui cuiusmodi sit, & quã multa refertus dulcedine, optime à Gregorio declaratur in illum B. Iob locum Tunc super omnipotentem deliciis afflues Super omnipotentem, inquit, deliciis affluere, est in amore illius, Scripturæ sacræ epulis satiari: in cuius nimirum verbis tot delicias inuenim⁹, quot ad profectũ nostrum intelligentiæ diuersitates accipimus, vt modo nuda nos pascat historia, modo sub textu litteræ velata medullitus nos reficiat moralis allegoria, modo ad altiora suspendat contemplatio, in præsentis vitæ tenebris iam de lumine æternitatis intermicans. Talis est igitur religiosorũ vita inter has fere perpetuas, continentesq; lætitias: quam eorum felicitatem verã, & solidam pręclare homilia quadã describit Chrysostomus, in qua cum multa de aliis cœnobij gaudiis disseruisset, post eam delectationẽ, quæ orãdo, & contemplãdo percipitur, hãc etiam reponit, quã sacra hæc studia afferũt. Diuinis, inquit, libris affixi, iucundissime afficiũtur. Choro enim soluto plerumq; alius cum Isaia colloquitur, alius cum Apostolis, alius lectitat, & philosophatur de Deo, de creaturis, de visibilibus, de inuisibilib⁹, de vilitate huius vitæ, de beatitudine futurę. Ita non brutorũ animaliũ decoctas sibi carnes, vt alantur, assumũt, sed Dei verba melle, atq; fauo iucundiora. Hoc mel nõ syluestres apes collegerũt, nec digestũ more suo aluearibus immiserũt, sed spirit⁹ gratia cõstituens pro fauis altaarib⁹, atq; fistulis in animis sanctorũ imposuit, vt quicũque vult, cõtinue possit comedere. Illi igitur apes imitati,

crorum

Coll. 8. c. 3.

16. Mo. c. 9.

Ho 69. in Mat.

sacrorum librorum fauos circumuolant,magnam inde voluptatem carpentes.Hactenus Chrysostomus.

Restat tertius horū studiorū fructus ex accurata sanctorum patrum lectione,qui doctrina,sanctitate , eloquentia etiam excellentes,tam multa nobis monumenta reliquere, vt iis versandis vix hominis vita sufficiat,nō modo ei desit in quo tempus iucunde consumat.In quo ipso , quasi ad leuandā satietatem hoc etiam egisse Deus videtur,vt quemadmodum in magno cōuiuio alium aliæ dapes saporē habent,ita illis,quos dixi, tantis auctoribus suum cuiq; inesset suauitatis genus.Etenim si Græcos inter se conferre velimus,Basilij stylus doctrinā redolet,ac præceptis sanctitatis mirifice abūdat.Profundior vbiq; Nazianzenus,atq; in altissima mysteria sese vltro inferens,cū magno verborum ac rerum pondere.Athanasius lenior,sed tamen plenus , ac sermone temperato sibi semper similis, multaque cum auctoritate docens.Epiphanius contra hæreses acer,Theodoretus in scriptura interpretanda diligens,& planus. Damascenus doctissimus , atque in difficillimis fidei dogmatis enodandis aptissimus. Chrysostomus vero, vt suo nomine præ se fert,disertus,ac popularis,& in audientium animos influens,atq; eleganti verborū copia quasi pleno eloquentiæ flumine in omnem partem impellens.Inter latinos Cypriani oratio pura,& copiosa,nihil tamen redundās, plena

Epist. 13. dignitatis,& ponderis,denique , vt de ipso testatur S. Hieronymus,instar fontis purissimi,dulcis, & placida incedēs,

2. doctr. vt merito Augustinus quoque eum Doctorem suauissimū

Christ. appellet.Ambrosius autem suum ipse quoque habet dicēdi

c.40. genus,sententiarū vbertate refertum,verbis fluens lectissimis,ac præterea numeris suis aptissime astrictum, vt plane vel theologum oratorie,vel oratorem theologice dicētem audire videaris:de cuius dulcedine quid maius dici potest, quam quod ab ipso Deo grandi prodigio præsignificata sit iam tum,vt accepimus , cum infantis in ore apum examen consedit?Hieronymi quoque sermo doctus,& antiquitatis exemplis abundans,multoque acumine,deinde , quod caput est,ad omnia exprimenda apprime factus, siue scriptura ad verbum interpretāda,siue præcepta omni vitæ generi præscribenda,siue quidpiā laudandum, aut vituperandum sit,siue deniq; aliquis ad virtutem cohortandus, in quibus omnibus ita valet,vt plane illa cœlestis eloquentia videatur.Augustin' autem vberrimus,copiosissimus, lenissimus,

idem

idem ad arduas quasuis quæstiones,idem ad populares cōciones aptissimus,in quibus multa cū gratia & mentem instruit,& mouet voluntatem.Leone vero quis grauior, numerosior,atque,vt sic loquar,rotundior? cuius oratio maiestate plena,& quibusdam quasi verborum fulminibus instructa:Gregorius totus vbiq; moralis,quo in genere mirifice excellit,idémque suauissima quadā exemplorum,ac similitudinū copia lectorem retinens,eumque tum ad virtutem doctrina erudiens,cum etiā styli lenitate, ac varietate demulcēs.Quid de Bernardo dicamus,quem vere appellare possumus plane mellitum,qui spiritualibus documentis scatens,iisque optimis,ac perfectissimis,id etiā præcipuum habet,vt ita scripturas sacras in suum stylū immisceat, & contexat,vt vel ipse scripturę verbis loqui,vel scriptura ipsius ore sonare videatur, quæ res vna cum lepore grauitatem quoque,ac vim habet mirabilem:Itaq; ne pluribus recensendis longiores simus, id apparet, quod antea posui, omnibus istis Patribus suā cuique inesse formā oblectandi;quod ad delectationis cumulum accedit, vt tamquā in vnius hortis satiati ad alterius hortos trāseam⁹,et, si quod obrepat fastidium, tantæ varietatis vicissitudine leuemus. Quod si dum ij adhuc in terra viuerent, cum singulis congredi,eosque tātos viros audire, magna quædam voluptas fuisset,cur non idem etiam existimetur,iis in cælo viuentibus?immo vero multo etiam magis,cum & illis, quæ scribuntur,acrius quoddā studiū,ac lima adhibeatur, quā iis, quæ viua voce ex tempore profunduntur,& eorum gloria, qua iam fruuntur,maiorem scriptis ipsis auctoritatem cōciliet.Satis igitur de triplicis huius theologiæ fructu dictū sit,si vnum illud addiderimus.Cum enim ad res diuinas,& præsertim ad sacras Scripturas percipiēdas,nō tam ingenij acumine,solertiaque nitendum sit,quam humilitate, & assuetudine diuturna spiritualium sensuum,satis apparet,religiosos quosque tanto aptiores esse ad ea haurienda solatia,quanto ad virtutes illas,quæ huc ducunt,comparandas, & plura,& efficaciora habent adiumenta.

De gaudio,quod ex proximorum profectu religiosi capiunt.

CAPVT XII.

HABENT etiam religiosi plerique aliud solatij genus, cui nequaquā conferenda est vlla carnalis,aut terrena

voluptas,

voluptas,cũ animas,in quibus excolẽdis elaborarũt,vel ex vitiis ad ſanctitatem ſeſe conuertere, vel in ipſa ſanctitate quotidie magis proficere, & in omni virtute efflorefcere videt.Quæ quidẽ res quãta animo affert gaudia?quas etiã ex ipſis interdũ oculis lacrymas elicit?Etenim ſi,vt ait Pro-
Eſa. 9. pheta,exultãt victores capta pręda,quãto maior eſſe debet exultatio in talib⁹ victoriis,& in tali præda? Nã illic quidẽ alterius partis bonũ,alteri⁹ damnũ eſt:hic cum noſtro fructu proximorũ quoque fructus coniungitur,atque hoc ipſum proximorũ bonum,noſtrũ quoque auget gaudiũ. Teſtatur hoc etiã labor,ſolicitudo,cura,qua ſæpe,atque adeo vt plurimũ,cõſtare ſolent eiuſmodi fructus: de quo Pau-
Gal.4. lus Apoſtolus ad quoſdã diſcipulos ſuos ita ſcribit, Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Parturiẽti ſe comparat mulieri,quod ſignificat morã,& laborẽ,& cruciatũ etiã,qui in eiuſmodi opera ſæpe intercurrit.Itaq; non dubitandũ eſt,quin in hunc etiã partum con-
Ioan. 16. ueniat illud, quod eſt à Domino dictum, Mulier cũ parit, triſtitiã habet,cum autẽ peperit, iam non meminit preſſuræ,quia natus eſt homo in mundũ.Hic vero maior eſt etiã lætitia,quia non natus eſt homo in mundum,ſed verius in cœlũ:vita enim corporis breuis eſt,vita autem animi ſempiterna.Quid igitur ſentire nos oportet in hoc ſempiterno fructu,cum videamus philoſophũ ethnicum in diſcipulorũ profectu exultare,& ita iudicare, eã eſſe iuſtiſſimã cauſam
Sen.ep. 34. exũltandi?Si agricolã, inquit,arbor ad fructum perducta delectat,ſi paſtor ex fætu gregis ſui capit voluptatẽ, ſi alũnum ſuũ nemo aliter intuetur,quã vt adoleſcentiam illius ſuam iudicet,quid euenire credis iis,qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta ſubito videant? Hęc ille de eo fructu,quem cognoſcere potuit, temporali, breui,& caduco:noſter autẽ fruct⁹ ſpiritualis,& immorta-
Luc. 15. lis.Quare ſi,vt Saluator teſtatus eſt, gaudiũ eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiã agente,non eadem quoque cauſa erit lætãdi in terris, ſeu cũ hominem ad pœnitẽtiam cõuerti,ſeu cũ pleno gradu ad perfectionẽ cõtendere cernimus?Multæ enim concurrũt lætitiæ rationes,Dei in primis honor,proximi ſal⁹,quẽ vt nos ipſos diligere iubemur, deinde maximũ quoddã,gratiſſimũque ſpectaculum diuinæ bonitatis,& clementiæ, & patientiæ in perdita ouicula non ſolũ tolerãda,ſed etiã ſuper humeros reportãda;cuius quidẽ clementiæ nos ipſi teſtes, & ſpectatores ſum⁹. Denique

que

que illud quoque accedit,quod tam pręclari operis,ac muneris nos etiã ipsos aliquo modo participes esse sentiamꝰ, vt cum Paulo dicere, & quodãmodo gloriari nobis liceat, Ego plantaui.Est autem hoc vel maxime naturale, vt in eo quisque delectetur,idque diligat,in quod aliquid studij,atque operæ contulit,eoque magis,quo ea res præclarior est. Quid autem maius, quam alios homines sanctos efficere, quod non modo proprium est Dei opus,sed etiam maximũ inter eius opera?Itaq; quomodo exultabat Paulus in Philippensibus,Gaudium meum,inquit,& corona mea. Quomodo in Corinthiis,quos gloriam suam in die Domini appellat?Ad Thessalonicenses vero,Quæ est, ait, nostra spes, & gaudiũ,aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra,& gaudium. Quare cum religiosi plerique in hac animarum messe tam attente versentur, & ita versentur, vt tam multa habeant ad fructum in eis faciendum propria adiumenta,de quibus superiore libro à nobis dictũ est,id etiam sequi necesse est, vt hæc eis solatia, hæc gaudia sine dubio certa,& perpetua sint. *1.Cor. 3.* *Phil. 4.* *2. Cor.1.* *1.Thes.2.*

De centuplo religiosis promisso.

CAPVT XIII.

MAGNA sunt omnino,quæ hactenus de religiosę vitæ suauitate dicta sunt. Sed restat adhuc quiddã multo maximũ,in quo videlicet sunt omnia, & quod omniũ instar esse debet:id autem est amplissimũ illud, ac magnificẽtissimum Veritatis ipsius promissum,Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut fratres,& sorores, aut domum, aut agros, centuplum in hac vita accipiet. De quo promisso recte illa à Bernardo scripta sunt. Hæc sunt, inquit,verba,quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc, inquam,sunt verba,quæ Aegyptum spoliant, & optima quæque eius vasa diripiunt.Hic sermo viuus, & efficax,conuertẽs animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli.Quamobrẽ cum & tanta res promittatur,& is qui promittit,nec fallere,nec obliuisci etiam promissum possit, diligenter est nobis hic quasi thesaurus noster inspiciendus, & pertractandus, vt quæ in eo bona *Mat. 19.* *Ser. ecce nos reliq.*

contineu

Col. vlt. c. vlt. continentur, cognoscamus. Cassianus quidem collatione extrema, qua Abbatem Abraham differentem inducit, ita plane, atque expresse, vt sonat, hoc putat intelligendum, vt etiam ipsa quantitas eorum, quæ reliquimus, multiplicetur. Centuplam namque, ait, fratrum, parētumque recipiet quantitatem quisquis patris vnius, vel matris, seu filij pro Christi nomine, caritate contempta, in omnium qui Christo seruiūt, dilectionem syncerissimam transit, pro vno scilicet tot inueniens patres, fratresque feruentiore, ac præstantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum, atque agrorum possessione ditabitur quisquis vna domo pro Christi dilectione reiecta, innumera monasteriorum habitacula tamquā propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in suæ domus iure succedens. Quomodo enim non centuplū, &, si Domini nostri sentētiæ superadiici aliquid fas est, plus quā cētuplum recipit, qui decem, vel viginti seruorum ministeria infida, & coactitia derelinquēs, tot ingenuorū, ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Præclare Cassianus, & luculente, quem tamen ne quis de illis modo religiosis loqui arbitretur, qui certos reddit[9] in commune obtinent, de omnibus plane loquitur, etiā iis, qui euangelicā hanc paupertatem ita seruāt, vt neque priuatim, neq; communiter aliquid possideant: nā his quoque videmus centuplum suum reponi ex eleemosynis, quas eis fideliū hominū pietas benigne suppeditat. Testatur hoc Beda in homilia quadam, vbi de religiosa hac paupertate differens, sic ait. Ad lętissima, inquit, Domini, & Saluatoris nostri promissa conuertamus auditum. Videamus quæ tantę gratia pietatis, non æternæ tantūmodo vitę pręmia suis sequacib[9], sed & præsentis munera pollicetur eximia. Omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut agros propter nomē meū, centuplū accipiet. Qui enim terrenis affectibus, siue possessionibus pro Christi discipulatu renūciauerit, quo pl[9] in eius amorem profecerit, eo plures inueniet, q se interno suscipere affectu, & suis gaudeāt sustentare substātiis. Hic igitur est prim[9] gradus huius cētupli in his ipsis externis. Tamen sunt etiā alia multo maiora & optabiliora, quam hęc externa, id est, interiora illa bona, interior suauitas, ac satietas, quę lōgo interuallo omnē terrenā superat suauitatem. Hoc sentit Hieronymus, eumque promissi illi[9] sensū esse confirmat. Qui, inquit, carnalia pro Saluatore dimiserit, spiritalia recipiet, quę cōparatione, &

De nat. S. Benedict.

Lib. 3. in Matt.

merito

merito sui, ita erunt, quasi si paruo numero centenarius numerus compararetur. Quid igitur amplius quærimus? Etenim si ideo terrena ista expetuntur, vt nos oblectent, & s[illegible]s inquirendis oblectationi nostræ seruimus, habemus vbi multo maior delectatio, veriúsque & vberius gaudium inueniatur. Ita enim affirmat Dominus, quanta erat illa voluptas, quam quisque ex parentibus, quam ex fratribus, reliquisque propinquis, quam etiam ex agrorum amœnitate, vel vbertate, denique ex reliquarum rerum omnium possessione, & vsu capiebat, eam ipsam, & præterea centupla proportione adauctam, percepturum ex religione. Hoc enim illud est quod Gregorius quoq; quodã loco differit, sed hoc etiam addit, hoc centuplum in eo consistere, quod nimirum gignitur in nobis habitus quidã animi ita gaudẽtis, immo multo amplius gaudentis paupertate, quã homines cupidi, & auari gaudeant quibusuis diuitiis, & terrenarũ rerum copia. Sanctus, inquit, quisq; non ideo terrena deserit, vt hęc possidere in hoc mũdo multiplicius possit, quia quisquis terreno studio terram relinquit, terrã non relinquit, sed appetit. Nec qui vnã vxorẽ deserit, centum recepturus est, sed per centenariũ numerũ perfectio designatur; quia quisquis pro Dei nomine temporalia, atq; terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit, vt iam ea non appetat, quæ contemnit, & in sequenti seculo ad æternæ vitæ gloriã peruenit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiamsi hæc non habet. Ille autem pauper est, qui eget eo quod non habet. Nam qui & non habens, habere non appetit, diues est. paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui cum paupertate bene conuenit, non est pauper. Similia sunt apud Cassianũ, qui de hac centupla dulcedine sic loquitur, Recipietur sane etiã de cõtinentia cõiugali maior centuplo suauitas ab illa, quæ eis inuicem per commixtionem sexuum præbebatur: pro lætitia quoque illa, quam in vnius agri, ac domus possessione quis habuit, centuplo maiore diuitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem trãsiens filiorum Dei, vniuersa quæ æterni sunt Patris, vt propria possidebit, & affectu, atque virtute ad imitationem veri illius filij proclamabit, Omnia quæ habet Pater, mea sunt, nec iam cum vlla pœnali distensionis, aut solicitudinis cura, sed securus, ac lætus, velut in propriis vbique succedit, audiens quotidie ab Apostolo sibi prædicari, Omnia vestra sunt, siue mundus, siue præsentia, siue futura: & à Salomone,

Hom. 18. in Ezec.

Col. vlti. cap. vlti.

Ioan. 16.

1. Cor. 3.

lomone, Fidelis viri totus mundus diuitiarum eſt. Habes ergo iſtam centupli retributionem in magnitudine meriti, & in diſcretione tam incomparabilis qualitatis expreſſam. Neque enim ſi pro æris, aut ferri, aut vilioris cuiuſquam metalli certo pondere, tantundem ponderis, ſed auri quiſpiam reddidiſſet, non etiam amplius, quam centuplum reſtituiſſe videretur. ita cum pro cõtemptu voluptatum atque affectuum terrenorum ſpiritale gaudium, & pretioſiſſimæ caritatis iucunditas repenſatur, etiamſi ipſe ſit numerus, centuplo tamen hæc maior, atque præclarior eſt. Hæc ex Caſſiano. Auguſtinus autem non ſolum hæc eadem probat, ſed illud quoq; aſſerere non dubitat, maiorem fore hanc iucunditatem centupla: hoc autem numero, vt omniũ perfectiſſimo, omnia eſſe comprehenſa quæcumque vel haberi, vel optari poſſunt, vt fiat in iſtis quod ait Apoſtolus, Quaſi nihil habẽtes, & omnia poſſidentes. Alio vero loco tum hoc repetit, tum illud etiam adiungit, quod huius centupli gaudium cumulat, ne pauperes quidem, qui nihil, vel perparum reliquerunt, ab iſta felicitate excluſos eſſe, ſed omnibus hanc, quam diximus, tam amplam, tam vberem iucunditatis remunerationem communem fore. Sic enim is illum pſalmi locum, Illic paſſeres nidificabũt, interpretatur, vt eiuſmodi paſſeres, minutæ quippe auiculæ, ſint pauperes, ac parui, qui audientes in Euangelio, vade, vende omnia quæ habes, & veni ſequere me, toto id animo amplexi, decreuerunt non iungi vxoribus, non macerari cura filiorum, non habere propria ſedes, quibus deligarentur, ſed ire in vitam quandam communẽ. Quid igitur, inquit, dimiſerunt iſti paſſeres? Quid magnum dimiſerunt? Alius ſe conuertit, dimiſit cellam patris [illegible], vix vnum lectum, & vnam arcam. Non illi inuideamus, non dicamus. Nihil dimiſiſti. Non ſuperbiat qui multa dimiſit. Petrus vt ſequeretur Dominum, nouimus quod piſcator erat, quid potuit dimittere? Vel frater eius Andreas, vel filij Zebedæi, Ioannes, & Iacobus, etiam ipſi piſcatores, &, tamen quid dixerunt? Ecce nos dimiſimus omnia, & ſequuti ſumus te. Non ei dixit Dominus, Oblit' es paupertatem tuam? quid dimiſiſti vt totum mundum acciperes? Multum dimiſit, fratres mei, multum dimiſit. Non ſolum dimiſit quicquid habebat, ſed etiã quicquid habere cupiebat. Quis enim pauper non turgeſcit in ſpe ſeculi huius? quis non quotidie cupit augere quod habet? Iſta cupiditas præciſa eſt. Ibat in immenſum, accepit modum, & nihil dimiſſum eſt? Prorſus totum mundum

dimiſit

Epi. 89. quæſt. 4.

In Pſal. 103. conſ. 3.

dimisit Petrus, & totum mundum Petrus accepit. Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Faciunt hoc multi. Ista faciunt qui parum habent, & veniunt, & fiunt passeres vtiles. Hactenus Augustinus. Quare hoc teneamus, religiosis omnibus non solum centupla bona, & centuplam ex iis bonis voluptatem, ac felicitatem in hac ipsa vita promissam esse, sed centupli nomine totum plane mundum. Quod licet adeo magnum sit, & excellens, tamen restat adhuc alius quidam gradus huius centupli: isque summus, quod non solum hunc mundum & omnia quæ in eo sunt, continet, vt diximus, sed Deum etiam mundi auctorem. Sic enim ait Ambrosius, qui per hoc centuplum Deum ipsum intelligit, quoniam qui omnia reliquerit, Deum possidere incipit, & ipse est, inquit, merces vtique perfecta vi tutum, qui non centupli enumeratione, sed perfectæ virtutis æstimatione censetur. Affert etiam exemplum Leuiticæ tribus, quæ quia Domini iussu, nullam inter alias tribus terrę partem habuerat, ideo Dominus ipse ita promisit, & sæpius confirmauit, se eius partem, & possessionem fore. Itaque de hac istorum tam præstanti, támque iucunda hæreditate, illa etiam vere, & merito addit. Cui portio Deus est, totius possessor est naturæ. Pro agris ipse sibi satis est, habens bonum fructum, qui non possit perire. Pro domibus satis est sibi, vt sit habitatio Dei, & templum Dei quo nihil potest esse pretiosius. Quid enim pretiosius Deo? Ea est portio, quam terrenæ partes æquare non possunt. Quid magnificentius hospite cœlesti? Quid beatius possessione diuina? Hæc & alia multa de hoc eodem Ambrosius, ídque inter cætera egregie, quanto ditiores sint, qui omnia reliquerunt, quam ipsi diuites huius mundi, qui scilicet quantumlibet possessionum suarum spatia extendant, certos tamen fines habere necesse est, & tributa etiam maiora pendere, quam sint fructus. At vero, inquit, iste nihil possidens nulli nisi Deo militat, supra terram eius est portio, non eum terra detinet, non mari clauditur. Quod si verum est, quę regum opes, quæ vllius hominis terrenæ diuitiæ, & commoda, & voluptates sunt cum religionis diuitijs, & voluptatibus conferendæ? Hæc ita esse tum aliorum multorum testimonio discere possumus, tum Arnulphi illius Cisterciensis, cuius mirabilem vocationem in eius ordinis historiis legimus. Hic enim cũ in seculo vtpote nobilissimus, & ditissim⁹, inter omnes delitias vitam egisset, deinde Bernardi concionibus impulsus, monasticam disciplinam in Clareuallensi cœ-

In Psal. 118. 8. octon.

Deu. 10. & 18.

nobio professus est:in quo tam paupere, & rigido instituto, cum insuper aliquando viscerum doloribus grauissime cruciatus,diu examinis,mutúsq; iacuisset, vt ad se rediit, in eam vocem erupit, Vera sunt omnia, quæ dixisti Domine Iesu: quod cum sæpius iteraret,omnes qui aderant,stupentes, percunctabantur quomodo haberet.ille autem nihil aliud respōdebat,quam illud idem, Vera sunt omnia, quæ loquutus est Deus. Quare suspicatibus quibusdam,& ita dicentibus, eum mentis errore ex doloribus affici, & aliena loqui, Ego vero, ait ipse,integra mente hæc protuli, quoniā Dominus in Euāgelio testatus est, si quis propter ipsius amorem,mundi diuitiis,& propinquorum consuetudini renunciauerit,fore vt cētuplum accipiat in hac vita;id quod ego nūc re ipsa experior. Etenim hæc ipsa tam ingentis cruciatus acerbitas adeo mihi dulcis est propter spem diuinæ miserationis, quam in ea repositam sentio, vt hac molestia caruisse me nolim,non modo pro illis,quas reliqui,opibus,sed etiam si centum partibus ampliores fuissent Quod si mihi homini nequam, & peccatori, etiam mei dolores centies dulciores sunt,quā mea pristina felicitas,secularis,quid facient probi, & feruentes religiosi in suis solatiis, & gaudiis spiritualibus? plane enim ita res habet,vt spirituale gaudium quodcumq; sit,etiam in spe, centies millies e. superet omne seculare gaudiū etiam in re. Hæc ille,quæ cum loqueretur,admiratos ferūt vniuersos,qui audierant maxime quod homo litterarū rudis tam bene ista & intelligere, & eloqui potuisset; eóque certius omnes cognouisse, non aliunde illa prouenire, quam à sancto Spiritu, qui in eius pectore residebat.

Comparatio religionis, & paradisi.

CAPVT XIIII.

3.par.ti. 16.c.10. §.11. LIBET iam his omnibus,quæ de religionis oblectamentis dicta sunt,clausulam adiungere ex Antonio scriptore doctissimo, eodémque sanctissimo. Is enim quodam loco, vbi multa theologice de hoc statu disputat, hoc etiam inter cæteras eius laudes habet, simillimum esse terrestri paradiso, qui locus erat totus gaudij, & voluptatis, ac deliciarum, ipsius Dei, tanti, támque sapientis artificis manu consitus, vt homines in eo felicissimam vitam agerent. Itaque in hac etiā auctoris dignitate nihilo inferior est religio.tanta enim res nec ab alio inueniri,quam à Deo potuit,nec ab alio nunc quoque conseruari potest. Illius enim inuentum,ac do-

num

num est ista viuendi ratio, tam sancta, támque salubris, ab eo & in vniuersum hoc votorum consilium, & deinde in vnoquoque animus, ac desiderium huius disciplinæ, ab eodem perseuerantia, & victoria in tentationibus, ab ipso etiam regulæ, & instituta, denique ab illo omnia. Ex quo illud etiam appareat, quam perfectum, atque absolutum, omníque bonorum copia affluens esse oporteat id opus, quod à tantæ sapientiæ, tantæque bonitatis fontibus fluxit. Ac in illo quidem horto, atque elegantissimo viridario plantauerat Deus omne arborum genus pulchrum visu, & gustatu suaue, ne quid ei in omni delectationis genere deesset. Hic vero sua quoque est spiritualium fructuũ copia, qui multo iucundius oculos, ac palatũ mẽtis demulceant. Hic enim illa cõscientiæ integræ, ac pacatæ securitas, hic lumen mentis, quo diuinæ res manifestantur, hic orationis, & contemplationis solatia, hic tam multa alia, de quibus ante diximus, & genere varia, & dignitate adeo præstantia. Neque vero deest lignum vitæ, quod Antoninus gratiam interpretatur, quod & status hic nõ ex natura, sed ex gratia fluit, & in eo tam multæ sunt, támque faciles viæ ad gratiam hauriendam, & quotidie magis adaugendam. Quin illud quoque conuenit, quod erat in illo summa aëris temperies, nullus immodicus calor, nullum frigus nimium, non fames, non sitis, non febris, non alia corporis incommoda: quæ si ad animum transferantur, respondet iis in religione illa omnium perturbationũ, omniúmque cupiditatum tranquillitas, cum ita mens temperetur, atque instituatur, vt turbidis illis æstibus vacans, in vno, atque eodem æquabili tenore perseueret; qui status si corpori iucundus fuisset, quanto erit iucundior animo? Quatuor vero flumina, *2. Mor. cap. 27.* quæ ex illo paradiso erumpebant, cuiusmodi sint, docet Gregorius, qui quatuor virtutes significari putat, quia dum iis, vt ille ait, cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. Illud autem quam congruens, quod à Domino dictum est de viro, Non est bonum homini esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Quid enim hoc aliud est, quã *Gen. 2.* vtilitas ea, quæ ex fratrũ societate tum ad salutis nostræ profectum, tum ad alia opera proximis vtilia percipitur? Vere bonum non est homini ad virtutem aspiranti solitarium esse, quin potius damnosum, & periculosum, quonia & facilius à dæmone supplãtatur, & ipse citius in cursu fatigatur, & fidelibus consiliis, atque etiam salutaribus exemplis destituitur. Magnum ergo adiutorium ex fraterna societate, & quidem

similius etiam quam illud Adami. Nam illud in natura tantum erat simile, hoc etiam in sexu, in habitu, in moribus, ac denique in omni vitæ instituto. Iam si statum mentis, quo tum ille hominū princeps fruebatur, inspiciamus, in eo quoque non paruam inueniemus similitudinem, quam indicat Chrysostomus, qui de monachorum felicitate differēs, Adamo illos comparat paradisi regionem incolenti. Cur enim, inquit, isti peius habeāt, quam ille, quando ante inobedientiam in operando paradiso fuit constitutus? Nulla illi secularis erat cura: nulla etiam istis. Integra ille conscientia cum Deo colloquebatur: id faciunt etiam isti, immo vero tanto liberius, quanto maiore fruuntur gratia dono spiritus attributa. Denique huius paradisi delicias, modumque, ac viam eo perueniendi præclare Bernardus exponit, idque ab eo discere possumus, Nec vero, inquit, locum reputes corporalem paradisum hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum, sed affectibus introitur. Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, sed virtutum vtique spiritualium iucunda, decoraque plantatio. Hortus conclusus, vbi fons signatus in quatuor capita deriuatur, & ex vna sapientiæ vena virtus quadripartita procedit. Splendidissima quoque inibi lilia vernant, & cum flores apparent, etiā vox turturis auditur. Illic nardus sponsæ flagrantissimum præstat odorem, & cetera quoque aromata fluunt, Austro spirante, Aquilone fugato. Ibi media est arbor vitæ, malus illa de cantico, cunctis pretiosior lignis syluarum, cuius & vmbra sponsam refrigerat, & fructus dulcis gutturi eius. Ibi continentiæ nitor, & sinceræ veritatis intuitus oculos cordis irradiat, auditui quoque dat gaudium, & lætitiam dulcissima vox consolatoris interni. Ibi quibusdam spei naribus influit iucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi auidissime prælibantur incōparabiles deliciæ caritatis, & succisis spinis, ac vepribus, quibus antea pungebatur, vnctione misericordiæ profusus animus in conscientia bona feliciter requiescit. Quæ quidem non inter vitæ æternæ præmia, sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur, nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis quæ nunc est Ecclesiæ promissionem. Hoc enim centuplum est, quod in hoc seculo seculi contemptoribus exhibetur. Hæc Bernardus, quorum vel sola commemoratio quem non moueat, vt tantis bonis potiri, & in tanta felicitate semper esse velit?

Hom. 69 in Matt.

Ad cleric. c. 21.

Quamquam cur adeo miremur, religiosum statum magnam

gnam habere ſimilitudinem cum paradiſo illo terreſtri, cum multo maius illud ſit; quod magnam etiam habet ſimilitudinem cum cæleſti? Certe enim ſi ipſam rei naturam intueri velimus, inueniemus religionem nihil eſſe aliud, quam imaginem quandam, aut ſpecimem illius ſupernæ domus beatiſſimæ, ac feliciſſimæ, vt quidem huius mundi ſtatus illius boni capax eſſe potuit. Quod ne quis à me temere dici putet, tractat hoc ipſum argumentum diſerte, & prolixe B. Laurentius Iuſtinianus in eo libro, quem ſcripſit de perfectione monaſtica, vbi ita ait. In humanis rebus, & in *Cap.6.* hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in ſe imaginem cœleſtis patriæ, quam monaſtica conuerſatio, & congregatio diuino cultui dicata. Quod cum poſuiſſet, pergit id deinde multis rationibus veris, atque euidentibus confirmare, quas ab ipſo petere poterit, cui libebit. Atque hæc etiam fuit expreſſa S. Baſilij ſententia, qui cum mul- *Con.mõ.* ta de religioſi inſtituti præſtantia diſſeruiſſet, ad extremũ *ca.19.* ita concludit, nihil eſſe in terris tam magnum, & tam pulchrum, quod ei comparari poſſit. itaque è ſolo cœlo petendam eius ſimilitudinem; quoniam ſicut in cœleſtibus omnibus incorruptio viget, ita viget etiam in religioſis, & ſicut cœleſtes caritate inter ſe coniunctiſſimi ſunt, ſic etiam religioſi. Prima ergo ſimilitudinis cauſa, auctore Baſilio, eſt in incorruptione, ideſt, in caſtitate; quia quemadmodum in cælo neque nubunt, neque nubentur, vt Dominus dixit, ita *Matth.* neque in religione. Altera cauſa eſt caritas illa, ac ſumma *21.* concordia, quæ eſt inter omnes cœli ciues, eaque non ex natura, aut ex vlla humana inclinatione, ſed in Deo ſolo, Deique amore fundata. Quid igitur huic ſimilius, aut propinquius, quam religio, in qua tãta eſt conſenſio animorum, tanta communio omnium rerum, tantus inter ſe omnium amor, vt, quod ſæpe à nobis dici oportuit, non multæ animæ, ſed vna anima in multis corporibus eſſe videatur, idque ipſum non propter naturæ nexum, aut vllius humani ſtudij, qualis eſt inter mercatores, aut milites, ſed caritate niſus, caritate conglutinatus? Hæc enim caritas, cum, vt ait Apoſtolus, numquam excidat, eademque ipſa in cœlis dura- *1.Cor.* tura ſit, quæ hic eſt in terra, iam nunc dum eſt in terra, cœle- *13.* ſtem illum ſtatum quodammodo repræſentat. Quamobrem Chryſoſtomus religioſos laudans, non dubitat ipſe quoque *Libr. 3.* dicere eos cœleſtem plane conuerſationẽ elegiſſe, nihiloque *con.vit.* deterius affectos, quã ſint angeli (hæc enim ſunt eius verba) *mo. vi.*

quia vt in angelis nulla est inæqualitas, nec dum alij lætantur, alij dolent, sed eodem omnes gaudio gaudent, eademque exultant quiete, sic omnino idem fieri in monasterijs.
Con. mo. ca. 19. Expressius etiam S. Basilius, qui communitatem illam vitæ, quæ est inter religiosos, comparat ei, quæ est inter angelos, redditque rationem, quoniam vtrisque sunt eædem diuitiæ, nẽpe spirituales, & omnis materiæ expertes, quæ scilicet sine vlla diminutione à pluribus possideri possunt. Itaque ob hanc causam religiosos ait cœlestis vitæ statum egregie effingere, & futuræ beatitudinis dona iam nunc percipere. Illud vero quam simile, quod sicut in cœlo sunt omnes Deo perfectissime subiecti, Deique voluntas omnes omnium voluntates mirabiliter absorbet, vt ea quasi regula sola moueantur, quocumque mouentur, ita in religione omnis voluntas propria eradicatur, & euellitur sancto obediẽtiæ voto, cuius vi hoc agitur, vt homine interprete voluntas Dei in omnibus dominetur, & regnet? Accedit deinde etiam paupertas. Nam apud cœlites illos nulla est cura auri, vel argenti, sed solis tantummodo diuitijs spiritualibus intenti sunt; quod idem faciunt etiam religiosi, cum ipsi quoque omnia à se terrena remouent, & nihil omnino terrenum possident, eoque gloriantur. Præterea in cœlesti illa regia vnica est omnium occupatio, vnicum negotium, Deum amare, Deum laudibus celebrare. At hoc etiam conantur, & student religiosi: hanc enim ob causam mundum reliquerunt, vt vacarent, & viderent, quoniam suauis est Dominus, eique toti adhærerent:
Eccles. hie. c. 10. eamque rationem ait Dionysius fuisse, cur ab initio Monachi sint appellati, quoniam cum hoc nomẽ ab vnitate veniat, eo significata est vnitas illa, quam cum Deo religiosa disciplina efficit. Itaque vt Augustinus dicit, eos, qui in cælo sunt,
In ps. 148. ideo beatos esse, quoniam nihil aliud agunt, nisi hoc, vt Deũ laudent: nam, vt ipse ait non arant, non seminant, non moliũt, quod hæc opera necessitatis sint, ibi autem necessitas nulla est: non etiam furantur, non deprædantur, non adulterantur, quoniam hæc opera sunt iniquitatis, ibi autem nulla iniquitas est: sic de religione dici potest: nam alterum quidem caput, quod iniquitatem continet, hic locum non habet, alterum autem quod ad necessitatem pertinet, tum magna ex parte præcisum est, resecta cupiditate, tum ita institutum, vt ad ipsius
In ps. 145. Dei gloriam dirigatur; quod cum sit, vt idem Augustinus docet non cessatur à Dei laude, quoniam hæc ipsa ad Deum relata, Deum laudant Sic enim, inquit, laudas Deum, cum agis negotium,

negotium, laudas cum cibum, & potum capis, laudas cum in lecto requiescis, laudas cum dormis. Denique illa quoque est maxima paradisi similitudo in religiosa anima, quod cœlestium mores imitatur, vt ait quodam loco S. Bernardus. Vnum Deum adorat, & colit, quomodo angeli, casta est quomodo angeli idque in carne peccati, & fragili corpore, quod non angeli, quærit postremo, & sapit quæ apud illos sunt, non quæ super terram. *Ser.27. Cant.* Quare quod in Apocalypsi scriptum est, Vidi ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cœlo, non immerito idem Bernardus applicat Christo saluatori, qui eam, vt ipse ait, cœlestis disciplinæ magisterium terris intulit, simul etiam supernæ illius Hierusalem visibilem quandam imaginem, & speciem in se ipso expressam ostendit, additque causam; Nec frustra, inquit, visus est homo cœlestis, cum de terrenis cœlestes quamplurimos fecerit sibi similes. *Apoc.21.* Ex tunc igitur in terra viuitur more cœlestium, dum instar supernæ illius, beatæque creaturæ hoc quoque, quæ à finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis, cœlesti viro nihilominus casto inhæret amore. Vltima est similitudo etiam in gaudio, ac felicitate. Nam etsi in gradu ipso, & magnitudine huius gaudij necessario est differentia, quoniam in cœlo Dei facies videtur, hic per speculum, & in ænigmate, tamē hæc ipsa iucunditas & magna est, & eiusdem naturæ cum illa cælesti. Vtriusque enim idem est fons, eademque materia, quoniam non ex carne, & sanguine, non ex rebus creatis percipitur, sed ex Deo, quod est summum, & infinitum bonum. Horum autem gaudiorum quanta copia in religione, eaque quam perpetua, quam multiplex & certa, ac solida nullisque externis casibus exposita, dici hic posset vberrime, si non satis dictum esset hoc toto libro. Quare ita iā concludendum est, nihil felicius esse posse religiosa vita, quæ etiā tam similis sit cælesti vitæ, vt iam nunc futurā illā beatitudinē præcipiat, & quasi largissime prægustet. Itaq; recte huic loco accōmodare possumus illud diuini Prophetæ dictū, Benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Omnes enim *Ps.143.* Dei seruos, quos ad Deum laudandum excitat, duplici ordine distinguit, alios qui in domo ipsius Dei sunt, alios qui in atriis. Ac illi quidem sunt, qui in cœlo degunt, vbi Deus tamquam in domo habitat. In atriis vero religiosos esse intelligimus, nondū in domo, sed proximos tamen domui, ac in eius quasi aditu, ac vestibulo; ex quo hæc duo magna commoda sequū-

tur, primum vt, niſi pedem referant, eo facilius, & celerius, cum tempus fuerit, in ipſam etiam domum recipiantur, deinde vt iam nunc, nimirum è propinquo loco, multas illius domus vtilitates, multaſque ſuauitates, tanquam micas ex illa diuina menſa cadentes, excipiant.

De ijs quæ obijci ſolent contra religionem, & primum quod hæc gaudia ſunt paucorum.

CAPVT XV.

SECVLVM quidem ipſum, ſi pro ſe loqui poſſit, neque tam cœcos, ſurdoſque habeat amatores, ac defenſores, non dubito, quin conceſſurum ſit religioni, non ſolum de dignitate, verum etiam de gaudiorum magnitudine, ac copia. Eſt enim non modo impudentis hominis, ſed vix hominis, ac potius pecudis, & belluæ, pluris eſſe putare dulcedinem corporis, atque carnis, & titillantem ex rebus infimis, atque vliſſimis natam lætitiam, quam eam voluptatem veram, ac ſolidam, quæ & in animo naſcitur, & ex Deo naſcitur, quod ſolum eſt verũ bonum, & omnis boni bonum. Hoc igitur eſt ſuauiſſimum illud manna, quod ex Ægypto in deſertum eductis Dei bonitas è cœlo demittit.

Sed quoniam, vt antea attigimus, tum in hoc exitu de terra Ægypti, tum etiam poſt exitum, non deſunt aduerſarij, atque hoſtes multi, illic quidem Pharao cum ſuis equitibus, totoque exercitu, hic autem Philiſtæi & Iebuſei: hoc quoque nobis faciendum reſtat, vt eorum tela, ac machinas, quibus ad oppugnandum vtuntur, non ſolum inſpiciamus, & cognoſcamus, quod ipſum ad victoriam magni intereſt, verum etiam confringamus. Primum igitur illud ſit, quod quidam obiicere ſolent, hæc quæ enumerauimus, gaudia non omnibus eſſe conceſſa, ſed paucis inſignibus, & excellentibus viris, qui ſingulari Dei priuilegio, vel longis ieiuniis, ac diuturna corporis maceratione id meriti ſunt: reliquos vero communes, ac mediocres homines longe abeſſe ab iſtis ſuauitatibus, neque has vnquam guſtare delicias.

Ad hunc errorem (ſic enim appellãdus eſt) confutandum, hoc primum intelligendum eſt, quæcumque totis his libris, vel de vtilitate, vel etiam de excellentia, vel poſtremo de iucunditate religionis dicta ſunt, de ſtatu dicta eſſe, non de
Pro.13. homine. Quid enim ad me, ſi qui ſint homines ſocordes, ac negligentes, qui in media copia egeant, inter pleniſſimas menſas eſuriant, in quos eſt illud prouerbium, Abſcondit

piger

piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam ? Simillime enim religioſis non paranda ſunt ea bona, quę tam affatim ſuppeditat religio:ea enim iam parata ſunt, & præſto ſunt:ſed ijs tãtum bonis vtendum, iíque quaſi cibi ad os applicandi:quod ſi tantulã laboris,quod eſt in vtendo, ferre non poſſunt, id quidem ipſorum vitium eſt, non verò ſtatus. ſtatus enim plenus eſt ingentibus commodis, ipſi autem ſi vacui, & inanes ſunt, ſua culpa ſunt. Vt igitur cum phyſici de humani corporis conſtitutione diſputant, ita diſputant, vt à natura factum eſt, integrum, atque perfectum, vt brachiis,& manibus,vt tibijs, pedibus, ceteriſque mẽbris conſtat:ſi verò cuipiam homini vel manus,vel oculus,vel pes deſit,nihil ad illos pertinet, cum id tantum doceant, idque ſpectent, quod rei natura requirit:ſic cum de religione agitur, eæ vtilitates, eæ etiam iucunditates perſequendæ ſunt, quas huius ſtatus natura per ſe efficere poteſt,& ſolet. quare ſi quis ſit,in quo hæc non efficiantur,id,vt diximus, homini ipſi,non ſtatui adſcribendũ eſt. Sed tamen horum ita ſegniũ, ac negligentium audeo dicere minimum eſſe numerũ inter religioſos. nam hoc ipſum ad religionis bonum pertinet, vt etiam torpentes excitet, & tardiores impellat, frigidóſque incendat; idque perpetuo facit. Verum qui hoc dicunt, hoc fortaſſe volunt,quæ de Antonio,de Dominico,aut Frãciſco, & aliis eiuſmodi excellentibus viris legunt,vel audiunt, illos eorum raptus,illas ecſtaſes,illa miracula, non eadem omnibus contingere. Quod verum eſt,neque à nobis negatur,ſed hoc,ſi attendamus,nihil religioni detrahit. Vt enim agri alicuius vbertas, ac fertilitas oſtenditur ex eo, ſi centeſimum reddat,quod ſi cui minus reddat, non id ex agri infœcunditate prouenit,ſed ex eius tarditate, & negligentia, qui non colit,nec ſubigit, vt oportet; ſic idem mihi de religione dicendum videtur.Eſt enim quaſi ager, cuius admirabilis fœcunditas in ſanctioribus illis viris oſtenſa eſt, quam ſi nos adhuc non experimur,noſtra hoc fit culpa,non ipſius: atque hoc tamen nos excitare, & animare debet ad diligentiam, cum ſciamus,quam vberes futuri ſint laborum noſtrorum fructus,& quam fuerint alijs.

Quamquam ne illud quidem ambigẽdum eſt, quin etiam ſi ad illam tam inſolitam, atque extraordinariam gaudiorum copiam peruenire non liceat, multum tamen ſit, atque adeo plurimum, quo fruamur,& quo etiam ſaturemur. Etenim ſi non ſtigmata,vt quidã ex illis,cõſequamur,ſi non ad tertium

tertium cœlum rapiamur, aut ad illos mentis excessus perueniamus, hoc tamen facile, & ordinariū est, vt legendo, orando, & diuina contemplando, ita delectemur, vt eam delectationem non cum omnibus mundi delitiis, ne si plures quidē sint mundi, commutare velimus. Sunt enim ista Dei charis-
4.Reg.4 mata vt oleum illud à Propheta multiplicatum, cuius copia tantum manat, quantum vasorum ad capiendum subiicitur, vt quamuis minora, vel pauciora sint vasa, non ideo nihil manet: manat enim, vt dixi, etiā si parum, idque ipsum quod est iucundissimum est. Neque verò illud etiam omittendum, qui hoc timeant, ne Deus tam care suas hasce vendat spirituales delectationes, de illius bonitate, ac beneficentia indigne admodum sentire, eumq; suspicari auarum, ac tenacem, quod ab eius natura abest quamplurimum. Cogitent hi quā large quam prompte, quam etiam profuse cetera beneficia ad naturalem hanc vitam tuendam impertiat, quotidianum solem, tempestiuas pluuias frumenti, vini, olei copiam, reliquorum omnium fructuum abundantiam, non ad necessitatis modo mensuram, sed ad delectationis quoque cumulum. Quibus autem hæc impertitur? hominibus improbis, blasphemis, impijs, aut saltem maxima ex parte ingratis, qui hæc ipsa cum ab ipso accipiunt, nihil de eo cogitant, ac potius in illius iniuriam ijs abutuntur. Ergo cum tanta sit Dei bonitas, ac largitas in rebus huic, quam dixi, naturali vitæ idoneis, cur non sit etiam eadem, & multo maior bonitas, ac liberalitas in vitam illam nobiliorem, quæ spiritu ducitur, quam vt nobis daret, vltro de cœlis descendit, vltro etiam
Luc.14. mortuus est? Videmus in conuiuio illo tam lauto, tamque magnifice, ac regie instructo, quod genus hominum aduocari scribantur. An forte diuites tantum, & honorati, aureisque vestibus nitentes? Exi (inquit) cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Qui verò sunt debiles isti, & isti cæci, & pauperes, si, vt in parabola, spiritualiter interpretemur, nisi imperfecti, ac rudes spiritu, qui nec ad cœlestia videnda satis oculis valent, nec satis pedibus ad currendum in hac via, & denique uirtutum, & reliquorum spiritualium bonorum inopia laborant? Et tamen hi quoque ab illarum epularum suauitate non modo non excluduntur, sed vltro accersuntur, rogantur, immo verò vt etiam Euangelista narrat, compelluntur. Nemo ergo timere debet, ne si ad religiosam vitam accesserit, ieiunus futurus sit, eorúmq; fructuum expers,
quos

quos tam multos cõmemorauimus, aut etiam ne nimis diu laborãdum ei sit ad istam aquarum viuentium venam effodiendam. Hoc enim amplius habet religiosa vita, quam vita secularis, quod sine dubio maximum est, quod in hac seculari tantum quisque consequitur, quantum viribus proprijs, proprioque studio connitatur. In religione autem ipse status multa nobis quasi vltro offert beneficia, & sæpè etiam nescientibus in sinum congerit. Hic enim valent non nostra solum, sed fratrum etiam nostrorũ merita, de quorum communione quanta sit, & quanti referat, alio loco à nobis abunde dictum est. Valet etiam ad hoc ipsa instituti dignitas, & gratia quædam, quæ nos Deo mirifice commendat. Valet illa tam præclara, tamque præstans, & generosa actio, qua nosmet, & omnia nostra Creatori nostro resignauimus; cuius actionis tantum est pretium, vt vna illa plurimis secularium actionibus iure præponderet. Denique valet ipsius Christi promissio, qui centuplum illud, quo omnia continentur, non Arsenio tantum alicui, vel Hilarioni pollicitus est, sed omnibus plane, qui sua reliquissent, nulla additione, nulla, vt videmus, exceptione. Quam in sententiam præclare Bernardus inanem eorum metum confutat, qui ita loquuntur: Ille quidem sic, ego forte non ita. Delicatus sum, homo peccator sum, nec subsistere in tanto labore, sine gratia multa, nec ipsam gratiam valeo promereri. Quasi verò gratia non sit gratia, sed operum merces: quasi non omnes peccauerint, aut non omnes egeant gratia Dei. Æstimas, ò homo, quia personarũ acceptio sit apud Deum, & non omnes omnia relinquẽtes tam copiose consoletur? Noli esse incredulus, acquiesce, vel veritati, de cuius testimonio nulli licet dubitare fideli. Et omnis (inquit) qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet. Neminem Christus excipit. Miseri igitur qui dicunt, præter nos. Nimirum indignos se iudicant multo magis vita æterna, qui nec ipsum quidem centuplum sperant. Sed quia Deus verax est, qui promittit, homo vtique mendax est, qui diffidit. Hæc Bernardus. *Ser. ecce nos reliq.*

Sed quoniam si quod est tempus his timoribus obnoxium, sunt maxime initia, cum adhuc animus in rebus spiritualibus habes ac tardus est, infirmus autem ad prælia, multúmq; de seculi fece retinens, propterea hic potissimum metus minuendus est, vt intelligatur, hæc ipsa tyrocinia, & prima rudimenta omnium maxime his solatiis abundare. Si enim id credimus,

credimus, de quo ne dubitare quidem fas est, summam illam bonitatem ita suorum prouidentiam gerere, quasi eos inter brachia sua, & in sinu suo portet, illud quoque ad hoc ipsum officium necessario pertinet, vt illi tamquam spirituali in-
1.Cor.5. fantiæ det lactis potum, vt ait Paulus Apostolus. Nam si Deus naturæ auctor eam curã corpori huic tribuit, vt dum adhuc dentium, neruorúmque firmitate careret, lactis alimento tam dulci, nullisque laboribus comparato, nutriretur, an putandum est, eũdem in genere gratiæ, cuius item est auctor, curam hanc animi, donec ipse quoque infirmior est, negle-
Esa. vlt. xisse? Hoc enim illud est, quod ipse vltro per Esaiam prophetam promittit, Ad vbera (inquit) portabimini, & super genua blandientur vobis. Quò modo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. Quid mollius, aut quid amantius dici poterat, quam quod infinitum illud numen etiam ad nutricularum affectum illum teneriorem, & officium, ac sedulitatem sese demittat? Etsi in hoc ipso non suam tantum Dominus commendat pietatem, dum se matri similem facit, sed dum nos infantibus comparat, hoc ostendit, vt cælestes illas delicias percipiamus, nulla nostra ab eo respici merita. Quid enim egerunt, aut quid agere potuerunt infantes, quo parentum erga se beneuolentiam, & caritatem colligerent, hoc excepto, quod filij sunt, quod tamen non ipsi egerunt,
Luc.15. sed parentes? Ac si de meritis agitur, quid fecerat filius ille prodigus, vt, non dicam patris blanditijs, sed aspectu dignus esset? potius multa fecerat, quibus supplicium, & magna pœna deberetur. Et tamen quanta fuit in eius reditu lætitia, quod conuiuium, quæ symphoniæ, quæ cantus, &, quod sine dubio omnium illi dulcissimum videri oportuit, quæ patris in illum indulgentia, qui amplexus, & oscula, quæ etiam lacrymæ super eius collum? In quo illud etiam est magis mirum, quod cum hæc ei exhibita sunt, qui domo discesserat, qui sua omnia in luxu, & vitijs decoxerat, tum alteri filio & maiori, & qui nunquam patrem vel facto, vel dicto contristauerat, tamen nihil ex ijs vnquam datum fuerat, vt ille quidem etiam cum quadam querela commemorabat. Ex quo apparet, tantum abesse, vt solatia ista non nisi perfectissimis dentur, vt etiam sæpè plura dentur imperfectioribus, & qui recens in Dei domum tamquam noui hospites aduenere. Cuius quidem rei rationem sapientia, & prouidentia
24.Mor. plenam rectè assignat Gregorius: Diuinæ (inquit) gratiæ
cap.7. dispensatione agitur, ne in inchoatione sua tentationum asperitate

aſperitate frangantur, quia ſi eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facile ad ea quæ reliquerant, redirent, quam nec longius diſceſſerunt. Nam contemptis prius vitijs quaſi iuxta poſitis replicarentur. Vnde & ſcriptum eſt, *Exo.13.* cum emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philiſtiim, quæ vicina eſt, reputans ne forte pœniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Ægyptum. Ex Ægypto itaque exeuntibus è vicino bella ſubtrahuntur, quia derelinquentibus ſeculum quædam prius tranquillitas oſtenditur, ne in ipſa ſua teneritudine, atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant, quod euaſerunt. Denique hæc ſumma huius rei eſt, quæ non modo nouitijs in hac ſpirituali vita, ſed alijs quoque imperfectioribus communis eſt, quod alius eſt hominum mos in dando & benefaciendo, alius Dei. Homines enim quia anguſtam rem habent, eámque ipſam eius naturæ, vt cum alijs communicata minor fiat, ac præterea cum aliorum opera, ac ſubſidio egeant, propter has cauſas nullam fere mercedem, aut præmium alteri impertiuntur, niſi vel propter ſperata, vel propter accepta iam obſequia. Deus autem, qui nullius eſt indigens, ijſque opibus infinite abundat, quæ dando, & largiendo nunquam exhauriuntur, nulla alia cauſa ad largiendum mouetur, quam ſua natura, & bonitate ad benefaciendum propenſa. Itaque ſemper in omnes diues, ſempérque munificus eſt, & prolixe liberalis, in eoque non tam hominum merita, quam ſuam ipſius, vt dixi, ſpectans clementiam. Quinimmo hoc poſito, aliud quoque maius quiddam, ac mirabilius ſequitur, vt interdum etiam effuſius ijs ſua hæc dona tribuat, qui non ita perfecti ſunt, neque tam magnos in ſanctitate progreſſus habent, nimirum non quo plus merentur, ſed quo plus egent. Facit enim quod pater quilibet, qui cum ſuos omnes liberos diligat, ſanos quidem ne attendere quidem videtur; ſi quis autem ægrotat, ei non ſolum fomenta, & medicamenta adhibet, quæ ad neceſſitatem pertinent, ſed etiam multas addit delicias. Facit etiam quod agricolæ, qui firmioribus iam plantis nihil pene operæ impendunt, infirmiores autem arbuſculas tum crebro irrigant, tum etiam fulciunt, & obſepiunt. Talis enim, ac multo etiam maior eſt Domini benignitas in ſuos, quam ipſemet *Matt. 9* profeſſus eſt, cum dixit, non eſſe opus valentibus medico, ſed male habentibus.

De

De eo quod quidam obiiciunt in religione eſſe multa aſpera.

CAPVT XVI.

Phil. 3. NOn ſolum animales homines, qui terrena ſapiunt, vt ait Apoſtolus, multa in religioſo ſtatu quaſi difficilia, & aſpera exhorrent, ſed ipſamet huius diſciplinæ facies, & primus aſpectus oculis corporis quiddam triſte, & durum, ac ſenſibus odioſum repræſentat. Quod niſi eſſet, meo quidem iudicio, nemo inueniretur, qui non libentiſſime & auidiſſime ad hæc inſtituta accurreret, quibus ſe & æternæ ſalutis gloriam, & præſentis vitæ tranquillitatem, curarumque omnium vacuitatem adipiſci videret. Verum illa, quam dixi, aſperitatis ſpecies tantum poteſt, vt ea plerique perterriti has tantas vtilitates tantis, quas ſibi fingunt, moleſtiis emendas non putent. Quare cum nulla ferme maior ſit dæmonis machina ad hæc tam ſalutaria conſilia diſturbanda, magnum omnino operæpretium fore videtur, ſi hoc tentationis genus penitus conuellatur. Eſt autem duplex via ad id conuellendum: primum vt fateamur, atque etiam gloriemur, aliqua hic eſſe paulo difficiliora, & duriora. Quæ enim eſſet hæc vita, ſi in voluptatibus tota duceretur, ſi nihil in ea patiendum occurreret, ſi nulla vnquam moleſtia aſpergeretur, nihil plane ſentiretur, quod diſpliceret? Si enim ita eſſet, quid haberet laudabile? quid eſſet, in quo virtus, in quo fortitudo, patientia, caritas exerceretur? denique quæ eſſet materia vel meritorum, vel gloriæ acquirendæ? Eſt igitur potius magna laus inſtituti religioſi, quod aliquid habeat, quo virtutem exerceat, exercendo augeat, auctam autem remuneret. Sed tamen ne quis hanc ipſam difficultatem, quamquam adeo, vt diximus, vtilem, ac ſalubrem, nimium pertimeſcat, ſciendum hoc eſt, quicquid eſt difficultatis, ita molliri, condiri, temperari, vt appareat quatenus valet ad meritum, non appareat quantum attinet ad laborem. In quo certe nunquam ſatis admirari, ſatiſque amare poſſe videmur illam Dei ſapientiam, ac bonitatem, quæ duas res adeo contrarias, vt non magis diſſidere poſſint, tamen ob noſtras vtilitates incredibili quodam nexu deuinxerit, ac cōciliarit. Nā ſi hæc vitæ degendæ ratio leuis, ac procliuis eſſet, quid ei, vt dixi, præmij deberetur? Sin valde grauis, & laborioſa, quis ferre poſſet, præſertim in tanta humanæ naturæ imbecillitate?

imbecillitate? Igitur ille hominum amator, & custos ita vtrumque commiscuit, vt & res per se omnium grauissima, maximéque esset ardua, & tamen tantis támque mirificis condimentis mitigaretur, vt eadem esset suauissima, & iucundissima: quod ipse Dominus demonstrauit, cum seruitutem suam oneris, atque iugi nomine expressit, sed ita, vt hoc iugum suaue, hoc onus leue appellaret. *Matt.11.* Verum de hac difficultate illud primum cogitandum, & tenendum est, quęcumque ea est in Dei obsequio, non ex ipsius natura prouenire, quod nimirum cum rationi valde congruat, sequitur vt etiã valde congruat homini ratione prædito. quare nihil est quod repugnet, præter carnis, appetitúsque corruptionem. Cum igitur altera nostri pars condelectetur etiam, vt ait Paulus Apostolus, legi Dei, non dubitandum est, si hæc, vtpote superior, ac nobilior, sese intenderit, studiúmq; ac diligẽtiam adhibuerit, quin alteram illam partem, quæ inferior est, & ad obediendum facta, in officio continere possit. *Rom.7.* Primum quia ipsa nostra industria, ac conatus ille, ac studium, quod dixi, magnam vim habet; quod etiam veteres illi philosophi cognouerunt, è quibus vnus, Nihil est, inquit, tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio, nullíque sunt tam feri, & sui iuris affectus, vt non disciplina perdomentur. *Sene.lib. 2. de ira cap.12.* Quodcumq; sibi imperauit animus obtinuit. Quidam ne vnquam riderent consequuti sunt. Vino quidam, alij venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Didicerunt alij tenuissimis, & aduersis funibus concurrere, & ingentia onera, víxque humanis viribus toleranda portare, & in immensam altitudinem mergi, & sine vlla respirandi vice perpeti maria. Alter autem philosophus aptissime omnino ita scribit, eos qui se morum disciplinæ tradunt, initio fortasse in hæsitationes & errores, atque labores incidere, vt ij faciunt, qui patria terra relicta, nondum eam, quam petunt, videntes, solicitudine anguntur; breui tamẽ omnia facilia, plana, & expedita reddi exercitatione ipsa, & illato, vt ipse ait, in philosophandi conatum lumine, ac splendore. *Plut. lib. de profe. virt.*

Atque hæc quidem, quæ hactenus diximus, quoniam ex consuetudine, & ex habitu proficiscuntur, ferme naturalia sunt. Quid igitur erit, si ad naturam gratia etiam accedat, cuius tanta vis est, vt hominem plane commutet, & trãsformet in alterum, &, quod est apud Prophetam, nouum infundat spiritum, & pro corde lapideo carneum, & tenerum reponat? De *Ezec.11.*

Pſal. 67. hac enim gratia illud quoque eſt in pſalmis, Dominus dabit virtutem,& fortitudinem plebi ſuæ. Item, Benedictus Dominus Deus meus,qui docet manus meas ad prælium,& digitos meos ad bellum. Et illud aptiſſimum in alio Propheta. Qui ſperant in Domino,mutabunt fortitudinẽ: aſſument pennas ſicut aquilæ,current,& non laborabunt,ambulabunt, & non deficient. Quid enim amplius deſideremus? Non modo pedes ad currendum per hanc viã,ſed alas promittit ad volandum,vt quod etiam additur,non deficiamus, ac ne laborem quidem. At vero alter Propheta quomodo exultat,& triumphat, non in ſe, ſed in Domino? Deus,inquit,Dominus fortitudo mea. Vt enim aëris lumẽ eſt ſol,nec multũ intereſt, vtrũ hoc lumen innatum ei ſit,an à ſole mutuatum, modo, ita ei promptum ſit,ac ſi eſſet innatum,ſic nos Dei viribus vtimur, ac ſi eſſent noſtræ,ideóque ipſe eſt fortitudo noſtra. Quid autem hæc eius fortitudo in nobis efficit? Ponet, inquit, pedes meos quaſi ceruorum, vt impigre,alacriter,& ſine fatigatione currant,neq; ſolum in infimis,& in planitie,vt ſolent vulgares homines,ſed ad ardua quæq;, & difficilia: addit enim, Et ſuper excelſa deducet me victor in pſalmis canentẽ. Ille ergo pro nobis pugnabit, ille nobis vincet,& profligabit hoſtem,nóſq; in hac via deducet non laborantes, ſed in pſalmis canentes; quod perpetuã lætitiam,& gratiarum actionem ſignificat. Admonet me hic locus, vt prætereundũ non putem, quam aliquando vim hoc ipſum Prophetæ huius dictum habuerit in Andrea Spinula, antequam Societati huic noſtræ nomen daret. Is enim cum prouectiori iam ætate,nempe, vt ipſemet humili quodam ioco de ſe queri ſolebat, triginta, & octo annos habens in infirmitate,de ſeculo relinquendo deliberaret, atq; in partem contrariam,tum valetudinis imbecillitas,tum deliciarum conſuetudo,familiæ nobilitas,dignitatis,quam in Eccleſia gerebat,amplitudo, denique diſciplinæ difficultas, & multæ aliæ rationes quaſi agmine facto ad terrorem ei ſeſe offerrent, repente Dei bonitas hunc ipſum, quem diximus, verſiculum eius menti obiecit, Ponet pedes meos quaſi ceruorũ;eóque verſiculo,tãquam lumine quodã oborto, ita illuſtratus eſt, vt quemadmodum ipſe narrabat, omnes illæ timidæ, ac diffidentes cogitationes momento euanuerint,íſque animo penitus confirmato,ac conſtanti aduerſus illa omnia incõmoda permanſerit. Et quidem id breui etiam re ipſa expertus eſt. Nam cum antea adhuc ſecularis, quoties noſtrorum menſæ intereſſet, quod amicitiæ cauſa nonnun-

Pſal. 17. Pſal. 40. Abac. 3.

nonnumquam faciebat, multa fastidire soleret, vtpote delicatioribus epulis, argenteq; suppellectili, & exquisitæ cuidam munditiæ assuetus domi suæ, idem deinde Societatem nostrã iam ingressus, cum primum ad communem mensam venit, omnia ei visa sunt longe alia, quam prius viderentur, mantilia niditissima, patinæ, atque orbes quasi ex argento, ipse vero locus totus optimo odore fragrans; ita vt nihil apud se dubitarit, quin illa omnia præter nostrum morem parata essent Rectoris iussu, ad suam videlicet infirmitatem extraordinariis eiusmodi delitiis releuandam. Itaque & tum de hoc cum Rectore questus est serio, & postea suum hunc errorem sæpius ipsemet amicis familiariter narrauit. Hoc ergo promissum Spiritus sancti, quod in eius animo tantum pondus habuit, idem pondus apud omnes habere debet, ac vel solum sufficere ad cuiusuis infirmitatem roborãdam. Quamobrem, vt illuc redeamus hoc facit Dei gratia, vt quicquid est in religione asperum, ac durum, id ita emolliat, vt omnem asperitatis sensum adimat, ac potius dulce efficiat, & amabile. quod quidem numini mirum videri debet. Etenim si quædã sunt artes, quæ vel cucurbitas omni sapore carẽtes, vel, quod plus est, poma adhuc immitia, acrique & acerbo succo prædita, tamen admixto melle ita condiunt, vt fiant suauissima, an nullam eiusmodi artem in Christiana sapientia esse putabimus ad mitigandas difficultates carnis, & sensus? Immo vero hoc etiam facilius, quoniam totum in animo positum est, qui si confirmatus fuerit, nihil ei graue, omnia leuia videbuntur. Quare vt hoc etiam sit euidentius, quando tam magni est momenti, videndum nobis est, quodnam artificium, quásve rationes habeat religio ad has difficultates, vt diximus, condiendas, vt ex amaris etiam dulces fiant: multos enim habet modos certos, & efficaces. Primus autem ille est, quod proposita præmij cœlestis, quod eiusmodi laboribus debetur, magnitudine, iucunditate, æternitate, eius amorem in nobis accendit, quo accenso, nullus est tantus labor, qui labor videatur. De quo optime, & vberrime S. Augustinus sermone quodam, vbi multa hominum in rebus humanis exempla adhibet, vt eorum qui secari se, & vri patiuntur, vt paucos, eósq; incertos vitæ dies prorogent, vt militum, & venatorum tantos labores, & pericula etiam subeuntium, exiguæ mercedis, vel delectationis spe: ex quibus denique ita concludit. Quanto ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinem caritas facit, quod ad miseriã quantũ potuit, cupiditas

Serm. 9. de verb. Dom.

Q q 2 ditas

ditas fecit? Quam facile toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur? Hæc Augustinus, & plura; quæ eadem & intellexisse,& vno verbo expressisse videtur magnus ille Franciscus, quem ferunt, cum aliquando carnalis frater, & vere carnalis, aspexisset in summa hyeme seminudum, horrentémque frigore, & ad eum misisset, qui per ludibrium amariori quodam ioco, quam fratrem deceret, ab eo peteret, vt sudorem sibi drachma venderet, respondisse lætum, Dic fratri meo, me iam totum Domino meo vendidisse, & quidem ingenti pretio. Quin idem etiam post aliquot annos, cum grauissimis, continuísque doloribus,& insuper nouis à dæmone molestiis ita cruciaretur, vt nullæ iam hominis vires ferre posse viderentur, emissa est ad eum vox de cœlo, qua gaudere iubebatur, quoniam per eas tribulationes tantum sibi thesaurum acquireret, cui nullus in terra comparari posset, etiamsi tota terra in aurum, omnes lapides in gemmas, omnes aquæ in balsamum verterentur. quo ille audito ita recreatus est totus, vt iam non sentiret dolores, statímque fratribus præ gaudio aduocatis, narrauit quod de cœlo solatium accepisset. Quem igitur laborem; quámve molestiam religionis non mitigabit hæc cogitatio, si in Francisco tantos támque diuturnos cruciatus, tam subito mitigauit, ac depulit?

Ser.33. Cant. Concludendum est igitur cum Bernardo timorem hunc, qui vt ipse ait, nostræ conuersionis primordia exagitat, quémque statim intrantibus horror vitæ arctioris,& insuetæ disciplinæ austeritas ingerit, esse timorem illum nocturnum, de

Psal.90. quo est in Psalmo quem ideo nocturnum vocari docet, quoniam si dies ille luceret, in cuius lumine pariter & labores,& præmia videremus, timor omnino quorumuis laborum nullus esset præ desiderio præmiorum, dum clara luce appareret, quoniam non sunt condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nunc vero, inquit, quoniam absconditа sunt ab oculis nostris, & nox interim est in hac parte, tentamur nimirum à timore nocturno, & pro bonis, quæ non videmus, formidamus præsentia mala tolerare,

Hoc est igitur, vt diximus, primum remedium, & quasi fomentum eorum incommodorum, quæ sunt in vita religiosa. Alterum est huic proximum ex spiritualibus solatiis, quorum est hic tanta copia, quantam supra diximus. Itaque idem euenit,ac si tantulum aquæ in amplissimum optimi vini

dolium

dolium immittatur: sic enim quicquid est in hoc statu molestiæ, ita obruitur suauitatis abundantia, vt nihil nisi dulce sentiatur. Quo pertinet illa Bernardi sententia, qui ad Apostoli locum alludens, tum hanc ipsam, tum alias vtilitates perstringens, sic ait. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur; non ad præsentem consolationis gratiam; quæ immittitur, non ad futuram gloriam, quæ promittitur. Denique nulla est tanta amaritudo, quam non prophetica farina dulcoret, quam non sapidam reddat sapientia lignum vitæ. Atque hoc etiam eo facilius est factu, quod hæ religiosorum molestiæ quæcumque sunt, si recte cogitemus, minimæ omnino sunt, & in rebus minimis. Nam maiores illæ, quas coniugium, quas casus aduersi, vel offensiones famæ, aut rei familiaris in secularem vitam inferre tam frequenter solent, ab hac quidem vita longissime absunt. Accedit his omnibus Dei bonitas, & clementia, quæ vt Danielis ob eius cultum in ferarum caueam coniecto, tam longe prandium misit, ita quo plus ærumnarum eius amore pertulerimus, eo plus gaudiorum spiritualium infundat. Hæc est enim regula, hic Dei mos, vt ex vnius mensura ac modo, alterum quoque metiatur: quod se expertum Dauid profitebatur illo loco, Secundum magnitudinem dolorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Quod certe diuinæ pietatis institutum ita ordinarium, perpetuúmque est, vt id in multis religiosis etiam miracula declararint, vt in Rabaudo principe viro in Gallia, quem illustri miraculo ad religionem vocatum accepimus. Hic enim cum religiosæ vitę asperitatem, vtpote lautiori vitę assuefactus, grauiter ferre cœpisset, Abbas quidem, qui tum erat, nomine Porcarius, indulgentia quadam, separatos ei cibos paulo commodiores præberi iubebat, quibus tamen ille quo magis vtebatur, eo in dies tenuior, graciliórque fiebat. Itaque accidit, vt quadam die dum fratres reliqui communi mensa, arido scilicet pane, & fabis vescerentur, videre sibi visus sit duos senes, alterum caluum, cui binæ claues è collo pendebant, alterum habitu monachum, qui christallinam pixidem manu gestabat. Hi toto cœnaculo circumeuntes, vnicuique monacho nescio quid edulij è vase illo impertiebant, Rabaudum solum ita prætereuntes, vt etiam seuero, ac potius subirato vultu eum intuerentur. Ille tamen ex eius, qui proxime assidebat, portiunculæ aliquid suffuratus, vt illud gustauit,

Ad clericos. c. 38.

Psal. 93.

visa est illi eius suauitas omnium ciborum, quos vnquam in vita sua, etiam seculari, comedisset, suauitatem longe antecellere. Quod visum cum ter iam contigisset, ad Abbatem accessit, diligenter inquisiuit, quinam essent hi duo senes. Intellexit Abbas facile, alterum eorum Petrum Apostolum esse, in cuius tutela erat monasterium, alterum autem Honoratum monasterij auctorem, causam autem cur ipsi vni communis illa esca negaretur, eam esse, quod communem aliorum seueritatem non sequeretur: quod audiens Rabaudus animo confirmato ad omnem eius vitæ disciplinam perferendam, multo eam faciliorem, & leuiorem reperit, quam antea putasset, ac paulopost eosdem Sanctos vidit, qui sibi quoque, perinde ac alijs de illo tam suaui cibo tribuerent, quo incredibiliter ad omnẽ laborem, ac duritiam confirmatus est. Idem pene contigit Andreæ Virdunensi Archidiacono, diuiti, & valde nobili, quin in ipsis ferme Cisterciensis familiæ initijs institutum illud magnum feruore suscepit. Sed tamen cum Satanas idoneam materiam nactus tentationis ex corpusculo tenui, & nimis delicato, ita eum oppugnaret, vt iam vix sustineret, die quodam hanc ei diuina bonitas medicinam fecit. Accumbenti in mensa apposita sunt pro more legumina, quod cibi genus ille præ ceteris maxime fastidiebat. Verum fame compulsus, vt repugnanti stomacho vim faceret, sumpsit tandem aliquid, quod vbi ore attigit, tantam sentire visus est suauitatem, vt nunquam simile aliquid in vita sua expertum se esse recordaretur. Itaque residuo quod erat auide exhausto, deinde ad Abbatem adit, nihil dubitans, quin suæ patinæ proprium aliquod additum esset condimẽtum. Vt autem comperit, plane fuisse commune ferculum, in quo videlicet nihil præter aquam, & salem ad condiendum adhiberetur, intellexit statim diuinam erga se prouidentiam, & gratias agens, in religionis proposito confirmatus est, eoque magis quod postera etiam, ac tertia die, & deinceps multo tempore eandem suauitatem in eiusmodi cibis persensit, vt postea dicere soleret, se iam magis delectari pisis, atque oleribus, quam antea altilibus, & nobilibus eiusmodi epulis. Sed hoc vtrumque vnius fuit, illud vniuersæ familiæ, quod in vita sancti Bernardi legimus, recenti adhuc Clareuallensi cœnobio, cum tam seuere vita duceretur, vt non alio pane, quam fere terreo vescerentur, ac reliquus quoque victus & supellex, & domus, omnino pauperrima essent, ita tamẽ omnes sine murmuratione, immo vero cum

tanta

tanta delectatione omnia ferre solitos, vt illa ipsa delectatio non modicum eis scrupulum, dubitationemque iniecerit. Nam cum iucundius (sic enim scribitur) viuere sibi viderētur in eremo, quā antea vixissent in seculo: suspectos se ipsos habere cœperunt, ne per aliā viā reducerentur in regionem suam: donec ea quæstione ad Bernardum prius, deinde ad Catalaunensem Episcopum, qui tunc apud eos hospes diuersabatur, delata, longa, & accurata oratione edocti sunt, esse id Dei donum, ac beneficium, minimeque respuendum. Ex quo apparuit quid possit habitus, & mos, Dei præsertim gratia adiutus, quando hoc effecit, vt tam rigida vita in tanta hominum multitudine ita suauis esset, vt etiam scrupulum in eorum animis moueret, ne nimis voluptuose viuerent.

Cum igitur talia à Deo parata sint nobis præsidia, quis dubitare possit, ne nimium aspera sit eiusmodi disciplina, nec eam etiam cum gaudio ferre possit? Quamquam quid nos ista tam multis disputamus in religionis defensionem, quasi seculares homines, quorum comparatione hæc in religiosam vitam obijciuntur, nullis ipsi molestijs premantur, nullos angores sentiant? Immo vero horum etiam & multo maiores sunt labores, solicitudines, ærumnæ; non dico iam inopum, ac pauperum, aut mediocrium quoque, in familia alenda, in tuendis liberis, sed eorum, qui vulgo putantur, quorum interior vita maximis, & maximarum rerum angoribus referta est. Itaque tum multo maiores sunt huius vitæ dolores, tum etiam diuinorum illorum solatiorum expertes, quibus qui carent, propemodum in inferno degere dixerim. Nostræ autem molestiæ quid simile habent? omnes ex caussis leuissimis, quas vel remouere, vel cōtemnere, vel ridere, vel si ita oporteat, vel expediat, etiam amare, atque complecti facillimum sit. Ergo ex vna parte omnis tribulationum, ac molestiarū materia in religioso statu exigua, ac fere nulla est, ex altera vero parte adeo abundant in eo cō solationes Christi, vt vel si maxima, & grauissima esset, facile tamen mitigari possit. Præclare ergo Bernardus, qui quod in ecclesijs dedicandis rite obseruari solet, vt pictæ cruces oleo sacro inungantur, idem ait in religiosorum animis per gratiam fieri. Nam, inquit, necesse est vt vnctio spiritualis gratiæ adiuuet infirmitatem nostram, obseruantiarū, & multimodę pœnitentiæ cruces deuotionis suæ gratia leniēs: quia nec sine cruce sequi Christum, & sine vnctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est quod multi abominātur, *Ser. 1. dedic. Eccles.*

 & fugiunt

& fugiunt pœnitentiã, crucem quidẽ videntes, sed non vidẽtes vnctionẽ. Vos, qui experti estis, ecce scitis, quia vere crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adiuuantis suauis, & delectabilis est pœnitentia nostra, & vt ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. Quam sententiam idem Bernardus alibi vberius tractans, religiosi cuiusque animam, quippe intus formosam, foris humilem, & despectã, veteri illi tabernaculo similem esse differit, quod cum interius inauratum esse totũ, foris tamen saga tantũ cilicina, & pelles arietum ostendebat: quod tegumentum etsi adeo vile, tamen vt tabernaculo cõmodum erat ad pulueris, imbriumque iniurias depellendas, sic istam ait religiosi externam humilitatem interiorem eius gloriã conseruare; vt vnaquæque eiusmodi anima de se verissime dicere possit, Nigra sum, sed formosa. Affert etiam exemplum Isaac, qui cum immolandus esset, non ipse tamen, sed aries pro eo immolatus est, ipse autem vixit, & lætius vixit, confirmata spe tantæ posteritatis. Sic enim etiamsi religiosi se ipsos gaudio priuare videatur, tamen non perire gaudium, sed contumaciam, & vitium, cuius nimirum cornua vepribus hærentia indicant, numquam sine anxietatis aculeis esse posse. At vero Isaac viuens, inquit, viuet, & eleuatus super ligna, vt in sublime gaudens, nec in carne propria, sed in cruce Domini glorieris. Hæc nimirum conuersatio perfectorum, hæc sanctorum vita, hæc gratia spiritualis. Denique tamquam tristes, inquit, semper autem gaudentes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes, tamquam morientes, & ecce viuimus. Simillima sunt, quę Abbas Abraham differit apud Cassianum. Pie, inquit, ac fideliter seruientes, cum tulerint iugum Domini super se, & didicerint ab eo, quia mitis est, & humilis corde, iam quodammodo terrenarum passionum deponentes sarcinam, nõ laborem, sed requiẽ animabus suis Domino præstante reperient. Fient namque eis continuo praua in directum, & aspera in vias planas, & gustantes videbunt, quoniam suauis est Dominus: audientesque Christum in Euangelio proclamantem, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, depositis ponderibus vitiorum, ea quæ sequuntur, intelligent, Quia iugum meum suaue est, & onus meum leue. Et reuera si comparare volueris splendẽtem virginitatis florem: & suaue olentem castimoniæ puritatem tetris, ac fœtidis libidinũ volutabris, quietem, securitatemque monachorum periculis & ærumnis, quibus mundi huius homines implicantur, pau-

Ser. Ecce nos reliq.

Canti. 1.

2. Cor. 6.

Coll. vlt. c. 25.

pertatis

pertatis nostræ requiem edacibus diuitum tristitiis, ac peruigilibus curis, quibus nō absque summo vitæ periculo diebus, ac noctibus consumuntur, suauissimum iugum Christi, onusque leuissimum facile comprobabis. Hæc Cassianus. Vbi igitur illa asperitas, vbi illæ molestiæ, quas adeo Satan ad homines perterrendos augendo exaggerare solet? An non potius omnia ita plena suauitate, vt ipsorum, quæcumque sunt, incommodorum sensum omnem, aut pene omnem auferat? Quamobrem perstringamus omnia breuissime. Vt enim si quis magnam aliquam haberet sarcinam, quæ tamen alterius humeris deferretur, ipsius quidem esset vtilitas tota, labor autem totus alterius: ita in hoc onere religiosæ disciplinæ, præmium quidem nostrum est, molestia autem propemodum nulla; quoniam alius est, qui pro nobis id gestet. Testatur hoc Paulus, qui cum multa incommoda, multasque tribulationes suas commemorasset, paupertatis, nuditatis, peregrinationum, persequutionum, adiunxit ad extremum, Non ego autem, sed gratia Dei mecum, quasi hoc cognoscēs, atque etiam aperte prædicans, non illa à se, sed à Deo in se perfecta Optime ergo Bernardus, qui suorum fratrum, quos alloquebatur, labores connumerans, & quotidianas mortificationes, in ieiuniis multis, in sudoribus frequenter, in vigiliis supra modum, præter ea, quæ intrinsecus sunt, contritio cordium. & multitudo tentationum, addit, minime quidem eis expedire, vt hæc ita grauia, & onerosa minuantur, quoniā si pœnitentia minuatur, eorum corona paulatim gemmis priuaretur, quam ille miserationem crudelem appellat, siquidem modica sementis detractio non modicum messis est detrimentum. Quod igitur remedium? Vt retineatur labor, & tamen hic labor dulcescat diuina dulcedine. Quoniam, inquit, si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, vt in eo delectetur anima, quæ in his renuit consolari. Apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio magna quędam consolatio poterit inueniri. Nonne enim certū est, supra vires humanas, vltra naturam, cōtra consuetudinē esse quæ sustinetis? Alius igitur portat ista, ille sine dubio, qui secundum Apostolum portat omnia verbo virtutis suæ. Quid igitur timendum nobis, si adest, qui portat omnia? Hactenus Bernardus. Quamobrem nemo oculos ita assuefacere debet, vt externa tantummodo, quæ sunt in religione asperiora, intueatur, sed vt dulcedinem intus latentem perspiciat, & ad istam ipsam asperitatem leuiter, ac molliter perferendam

1. Cor. 15. *Qui habitat. in præm.* *Heb. 1.*

tantam sibi gratiæ copiam affuturam sciat, vt quicquid est durum,& graue,multis partibus superet.præsertim vero vsu, ac consuetudine adiuncta, quæ & laboris sensum, tamquam callo obducto, imminuit, & in ipsius virtutis suauissimam
Ep 39. familiaritatem inducit. Quam familiaritatem S.Augustinus aptissime amplexum vocat,eiusque vim ita describit.Sapientia, inquit,quos alligauerit, & exercitatoriis quibusdam laboribus edomuerit, soluit postea, liberatisque sese donat ad fruendum, & quos primo temporalibus nexibus erudiuerit, post æternis amplexibus alligat. Quo vinculo nec iucundius, nec solidius cogitari quicquam potest.Prima hęc aliquantulum dura confiteor,illa vero vltima nec dura dixerim, quia dulcissima sunt, nec mollia, quia firmissima. Vincula vero huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam,incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem,rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. His tu ne inferas collum,& manus, & pedes.

De eo quod obijcitur,religiosos priuari delectationibus huius vitæ.

CAPVT XLVII.

HIs iam expositis, facile est respondere ad aliam religiosi status accusationem, quod ea omnia eripiat,quæ sensibus & carni iucunda sunt. Nam etiam illo posito,quod adhuc satis confirmatum est, nullam esse sub cælo viuendi conditionem, quæ ad spirituales delicias fruendas ita apta sit,potest tamen aliquem fortasse mouere, quod non etiam carnis delicijs fruiliceat, sine quibus hominis lætitia manca, & quodammodo claudicans videatur. Etenim cum sit in nobis duplex illa natura, corporis, & animi, non desunt qui existiment, non satis bene esse sibi posse, si animus tantum epuletur, carne, vt ita dicam, ieiunante: quod illos eo etiàm magis commouet, quoniam animi delectationes subtiliores sunt,& tenuiores,neque ita facile percipi possunt,carnis autem crassiores, & quæ oculis ipsis pateant, vt qui illas habeat,nihil pene tenere, qui has habeat, is vero felix à plerisque existimetur.Itaque hoc tentationis genus in veteribus Hebræis expressum mihi videtur,quibus cum manna de cælo adeo abundanter mitteretur, vt loca omnia late compleret,idque nullo ipsorũ labore, præterquam colligendi, esset autem cibi genus ita suaue,vt esse oportebat quod Angelorũ

manibus erat cōfectum,quid tamen dicebat,& quid querebatur vulgus illud ignarum, ac rude? Nauſeat,aiebant,iam anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo. Nimirum ad ollas Ægyptiarum carnium ſuſpirabant, quæ quoniā ventrem diſtendere cōſuerant,eas homines carnales cæleſti eſcæ perferebant,cuius leuitatem faſtidiebant. Ergo ad hunc errorem, ac dementiā ſanandam conſiderandū eſt, hoc totum incommodum,de quo nunc loquimur,ex eo pendere, quod ita homines exiſtiment, qui has corporis voluptates non habeat, cum aliquo bono carere. Hoc autem carendi nomen ſi ita accipiatur, vt prima eius ſpecies ſonat, triſtitiam quandam importat.Habet enim eam vim, vt aliquid deeſſe ſignificat, quod deſideretur,& quod requiratur:quod tamen non ſemper ita eſt. Multis enim rebus ſæpè caremus, quibus neque indigemus,& quorum deſiderio non mouemur. Caret enim homo cornibus,caret plumis,aut ſquammis,& aliis,quæ alia quædam habent,neq; tamen ea deſiderātur, aut quia deſint, propterea nobis male eſſe putamus. Totum igitur poſitum eſt in deſiderio; & ideo qui non deſiderat,non caret. Itaque honorum quidem,vel diuitiarum cupidi, ſi ea non habeant, ijs moleſtum eſt carere,qui verò illa non concupiſcunt, etiā ſi careant, non poſſunt dolere. Immo verò illud etiam amplius ſequitur,vt multo iucundius ſit,non cupere, quā cupere,& frui:quod ex eo apparet,quoniam illi ipſi, qui quaſcunque voluptates auide,& rabide appetierunt, ijſdem cum expleti,& ſatiati fuerint, iucundius eſt ab ijs abſtinere. Quanto ergo melius eſt,quod ſero iſti faciunt,id mature facere,& quod illis vitioſa ſaturitas affert,conſilio & virtute anteuertere? Quamquam ne hoc quidem illis concedendum eſt, vt æqualis ſit in vtriſque ſatietas. Nam ſi de explenda cupiditate agatur,in quo omnis felicitas conſiſtere videtur,multo id perfectius faciunt qui nihil concupiſcunt,quā qui potiri ſunt eo,quod cōcupierunt. Hoc enim inter cetera etiam religioſæ vitæ cōmoda cōmemorat Chryſoſtomus.Eſt enim,inquit, quemadmodū ſi quis ita ſiti ardeat, vt antequā vnum calicē hauſerit,alium atq; aliū poſtulet,atque vt multū bibat,ardorem tamen extinguere nequeat, certè quantūuis ei ſuppetat aquæ ad bibendum,non ideo beatus eſt,ſed is potius,qui hac ipſa neceſſitate bibendi liber nullā ſentit ſitim,nec ad bibendum vlla ex cauſa adigitur:nam alter ſimilis eſt ei,qui æſtu, febrique iactetur, alter vera ſanitate ſanus, atque integer eſt. Atque hoc quod Chryſoſtomus ratione, idem exemplo ſuo

Nu. 21.

Lib. 2. con. vitup. vitæ mon.

6. Conf. cap. 6. ſuo cōfirmat Auguſtinus, vbi inter ceteros ſecularis ſuæ vitæ errores hoc quoq; cum dolore narrat, cum adhuc ambitioni, & lucro inhians, quodam die neſcio quam orationem de Imperatoris laudibus habiturus per vrbē iret, cogitationū, vt ipſe ait, tabificarum febribus æſtuans, forte mēdicum aduertiſſe hilariter locātem, & lætum; quo viſo ingemuiſſe ſe, & cum ſequentibus ſe amicis, multa loquutū de ſua inſania, qui ſub ſtimulis cupiditatum traheret infelicitatis ſuæ ſarcinam, & trahendo exaggeraret, ex qua nihil aliud quæreret, quam ad ſecuram lætitiam peruenire, quo iam mendicus ille perueniſſet, ipſe autem numquam fortaſſe eſſet peruenturus. Quod enim ille pauper paucis emēdicatis nummulis adeptus erat, vt animo gauderet, & lætus eſſet, ad illud ipſum ſe tot ærūnoſis anfractibus aſpirare. Hoc igitur, quod Auguſtinus de paupere iſto, idem, ſed multo verius, multoq; honeſtius de religioſo ſtatu dici poteſt. Quæ enim cauſa eſt, cur voluptates iſtæ ab hominibus expetātur, niſi vt in ijs lætētur, & gaudeant? At religioſi hoc iam habent, vt gaudeant, ſed ex alijs melioribus, ac nobilioribus cauſis, quā ex voluptatibus iſtis; quo fit, vt cum eas non deſiderēt, ne triſtari quidem poſſint, quod eas non habeant. Deinde quid habent terrenæ iſtæ delectationes, cur tantopere amari, & quæri debeāt? Mitto iam quæ damna in animam, & quas clades inuehant, vtque indignæ ſint hominis præſtantia, & communes cum belluis. tantum illud ago, quod hic agimus, de ipſius voluptatis titillatione. Quid tandem adeo magnū eſſe poteſt in his rebus caducis, & fluxis & omnino ex terra compoſitis, vt tanti earū fructus æſtimetur? Quid enim eſt iſta magnificentia, & ſumptus epularum, quid ſpectacula, quid horti, vel aurati currus, aut famulorum agmina, vt non dicam ſanctum hominē, ſed mediocriter ſapientem, magnopere tenere debeant? præterquam quod ſi, vt ante diximus, id agimus, vt gaudiū, & oblectationem ex his rebus quæramus, non id in ſaturitate, ſed potius in ipſa temperantia, & ſobrietate poſitum eſt, ijs præſertim adiunctis tam multis condimentis, quæ religioſam paupertatem conſequuntur, quæ ita abſunt à diuitū deliciis, vt hæ infinitis moleſtiis aſperſæ ſint. De quo illud aptè dictū

Pro. 15. eſt in prouerbijs, Melius eſt vocari ad olera cum caritatē,

Pro. 17. quam ad vitulum ſaginatum cum odio. & alio loco: Melior eſt bucella ſicca cum gaudio, quā domus plena victimis cum iurgio. Denique illud etiam ſciendum eſt, iſta corporis oblectamenta non tam in religione relinqui, quam in melius aliquid

quid commutari. Nam cum animus in Dei vberrimos fontes incidat, tum deinde tam multa vasa habet ad hos fontes hauriendos, quot antea diximus esse in religione solatiorum genera: hæc autem solatia, atque hæ suauitates non in animo solo permanent, sed ex abundantia quadam redundant etiam in ipsum sensum, & in appetitum, & in corpus propter vtriusque propinquitatẽ,& nexum eiusmodi, vt non possit esse maior. Hanc enim ob causam dictum est à Propheta, Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. & à Sapiente in Prouerbijs, Animus gaudens ætatem floridã facit, spiritus tristis exsiccat ossa. Vt enim animi tristitia ipsum etiam corpus confici videmus, sic cõsequens est, vt animi lætitia cum eodem quoque corpore, quatenus quidem capax est, communicetur. Quod cum ita sit, num dubitari potest, vtro in loco melius, ac iucundius ipsi corpori futurum sit, in religione, an in seculo? Non habet in religione epulas,& saltationes,& cõuiuia, aut venationes. At vero multo maiora,& pretiosiora habet, quæ ex superiori animi parte ad hanc inferiorem delabuntur, eodem modo, quo in magna domo cum paterfamilias nuptias celebrat, etsi ad illũ vnum nuptiæ pertinent, reliqua tamen domus, & famuli ipsi eius festiuæ lætitiæ participes sunt. Ita igitur fit, quod dixi, vt religiosi ne corporis quidẽ oblectatione priuentur, sed eam, quę vilis, terrena,& breuis, semperque vel curarum stimulis, vel conscientiæ morsibus infesta, & inquieta est, cum ea commutent, quæ & honesta, & permanens, & hoc ipso iucundior est, quo vtrique hominis parti, & toti eius naturæ conuenientior.

Psal. 83.
Prou. 17.

De tentationibus, quas aliqui obijciunt in religione multas esse.

CAPVT XVIII.

ALij sunt qui contra religiosam vitam illud ex scriptura sancta afferunt, Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & tremore, & præpara animam tuam ad tentationem. Qua denunciatione ita terrentur, quasi inter assidua prælia viuendum semper sit. Itaque satius esse putant, pugnam declinare, quam hostem irritando, vltro se in periculum coniicere. Quibus sane hoc primum respõdemus, Scripturam, quando eius auctoritate nituntur, cum de futuris in Dei seruitio tentationibus nos admoneret, non tamen id consilium dedisse, vt propter eas tentationes hanc Dei serui-

Eccles. 2.

tutem

tutem refugeremus, sed potius, vt multo ante illud certaminis tempus meditantes, nos ad illud & animo, & armis instrueremus, tum alijs, tum præsertim ijs, quæ ibidem nominantur, timore, & tremore. Ea enim est veluti cos industriæ, ac diligentiæ totiusque virtutis. Nam milites quoque huius mundi tametsi futurum sciunt, vt sæpè ad manum cum hoste veniant, non idcirco militiam deserunt, quin potius ideo militiam susceperunt, vt cum hoste congrederentur; quoniam nec nisi pugnent, victoriam, nec nisi vincant, coronam, & præmium se adipisci posse vident. Quamquam hoc etiam amplius est, quod in eo genere belli, quod inter homines geritur, si quis domi sedeat, licet ei securo esse, & quieto, nec cum hoste ferè dimicat, qui non ad exercitum, & ad castra se conferat. At vero nostrum hoc bellum nemo, etiam si velit, subterfugere potest. Sunt enim dæmones communes omnium hostes, omnibus insidiantur, omnes vltro inuadunt, non religiosos tantum, sed seculares etiam, atque hos quoque multo magis, quo plura in eorum vita patent ipsorum telis, & illi magis improuidi. Quapropter non religio inimicum in te immittit, quem prius non haberes, sed quem prius habebas, & quem omnes habent, ei vt repugnare, atque etiam vt ipsum oppugnare valeas, arma tibi, & vires, animum, atque consilium suppeditat. Quod autem in religiosos duriora bella excitari videantur, ea causa est, quoniam tum primum ea sentire incipimus, cum spirituales nostras rationes subdere incipimus, & cogitare qui simus, vnde simus, & quo gressus nostri tendant, & in summa quid in animo nostro dolorum, & plagarum sit. Nam antea quidem nõ quia non sentiebantur, idcirco nulla erant vulnera: erant enim, sed non aduertebantur? quod ipsum maximum erat vulnus, & apertum non modo cæcitatis, sed mortis, qua tenebamur, indicium. Quamquam nec mirum erat, nõ ei bellum inferri à dæmonibus, qui ita se ijs constrictum dederat, vt etiam sine bello, ad nutum seruiret, facerétque quicquid illi iuberent: quem verò intelligant id agitare, vt se ex eorũ faucibus eripiat, eum infestius quasi fugitiuum seruum per-

24. *Mor. cap.* 7. sequuntur; quod præclare docet Gregorius in libris moralium, Hostis, inquit, noster adhuc in hac vita nos positos quanto magis sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos etenim pulsare negligit quos quieto iure possidere se sentit. Contra nos verò eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex iure propriæ habitationis

tionis expellitur. Verum ne quis hos illius improbos conatus audiens, fortasse expauescat, videamus quid idē Gregorius non multo post adiungat. Sed quia, inquit, misericors Deus probari nos permittit tentationibus, non reprobari, sicut scriptum est, Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed facit cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere: citius nobis consolationis ope succurrit, & surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantésq; se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immensam de spe cœlesti lætitiam percipit, quod tolerauit; vt iure de hoc tentato, liberatoque homine dici debeat, Videbit faciem eius in iubilo, &, Liberauit animam suam, ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret. Hæc Gregorius, & verissime. Si enim hæ tentationes ex sola dæmonis malitia prouenirent, vt quas ille vellet, & quantas, aut quoties vellet, inferre posset, iure ac merito essent formidandæ. Nunc vero cum nequam ille ne mouere quidem se possit Dei iniussu, non licet dubitare, quin bonitas illa pro suo in nos amore, ac prouidentia, ita inimici insultus ex virium nostrarum mensura moderatura sit, vt non solum non supra quam possimus, sed etiam multo minus quam possimus, tentari nos sinat. Recte enim B. Ephren de hoc ipso: Si, inquit, homines cum tam parum sciant, sciunt tamen discernere quantum oneris singula iumenta ferre valeant, vt mulus, aut camelus, tantumque imponunt, quantum eorum vires tolerent: si etiam figulus vasa efformans, nouit quanto ea tempore in igne relinqui oporteat, ne si diutius relinquat, adurantur, si minus, dissoluantur, nec vsui esse possint: quanto magis Deus, cuius est infinita sapientia, nouit quibus tentationibus, aut probationibus indigeant animæ ipsi placere volentes, neque maiores permittet, quam ipsarum vtilitati conducat? Hoc igitur cum ita sit, non solum nulla est materia timendi, sed potius multa est gaudendi; quoniam nec vllum, vt dixi, damnum & aliquod potius lucrum, atque adeo magnum lucrum ex his tentationibus in Dei famulos redundat; nempe, vt scriptum est à Cassiano, vt numquam nos Domini auxilio non egere sentiamus, & ob id semper in eius meditatione, atque inuocatione persistamus, nec inerti otio dissoluamur, nec bellandi vsum, & exercitia virtutis amittamus. Frequenter enim, inquit, quos capere non potuerunt aduersa, securitas, & res prosperæ colliserunt. Ex quibus illud apparet harum tentationum emolumentū magnum,

1. Cor. 10 — *Iob 33.* — *Ser. de patiētia.* — *Coll. 4. cap. 6.*

gnum, quod quemadmodū equus, quanquam fortis, & acer, ſegnius tamen currat, ſi calcaria abſint, ſic iſti dæmonis aculei id religioſis conferunt, vt eos ardentius ad Deum orandum, ad ſe ipſos, ſuamque carnem mortificandam, denique ad omne virtutis genus perfectius excolendum adigant, ac propemodum compellant.

Cum igitur tanta ſint tentationum commoda, quæ cauſa eſt, cur vel tentationes ipſas, vel religionem, in qua ſunt eiuſmodi tentationes, metuamus? An forte ob periculum ne ſuccumbamus? Quod periculum? Nam ſi hoſtes noſtros, ſi nos etiam ipſos inſpiciamus, ſine dubio timendum eſt: ſin verò præſidia, & auxilia, quæ cœlum ſuppeditat, dicemus nos quoque
Pſal. 26. fidenter, Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Oſtenſum eſt hoc aliquando vni ex veteribus illis Patribus, cui nomen erat Moſes, qui grauiſſimis tentationibus agitatus contulit ſe ad Abbatem Iſidorum, eique pugnas, ac prælia ſua expoſuit. Iſidorus autem, vir prudentiſſimus, primum & rationibus, & ſacræ Scripturæ teſtimonijs conſolari eum conatus, denique eductum è cella reſpicere iuſſit verſus Occidentem; vbi ille magnam vidit dæmonum multitudinem horribilem, & furentem, quaſi ſe ad eum inuadendum accingeret. Rurſus iuſſit reſpicere verſus Orientem; hic verò innumerabiles vidit angelorum copias magna luce fulgentes, & tamquam cœleſtes exercitus inſtructos, ac quaſi paratos ad auxilium ferēdum. Cognoſce ergo, inquit, plures nobiſcum eſſe, vt dixit Elyſæus propheta, & quod Ioannes Apoſtolus ait, Quia maior eſt qui in no-
4. Reg. 6. bis eſt, quam qui in mundo. Addamus nos non ſolum multo plures numero eſſe, qui à nobis ſtant, ſed robore etiam tanto maiores, vt qui eorum minimus ſit, omnes illas damnatas belluas ſolus abiicere, & fugare poſſit, quia nimirum, non
Pſal. 33. ſuis, ſed Dei viribus fortes ſunt. Neque vero Deus Angelos ſuos tantummodo immittit in circuitu timentium eum, ſed ipſe quoque in eorum adiutorium deſcendit, vt ait Dauid ſæpe hoc expertus. Ipſe arma, & ſcutum apprehendit,
Pſal. 34. vt pro nobis pugnet. Ipſe mittit ſagittas ſuas, & diſſipat ad-
Pſal. 17. uerſarios noſtros, fulgura multiplicat, & conturbat eos. Neque tamen hoc ſatis illi, vt nobis ſedentibus, & otioſis, hoſtem ipſe noſtrum conficiat: Hoc enim tum nobis, tum ipſi quoque Deo minus glorioſum eſſet, illud vero vtriſque magis glorioſum, vt nobis quoque tam infirmis, tamquā Dauidi puero, aduerſus non vnum, ſed multos gygantes, & animum pugnādi,

pugnandi, & facultatem tribuat vincendi. Ille enim docet manus nostras ad prælium,& digitos nostros ad bellum: ille vt arcum æreum ponit brachia nostra, ne vlla fatigatione dissoluantur: ille nos virtute præcingit, & dilatat gressus nostros, vt inimicos nostros persequamur & comprehẽdamus illos, & nõ conuertamur donec comminuam⁹ illos vt puluerem ante faciem venti. Quid igitur facilius, quam tali adiutore vincere? & quid etiam optabilius, quam pugnare tam certa victoria? Ad hęc auxilia tã firma accedit deinde etiam locus ipse, in quo stamus. Notum enim est, quãtũ intersit, vtrum ex æquo, aut etiam ex inferiore loco pugnetur, an vero ex superiori. Igitur qui in seculo decertant, valde iniquo loco cum Satana congrediuntur. Est enim lubricus admodum & pronus ad lapsum, & quem sępe insuper etiam aduersi turbines, aut alię difficultates impeditiorem faciant. At religiosi omnes quasi ex edita quadam arce depugnant. Talis enim est ipse status, tum propter altitudinem, tum etiam propter firmissimas munitiones. Itaque neque ipsi iaculis inimicorum patent & facilius inimicos referire, quasi ex loco altiori, possũt. Deniq; religiosi illud etiam aduersus omne tentationũ genus habent optimum, & pręsentis virtutis antidotum, ipsos suos superiores, ac rectores, qui non solum consilio, ac ratione, atque prudentia iis medentur, sed sępe etiam, atq; adeo vt plurimũ ita euenit, vt nulla sit ferme tentatio, quę simul ac eis patefacta sit, non eadem opera eodemq; tempore etiam victa, & profligata sit. Res certe miranda, & in corporis morbis valde optanda, si eiusmodi medici inuenirentur, quibus ostensi statim sanarentur. Sed quod in his morbis effici nõ potest, id in animi languoribus ferme perpetuum est: idq; confirmat tum quotidianus vsus, tum omnes spiritualium rerũ auctores, inter quos optimus harum rerum auctor Cassianus hanc veterum illorũ patrũ disciplinã fuisse scribit, vt subditi ita instituerentur, vt nullas penitus prurientes in corde cogitationes celarent, sed cõfestim, vt exortę essent, eas rectori suo aperirent; quod qui faciat, nulla callidi inimici fraude circumueniri posse. Hoc autem, quod Cassianus docet, multo magis, vt dixi docet communis experiẽtia, cum etiam hoc sępe euenire soleat, vt nõ solum ea narrando, sed sola deliberatione narrandi, omnia euanescant; quia nimirũ diabol⁹, vt qui male agit, lucem odit, & nõ potest sustinere lucem, id est oculos, & aspectum Superiorũ.

Psal. 143. *Psal. 17.* *Lib. 4. c. 9.*

Verum ne in tam aperta re diutius immoremur, ostendendum est breuiter, quanto magis ad hos inimicorũ impetus expositi sint, qui in seculo, quam qui in claustro degunt. Nam cum tentationes omnes ex tribus principiis, atque fontibus fluere soleant, aliæ ex nobis ipsis, idest ex nostra infirmitate, & corruptela, aliæ ex rebus externis, quæ sensibus obiectæ cupiditatem incendunt, aliæ denique mali dæmonis instinctu; ex hoc triplici capite necesse est multo peius esse secularibus, quam religiosis. Nam si de propria infirmitate agitur, cui dubium, in vtris ea sit maior? Nã illi quidem in rebus spiritualibus rudes, præterea malis moribus deprauati, & passionibus, ac turbidis animi motibus vt plurimum pleni, quos tantum abest vt studio, ac diligentia comprimere conentur, vt potius quotidie eis indulgendo magis, ac magis corroborent: cum contra religiosi nihil ita diligenter tractent, quam mortificationẽ, ab hac enim spiritualis vitæ fundamenta ordiuntur, hanc deinde semper retinent, assiduecq; magis excolunt, & cum ea ceteras quoq; virtutes asciscunt, qui sunt quasi nerui, ac vires spirituales; quo fit vt bono religioso nihil forti⁹ esse possit. Externæ vero occasiones, atq; illecebræ, quę possũt esse in hac vita, in qua & aures, & oculi, & sēsus omnes tã bona custodia cõtinentur, tum regularum, tum superiorum, tũ ipsorum parietum, quibus omnia noxia arcentur? At seculari b⁹ in media pene flamma assidue versandum est, cũ ea videant, & audiãt, iisque perpetuo intersint, quę & mala sunt, & ad malum inuitant. ob hoc enim dictum est à Propheta, mortem ingredi per fenestras. tot autem fenestræ, quot sen-

Hier. 9. sus. Itaque in hoc etiam secundo nulla est comparatio. Restat tertium genus, quod à dæmonibus ortum habere diximus: quos quidem dæmones, nimirum vt latrones, vtros sæpius aggredi putemus, eos ne in quibus quas volunt, & quoties volunt, prædas agunt, an eos qui acriter resistunt, & qui fere semper sine damno effugiunt, in terdum etiam, & sæpius cũ lucro? Quod si quis duos hostes habeat, alterũ pene inermẽ, & ignarum, ac timidum in pugnando, quẽq; primo quouis congressu prosternere soleat, alterum bene armatum, impigrum, pugnandiq; peritum, deniq; à quo sę pissime ipse victus sit, quis dubitet, vtrum ex his duob⁹ crebrius, audaciusq; inuadet? Idẽ igitur faciunt inferni illi spiritus; de quibus etiam scite Abbas ille Isidorus, vt refert Palladius, qui procacem eorum naturam canibus compa-
rabãt,

rabat,qui in macello frequentes sunt,quādiu illic est quod eos inuitet, si verò macellū claudatur,vel ex macello sæpe fustibus abigantur,nec detur illis quod edant, numquam amplius apparēt.Has igitur ob causas ita omnino credēdū est,rariores,& leuiores multo in religiosam vitā, quam in secularem tentationes,pugnasq; incurrere,& si quę tamen incurrant,eas tā facile,tantoq; cum lucro vinci,vt nisi nimia sit fiducia,potius optandæ, atque expetēdæ videātur.

Responsio ad eos qui dicunt contra naturalem inclinationem esse,vt quis viuat sub aliena potestate.

CAPVT XIX.

EX omnibus difficultatibus,quas specie magis,quā re ipsa graues,religiosus hic status ostētat,illa plerisq; grauissima videri solet, quod alieno arbitratu semper viuedū sit,cum multis ita sit persuasum,libertatem,ac facultatem agendi quæ velis,esse maxime secundū naturā, eā verò vitam,quæ ex aliorum præscripto pēdeat,instar esse seruitutis.Quare ad hunc errorem,qui in ipsam religionis arcem inuadit, eiusque quodammodo iugulum petit,accuratius extirpandum,hoc nobis primo videndū,cuiusmodi sit hæc libertas,& quàm sit homini naturalis. Nam si quis ita existimat homines à natura liberos esse factos,vt quicquid libeat,& quicquid in mentem veniat,id faciant, nulla lege, nulloque superiore viuant,is vehementer fallitur.Rectè enim de hoc Augustinus in epistola quadam,vbi de felicitate,veroq; hominis gaudio,hoc inter cetera.Primū, inquit, *Ep. 131.* attende vtrum acquiescendum sit eis,qui dicunt eum beatum esse,qui secundum suam viuit voluntatem. Sed absit, vt hoc verum esse credamus. Quid enim si nequiter velit viuere?nonne tanto miserior esse conuincitur, quāto facilius mala eius voluntas impletur?Merito hanc sententiam etiam ipsi qui sine Dei cultu philosophati sunt,respuerunt. Nam quidā eorum eloquentissimus ait.Ecce autē alij,non *Cicero in* philosophi quidē,sed prompti tamen ad disputandum,om *Hortēsio,* nes aiūt esse beatos,qui viuāt,vt ipsi velint.Falsum id qui *qui liber* dem.Velle enim quod non deceat,idem ipsum miserrimū. *nūc non* Nec tam miserum est,nō adipisci quod velis, quā adipisci *extat.* quod nō oporteat.Hęc Augustinus:quin ipse etiā Aristote *5. Pol. 9.* les optimam reipublicę formam exquirens,illud præcipue

monet tollendum esse eũ errorem, quo ferme homines laborare solent, vt vnusquisque agere velit quod placet, & viuere vt placet, quod sibi persuaserint, in hoc sitam esse libertatem, vt faciant quodcumque libuerit; atque id quidẽ falsum esse, quia scilicet nulla sit seruitus, viuere secũdum leges, sed ipsa salus. Idem quoque scripsit Plutarchus, moralium scientissimus, qui ita ait, eos, qui à pueritia ad virilẽ ætatem euadunt si sana sint mente, sic existimare debere, non se abiicere pędagogi imperium, sed pædagogum mutare, cum hominis loco mercede conducti, aut ære empti, diuinum vitæ ductorem accipiant, ipsam videlicet rationẽ, cui parere idem sit, quod Deo parere, ei autem qui pareãt, solos esse liberos. Solos enim illos viuere vt volunt, qui quid velle debeant, didicerunt: animi verò cogitationes rationis expertes vmbram quandam esse falsæ libertatis, eamque cum multa pœnitentia coniunctam. Hoc igitur cũ philosophi illi senserint, multo nos magis idem sentire oportet, maxime cum id ex naturæ nostrę conditione confirmare possimus, quam illi non adeo cognouerũt. Si enim humana natura nullum haberet superiorẽ, liceret sane ei suo modo, ac sua voluntate viuere; idque ei naturale esset atq; id faciendo iucunde viueret non faciendo iniucunde. Verũ cum Deum habeat superiorem, à quo facta est, & cui ipsi⁹ etiam naturę lege subiecta est, illud sequitur, vt naturalem habeat inclinationem ad seruiendum tanto numini, seque ipsam, ac suas omnes actiones ei subiiciendas: quod expresse docet Augustinus, eique confirmando argumentum affert ex præcepto quod Deus Adamo primo homini iniunxit de abstinendo ab arbore; in quo, inquit, præcepto commendata est obedientia, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium, custosque virtutũ, quandoquidem sic facta est, vt ei subditam esse sit vtile, perniciosum autem suam, non eius à quo creata est, facere voluntatem. Sed dicet aliquis, Quæ ergo est in homine libertas, si adeo in rebus omnibus ex Dei præscripto, ac nutu pendere eum oportet? Hęc nimirum, nõ vt pro libito nostro nos gubernemus, sed vt diuinã voluntatẽ voluntarie ãplectamur, & volũtarie exequamur. Nã lapides, aut stipites, aut etiã bruta, superno quidẽ ductu reguntur oĩa, sed quia id ignorant, nõ se ad id sponte accommodare possunt: quicquid autem eiusmodi est, nec meriti est capax, nec pręmij. Hoc igitur posito, vt amor dominandi nobis ipsis, nosque ipsos regendi,

Lib. de audit.

14. Civ. 12.

ài, funditus sit eiectus, nostra quidem parum interest, num Deus nos per se, an per suos gubernet, præsertim cum num quam ita per alios gubernet, vt non ipse semper adsit, & vtrosque in sua voluntate deducat. Sic enim euenire videm⁹ aut regnis, in quib⁹ omnis labor is est, vt regi alicui subiiciantur: cum autem semel subiecta fuerint, perinde illis est, vtrum eius regis imperia ipsius voce, an præconis voce accipiant. Ex quo perspicue apparet, quam naturale est homi nem Deo subdi, & rationi, quæ lumen quoddam est à Deo promicans, tam etiam esse naturale, vt eiusdem Dei respectu subdatur homini, quod si naturale, ne laboriosum quidem, aut arduum esse potest, sed procliue, & potius iucũdũ.

Si verò attentius cogitare velimus, quid sit illud, quod quibusdam hac in re tenebras offundit, eos reperiemus errore quodã laborare, vt externa nescio qua similitudine decepti, seruilem obedientiam cum ingenua hac obedientia cõfundant, ideoque illius difficultates, & odium quoddam huic etiam tribuunt. Quare hoc intelligendũ est quantum inter vtramq; & dignitate, & iucunditate intersit. Hãc autem differentiã ab Aristotele repetemus, qui ita docet, duplicẽ esse principatũ, vnũ dominatiuũ, cuius, videlicet hęc est natura, vt dominus præcipue, ac per se, vtilitati suę studeat, subditi autẽ per accidẽs, vt nimirũ eius vtilitas sibi quoq; vtilis est: alterũ œconomicũ, vt, patris in liberos, viri ĩ vxorẽ: in quo cõtra, superior subditi cõmoda per se procu rat, sua ex accidẽti, propterea quod ita fortasse cõtingat, vt eadẽ quoq; sibi cõmoda sint, quomodo gubernator nauis primũ quidẽ, ac pręcipue vectorũ saluti cõsulit, suę vero ex accidẽti, quoniã ipse quoq; vn⁹ ex iis est, qui naui vehũtur. Hęc Aristoteles ad verbũ, quib⁹ cõsentiũt quæ dicit Plato in dialogo de republica primo. Vt pastor, ĩquit, qua pastor, curat gregẽ ad ipsius vtilitatem, nõ suã, id enim agit, vt id ꝙ custodit, quã rectissime habeat; sic qui hominib⁹ pręest, nihil aliud propositũ habet, quã eorũ bonum, qui sub ipso sũt. Ex his igitur facile iã est videre, quo in genere collocãdus sit religiosus hic stat⁹. Quod eo aperti⁹ est, quia nõ ea tãtũ potestas, quę ĩter religiosos est, sed oĩs plane potestas, quę à Christo dño in Ecclesia relicta est eius generis est, vt nõ ad ei⁹, qui eã habet, sed ad subditorũ vtilitatẽ dirigatur. Quod Dñs ipse eius potestatis auctor verbis illis expressit, Reges, inquit, gẽtiũ dominãtur eorũ, & qui potestatẽ habẽt super eos benefici vocãtur. Vos autẽ nõ sic, sed q maior est

3. Pol. c. 4.

Luc. 22.

vestrũ,fiat sicut iunior,& qui præcessor est, sicut qui mini-
Lib.2. strat.De quo quidẽ Domini dicto recte S. Bernar. ad Pont.
Eugenium.Forma apostolica hęc est:dominatio interdicitur,indicitur ministratio,quæ ẽt commendatur ipsius exẽplo Legislatoris,q̃ sequutus adiungit,Ego autẽ in medio
Lib.3. vestrum sum,tãquã qui ministrat. Cõparat etiã Bernardus hoc potestatis gen⁹ villico, vel pedagogo:nã & illi villa,& huic,inquit,paruus dñs est subiectus,& tamen neq; ille villæ,neq; hic domini sui dominus est.Ita,inquit,& tu pręsis, vt prouideas,vt consulas ; vt procures , vt serues:præsis vt prosis,præsis vt fidelis seruus, quẽ cõstituit dominus super familiã suã.Ad quid?Vt des illis escã in tempore. Hoc est, vt dispenses,nõ vt imperes.Si igitur hęc, quã Bernard⁹ descripsit,immo quam Dñs ipse pręscripsit,omnis ecclesiasticæ iurisdictionis est formula,quãtò magis eadem erit etiã religiosæ gubernationis,cũ vtraq; ex vna fluat origine ; & vna sit vtriusq; ratio,ac vis,atque etiã religionis professio hãc humilitatẽ multo magis requirat,& exigat?Ex quibus apparet,eũ qui in religione pręsit , nõ modo aliorum dñm nõ esse,sed omnium seruum esse.Seruit enim omnium cõmodis,& profectib⁹,neq; animorum solum, sed corporum quoque,eoq; sua studia,& cogitationes dirigit ; deniq; id vnum agit die,ac nocte.Itaq; Bernard⁹ idẽ munus esse ait
Ser.25. Cant. rectorum spiritualiũ,quod medicorum , quorum oĩs cura ad ægroti vtilitatẽ refertur. Alibi autẽ eos etiã matres ap-
Ser.23. Cant. pellat,idq; eorũ officium ita exhortãdo demõstrat, Suspẽdite,inquit,verbera,producite vbera,pectora lacte turgescãt,non typho turgeãt.Cũ ergo ita sit,vt oĩs rectorum potestas in religiosis ordinibus ad inferiorum vtilitatẽ dirigatur,quid sequitur,nisi,vt quã naturale est cuique suæ vtilitatis studium,tã sit etiam naturale,& iucundum viuere sub tali potestate ? De quo quid plures quærimus testes,cũ ille ethnic⁹,& magno inter ethnicos ingenio,naturæ principia
Cicero 1.off. inquirẽs hoc quoq; habeat?Huic(inquit)veri vidẽdi cupiditati adiuncta est appetitio quędã principat⁹ , vt nemini parere anim⁹ bene à natura informatus velit , nisi pręcipiẽti,aut docẽti,aut vtilitatis causa iuste, & legitime ĩperãti, Cuius sentẽtię quoquo modo pars altera habeat,certe hãc partem nõ possumus nõ admirari,qua homo,vt dixi,ethnic⁹,& superbię , ambitionisq; morbo ita demersus,tamẽ ex naturæ lumine sic censuit,cũ hæc cõcurrunt,doctrina , vel institutio,aut deniq; quoduis commodum, non modo nõ,

abhorrere

abhorrere à natura, sed vel maxime ei conuenire, vt se homo in hominis obedientia cótineat. Sed hæc quidē multo melius in luce Christiana eminent, Videmus enim esse in angelis ipsis hūc ordinem, vt alij præsint, alij subsint: quem ordinē tum in eorū natura Deus inseruit, tum deinde confirmauit in gratia. Tradunt etiam theologi, idem futurum fuisse in statu innocētię, si perpetuus fuisset. Sic enim quodam loco disserit B Thomas statum illum, cum omnis miseriæ, atque imperfectionis expers esset, ne illum quidem dominatum admissurū fuisse, in quo alter altero ad suum ipsius vtitur quæstum: id enim seruile, & miserum est. Qui vero dominatus ita in liberos exercetur, vt ij ad ipsorum proprium bonum, vel ad commune bonum dirigantur, de hoc dubitandum non esse, quin futurus esset, cum id tum ad pulchritudinem, ornatumque faciat, tum etiam ad illorum ipsorum, qui obediunt, vtilitatem. 1.p.q.96. ar. vlt.

Etsi quid opus est pluribus in re hac philosophari, cum tam innumerabiles homines videamus aliis hominibus exigui quæstus, vel honoris spe, se ipsos vltro mancipare? Quanta enim mortalium pars in alieno famulatu viuit, alij ob menstruam mercedem, alij videlicet lautiores serui, sed tamen serui, ob maioris alicuius præmij cupiditatem, qui ita se potentioribus addicunt, ita ab eorum nutibus pendent, ita denique in illorum obsequio suas omnes cogitationes, & studia defixerunt, vt bene cum religiosis agatur, si illorum in obediendo alacritatem, & agilitatem exæquare possint? An igitur hos quoque dicemus id facere inuita, & repugnante natura? Atqui si hoc esset, non adeo libenter, ac studiose id facerent, neque eas conditiones tam cupide ambirent, tamque magno mercarentur. Quod si id illis naturale, & facile est, quoniam natura suorum commodorum auida est, quæ autem ei consentanea sunt, omnia sunt facilia, cur non eadem etiam sit causa religiosi? Immo vero quanto hic facilius, quod illi omnes tam parui, tamque breuis præmij expectatione, eaque admodū incerta faciunt, idem faciet tam certa spe perennium præmiorum, ipsiusque æternæ felicitatis? Adde quod multo est durior illius seruitutis conditio: primum quod homo homini se subiicit, qui natura est æqualis, deinde quod tam dubia, & mutabilis est voluntas hominis, vt sæpe eius gratiam ne multorū quidem annorum labores promereri possint, aut cū multis annis, multisq; laboribus collecta fuerit,

vno ſæpe momento tota profundatur, etiam ſine culpa, tã-tum ex alterius libidine. Quod non eſt in ſeruitute Dei: nã & Deo ſeruire, eiuſque eſſe famulum, vel maxime honorificum eſt, ac regium, & qui ei ſeruit, rationi ipſi, regulę vni omniũ rectiſſimæ, ac conſtantiſſimæ ſeruit, vt nihil aliud verendũ ſit, quã ne ipſe ab ea diſcedat. Illud enim fixe tenendum, ſemperque ante oculos gerendum eſt, religioſos non homini, vt homo eſt, ſubiectos eſſe, ſed Deo; homini autem, vt Dei vicem repræſentat. Declarat hoc ipſa ſolemnis formula, quæ votis nuncupandis adhibetur, quæ non eos vlli homini, ſed Deo aſtringit, & obligat. Itaque, vt hoc ex noſtra parte, ſic Deus ex ſua parte nunquã noſtri gubernationem deponit, neque ita nos alteri tradit, vt ipſe deſe-
Luc. 10. rat, quin potius ipſe eſt qui regit, qui flectit, qui mittit, qui reuocat. Hoc enim ipſe promiſit, cum dixit Apoſtolis, Qui vos audit, me audit: Itaq; hoc maneat, vt Deo obedire non eſt contra hominis naturam, immo ita aptum eius naturæ, vt in ea penitus inſitum, & cum ipſa natum ſit, ita neq; homini, cui Deus ſuas partes tribuerit, & in quo nullã aliam cauſam obediendi inuenimus, præter ipſum Deũ. Ex quo ſequitur, non modo non difficile eſſe debere, voluntatem noſtram hoc quem diximus modo diuinæ volũtati aggregare, ſed etiam facilius, & dulcius id eſſe debere, quam ipſi
Ser. quo. vol. noſtra di. ſub. voluntati noſtræ ſatisfacere; quod ita verũ eſt, vt Bernardus etiã ipſius noſtræ volũtatis ſeruitutem eſſe exiſtimet, & quidem duriſſimã. Sic enim ille Domini ſententiã exponens ait, Venite ad me omnes, quos veſtræ, ſeu alienæ voluntatis dura premit ſeruitus, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugũ enim meũ ſuaue eſt. Quanto enim benignior, & dulcior eſt diuina clementia quolibet homine, tãto ſuauius eſſe manifeſtũ eſt iugum ei⁹ ceteris omnib⁹.

Verum hactenus quidem ita fere loquuti ſumus; quaſi in religioſa obedientia ineſſet aliquid ſeruitutis; ſed tamẽ amabilis, & honoratę, & maxime naturalis. Reſtat nunc, vt demonſtremus, nullũ in ea ſeruitutis veſtigiũ eſſe, quin potius veriſſimã, & perfectiſſimam libertatem. Quid eſt enim
Ser. 21. Cant. libertas? Viuere vt velis. Vtri igitur magis viuunt vt volũt, iuſti, & probi, an vitioſi? Bernardũ audiamus, quæ de auaro dicat, Quære, inquit, à quouis eorum, qui inſatiabili corde lucris inhiant, quidnã de iis ſentiãt, qui ſua vendentes, & dãtes pauperib⁹, regna cœlorũ pro terrena mercantur ſubſtantia, ſapienter agant, nec ne. Proculdubio reſpondebit; ſapienter.

ſapienter. Quære item, cur hoc, quod approbat, ipſe nō facit. Non poſſum, inquit. Quare? profecto quia domina auaritia nō permittit, quia liber non eſt, quia nō ſunt ſua quæ poſſidere videtur, ſed nec ipſe ſui iuris. Si vere tua ſunt, expende ad lucra, & pro terrenis cœleſtia cōmutato. Si nō vales, fatere te pecuniæ tuæ non dominum eſſe, ſed ſeruū, cuſtodem, non poſſeſſorem. Quod ergo Bernardus de pecuniæ cupiditate, idem nos, ipſo quoque auctore, de luxuria, idem de gula, & de iracūdia dicere poſſumus, vt qui his, vel aliis vitiis teneātur, non liberi ſint, ſed ſerui; maxime vero de ambitione, de qua illud ab homine gentili dictū eſt. Cauenda eſt, inquit, gloriæ cupiditas. Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contētio. Igitur vt omnes iſti ſerui ſunt, quoniā nō poſſunt agere quod volunt, & coguntur agere quod vitiū imperat, multo durior, turpiorque dominus, quā quiuis homo ferus, ac barbarus: ſic contra ille liber, qui ex virtutis regula viuit. Non enim inuitus bene facit, ſed volens, & gaudēs. Superiorum autem imperia, aut ſcriptarū regularum præcepta ſic accipit, & ſic exequitur, ac ſi ſua ſponte ea faceret. Vt enim cū iter facienti recta via digito oſtenditur, nemo dicat vim illi inferri, quoniā cui oſtenditur, eam magis deſiderat, quā qui oſtendit; ita in via hac ſpirituali, quicquid ad illuminādam religioſi mentem, vel voce, vel ſcripto prætenditur, id ita accipitur, vt propriç ſaluti vel maxime conueniens, quā quiſque amat, & curat. Quam ob cauſam dictū eſt ab Apoſtolo Paulo, Iuſto non eſſe poſitam legem, non (ait Bernardus) quia viuere debeat ſine lege, ſed quia non ſit ſub lege: vel vt ſcripſit Ariſtoteles, quia ſibi ipſi eſt lex, & ſine lege ita ſe gerit, ac ſi legem haberet. Atq; Ambroſius quoque epiſtola quadā, hoc ipſum argumentū luculente, & copioſe tractans, id ita confirmat, quoniā ille liber ſit, qui faciat quod velit, iuſtus autē quāquam legi, vel homini obediat, ſemper tamen faciat quod velit, quia id ipſum bonū velit, quod præcipitur, idque exequitur non vi illius extrinſeci imperij adactus, ſed proprio nutu, atq; inclinatione. Quæ cum ita habeant, quæ verior eſt libertas, quā religioſorū, in quibus etiā illud eſt amplius, quod quicquid eſt obligationis, ac nexus, quod libertati officere videatur, id ipſi ſua ſpōte induerāt, vltroq; complexi ſunt? Itaq; in eos optime cadit optimū illud eiuſdem Ambroſij in alio quodā loco dictū. Quis, inquit, Christum refugiat, quem ſequuntur alligati

Cic. 1. offi. *1. Tim. 1.* *De præc. & diſp.* *4. Eth. c. 8.* *Lib. 2. ep. 1.* *Ep. 83.*

ligati vinculis,sed vinculis voluntariis,quæ soluunt,nō alligāt?Hinc etiam illa Bernardi ad monachos suos,qui cum religiosæ huius, vt ipse appellat, captiuitatis duritiam exaggerasset,qua nimirū homo voluntates proprias mortificare,& animam propriam in hoc mundo perdere festinans,in hos tam rigidæ disciplinæ compedes,in hunc tam grauis pœnitentiæ carcerē semetipsum dedit,addit deinde luculentam consolationem,quod videlicet omnis hęc seruitus miseranda videretur,sed si coacta esset,non autē spōtanea.Nunc vero cum voluntarie sacrificemus Deo, nec vlla violentia ingeratur volūtati,nisi per ipsam volūtatem, quicquid hoc modo propter Deū agatur,quamlibet laboriosum,& graue,dignum potius esse gratulatione, quam compassione.Præclare vero,& iucunde Augustinus in eandem sentētiam, Omnis,inquit,seruitus amaritudine plena est,omnes conditione seruili obligati & seruiunt, & murmurant.Nolite timere illius domini seruitutē.Non erit ibi gemitus,nō murmur,non indignatio.Magna felicitas est, esse in ista domo seruum,etsi cum compedibus.Libera seruitus est apud Dominum:libera seruitus, vbi non necessitas,sed caritas seruit. Simul es & seruus, & liber. Seruus, quia factus es:liber,quia amaris à Deo,à quo fact⁹ es.Noli seruire cum murmure:non enim id agūt murmura tua, vt nō seruias,sed vt malus seruus seruias.Seruus es Domini, libertus es Dni.Non te sic quæras manumitti, vt recedas de domo manumissoris tui. Omnia hæc Augustini egregia,idque in primis, quod omnes homines ita in Dei potestate esse ait, vt etiāsi murmurent,& resistant, tamen velint,nolint,ei seruire, eiusq; voluntatē implere cogantur. Omnia enim illius nutu gerūtur,nihilq; eius effugit prouidētiā.Cū ergo homo & natura, & necessitate seruus sit, quāto ei salubrius est,seruire voluntarie,ita vt ex seruitute libertas fiat,idque cum præsenti lætitia, & futuro præmio,quam calcitrando inuitum tamen adigi in Dei consilium,& prouidentiam, nulla alia mercede, quam & præsentis tristitiæ,& futuri supplicij?

Qui habi.
Serm. 9.
In Ps. 99

Responsio ad eos qui putant melius esse retinere res suas ad pia opera,quam omnino relinquere.

CAPVT XX.

EST etiā alia dęmonis fallacia aduersus religiosum institutū,eoque damnosior,quoniā pietatis simulatione obtēdi

obtenditur. Ita enim quibusdã persuadere conatur, melius esse, & ad salutem aptius, diuitias à Deo tributas retinere, quo facultas suppeditet ad omnia bona opera, maxime vero ad subleuandos egentes, quos Deus tantopere commendauit, vt extremi iudicij die in hoc ferme vno illius sententiæ summam positurus videatur, prout se quisque gesserit in proximos, vel cum esurirent, reficiendos, vel vestiendos, cum nudi essent, vel cum ægrotarent, refouendos, aut etiam cum in carcere essent, visitandos. Harum autem rerum facultatem eripit religio, tum quia ad paupertatem redigit, tum vero quia tollit libertatem, vt etiam si subdito ista facere libeat, non liceat, nisi rectorum consensus, nisi instituti suscepti ratio patiatur. Accedit etiam Aristotelis auctoritas affirmantis, diuitias instrumentum esse ad felicitatem acquirendam aptissimum, easdemque materiam virtuti præbere. Hæc pro ista parte, quę sine dubio in magnis, & periculosis erroribus versatur. In primis enim diuitiarum administratio tam multis culpis implicata esse solet, vt hæ culpæ bona omnia, quæ iis effici possint, longe superent. In iis enim inest superbia, & animi tumor, in iis licentia peccãdi, atque etiam commoditas; denique si nihil aliud sit, ipsa mentis occupatio magnum est malum, quę à spiritualibus, & interioribus rebus abstracta, nihil iam cogitare assuescit, nisi terrenum, & humile: ex quibus fontibus innumerabilia deinde peccata fluere necesse est. Quamobrẽ quod inter sancti Iob ęrumnas legimus, Chaldæos in tres turmas diuisos, illius camelos inuasisse, Gregorius moralium sensuum peritissimus sic interpretatur, vt per Chaldęos quidem ipsos dæmones per camelos qui aliquid mundũ habent, aliquid immundum, etiã bonas temporaliũ rerum dispensationes intelligi putet. Omnis enim (inquit) qui dispẽsandis terrenis rebus præsidet, occulti hostis iaculis latius patet. Nõnulla enim prouidẽs agere nititur, & sæpe dũ cautus futura subtiliter pręuidet, incautus dãna præsentia nequaquã videt. Sæpe dum aliqua torpens agit, quæ vigilãter agẽda sunt, negligit. Sæpe dũ plus iusto vigilantẽ se in actione exhibet, ipsa actionis suæ inquietudine, rebus subditis potius nocet. Plerũque autem tantis cogitationũ voluminibus implicatur, vt ipsa ferre vix valeat, quæ intra se prouidus versat, & cũ nil operé faciat, sub magno cordis sui pondere vehementer insudat. Hæc sunt incommoda in terrenarum opum procuratione,

Mat. 25.

1. Eth. c. 8.

Iob 1.

2. Mor. c. 26.

tione,licet ea iuſta ſit,& nemini nocens(nã de hac ipſa loquitur Gregorius) vt non tanti emenda videatur illa commoditas benigne aliis faciendi cum ſuo damno. Sed tamẽ etſi omnia hæc damna abeſſent,quæ quidem vix vnquam abeſſe poſſunt,ita ſunt coniuncta cum harum rerũ inferiorum natura: verum vt fingamus ita eſſe, quæ comparatio iniri poterit inter hoc vtrũque op⁹?In altero enim aliquid ex noſtris rebus impendimus,idque terrenum,& minimũ: in altero nos ipſos totos,eamque quæ ſumma eſt in homine,& quæ ſummo pretio æſtimari ſolet,voluntatis libertatem. Itaque in hanc etiam comparationem cadit illa Anſelmi ſimilitudo,quã ſupra attulimus,arboris,&fructuum: nam ille quidem fructus,neque ſane omnes, ſed partẽ aliquam,religioſus autem & totam arborem donat, & quod ſequitur, omnes plane fructus. Itaque quicquid eſt in illo opere virtutis,ac ſplendoris,id etiã totum in hoc continetur,ſed in hoc multum inſuper additur,& quidem tantum, vt non ſit quod addi poſſit;quoniã qui omnia donat, exhaurit vſque ad fundum liberalitatem ſuam, idq; ſemel,ac ſimul,quæ maior eſt alacritas,& hilaritas in dando, quam qui paulatim,& minutatim:tales autẽ datores diligit De⁹,
2.Cor.9. vt ait Paulus Apoſtolus.Verum quid opus eſt plura? Hæreſis hæc olim fuit Vigilantij, quæ iampridem à Hieronymo primũ doctiſſime confutata, deinde Eccleſiæ quoque vniuerſæ auctoritate damnata eſt; de qua ſic Hieronymus.
Lib. contra Vig. Quod,inquit,aſſeris,eos melius facere,qui vtuntur rebus ſuis,& paulatim fructus poſſeſſionũ ſuarum pauperib⁹ diuidunt,quã eos qui poſſeſſionibus venũdatis ſemel omnia largiuntur,non à me,ſed à Domino reſpondebitur, Si vis perfectus eſſe,vade,vende omnia quæ habes, & da pauperibus.Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus; qui cum Apoſtolis patrẽ,& nauiculã,& rete dimittit. Iſte, quem tu laudas,ſecũdus,& tertius gradus eſt,quẽ & nos recipimus, dũmodo ſciamus prima ſecũdis, & tertiis præferẽda. Hæc Hieronymus.Quod ſi ex ſanctorũ Patrum teſtimoniis hoc confirmari placet,quanto ſit nobis vtilius, quanto gratius Deo,vt cũcta ſimul exuamus,quã retinendo etiam in pias cauſas erogemus, poſſumus primo Auguſtinũ producere, cuius illa eſt ſententia,Bene faciebant,inquit, qui de ſua
Lib. de bo. coniug. ſubſtantia Chriſto,& diſcipulis ei⁹ neceſſaria ſubminiſtrabãt,ſed melius qui omnẽ ſubſtantiã dimiſerunt, vt expeditiores eundem Dñm ſequerentur. Idemque in alio loco.
Bonum

Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius pro intentione sequendi Dominũ semel donare,& absolutum à solicitudine cum Christo egere. Absolutos appellat à solicitudine,qui se ipsi absoluerũt à diuitiis.Ex quo intelligitur,in euãgelica paupertate curam, aut angorem nullum inesse, cum ea potius ab omnib⁹ curis,angoribusque liberet.Ambrosius quoq; in officiis, quo loco de liberalitate differit,cũ vitiosum esse dicat proprias facultates perdere,easque non profundendas, sed dispensandas esse moneat,vnũ excipit tamen,nisi forte,inquit, vt Elysæus boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit,vt nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se traderet propheticam. Diadochus autem optimus auctor,& antiquus,in libello quem græce scripsit de spirituali perfectione inter alia hoc quoq; dissertè;Res apta,inquit, & omnino vtilis est, post cognitã vitã pietatis in Deũ,vendere statim omnia nostra, & pecuniam redactã secundũ mandatum Domini dispensare,ac nõ potius per simulationem obediendi mãdatis Dei monitũ salutare non audire.Hinc enim sequetur primũ quidẽ optima vacuitas solicitudinis,tum deinde secura, & ab insidiis tuta paupertas,quæ altiora cogitat,quã de vlla iniuria,aut lite:idque quia non amplius habet materiã,quæ ignẽ auaritiæ inflammat.Fouebit autẽ nos tunc magis, quam reliquæ virtutes,humilitas,quæ sinu suo, & complexu nudos recreabit, sicut mater puerũ suum gremio exceptũ fouet, cum is puerili simplicitate ductus vestitũ suũ exuit, & procul abiecit,magis tũc nuditate, vt omnis malitiæ expers, quam vestimentorũ varietate lętus.Hæc Diadochus:deinde quęstionem proponit eorũ,qui obiiciũt, Vnde ergo fiet eleemosyna pauperibus, qui quotidie nostris bonis alebãtur,si omnia semel vendiderimus? Cui quæstioni idem sic respondet.Sane quidem secundũ id quod habemus,nõ autem secundũ id quod non habemus,reposcet à nobis Dñs rationem eleemosynæ. Si ergo quod diu poteram largiri, breui tempore propter metũ Dei benigne dispertio,de qua re amplius,cum nihil habeam,accusabor?Sed dicet aliquis, quid igitur fiet iis pauperibus, qui solebãt nostris mediocrib⁹ bonis paulatim gubernari? Discat iste non exprobrare Deo per occasionem auaritiæ suæ.Nõ enim deerit Deo facultas,suos quos fecit,gubernandi,vt à principio gubernauit. Nec enim prius quam hic, aut ille ad tribuendam eleemosynam

De Eccle. dog. c.71.

Lib. 1. c.30.

Cap. 65, & 66.

eleemosynā excitati essent,cibus,aut vestitus pauperibus deerat.Hæc ille,quibus etiam addit vtilitates,quæ ex hoc facto proueniūt,quia diuitiæ superbiam quandā ingenerant,nō solum si male vtaris,sed etiam si bene: facile enim esse propter quotidianā opum largitionem sibi ipsi placere,quasi magnū aliquid fiat,quod Deum promereatur. At vero diuitiis relictis,cum iam egentibus nihil dari possit, videri nobis nihil nos boni agere; ex quo salutarem dolorem,& humilitatē in animo oriri, & insuper stimulū quendam,vt quod iam per eleemosynā comparare non possumus,comparemus per orationem,per patientiā, per humilitatem.Similia sunt quæ Theonas ille disputat apud Cas-
Coll. 21. c.33. sianum,vbi ita ait,qui ex suis facultatibus decimas,& primitias pie persoluit,& pauperibus benigne facit, difficile tamen esse,vt non in laqueos peccatorū frequenter incurrat.Necesse est enim,inquit,dum tardat,aut negligit, aut in qualitate earum,aut in quātitate,aut in quotidiana distributione peccare:& paulo post,Impossibile est,quātauis opes suas magnanimitate dispenset,vt se ad plenum eruat à dominatione peccati,nisi forte per gratiā Saluatoris, cū re etiā ipsum affectū deposuerit possidēdi.In illis vero qui consiliū Domini non spreuerunt, sed omnem substantiam suam pauperibus prærogantes,sumpta sua cruce, largitatē cœlestis gratiæ subsequuntur,peccatū non potest dominari.Non enim cū dispensantem sacratas iam Christo opes,& quasi alienas pia distributione pecunias infidelis seruandi vict⁹ cura mordebit,nec eleemosynę hilaritatē abiicit mœsta cūctatio,quia quod semel totū obtulit Deo, id iā alienū sine propriæ necessitatis recordatione, aut angusti vict⁹ timore dispergit,qui certus est,cū ad desideratā perue-
32. Mo. c.17. nerit nuditatē,multo magis à Deo se,quam volucres cœli esse pascēdū.Praeclare autē Gregorius, vt diaboli astutias non ignorans,inter alios eius laqueos occultos,hunc quoque luculēte describit.Alius,inquit,non solū decreuit terrena cōmoda non quęrere,sed etiā cūctis quæ possidet,renunciare,vt in discipulatu cœlestis magisterij tāto se liberior exerceat,quanto & expeditior reddit⁹,ea quæ possidētem premere poterāt,deserēs calcat.Huius cor hostis insidiās occulta suggestione alloquitur dicēs,Vnde hæc temeritatis tātę surrexit audacia,vt credere audeas, quod omnia relinquēdo subsistas?An nō pleriq; & terrena patrimonia nequaquam deserunt,& tamen ex his per misericordię opera

opera supernæ sortis bona æterna mercătur? Hæc blădiēs suggerit: seorsum vero in iisdem rebus, quas retinere admonet, ante retinentis oculos delectationes pestiferas decipiens apponit, quatenus seductū cor ad blandimenta exteriora pertrahat, & intima perfectionis vota peruertat. En igitur, si Gregorio credim⁹, ex quo fonte ista præpostera pauperū cura procedat. En etiā quid dæmon ista suggerendo moliatur, vt dum nos tam specioso caritatis, ac misericordiæ prætextu in terrenarum rerū tractatione, quasi in lubrico loco retinet, eo facilius in lapsum præcipitet. Vt enim difficile est ita picē tractare, vt non digitis adhæreat, ita difficile est, animū, quacūq; id sit occasione, sic diuitias, & opes administrare, vt nō eis amore, & affectu, & cupiditate aliqua cōglutinetur, eoque quasi cōtactu sordidetur.

Merito ergo Hieronymus in epistola quadam ad Iulianum, qui & diues, & prolixe in pauperes liberalis erat, eum tamen ad omnia potius deserenda exhortatur, idque multo perfectius, & salubrius esse ostendit. Et tu quidem, inquit, bene facis, quod sanctorum diceris vsibus ministrare, fouere monachos, ecclesiis offerre quamplurima. Sed hæc rudimenta sunt militiæ tuæ. Contemnis aurum, contēpserunt & multi philosophi, è quibus vnus, vt ceteros sileam, multarum possessionū pretium proiecit in pelagus, Abite, dicens, in profundū malæ cogitationes, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Philosophus gloriæ auidus, & popularis auræ vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit, & tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex toto offeras? Te ipsum vult Dominus hostiam viuam, placentem Deo. Te, inquā, non tua. Quod si te ipsum Domino dederis, & apostolica virtute perfectus sequi cœperis Saluatorem, tunc intelliges vbi fueris, & in exercitu Christi quam extremū tenueris locum. Nolo tantū ea offeras Domino, quæ potest fur rapere, hostis inuadere, proscriptio tollere, quæ & accedere possunt, & recedere, & instar vndarū, ac fluctuū à succedentibus sibi dominis occupătur, atque, vt vno sermone cuncta comprehendā, quæ velis, nolis, in morte dimissur⁹ es. Illud offer, quod tibi nullus hostis possit auferre, nullus eripere tyrănus, quod tecū pergat ad inferos, immo ad regna cœlorum, & ad paradisi delicias. Extruis monasteria, & mult⁹ à te sanctorū numerus sustētatur: Sed meli⁹ faceres, si & ipse sanctus inter sanctos viueres. Hęc ad Iulianū. Eadem scribit etiam ad Pammachium,

Epist. 34

Epist. 26.

machium,& ad id Zacchæi illius ſtaturam,vt legimus, puſillã ſcite accõmodat:Hæc moneo,inquit, vt nõ ſolum pecuniam,ſed & te ipſum Chriſtum offeras. Corium pro corio, & omnia quæ homo poſſidet, dare poteſt pro anima ſua.Scit hoſtis antiquus,maius continentiæ, quã nummorum eſſe certamẽ.Facile abiicitur quod hæret extrinſecus. Inteſtinum bellum periculoſius eſt.Coniuncta diſglutinamus,vnita diſſuim⁹.Zacchæus diues erat,Apoſtoli pauperes;reddidit ille quadruplum quod rapuerat,diuiſitq; pauperibus medietatam ſubſtantiæ ſuæ, quæ remanſerat. Suſcepit Chriſtum hoſpitem,& tamen quod paruulus erat,& apoſtolicæ proceritati ſe non poterat extendere, non fuit in duodecim numero Apoſtolorũ.Apoſtoli autem quãtum ad diuitias nihil;quantum ad voluntatem totũ mundũ pariter reliquerunt.Si offeramus opes cum anima noſtra, libenter accipiet. Addamus his aliud eiuſdem Hieronymi teſtimoniũ, qui Lucinium amicum ſic hortatur ad perfectam abrenuntiationem.Aurũ,ait,deponere,incipientium eſt,non perfectorũ:fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antiſthenes:ſeipſum offerre Deo,propriũ Chriſtianorum eſt,& Apoſtolorum.Abundantia tua multorum inopiam ſuſtentauit,vt & horum diuitiæ in manu indigentium redundarent.Feciſti tibi amicos de mammona iniquitatis, qui te reciperent in æterna tabernacula:laudanda res,& Apoſtolicorum temporũ virtutibus coæquãda. Sed Domin⁹ magis quærit animas credentium,quam opes.Legimus, Redemptio animæ viri propriæ diuitiȩ:poſſumus quidem diuitias proprias intelligere,quæ non de alieno non de rapinis ſunt:ſed melior eſt intelligentia, vt diuitias proprias cognoſcamus theſauros abſconditos, quos nec fur poſſit ſuffodere,nec latro violentus eripere.

Epiſt.28. *Pro.13.*

Ergo cum Hieronymi tam multis locis tam diſerte hoc dicentis,& tot aliorũ Patrum,quos attulimus, ſententiam teneamus,nihil nos ſane Ariſtotelis auctoritas, quãquam contra ſentientis,mouere debet.Sed tamen ne is quidẽ aduerſatur. Nam quod ſupra ex eius primo ethicorum libro prolatũ eſt,id ei libro apte cõuenit, in quo de ea felicitate diſputat,quæ ad actiuã vitam pertinet,cuius ſine dubio inſtrumẽtũ ſũt diuitiæ;nõ enim alioquin haberet,quo hominibus ſubuenire,& opitulari poſſet;in quo vno magna ex parte poſitũ eſt illud felicitatis genus. At vero ad contemplationẽ,in qua,ex eiuſdem Ariſtotelis ſentẽtia, verior eſt felicitas,

felicitas, diuitiæ quidem nihil conferunt, vt potius eam impediunt: turbant enim animi quietem, operi illi inprimis necessariam. Quare Aristoteles ipse alio libro moralium, quo felicitatem hanc, quæ est in contemplando, tractat, hoc quoque affirmat, ad actiones opus esse multis, speculanti vero nullam esse eiusmodi rerum necessitatem, sed potius magnum esse impedimentum speculationi. Itaque hoc stabilitum sit, multo vtilius, multóque etiam excellentius esse, quicquid homo habeat, simul relinquere, vitámque Euangelicæ paupertati dicare, quam sua retinere, etiam eo consilio, vt in pauperes erogentur: quod quidem egregia quoque Hilarionis tanti viri sententia confirmare possumus, quem narrat Hieronymus, cum Orionum ditissimum hominem à dæmonum legione liberasset, ísque paulo post cum ingentibus donis ad monasterium reuertisset, constantérque recusantem etiam cum lachrymis vrgeret, vt si non in suos, saltem in pauperum vsus acciperet, ita respondisse prudentissimum senem. Multis nomen pauperum occasio auaritiæ est, misericordia vero artem non habet. Nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reseruat.

10. Ethi. cap. 8.

In vita S. Hilar.

Responsio ad eos, qui malunt in seculo manere, vt fructum in proximis faciant.

CAPVT XXI.

EST etiam alia quædam opinio retrahens à religione, eorum, qui in seculo plus se proximis in spiritu profuturos putant: similis omnino error ei, quem proxime profligauimus, nisi quod ille in materia terrena versatur, hic in spirituali. Itaque huius etiam honestior quidam est prætextus, aptiórque ad decipiendum. Ita enim ratiocinantur, & quasi contra religiosum statum disputant, sepeliri quodammodo talentum à Deo datum, & voluntatem, ac zelum promouendi alios ad virtutem; quoniam qui sub obedientia viuunt, non adeo libere huc illuc excurrere possunt, interdum etiam ab opere bene cœpto auocantur, aliísque rebus, ac locis applicantur. Contra vero qui libertatem suam retinent, licere eis omni hora, & omni tempore, omni hominum generi adesse, nullo interpellante, ac prohibente. denique esse vtrósque vt canes venaticos, qui præda visa incitentur ad sequendum, sed illos sæpe vinculis teneri ad aliorum voluntatem, hos autem quasi sine vinculis, expedite, & impigre sta-

tim accurrere. Conſideremus igitur quam hæc parum valeant ad infringendum hoc tantæ perfectionis conſilium. Primum enim hoc ſcire oportet, caritatem. quæ tanta virtus eſt, ordinatam eſſe debere, idque adeo neceſſarium eſſe, vt ſi ordinata non ſit, ne caritas quidem ſit, ſed aliûs aliquis effectus caritatem ſimulans. Ordo autem præcipuus hic eſt, vt in iis, quæ ſpiritualia ſunt, & quæ ad gratiam Dei, noſtrámque ſalutem attinent, prius quiſque ſe ipſum, ſuámq; vtilitatem, & profectum amet, ac curet; quam proximi vllius; idque ita præcipit Deus. Quod tum Theologi omnes vno conſenſu docent, tum B. Thomas hoc etiam argumento ſolido, & graui confirmat: quoniam, inquit, caritas fundatur in communicatione bonorum ſpiritualium. atqui poſt Deum, qui eſt fundamentum, quiſq; ſibi primus eſt, qui particeps ſit huius boni, proximos autem diligimus vt ſocios in tali participatione. Quamobrem ſicut vnitas potior eſt, quā vnio, ita quod homo tali bono fruatur, potior eſt ratio diligendi, quā quod alius ei ſocius ſit in fruendo. Quo quidem poſito, illud etiam vere, ac neceſſario concluditur, non poſſe caritatis habitum inclinare, vt pro aliis hominibus, quicunque ſint, etiam ad omne hominum genus ſaluandum, non dico vel minimum committatur peccatum, ſed ne ipſius quidem caritatis vllum detrimentum admittatur non magis, quam ex glacie ignis exiſtat. atque hoc etiam a Theologis omnibus pene traditur, Quod cum ita ſit, & cum etiam negari, aut dubitari nō poſſit, quin ad perfectionem ac virtutem propriam acquirendā ſine vlla comparatione aptior ſit religioſus ſtatus, quam vllus ſtatus ſecularis, hoc quoque aperte atque expreſſe ſequetur, etiam ſi ex aliquo ſeculari ſtatu plus vtilitatis in proximos manaret, tamen hanc vtilitatem alienam poſthabendā eſſe propriæ. Habemus autem de hoc manifeſtam Saluatoris ſententiam. Quid prodeſt, inquit, homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? quam ſententiam ne quis de lucro temporali tantum intelligēdam putet, certe eam S. Bernardus ad hunc ipſum ſpiritualem proximorum profectum diſerte applicat. ſic enim ait in libris de Conſideratione, Si totus, inquit, eſſe vis omnium, inſtar illius, qui omnia omnibus factus eſt, laudo humanitatē, ſed ſi plena ſit. Quomodo autem plena, te excluſo? Et tu homo es. Ergo vt integra ſit, & plena humanitas, colligat & te intra ſe ſinius qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodeſt, iuxta verbum Domini, ſi vniuerſos lucreris, te vnum perdas?

Hæc

1.2. quæ. 36. ar. 3.

Mat. 16.

1. de Cōſider.

Hæc Bernardus primo libro, eadémque ferme repetit in secundo, inter quæ illud commode, In acquisitione, inquit, salutis nemo tibi germanior vnico matris tuæ. Est autem in hac istorum ratione duplex incommodum, primum quod dum in seculo viuunt, quocumque consilio id faciant, expositi sunt labendi, & peccandi periculis, iisdem fere, quibus seculares ipsi: quoniam cum in eodē mari nauigent, iisdem etiā fluctibus agitari necesse est, præsentium scilicet illecebrarum, honoris, diuitiarum, pulchrarum rerum, quæ & oculos, & animum assidue pulsant, vt difficillimum, & rarissimum sit, semper resistere, & ita resistere, vt semper vincas. Hoc est igitur primum malum. Alterum est, quod, etiam si hoc demus, eos in ista pugna semper vincere: restat tamen illud perfectionis, ac virtutis detrimentum, quia multis, & magnis bonis priuantur, vt voluntariæ paupertatis, & obedientiæ, & aliorum eiusmodi, quæ sunt in religione communia, atque, vt ita dicam, vulgaria. Quæ autem stultitia est, cum nostro tanto dispendio, aliorum lucris seruire velle? Quare illud potius audiendum, & semper ante oculos habendum est Spiritus sancti consilium, quo hoc ipsum ita monemur, Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas, id est, ne cadas, & labaris ipse: nam qui lapsus sit, primum male ipse habet, deinde ne alios quidem iacentes subleuare potest. Meminisse etiam oportet virginum illarum, quarum ideo ipsius ore Domini laudata est prudentia, quia cum ab aliis virginibus rogarentur, vt de oleo, quod habebant, ipsis impertirent, responderunt, Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Sic enim dictum hoc huic ipsi rei, de qua agimus, scite applicat Sanctus Bernardus in Canticis, ac tum alia multa addit in hanc sententiam, tum illud quod nos etiam ante tractauimus, non esse hoc veræ caritatis, vt cum sua ipsius iactura aliis quispiam prodesse velit; quia caritas, inquit, vult abundare sibi, vt possit omnibus. Seruat sibi quantum sufficiat, vt nulli deficiat. alioquin si plena non est, perfecta non est. Itémque illud. Ego nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteferendum existimo, quem sapiens posuit dicens, Miserere animæ tuæ placens Deo.

Eccl.29. *Mat. 25.* *Serm. 18* *Eccle.30.*

Hæc igitur ita valent, vt etiam si ad faciendum in aliis fructum aptior esset vita secularis, tamen quia ad proprium fructum aptior est religio, non sit dubitandum, quin hæc illi

 longe

longe anteferenda ſit. Quid igitur, ſi addamus etiam religionem ad alienum fructum longo interuallo aptiorem eſſe? Hoc vero ita certũ eſt, vt ne pluribus quidẽ confirmari opus ſit: & nos tamen multa in hanc ſententiã ſecundo libro attulimus, vbi plurima, quæ hic ſtatus habet ad homines iuuãdos, adiumenta commemorauimus. Summa vero hæc eſt, quod animarum conuerſio ad Deum, earũmq; omnis profectus, & incrementũ à nullo exiſtere poteſt, niſi à Deo. Sic enim ſcri-
Pſal. 83. ptum eſt, Gratiam & gloriã dabit Dominus, & Dominus ipſe,
Ioan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Quid ergo faciunt homines in aliorum hominũ conuerſione? Hoc vnum, quod à Deo tanquã inſtrumenta adhibentur, vt calamus ſolet ad ſcribendũ, ſerra ad ſecandũ. Itaq; vt inſtrumentũ, ſi ſe per ſe mouere velit, nihil efficiet, ſi vero ab artifice moueatur, omnia efficiet, ſic homo in his diuinis, & ſupernaturalibus operibus tantũ efficiet, quantum cũ Deo coniunctus fuerit, & ab illo mouebitur. Videamus igitur vter coniunctior ſit cum Deo, ſecularis, an religioſus. Ne hoc quidem dubium eſſe poteſt. Nam præter coniunctionem illam, quæ eſt ex caritate, cuius ipſius tanto maior eſt facultas in religione, ſunt deinde aliæ virtutes, & in primis duæ illæ ita inſitæ in ſtatu ipſo, humilitas, & obedientia, quarum altera ab omni mundano faſtu nos remouet, altera ita nos tradit maieſtati illi, vt nos perfectiſſime poſſideat, & quo velit ducat, & reducat: quibus deinde omnibus adiungitur etiam votorum vinculum perpetuum, & irreuocabile, quod cum Deo nos aſtringit, & inſeparabiliter aſtringit, vt nulla iã maior, firmiórque cõiunctio in terris ne cogitari quidem queat. Quid igitur mirum, ſi talia inſtrumenta, nempe in manibus tanti, & talis artificis, & adeo in eius manibus, opera præclara, & mirabilia efficiant? Accedunt deinde ad has cauſas interiores etiam aliæ extrinſecæ, vt multorum conſociatio, magnũ certe præſidium ad res gerendas, quoniam quod quiſque non habet in ſe, habet in fratre: tum auctoritas illa, quæ apud homines naſcitur ex contemptu terrenarum rerum, qui quidem contemptus non in animo latet, ſed in ipſo ſtatu, totiúſque vitæ contextu elucet: quibus omnibus, aliíſque ſimilibus adiumentis carere neceſſe eſt eos, qui in ſeculari vita operam aliis nauant. Nam vt alia omittantur, quanti illud intereſſe putamus, quod religioſi, vt in aliis omnibus, ita in hac quoque animarum tractatione, à ſuis rectoribus dirigantur, informentur, & quodammodo illuminentur? Primum enim

enim consilia ipsa prudentum hominum, ac peritorum multum prosunt: deinde illud multo maxime iuuat, & in eo ferme sunt omnia, quod per eos à Deo reguntur. cum autem Deo auctore aliquid aggredimur, quicquid illud fuerit, non potest non felicem exitum habere. Itaque, vt ad illud etiam respondeamus, quod supra ex venatione allatum est, non ne hoc ipsum ad prædam capiendam magnopere confert, si canum impetus venatoris scientia, & arte gubernetur, vt in tempore, & loco, vel immittantur, vel reuocentur, vel retineantur? quod adeo necessarium est, vt alioquin canes quidem per se ad venandum inepti sint. Sed quid pluribus opus est in hoc fructu animarum? Aperiamus oculos ipsos, & re ipsa inspiciamus Ecclesiam Dei, vt nunc est, vtque fuit à multis iam seculis. Quis enim hoc toto tempore in concionibus habendis, aut excursionibus, Christi more, per oppida, per vrbes, per castella, faciendis, mortales à peccatis excitare, & ad Deum impellere instituit, præter religiosos? quis iam ferè in pulpitis auditur, nisi ex his ordinibus? Denique qui sunt alij huius vineæ operarij, vere operarij, qui scilicet pondus diei, & æstus perferant, & nihil aliud agant, nisi vt Dei gloriam, hominúmque salutem curent, nullo suo cōmodo, nullo temporali emolumento? Nam etsi aliquid fortasse ex statu seculari in hanc messem incumbunt, tamen ij adeo pauci sunt, vt propterea nemo illum generalem fructum, quo Ecclesia sustentatur, & consistit, secularibus potius, quam religiosis tribuendum putet.

Sed dicet aliquis, hæc vera esse de hoc generali fructu, se vero non de Ecclesia tota solicitum esse, sed tãtum de patriæ, vel parentum, aut propinquorum suorum profectu, ad quos docendos, ac iuuandos aptior futurus sit, si cum ipsis maneat, quã si religionẽ ineat. Ridiculum hoc quoque. Nam hic etiã valent quæcunq; hactenus dicta sunt de comparatione status religiosi cũ seculari in hoc ipso genere faciendi fructus. Immo vero hic etiam multo magis; quoniam ita ferme euenire solet, vt inter cognatos, & notos nõ modo non amplius proficiatur, sed minus etiã proficiatur: quod quidem vix credibile videretur, nisi & experientia, vt dixi, perpetua testaretur, & ipsa Veritas tanto iam ante prædixisset verbis illis, Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Atque id quidem Dei filius non solum dicto, *Marc. 6.* sed etiam exemplo suo confirmauit. Nam cum vbicumque esset, etiam inter Samaritanos, perditam gentem, & adeo à

Iudæis diffidentem, omnes eius sapientiæ, & sermoni auidissime inhærent, in patria quidem sua despectus, & irrisus est, ita vt de eo illud scriptum sit, Non poterat ibi virtutem vllam facere, & mirabatur propter incredulitatem eorum. Quid igitur nos speremus, infirmi, & imbecilli, si illa sanctitas, & illa maiestas inter carnem, & sanguinem nullum fructum efficere potuit? Iure ergo S. Bernardus inter vulpes illas paruulas, quæ in Canticis vineas demoliri dicuntur,
Ser.74. Cant. hanc etiam occultam tentationem commemorat, quæ non solum à religionis ingressu impediat, sed quosdam etiam iã ingressos rursum ad seculum retrahat. Vidi ego, inquit, hominem currentem bene, & ecce cogitatio, Quantum bonum quo solus fruor? Si essem in patria, possem vtique impertiri fratribus, & cognatis, notis, & amicis. Amant me, & facile acquiescerent suadenti. Vt quid perditio hæc? Vado illuc, & saluo multos ex illis, & me pariter. Nec verendum in loci mutatione. Etenim dum bene faciam, quid interest vbi, nisi quod illic proculdubio satius, vbi fructuosius degam? Quid plura? It, & perit miser, non tam exul ad patriam, quam canis reuersus ad vomitũ. Et se perdidit infelix, & suorum neminẽ acquisiuit. En vna vulpecula, ista videlicet frustratoria spes quã habuit in acquisitione suorum. Hæc Bernardus, ex quibus tam recte, & expresse ab eo dictis, alijsque supra allatis, hoc iam euidens est, quicunque vere animarum zelo ducatur (sunt enim, qui non vere hunc zelum habent, sed ideo in seculo manent, quia eos seculum delectat, eique cupiditati hanc quasi honestam speciem prætendunt) sed si quis sit, qui sincere Dei obsequium propagatum cupiat, eique propagando se ipsum dicare velit, iam dubitari non potest, quin id multo perfectius, & certius, & abundantius in statu religioso assequuturus sit, vbi præsertim non vni genti, aut familiæ sese alliget, quod est animi nimium restricti, & pusilli, sed generaliter omni loco, & omni hominum generi paratum se præ
Ezec.1. beat, vt quemadmodũ prophetica illa animalia, vbicunq; sit impetus spiritus, illuc statim gradiatur. Quod etiã eo deinde commodius, & facilius efficitur in religione, quam in seculo, quod, vt ante diximus, tã multa hic sunt, quæ nos ad omnem perfectionem, & sanctitatem promouent, contra vero illic tã multa, quæ à perfectione reuocant, & ad vitium impellunt. Sic enim res habet, vt qui naufragos ex periculo eripere velint, nisi ipsi in tuto sint, idem sæpe periculum adeant, ac propterea ne illis quidem opitulari possint. Simillime igitur, qui proximos

proximos in seculo periclitantes eruere nitatur, necesse est, vt seculo iam emerserit, omniaque secularia supergressus sit.

Ad eos qui dicunt satis esse relinquere mundum affectu, etiam si non effectu.

CAPVT XXII.

HVic, quam modo diximus, fallaciæ finitima est eorum ratio, qui dicunt frustra tantum laborem, tantaque suscipi incommoda, deserendis rebus omnibus, quæ possidentur, cum sufficiat affectu, & cupiditate deserere: idque ex eo confirmant, quoniam omnis perfectionis summa in caritate posita est: quare quicumque maiori prędicus sit caritate, eum perfectiorem esse, siue is secularem, siue religiosum teneat statum. Addunt etiam exempla ex sacris historijs, commemorant Isaac, Iacob, & ipsum Abraham, qui in matrimonio, in tanta opum, ac diuitiarum abundantia, tamen insigni sanctimonia fuere, ita vt cum eis Deus quam familiarissime, & amicissime versaretur. Sed videndum est, ne hæc quoque oratio sit blandientium sibi, causasque vltro nectentium, vt mundi vincula, quibus libenter astringuntur, non abrumpant. Itaque hoc etiam diligentius, & prolixius, quam superiora illa, refellendum est: quoniam multi sunt, & quidem ex ijs, qui se doctiores, & prudentiores existimant, qui hoc errore ducuntur. Nam etsi negari non debet, quin, quod isti aiunt, in caritate sita sit perfectio, religio autem non ipsa sit perfectio, sed via, & quasi instrumentum acquirendæ perfectionis, eiusmodi tamen instrumentum est, vt qui id habeant, facile, & breui, & sine errore ad perfectionem peruenire possint, qui autem eo careant, alij numquam, alij cum maximis difficultatibus, longoque tempore possint. Vt enim si cui tranciēdum esset flumen, nauem, vel pontem requireret, ne se periculo exponeret, aut si terra iter facturus esset, mallet iumento ire, quam pedibus, quod tum ad celeritatem, tum etiam ad commoditatem faceret: sic in ista tam longa, tam ardua, tamque salebrosa via ad culmen virtutis, & caritatis ipsius, quanti æstimandum est id adiumentum, quod nos non modo ad ambulandum, sed etiam ad currendum confirmet, aut potius quasi vehiculum suauissime deportet? Quale autem est hoc vehiculum? Satis multa de hoc diximus toto primo libro, vbi demonstratum est, duplex nobis à religione salutis præsidium suppeditari, alterum, quod impedimenta secularis vitæ, quæ sunt innumerabilia, re-

licto seculo, effugiuntur omnia: alterum, quod deinde plurima, & maxima commoda spiritualis vitæ consequimur. Quæ fuit causa, cur sancti viri, cum probe intelligerent, perfectionis summam in caritate consistere, tamen ita ad seculi fugam hortarentur, quasi sine ea non posset acquiri perfectio, vt Cassianus, cuius est illud: Necesse est, inquit, eum qui facultatibus pristinis, opibusque suffultus est, nec integram humilitatem cordis, nec mortificationem plenam noxiarum suscipere voluntatum. Optime vero, & disertissime Basilius, qui cum hoc posuisset, abnegationem illam, quam Dominus præcipit, in eo sitam esse, vt quilibet omnem sui ipsius amorem exuat, nihilque de se ipso sit solicitus, siue de vita, siue de morte, addit deinde quid necessarium sit ad hunc tam perfectum mentis habitum adipiscendum. Porro (inquit) huiusmodi renunciatio initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti possessionum, inanis gloriæ, consuetudinis vitæ superioris, affectionis ad res inutiles: quomodo sane vt faceremus, suo nos exemplo admonuerunt sancti Domini discipuli, Iacobus quidem, & Ioannes, relicto patre suo Zebedæo, ipsoque de quo tota illorum victus ratio pendebat, nauigio. Idemque paulo infra. Quamquam quod dico quid aut rationibus à nobis inuentis, aut sanctorum virorum exemplis attinet confirmare, cum ipsa Domini verba liceat in medium afferre, iisque ipsis religiosam, ac Dei timentem animam commouere, quibus ille aperte, ac citra controuersiam testificans sic dicit, Sic igitur quicumque ex vobis non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: Et alio loco cum post oblatam conditionem illam, Si vis perfectus esse, verba illa subiecisset, Vade vende quæ habes, post illud adiecit, Veni sequere me. Quo etiam spectat illa negociatoris similitudo, qui inuenta vna pretiosa margarita, vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Planum est enim, pretiosam margaritam regnum cœleste significare, quod regnum nos assequi posse Dominus negat, nisi omnia simul quæ habemus, diuitias, gloriam, genus, & si quid sit aliud eorum, quibus plerique ambitiose inhiant, pro eo parando neglexerimus. Hæc dicit Basilius, & plura, quid autem grauius & seuerius in hanc sententiam dici poterat? Eadem etiam videmus apud Macharium in quadam homilia. Fieri non potest, inquit, vt quispiam animæ suæ possessionem cōparet, aut caritatem spiritus cœlestis, nisi abalienatus ab omnibus;

Marginal notes: Coll. vlt. c. 24. — Rer. fus. cap. 8. — Luc. 14. — Mat. 19. — Hom. 9.

nibus, quæ pertinent ad hoc seculum, se ipsum applicet ad inuestigandam Christi caritatem, mensque segregetur ab omnibus crassis solicitudinibus, & distractionibus terrenis, vt circa scopum vnum penitus incumbere possit, vt omnibus dimissis, omnia etiam impedimenta materialia, & terrena amputans, & à dilectione carnali, aut affectione erga parentes, aut cognatos semotus, nulli alij rei permittat animum suum operam dare, aut aliunde distrahi, sed totus prorsus animus in spiritualium rerum cura, & inuestigatione occupetur. Hactenus S. Macharius vere, ac sapienter. Quamuis enim si subtilius ista disputemus, atque, vt in scholis dici solet, metaphysice rem ad viuum resecemus, possit etiam teneri inter opes sanctitas, inter honores humilitas, inter epulas castimonia; tamen, si ea spectemus, non quæ optantur, aut finguntur animo, sed quæ vt plurimum eueniunt, quæque vius, & communis vita ferat, non potest esse obscurum, quid melius, tutius, salubriusque sit. Quod quo planius intelligatur, secernenda sunt quæ in re hac certa sunt, ab ijs, quæ in disputatione. Illud certum, qui terrenis bonis quibuscumque animo, atque amore inhæreat, hunc aptum non esse regno cœlorum; ideoque eiusmodi res relinquēdas esse, saltem affectu, idque omnino, & omnibus, & semper. Sic enim ait Propheta, Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Ps. 61.* & alibi. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. *Psal. 75.* Idem etiam indicat Saluator ipse illo tam seuero dicto, Facilius camelum per foramen, quam diuitem ad cœlum intrare. *Mat. 15.* Hoc igitur certissimū. Illud in quæstionem venire potest, quod quidam ita se hæc terrena retinere posse confidunt, vt tamen spiritu pauperes sint, vt cor non apponant, vt nihil in eis fiduciæ suæ collocēt, denique nihil ob eorum amorem de Dei amore deperdant. Alij contra, quoniam hæc omnia difficillima esse intelligunt, & in statu isto tot salutis impedimenta, tot vitiorum incitamenta esse vident, malunt eum omnino exuere, quam ob adeo breuem caducarum rerum delectationem, æternam salutem periculo obijcere. Vtrorum igitur ratio melior, rectiorque iudicetur? Mihi quidem dubiū non est, quin vt in omnibus rebus, eoq; magis quo sint grauiores, prudentiæ est, in tutiorem, securioremque partē inclinare, vt si in alterutro peccandum sit, potius nimis cauti, quam parum prudentes videamur, sic idem, & multo diligentius, in hac re omnium grauissima, & maxima faciendū sit. Est difficillimum,

 & omni-

& omnino eiusmodi, vt humanam facultatem superet, cum multa possideas, ita possidere, vt affectum sustineas ab eorum amore. Basilius quidem eodem, quem supra dixi, loco, hoc quasi certum ponit, quicumque quamcũque rem ex his terrenis, ac caducis sibi reseruet, necesse esse (sic enim loquitur) eius mentem in illo quasi cœno cõsepultam teneri, eique aditum ad cœlestia meditanda præcludi, ex quo ita demersa iaceat, vt de supernis bonis à Deo nobis promissis cogitare non possit. illa enim bona assequi nos non posse, nisi quædam vehemens, & indiuulsa cupiditas ad ea nos incitet, & inflammet, eaque tanta vt pro ijs adipiscendis labores omnes reddat leues. Hæc Basilius; quod si cui rigidiora videantur, is animaduertat, ne ex aliorum, & ex sua fortasse mollitie, non ex ipsa perfectionis natura, de perfectione iudicet. Certe Chrysostomus quoque ita sentit, multo faciliorem esse medicinam ad nostros affectus sanandos, nihil omnino, quam aliquid habere, etiam moderate. Nihil, inquit, ita sedat cupiditatis sitim, vt desistere à lucrandi concupiscẽtia, sicut amaram choleram abstinentia, & euacuatio. Facilius enim est, vt humanum corpus volet, quam vt plura addendo quietum reddamus desiderium. Et certe ita res habet, vt, quod dixit philosophus ille, quædam facilius omnino abscindantur, quam ex parte temperentur. Nam quod scriptum est à Cassiano, facilius, inquit, vidimus viros, qui ab escis corpulentioribus omnimodis temperarent, quam moderate vsos pro necessitate concessis, & qui totum sibi pro cõtinentiæ amore denegarent, quam qui eas sub infirmitatis occasione sumentes, mensuram sufficientiæ custodirent. Hoc igitur quod Cassianus de gulæ temperantia scribit, latius omnino patet, & ad plura pertinet pertinet enim ad omnia, quorum præsentia oculos mouere, vel animum mulcere possit, vt multo procliuius sit, ab ijs penitus abstinere, quam ijs temperate frui. Ferme enim id euenit, quod ei, qui se ex alto demittit, sperans, cum ad medium peruenerit, posse se, cum voluerit, insistere. Sic enim non in hominis manu est, seipsum cohibere, vimque delectationis reprimere, atque ei modum præscribere, cum potius ipsa sibi imbecillitas indulgeat & paulatim prouehatur, & quidem, quod miserius est, imprudens, ac nesciens: de quo bene S. Leo, Per licitos, inquit, vsus ad immoderatos transitur excessus, dum per curã salutis irrepit delectatio voluptatis, & non sufficit concupiscentiæ, quod potest satis esse naturæ.

[Margin: Hom. 43 in Mat. — Seneca ep. 110. — Libr. 5. c. 7. — Ser. 12. Quadr.]

Est præ

Est præterea illud quoque in hac re animaduertendum, quod optime scriptum est à S. Basilio, quantum exteriora prosint ad interiora reformanda. Sic enim ille præcipit, ad humilitatem animi acquirendam, vt in omni cultu externo humilitati studeatur, in vestitu, in mensa, in cathedra, in domo, in lecto, in domestica supellectili, deniq; in omnibus: redditque causam, quæ non humilitati modo, sed omnibus virtutibus, & huic rei, quam tractamus, adprime conuenit, quod anima similis fiat ijs studijs, atque operibus, quæ tractat, & in quibus versatur, & omnino configuretur, inquit, & conformetur ijs, quæ exterius agit. Neque id mirum, cum tantam habeat coniunctionem cum corpore, vt ijsdem eam moueri oporteat, quæ sensibus corporis proponuntur, immo verò, quod nos assidue cum nostro damno experimur, plus etiam moueatur ijs rebus, quas per oculos, per aures, per tactum, reliquosque sensus percipit, quam ijs, quas sola cogitatione, ac mente, quæ eius est propria actio, percipit. Quod si ita est, non est iam dubitandum, quid intersit inter eum, qui solo affectu mundum, & mundana deserere velit, re autem, & opere inhærere, & eum qui affectu simul, & opere sese ab eo segregauit, & seiunxit. Ille enim quasi aduerso flumine remigat, & ideo difficilius, tardiusque progreditur, grauius fatigatur, facilius relabitur, atque adeo vt plurimũ relabitur; quoniam vix vllus est, qui in ea perpetua contentione, ac lucta aduersus tot difficultates, & impedimenta durare possit. Alter vero quasi propitijs ventis fertur, quoniam nihil eum impedit, aut retardat, omnia iuuant, & impellunt, locus, status, socij, occupationes, & studia, quibus tenetur, dénique quicquid videt, quicquid audit. Quæ cum ita sint, bene etiam S. Gregorius, & ita apte omnino ad nostrum negotium, ac si tanquam honorarius arbiter causam hanc definire voluerit. Sic enim eos reprehendit, qui Dei obsequijs militare se posse confidunt, seruatis rebus, & possessionibus suis. Sunt, inquit, plerique qui iam aliena non appetunt, atque ab huius mundi iurgijs inchoatæ quietis amore diuiduntur: erudiri sacris eloquijs appetunt, vacare supernis contemplationibus concupiscunt, nec tamen perfecta libertate curam rerum familiarium deserunt, cui sæpè dum licite seruiunt, etiã illicitis huius mundi iurgijs implicantur, cumq; terrenas res studiose tueri desiderant, cordis requiem deserunt, quam quærebant, & cum substantia fugiens cõtinuata prouisione protegitur, conceptus in animo diuinæ scientiæ sermo

Hom. de humil.

7. Mor. 14.

sermo

sermo dissipatur, quia iuxta Veritatis sententiam obortum semen spinæ opprimunt, & verbum Dei à memoria importunæ terrenarum rerum solicitudines expellunt. Dissolutis itaque gressibus ambulant, qui dum mundum perfecte non deserunt, semetipsos gradiēdo obligant, ne gradiantur. Quid clarius dici potuit? Id autem inter cetera optimum, quod terrena omnia substantiam fugientem appellauit: quoniam hæc est eorum natura, vt semper diffluant, ac vel ad aliorum manus, vel ad interitum fugiant, vt propterea magno labore, studio, & attentione opus sit, vt retineri, & conseruari possint: inter quæ quis locus, vel certe quam exiguus locus esse potest studio cœlestium? Quod autem putant isti se eiusmodi res facile tenere posse sine vllo affectu, ij quidē meo, & omnium rectè sentientium iudicio in magno errore versantur. Ita enim euenire videmus, vt in ipso vsu, & consuetudine, hominis animus ijs rebus, quas possidet, adhærescat, etiam nesciens, tumque maxime illigatus sit, cum sibi solutus, ac liber videtur. Accidit enim nescio quo modo, vt si quis lectulo, in quo iaceat, aut sedi, in qua sedeat, clam deuinciatur, neque ille aduertat, donec surgendi tēpus aduenerit. Sic enim nos quoque in terrenarum rerum amore fallimur, vt nobis liberi, & expediti videamur, nec compedes sentiamus: sentimus autem, cum vel nos ab eis morte, vel ea à nobis casu aliquo abeunt. Cuius rei quem meliorem, grauioremve testem quæramus, quam S. Gregorium, qui hoc ipsum non solum ratione docet, sed ex sua ipsius experientia? Sic enim se quoque, cum adhuc in seculo versaretur, deceptum esse narrat. Aperiebatur (inquit) mihi iam tunc de æternitatis amore quod quærerem, sed inolita me consuetudo deuinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specie tenus deseruire, cœperunt multa contra me ex eiusdem mundi cura succrescere, vt in eo iam non specie, sed, quod est grauius, mente retinerer. Igitur cum hoc Gregorius de se ipso fateatur, facile alij videre possunt, quāto eos magis sibi timere, & cauere oporteat, cum tanto inferiores sint virtute, ac robore, quam Gregorius. Hæc enim est causa, cur, vt idem alibi confirmat, sancti viri magis in hoc mundo prospera, quam aduersa formidant. Sciunt namque (inquit) quia dum mens blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora deriuatur. Sciunt quia sæpe sic hanc clandestina cogitatio decipit, vt quomodo permutetur, ignoret.

Ep. ante lib. mor.

5. Mor. cap. 1.

Atque

Atque hactenus quidem de religione, vt de instrumento, sed aptissimo & maximo, ad perfectionem acquirendam, quippe quod eos tollat spiritualis huius vitæ obices, qui propemodum viam omnem obstruunt. Videtur tamen quiddam etiam amplius in ea esse, quod per se expetendum sit, & quo qui careant, etiam si cetera omnia (vt hoc demus) habeant, magnis quibusdam bonis, præcipuisque ornamentis careant. Primum autem est voluntatis propriæ abdicatio, res ita perfecta, & ita euangelica. Nam qui liber est, & solutus, sæpe in ipsis bonis operibus, quæ agit, in oratione, in eleemosyna, in ceteris, potest aliquid, atque adeo multum commiscere voluntatis suæ: quantum autem de ea commiscet, tantum imminuit de operis laude. Itaque non dici potest, quam magnum bonum sit; hanc voluntatem omnino exuere, & abiicere, idque in omnibus, & in totam vitam. Hoc autem proprium est obedientiæ voto. Quanquam dicet aliquis, posse haberi pro duce vnius Dei voluntatem. Hæc quidem magnifice, & speciose dicuntur, magnumque aliquid videntur, quamdiu speculando tractantur, cum autem animus ad rem, praxímque ipsam traducitur, tota illa perfectionis imago euanescit. Primum enim hæc Dei voluntas quam obscura, & incerta est, quam magni in ea collimanda errores, quam crebræ perplexitates? deinde, quod etiam magnum est, qui in ea ipsa coniectanda, & interpretanda proprium sensum adhibet, aliquid sui adhibet: melius autem facit, qui ita vitam instituit, vt nihil penitus de suo adhibeat: hæc est enim illa perfecta abrenunciatio, & illa abnegatio, quam Dominus cum præcepit, hoc præcepit, vt ita nosmet ipsos deseramus, vt nihil omnino nostri retineamus. Itaque veræ virtutis est id, quod ait Climachus, cuius verba ponam, quoniam ipsa eorum simplicitas delectat. *Gra. 25.* Humilis (inquit) semper abominabitur voluntatem suam, velut deceptricem, & errantem; & quamuis omnes eius cogitationes, & facta diuinæ regulæ sint congruentia, adhuc tamen non sequitur voluntatem suam, nec credit sensui suo. Humili enim grauis est stimulus niti voluntati suæ, sicut superbo est stimulus, & onus intolerabile, subesse alienæ voluntati. Optime autem Gregorius illum ait sine dubio sublimioris discipulatus ordinem apprehendere, qui relictis omnibus, quæ exterius possederat, etiam intimas frangere voluntates parat, vt se alterius voluntatibus subdens, non solum prauis desiderijs, sed ad perfectionis cumulum, etiã in bonis votis sibimet renun- *32. Mor. cap. 17.*

ciet,

ciet, & cuncta quæ sibi agenda sunt, ex alieno arbitrio obseruet. Itaque has omnes istorum rationes, quas nos adhuc confutauimus, ad Satanæ tentationem refert: sic enim ait. Hunc hostis callidus tanto mollius alloquitur, quanto ab excellentiori deijcere ardentius conatur, moxque virulenta suggestione blandiens dicit, O quanta per temetipsum miranda agere poteris, si nequaquam te iudicio alterius sub dis. Cur profectum tuum sub studio meliorationis imminuis? Quæ enim dum voluntate propria vsus es, peruersa perpetrasti? Qui ergo tibi plene ad bene viuendum sufficis, alienum super te iudicium cur requiris? Hæc blandiens insinuat, seorsum verò in voluntatibus eius proprijs exercendæ superbiæ causas parat. Sic Gregorius, ex cuius testimonio hoc iam euidenter constat, quod tractamus, quanto perfectius, & quanto etiam securius sit, omne sui arbitrium relinquere, quam id retinere, etiam bene vtendo. Accedit, quod negari non potest, quin maior submissio sit, obedire Deo in homine, quam Deo ipsi aliquid per se iubenti. nam & regibus nemo sit, qui cum ex ipsorum ore aliquid accipiat, resistere audeat: seruis autem, & nuncijs obtemperare multo difficilius. Accedit quod qui re ipsa mundum, & omnia reliquit, idem etiam reliquit animo: id enim sponte fecit, & libenter fecit: qui autem animo tantum relinquere vult, primum hoc minus habet, quod non etiam re, deinde illud considerandum, quod facile errare potest, reliquisse se existimans quod verè non reliquit. Ita enim res habet, vt in rebus omnibus, ijsque præsertim, quæ sensui graues sunt, multum distet voluntas ab opere: illa enim nihil facilius, hoc durum, & laboriosum: quin etiam opus plerumque voluntatem explorat, & quasi examinat, cum sæpe etiam feruidus animus ad opus applicatus, ipsa difficultate perculsus, claudicare incipiat. Denique illud etiam maximum in hoc genere, quod cum in Saluatoris nostri Christi domini vita perfectissima vitæ forma enituerit, qui ad eum propius imitatione accesserit, is etiam perfectior haberi debet. Quoniam igitur ille non sola voluntate paupertatem, & humilitatem amplexus est, sed etiam operibus ipsis, ac toto vitæ statu, consequens esse videtur, vt qui in hoc vtroque eius in se effinxerit similitudinem, ei plus laudis debeatur, quam qui tantum in altero. Quæ fuit etiam Bernardi sententia, vbi ait, antiquis patribus satis fuisse spiritum Domini solo spiritu sequi. At, inquit, vbi Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, iam

Hom. ecce nos reliq.

iam nobis in eo tradita est imago vitæ, & perfectionis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque sequentes vestigio, non vlterius cum Patriarcha Iacob, altero femore claudicemus. Neque id dicimus, tanquam saluari quis vel hoc tempore nequeat, si secus egerit, sed vt gradum agnoscat proprium, & locum perfectionis, aut discipulatus officium non vsurpet. Hæc Bernardus.

Sed tamen quia obiecta est initio auctoritas antiquorum patrum, vt Abrahami illius, & Isaac, ei quoque satisfaciendum videtur. In quo idem Bernardus festiue, Quid respondebimus, ait, nouis imitatoribus sanctorum veterum? Imponant certè vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia hoc & Abraham fecit. Pergit igitur ita disserere, temporales illas diuitias figuram fuisse spiritualium diuitiarum, quæ nobis sunt reseruatæ: quare euanuisse illas, has nunc esse tenendas. Addit etiam quod verum est, ex illis ipsis patribus nullum fere fuisse, qui non aut afflictus grauiter, aut non grauiter in huius seculi prosperitate tentatus, forte etiam periclitatus sit: & illos quidem in profundo maris diuisi, in luto aquarum multarum ambulasse, terrena licite possidendo, nos autem nouo quodam, & mirabili modo gradiendi, ipsas quoque vndas calcare, omnia relinquendo; quæ quidem gratia, ac prærogatiua euangelico statui, & Petro, quasi duci, & antesignano debebatur. Eadem pene in re simili dicit Chrysostomus in libro de virginitate, non mirum esse si prisci illi patriarchæ suas & opes, & coniuges habuerunt, quoniam non idem à nobis, & ab illis virtutis modus exigitur. Neque enim, inquit, nunc quisquã perfectus esse potest, nisi vendiderit omnia, nisi omnibus renunciauerit, neque pecuniæ solum, aut domui, sed propriæ etiam vitæ curam abiecerit. At tunc nullum omnino tantæ perfectionis specimen fuit. Quod argumentum vberius deinde tractans, causam etiam addit, cur maiora nobis, quam illis posita sint præcepta, quoniam maior etiam in nos Spiritus sancti gratia effusa sit, maioráque dona ex Christi aduentu impertita, qui nos ex infirmis perfectos reddit. Quare vt homines à suis liberis, cum iam adoleuerint, plura requirunt, quam antea à pueris, & quæ in teneriori illa ætate delectabant, eadem deinde in robustioribus annis reprehenduntur, ita Deum prioribus illis temporibus multa indulsisse, quæ iam in euangelica luce imperfectiora appareant, maxime etiam cum vberior

Ibidem.

Cap. 83.

nunc

nunc merces propoſita ſit, pro terra cœlum, pro temporalibus ſempiterna. Denique, vt concludamus, quamquam vel ex veteribus illis, vel etiam ex recentioribus aliqui, vt ſcimus, extiterint, qui inter diuitias, vel honores, vel inter coniugij delectationes, aut in regno ipſo, virtutem retinuerint, tamen quæ temeritas, vel quæ potius dementia ſit eius, qui ſibi tantum arroget, vt ſe eis æqualem putet, & periculum quod illi euaſerunt ſe quoque euadere poſſe confidat? Recte enim & ſapienter S. Thomas hoc ait illos aſſequutos excellentia quadam ſanctitatis, & quadam virtutis eminentia quam ijs Dominus Deus, qui omnia operatur ex propoſito voluntatis ſuæ, tribuere voluit: neque tamen infirmiores ita ſibi confidere debere, vt ſe quoque cum ijſdem impedimentis ad perfectionem peruenire poſſe putent: ſicut nemo tam ſtultus ſit, qui quoniam audierit Sampſonem vna aſini mandibula multos hoſtes peremiſſe, propterea ipſe etiã hoſtilem exercitum ſolus, & inermis inuadere audeat. Hæc igitur dicta ſint ad demonſtrandum, quanto melius, & perfectius, ſecuriuſque ſit (hæc enim omnia cõmoda concurrũt) mundum, & cuncta mundana, non ſolo deſiderio, quod incertum eſt, magniſque erroribus expoſitum, verum re quoque ipſa, & facto, prorſus deſerere, in quo innumerabiles inſunt vtilitates.

2. 2. q. 186. art. 4.

Ad eos, qui dicunt, perfectius eſſe viuere in ſeculo propter maiores difficultates bene viuendi.

CAPVT XXIII.

RESPONDENDVM eſt etiam illis, qui præſtantius eſſe aiunt, maioriſque meriti, bonam, & honeſtam vitã in ſeculo ducere, propterea quod tam difficilis ſit illic virtus, & pietas, ob tam multa impedimenta. Contra vero religionis laudem ob id ipſum eleuant, vnde nos eam tantopere ornauimus, quod extra omnem periculi aleam tuto, ac ſecuro otio perfruatur. Quid enim (inquiunt) magnum, ac mirabile eſt, quod nihil concupiſcat, qui cella concluſus nihil videt concupiſcendum, quod pacem animi conſeruet, qui nulla moleſta negotia tractat, nulláque rei vllius detrimenta ſentiat, quod numquam iracundia efferatur, qui cum fratribus mitiſſimis, eiuſdémque animi, & inſtituti habitat? Illa eſt virtus, verſari inter pulchras rerum formas, & eſſe abſtinentem, miſceri hominum turbis, intereſſe maledicis verbis, audire, & videre quæ ad peccandum poſſint illicere,

illicere, & tamen se semper sustinere, numquam labi. Ideo enim & Propheta gloriatur, quod cum iis, qui oderant pacem, esset pacificus: & de Iob non sine causa hoc ipsum commemoratur à scriptura, quod esset in terra Hus; quoniã vt ait Gregorius, non valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Hæc quosdam dicere audimus interdum, alios ignorantia, & errore, alios malitia quadam, & simulatione, vt seculum quod libidine complectuntur, ratione potius se complecti ostendant. Verum & illos docere, & hos refutare non magnus labor est. Nam si ita res haberet, vt in istis præliis, ac pugnis, semper superiores, & intacti abirent, nullum vnquam vulnus acciperent, haberent fortasse aliquid, quo gloriari possent. Sed non ita est. Non enim fieri potest, vt qui inermis inter tot hostium millia semper versatur, nullo præsidio alieno, ac ne studio quidem, & diligentia sua, non multas quotidie plagas accipiat, eóque maiores, quo minus ipse aduertit; idque declarat eorum vita, qui sic loquuntur, vitiis, & perpetuis culpis referta, Falso igitur se iactant, qui ita se iactant; non enim id est pugnare cum hoste, sed capi, & cædi, & mactari ab hoste. Atque si illud etiam daremus, vt quispiam per annos multos sæpe victor esset, multósque dæmonum impetus fortiter sustineret, quid hoc refert, si post tot annos vel semel cadat, semélque in illorum manus veniat? quod quidem ita facile, ac procliue est, vt vix vitari possit in tam præcipiti, & periculoso loco. Sed ponamus hoc quoque, nunquam vllum vulnus accipi: habet tamen religiosus status tam multa alia, in quibus excellat, assiduam virtutum omnium exercitationem, humilitatem, obedientiam, fraternam caritatem, vt etiamsi hæc quæcumque est, secularis vitæ laus vera sit, quod non est, infinitis eam partibus obruat. Sed quoniam de merito loquimur, hoc ipsum indagandum est, an difficultas hæc, quæ est in seculari vita, meritum augeat. Cui quæstioni docte satisfacit Bonauentura in eo libello, qui est ab eo inscriptus, Apologia pauperum. Is enim ita disserit, triplicem inueniri in bonis operib⁹ difficultatem, vnam ex ea causa, quod opera quædam nobilia sunt, & magna, & ardua: quæ autem eiusmodi est, magnum merito cumulum addere. Atque huius quidem difficultatis permultũ esse in religione: multa enim continere grauia, & supra cõmunem hominum morem, ac facultatem etiã, si naturę vires æstimemus. Itaque recte Hieronymus in epistola ad Rusticum monachũ, Si perfecta sequi desideras,

Psal. 199
Iob. 1.
1. Mor. cap. 1.

deſideras, exi cum Abraham de terra tua, & perge quo neſcis. Si habes ſubſtantiam, vende; & da pauperibus, ſi non habes, grandi onere liberatus es. Nudum Chriſtum nudus ſequere. Durum grande, & difficile, ſed magna ſunt præmia. Alterum deinde ait eſſe genus difficultatis, quod naſcitur ex hominis vitio, ſiue propter naturalem imbecillitatem, ſiue propter habitus iam contractos. Nam & auaro grauius eſt donare, & ſuperbo ſubdi, & guloſo abſtinere à cibis, quod ſane genus non modo non auget, ſed imminuit meritum; quoniam repugnantia illa voluntatis quaſi vigorem eius retundit, facítque minus voluntarium. de quo bene idem Hieronymus in alia quadam epiſtola ad Euſtochium: Soror tua Blæſilla ætate maior, ſed propoſito minor, poſt acceptum maritum ſeptimo menſe viduata eſt. O infelix humana conditio, & futuri neſcia. Nam & virginitatis coronam, & nuptiarum perdidit voluptatem, & quamquam ſecundum pudicitiæ gradum teneat, quas tamen illam per momenta ſingula ſuſtinere cruces æſtimas, ſpectantem quotidie in ſorore quod ipſa perdidit, & cum difficilius experta careat voluptate, minorē continentiæ habere coronam? Tertia eſt, auctore Bonauentura, difficultas quam afferunt cauſæ extrinſecæ, vt rei præſentia, quæ magis mouet, vt pulchritudo, & ſimilia, quæ ſi vincantur, augent illa quidem interdum ex accidenti, & indirecte præmium, ſed tamen quia per ſe atque ex ſua natura potius impellunt in ruinam, ideo fugienda, omníq; ſtudio ab omnibus declinanda ſunt; quod qui non faciat, non ſolum tum peccat, cum labitur, ſed etiam cum ſe exponit periculo labendi. Hinc enim eſt illud Auguſtini, qui inducens cuiuſdam ſermonem dicentis velle ſe habere quod vincat, quia id præclarum ſit. Quid, inquit, eſt, volo habere quod vincam, niſi, viuere deſidero ſub ruina? Quibus paucis verbis hoc indicatur, vt ſtultus ſit, qui cum domum ruentem videat, non ex ea profugiat, ſic multo ſtultiorem eſſe, qui ex proximo animæ diſcrimine non ſe item fugiendo eripiat. Quod ſi quis ſit fortaſſe, qui fugam iſtam turpem exiſtimet, contráq; laudabile putet, immorari in periculo, ídq; fortis animi eſſe, audiat quid de hoc ipſo Hieronymus aduerſus Vigilantium hæreticum diſſerat. Reſpondebis, inquit, hoc non eſt pugnare, ſed fugere. Sta in acie, aduerſariis armatus obſiſte, vt poſtquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam. Nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriā. Quid autem neceſſe eſt, certa dimittere, & incerta ſectari? Tu qui pugnas,

Epiſt. 22.

Ser. 250. de temp.

Lib. cont. Vigil.

pugnas,& superari potes & vincere. Ego cum fugero, nō vincar in eo quod fugio, sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est, vicino serpente dormire. potest fieri vt me non mordeat, tamen potest fieri vt me aliquando mordeat. Hæc Hieronymus humanæ, vt quidem ipse ait, imbecillitati consulēs. Sed tamen re vera nihil fortius, quam eiusmodi imbecillitas, nihil imbecillius, quam illa temeritas. Illa enim dum fugit, vincit, nec fugere posset, nisi voluntatem præsentis rei obiectæ vicisset, & contempsisset. hæc autem dum eius dulcedine illecta in periculo commoratur, hoc ipso iam victa est, & hoc ipso se inferiorem ostendit, quod se abripere non potest. Est autem eo stultior hæc temeritas, quod in animæ tantum malis prouidendis, & præcauendis cæca est, cum in corporis malis nimis etiam sit oculata. Nullus enim est, qui in nauigando sponte se in tempestatem immittat, vt peritiam seruādæ nauis ostentet, sed potius portu se continet, vel se propere, & mature in portum recipit. Quare hoc idem eo magis in causa animi faciendum esset, quoniam verum est quod ait scriptura, Qui amat periculum, peribit in illo. *Eccle.3.*

Ad id quod obÿcitur, religiosos maioris perfectionis obligatione teneri.

CAPVT XXIIII.

QVOD à Domino dictum, & in Euangelio scriptum est, Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, cum ideo sit dictum, vt omnes homines in virtutem exstimulentur, non tamen desunt, qui ita accipiant, vt à virtute retardentur. Sic enim existimant, securiores se fore, si mediocritatem quandam teneant, quam si appetendo perfectione, tantam suscipiant obligationem, vt ei satisfacere laboriosius sit, & si non satisfaciant, damnosius. Qui quidem quam perperam agant, est breuiter ostendendum. Primum enim intelligere oportet, hanc Saluatoris vocem non in solos cadere religiosos, sed in omnes omnino Christianos, qui tot diuinis donis ornati, tot ditati thesauris, qui Dei sanguine empti sunt, & denique tot à Deo beneficia perceperunt, & singulis horis, singulísque momentis percipiunt. Non igitur putare debent ij, qui religiosi non sunt, se tutius, vt ipsi existimant, seueritatem sententiæ effugisse, sed quoniam tam multa, & tam immensa sunt, quæ ipsis quoque data sunt, ipsos etiam ex eorum numero fore, à quibus multum, seu potius immensum quiddam repetatur. Religio autem, quod ad nostrā *Luc.12.*

 consola-

consolationem magnopere valere debet, etiam si plura congerat beneficia, tamen hæc beneficia eiusmodi sunt, vt etiam adiuuent ad exsoluendum, ac dependendum quod debemus tum pro iis ipsis, tum etiam pro aliis communibus. Nam si ieiunare, si castum esse, si obedire donum Dei est, simul etiam idem ieiunium, eadem castitas, eadem obedientia fermè Deo reddit quicquid donum ipsum valet. Accedit etiam quod non adeo terrere nos debet illa seuera denunciatio repetendi quod datum est, quam recreare illa
Mat. 13. promissio, Qui habet, dabitur ei, & abundabit. Sic enim res habet, isque Dei mos est, vt diuites, & plenos, pleniores etiam, ditioresque efficiat. Videtur enim nescio quo modo, vt ita dicamus, ipsius Dei interesse, vt iis, quibus multa bona concessit, ea bona non pereant, & plura insuper concedat, quibus priora illa confirmentur, ac stabiliantur. Vt sæpe videmus lusores, ne perdant, plura perdere, aut qui litigant, quò plus vel laboris, vel pecuniæ iam insumpserint, eò plus incalescere ad insumendum. Denique illud quoque considerandum est, quod à nobis supra positum hic etiam locum habet, non ita à religiosis perfectam virtutem exigi, vt perfecti esse cogantur. In hoc enim falluntur, qui hanc religionis obligationem reformidant. Sed satis est, vt ad perfectionem aspirent, & quasi in via sint, vt ad eam tendant. Quemadmodum discipuli non eo quia discipuli sunt, ideo postulatur, vt iam docti; iam excellentes sint: sufficit enim vt cupiant, & studeant esse: quod idem de religiosis dici potest, qui modo virtutis cogitationem non penitus deposuerint, sed ad eam aliqua cura, & studio connitantur, etiamsi deinde aliquid habeant imperfecti, non ideo ab officio discedunt; isque passus, quicunque est, eos quotidie ad Deum promouet. Ex quo apparet, quam non rigide, vel seuere, sed potius benigne & suauiter cum religiosis agatur, ac non modo supra vires, sed aliquantum etiam intra vires grauentur. Quamobrem qui propter hunc metum, ne plura à se repetantur, religiosam vocationem reiicit, is simillimus
Mat. 25. videtur ei seruo inutili, & nequam, qui socordiam suam ita excusabat, Timui quia homo durus es: metis vbi non seminasti, & colligis vbi non sparsisti. Falsum hoc quidem, & impium. Tantum enim abest, vt repetat plus, quam dederit, vt etiam minus multo, quam dederit. Sed tamen recte à Domino ex ipsius ore conuictus, damnatusque est. Nam si hanc eius seueritatem, ac duritiam esse putabat, eo magis oportuit

tuit illum esse diligentem, impigrum, & strenuum in fructu augendo. Idem igitur in istos conuenit. Primum enim in hoc peccant, quod de infinita illa bonitate, & caritate tam indigne sentiunt, vt ei quoddam crudelitatis, si vere dicẽdum est, crimen aspergant. Deberent enim existimare id quod res est, illius dona nunquam in perniciem nostram, sed in profectum, salutẽmque futurá, &, si quid à nobis postulet, id eum prius vltro large, liberalitérq; daturum. Deinde si hoc timẽt, ne si vocationis acceptæ miniores fructus extiterint, seuere plectantur, quanto magis timere debent, si vocationẽ oblatam non acceperint? Nam hoc iam ipsum, quod oblatum est, in datis numeratur, cum vere datum sit; quod qui respuat, non modo drachmam in sudário inuoluit, aut defodit in terra, sed etiam, quæ maior est contumelia aspernatur, & abiicit. Hoc igitur eis extimescendum esset, simúlque atrox illa sententia in seruum illum pigrum lata, Ligatis manibus, & pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores. Atque hæc quidem sic habent.

Sed pertinet ad hunc locum alia quoque quæstio ex illorum opinione; qua nescio an plerique hominum teneantur; qui ita existimant, religiosorum peccata multo esse grauiora, quam secularium, multóque maiorem pœnam mereri. Quod si esset, durior sine dubio esset eorum conditio. Quamobrem hoc quoque diligenter videndum. Ponit hanc ipsam quæstionem Chrysostomus, eique respondet his verbis ipsis. At inquies, eiusdem criminis non est, eum qui seculo addictus sit, peccare, & eum qui semel sepenitus Deo deuouerit, religionis proposito excidere. Neque enim ex eadem altitudine decidunt, ita nec eadem quidem vulnera suscipiunt. Fallis temetipsum prorsus, ac decipis, si aliud putas à secularibus viris, aliud à monachis requiri. Quod argumentum Chrysostomus cum copiosius, multisque rationibus allatis, tractasset, deinde ita concludit. Itaque quod ad eandem vitæ diligentiam, supremúmque perfectionis fastigium per diuinas leges æque secularis, ac monachus cogantur, quódque ambo si ceciderint, æqualia sint accepturi vulnera, neminem iam, quamlibet impudens sit, & contentiosus negaturum existimo. Pressius hoc quoque, ac subtilius disputans B. Thomas, & plane ex theologorum rigore; duobus locis ostendit, iis exceptis; quæ vel contemptu, vel contra voti sponsionem committantur, reliquas culpas nec veniales solum, sed mortales etiam minui potius in religiosis, quam

Lib. 3. cont. vit. vita mõ.

1. 2. q. 73. arti. vlt. 2. 2. qua. 187. arti. vlt.

quam augeri. Quod quia incredibile fortaſſe nonnullis videatur, affert etiam triplicem rationem. Prima eſt quia eiuſmodi peccata, quæ non ex habitu, vt in ſecularibus procedunt, ſed repentino quodam quaſi vento, ſic animi impetu incitantur, minus ſunt voluntaria, ideóque & rarius committuntur, & ſi committantur, non ſe adeo in illis profundit voluntas. Deinde quia quicquid illud mali eſt, facilius abſorbetur à multis bonis, quæ Dei bonitatem ad miſerendum propenſam multo plus conciliant, quam vnum factum exaſperet, cuius exemplum apparuit in Ioſaphat, cui ſic dictum eſt à Propheta: Et idcirco quidem iram Domini merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te. Accedit tertium, quod religioſus vt maiorem Dei notitiam ex diuturniori familiaritate conſequutus eſt, non ita ſe poteſt in peccatum abijcere, & quaſi demergere, vt ille qui nec virtutis pulchritudinem, nec vitij fœditatem vnquam cognouit. Nam & in corporis caſu multum intereſt, vtrum quis fallente pede labatur, an ſe vltro præcipitet: ille enim ſuſtinet ſe quantum poteſt, rurſuſque ſtatim erigit; hic autem tum grauius alliditur, tum etiam de ſurgendo non cogitat: ex quo etiam ſequitur, vt hic quidem ad relabendum pronior ſemper ſit, ille contra poſt lapſum cautior, & firmior. Hoc enim eſt quod in pſalmis dicitur de homine iuſto: Cum ceciderit, non collidetur. Confirmantur hæc omnia auctoritate Baſilij grauiſſima, qui cum hanc ipſam quæſtionem poſuiſſet, Num eadem peccata æqualia ſint in religioſo, atq; in vulgari homine, reſpondet, in religioſo potius eſſe leuiora. Qui enim religioſus eſt (inquit) is cum de quærenda Dei gratia ſit ſolicitus, & in eo totus elaboret, non de induſtria, ſed caſu aliquo, & præter animi ſui ſententiam labitur. Vulgaris autem ille, cum nullam neque ſui, neque Dei rationem habeat, neque quicquam referre exiſtimet, peccet ne, an recte agat, vel Deũ contemnit, vel omnino eſſe Deum non putat, vt ait ſcriptura, Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Atque illud quoque ſcire conuenit, peccata religioſorum plerumque etiam euenire ex conſilio Dei ad ipſorum vtilitatem, cum videlicet De⁹ labi eos interdũ permittat ad ſanandam in eis aliquam animi elationem, quæ præceſſerit, vt Petro Apoſtolo contigit. Hæc S. Baſilius ad verbum. Quamobrem ſi hoc confert religio vt peccata ipſa extenuet poti⁹, atque eleuet, quam exaggeret, cui timendum erit, ne in recte factis plus ab eo repetatur

[Margin notes: 2. par. c. 19. — Pſa. 36. — Reg. br. c. 81. — Pſa. 52.]

tatur quam commodissime, & facillime ferre possit? Concludamus igitur, & dicamus cum gaudio id quod scriptum est in sacris literis, Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis quod minus sanctificati sint. *2. Para. 30.*

Contra eos, qui obijciunt aliquos religiosos non bene viuere.

CAPVT XXV.

FRequens est etiam illa vituperatio religionis ex eorum vitiis, aut lapsibus, qui vel religione ipsa parũ se probãt, neque loci, in quo sunt, sanctitati satis respondent, vel etiã, quod multo deterius est, ab ea discedunt, & missa ad aratrum manu retro deinde aspiciunt. Quod vt ita sit, tamen nihil iniquius, quam paucorum culpam vel reliquis omnibus, qui sine culpa sunt, vel ipsimet instituto, quod sanctum, quod à Deo conditum est, aspergere. Illud quidem verum est, ex illis ipsis criminibus, quæ contra religiosos circumferuntur, multa falsa, multa improbe conficta esse, agente id dæmone, vt Dei famulorum, quos sibi infestos esse sentit, auctoritatem eleuet. Quid enim mirum (ait Augustinus) si homines seruis Dei detrahunt, & qui eorum vitam peruertere non possunt, famam decolorare nituntur, cum ipsum Deum, dominum eorum quotidie blasphemare non cessent, cum eis displicet quicquid contra eorum voluntatem iusto, & occulto iudicio facit? Est etiam alia causa, quia ipsa status pulchritudo, ac dignitas facit, vt aduertatur quicquid vel leuiter ab ea dissonet: vt in veste nobili, aut in candido panno vel minima labes dedecet, cum in sacco grandiores ne notentur quidem, non quia non sint grandiores, sed quia id, quo recipiuntur, ita deforme est, vt noua illa deformitas nõ appareat. Sic enim in seculari statu plurimæ, & ingentes culpæ silentio prætereuntur, quoniam ea res nihil noui habet: in religioso autem statu etiam minimæ magis conspicuæ sunt, sed tamen minimæ. Verissimum est etiam illud S. Basilij, seculares istos nescio quam opinionem de religiosis cepisse, quasi vna cum statu ipsam etiam naturam mutarint, & aliã quandam naturam induerint plane ab humana diuersam, adeóque eos iniustos esse aduersus Dei famulos, vt perinde ac si carne, & corpore carerent, ita eos nullis, aut fere nullis cibis vti velint; quod si aliquem videant corporis necessitati *Ep. 136.* *Cõ. mo. 6. 7.*

ſubuenire, cum ſtatim conuicijs, calumniiſque proſcindant, deriuataque ab vno in reliquos omnes petulantia, vniuerſos pariter lurcones, & helluones appellent, neque illud reputent, ſe, cum quotidie epulentur, & quidem ſæpius in die, multáque carnium copia saginentur, & vino ſe ingurgitent, ita tamen menſis inhiare, tamquam canes poſt diuturnam famen è cathena dimiſſos. Hæc Baſilius omnia in religioſorum defenſionem.

Verùm vt fateamur in religioſos quoque aliquos interdũ & vitia irrepſiſſe, & lapſus, alios etiam ex eo ſtatu cecidiſſe, & cadere, non propterea damnandum eſt religionis conſilium, neque ex iſtorum ſegnitia de toto ſtatu iudicandum. Scite enim Auguſtinus ad eos, qui hoc monachis obiiciebant: Et nos (inquit) nouimus tales, ſed non periit fraternitas pia, propter eos, qui profitentur quod non ſunt. Tam ſunt enim monachi falſi, quam & clerici falſi, & fideles falſi. Hieronymus etiam veriſſime dixit in omni conditione, & gradu optimis miſta eſſe peſſima: quod certe eo etiam amplius locum habere neceſſe eſt, quo gradus ille altior, perfectior, eminentiórq; ſit. Quanto enim onus grauius fuerit, eo minus mirũ, in hac humanæ naturę imbecillitate aliquos eſſe, qui vel remiſſius deferant, vel etiam abiiciant: neque tamen horum inertia tantum talis inſtituti ſplendorem obſcurare debet. Heluidius hæreticus cum virginitati bellum indixiſſet, inter cetera id quoque accuſabat, quod quædam virgines eſſent, vt ille aiebat, tabernariæ. Quo autem modo confutat eum Hieronymus? Ego (inquit) plus dico, eſſe in iis & adulteras, &, quod magis mireris, clericos eſſe caupones, & monachos impudicos. Sed quis non ſtatim intelligat, nec tabernariam virginem, nec adulterum monachum, nec clericum poſſe eſſe cauponem? Nunquid virginitatis eſt culpa, ſi ſimulator virginitatis in crimine eſt? Licet autem huius exemplum capere ab Eccleſia, & ex toto corpore de membro vno argumentari. Nam etſi in Eccleſia multi tam perdite viuunt, ea tamen nihilominus ſancta appellatur, neque id impedit, quo minus hæc fidelium vniuerſitas à Paulo Apoſtolo ſine ruga, & ſine macula dicatur, quoniam ipſa per ſe inſtitutio, quo modo à Deo condita eſt, non quo modo à pleriſque deformata eſt, inſpici debet. Sic igitur idem dicendum de religioſis inſtitutis, nihil de eorum ſanctitate deperire, quoniam nonnulli in ijs inueniantur non ſancti. Quinimmo ſi recte conſideremus, plus etiã aliquanto

In Pſ. 132. *Ep. 4.* *Lib. aduer. Heluid.* *Eph. 5.*

quanto hoc valet in religionibus. Etenim si Ecclesia, cum plures sint mali, & qui per spatiosam latamque viam, quam per angustam ingrediantur, tamen tota pulchra, totaque Dei amica appellatur, quanto magis hic idem honor sacris hisce institutis debetur, in quibus tam multi sunt boni, ceteri tam pauci, tamque rari? Igitur præter instituti sanctitatem accedit etiam hæc altera ratio, quod quicquid aliqui peccent, id aliorum recte factis, & virtutibus abunde compensatur. *Cant. 4.*

Noli (ait Hieronymus) respicere Iudam negantem, sed Paulum respice confitentem. Addamus nos plus confirmare debere tam multos Paulos, quam deterrere vnum Iudam. Quo etiam pertinet illa Nysseni sententia in libro de virginitate, vbi iis, qui ita sanctiorem hanc vitam calumniabantur, quod nonnulli eam ingressi, postea superati, ac deuicti essent, respondet. nec se quidem negare, rem esse difficilem, minimeque communem; neque mirandum, quod in negotio tam arduo alios labor, alios aliæ causæ vincant. Sed tamen non debere nos ita animo cadere, vt tam præclaram rem ob eum metum repudiemus: quin potius fidenti animo aggrediendam esse tam fructuosam nauigationem, nauigatio continentiæ, gubernatore Christo, Spiritus sancti afflatu. Neque enim qui mare nauigant, mercaturamque exercent, ab instituto desistere, propterea quod aliquos aliquando naufragium fecisse sciant. Præterea perabsurdum, perque iniquũ esse, qui semper bene vixerit, deinde in aliquam culpam lapsus sit, eum putare improbum, eiusque vitæ genus detestari: cuius vero omnis vita in vitijs, ac flagitijs consenuerit, hũc putare melius sibi consuluisse. Si enim graue est, semel peccare, ob eamque causam satius putas à sublimioribus illis consilijs abstinere, quanto peioris is est conditione, qui semper in vitiorum cœno volutatus est? Hæc Nyssenus. Est igitur ista miseriæ huius vitæ, quamdiu peregrinamur à Domino, fragilitas, vt quemadmodum Saluator prædixit, necesse sit euenire scandala, vt qui hoc miretur, ignorare videatur, vbi viuat, & qualis etiam ipse sit, qui hoc in alijs miratur. Quare Cassianus cum illustrem Paphnutij illius patientiam commemorasset, qui ab altero monacho furti accusatus, vltro innocens pœnam subijt, eam narrationem ita concludit. Nec (inquit) peruersos, atque execrabiles quosque sanctorũ virorum numero insertos latitare miremur; quia dum huius seculi area conculcamur, atque conterimur, necesse est etiã paleas igni perpetuo deputandas inter electissima frumenta *Ep. 34.* *Cap. vlt.* *Matt. 18.* *Coll. 18. cap. 16.*

miſceri. Denique ſi vel Satan inter Archangelos, vel Iudam inter Apoſtolos, vel Nicolaũ prauiſſimæ hæreſeos inuentorem inter diaconos reminiſcamur electos, hoc quod nequiſſimi homines ſanctorum ordini deprehendantur inſerti, mirum eſſe non poterit. Sed vt ab hoc Paphnutio non tam cito diſcedamus, atque ex hoc exemplo de noſtris etiam temporibus argumentemur, ſi quemquam offendit, quod in illa ſanctitatis domo, in illa etiam ætate tam feruenti, aliquis inueniri potuerit tam perdite maleuolus in fratrem, cur non idem æque ædificetur Paphnutij ipſius humilitate, patientia, caritate, qui vt proximi, & talis proximi famæ parceret, ipſe potius eius criminis procellam ſubire, tantamque tam turpis delicti infamiam ſuſtinere decreuit? An non maior iſtius bonitas, & ſimplicitas, quam illius inuidia, atque malitia? Sed præterea in toto illo monaſterio vnus inuentus eſt improbus, idque intra tot annos, reliqui probi, & digni ſtatu tam ſancto. Quæ igitur peruerſitas eſt, plus moueri ad vituperandum vnius vitio, quam ad laudandum virtute tam multorum? Hyppone in cœnobio Auguſtini graue inter duos exarſerat iurgium, cum alter alteri magnum crimen intendiſſet, vt neceſſe eſſet, alterutrum ingentis culpæ reum eſſe, vel turpis facti, vel enormis mendacij: qua de re, cum orta eſſet in populo nõ mediocris admiratio, ac querela, Auguſtinus ad eos luculentam ſcripſit epiſtolam, in qua primum illos reprehendit, quod vnius factum in omne religioſorum nomen retorquerent, deinde id dicit quod paulo ante Caſſianus, non eſſe mirum, aut nouum, quod inter homines tales quidpiam interdũ eueniat. Ad quid aliud, inquit, ſudant iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſquis epiſcopus, vel clericus, vel monachus, vel ſanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non poſſe omnes manifeſtari? Et tamen etiam ipſi cũ aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum autẽ de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſitatis ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Idemque paulo infra, Quantumlibet vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior ſit, quam arca Noë, vbi inter octo homines reprobus vnus inuentus eſt: aut melior ſit, quam domus Abrahæ, vbi dictum eſt, Eijce ancillam, & filium eius: aut melior ſit, quam domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt,

Ep. 137.

ctum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit, quã domus Iacob, vbi lectum patris filius incestauit, aut melior sit, quam domus Dauid cuius filius cum sorore concubuit, cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit: aut melior, quam cohabitatio ipsius domini Christi, in qua vndecim boni perfidum, & furem Iudã tolerauerunt: aut melior sit postremo, quam cœlum, vnde angeli ceciderunt. Denique ad extremum ita religionis causam tuetur, vt ostendat, etiamsi ista effugere non possit, quanta tamen sit eius dignitas, ac splendor. Etsi, inquit, contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamẽtis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apothecæ dominicæ fructu olei luminosioris implentur. Apothecas dominicas vocat ipsam Ecclesiam, & fidelium animas, quas hoc oleo, id est, religioso statu, eiusque opera, & exemplo illuminari indicat. Postremo illud est etiam in hoc genere considerandum, quod si hæc nobis angeli aliqui obijcerent, quorum vita & carnis, & omnis peccati est expers, ij quidem iure suo hoc facerent, & nobis optandum esset, si fieri posset, nostra hac vita relicta, ad illorum vitã transferri. Cum vero hæc à secularibus proponantur, omnisque hæc comparatio inter illorum vitam, & nostram vitam versetur, equidem nescio quid sibi velit hæc eorum ratio, cum ne ipsi quidem tam impudentes esse possint, vt religioso statui suum statum præferre audeant, in quo experiuntur tam frequentes esse lapsus, tam raras virtutes, tam exigua merita. Quam in sententiam optime Anselmus in quadam epistola, Forsitam, inquit aliquis dicet, quia & in ordine monachorum est periculum. O homo qui hoc dicit, quare non considerat quæ dicit? O rationalis creatura, an ne hoc rationabile est cõsiliũ, vt quia vbiq; est periculũ, ibi eligas manere, vbi maius est periculum? Deniq; si ille, qui solum Deum nititur amare, seruat propositum vsque in finẽ, certa est eius salus. Si vero ille, qui mundum vult amare, non deserit suum propositum ante finem, aut nulla, aut dubia, aut minor est salus. Sic Anselmus. *Ep. 3.*

Responsio ad illud argumentum, quod si omnes fierent religiosi, mundus periret.

CAPVT XXVI.

Illud quoque à nonnullis interdum aduersus religiosa instituta affertur tanquam magnum incommodum, quod interitum

interitum ferme mundo minitentur; quoniam si omnes continentiam amplectantur, omni posteritate succisa, necesse sit, orbem terrarum incolis exhauriri. Est autem hæc quæstio non noua, ac recens, sed plane vetus, & multis iam ante seculis agitata. Sic enim ab Augustino quodam loco proponitur, Noui, inquit, quosdam qui murmurent, Quid si omnes velint ab omni concubitu abstinere, vnde subsistet genus humanum? Chrysostomus autem tum eandem quæstionem proponit, tum etiam plura mala, quæ ex hoc sequi possint, commemorat. Si id bonum, inquit, sequerentur omnes, vt mulierem omnino non attingerent, perirent omnia, & vrbes, & familiæ, & agri, & artes, & animantes, & cuncta, quæ ex terra oriuntur. Nam vt in acie cum imperator cecidit, omnes ordines dissipari necesse est; sic homine, qui in mundo princeps est, sublato, nihil est reliquorum, quod consistere, & saluum esse possit; quo fieret, vt consilium hoc totum orbem innumeris calamitatibus compleret. Itaque, vt dixi, antiquum est hoc argumentum, & à sanctis scriptoribus iampridem iugulatum. Respondet enim Augustinus, Vtinam hoc omnes vellent, multo citius Dei ciuitas compleretur, & accelararetur terminus seculi. Rectè id quidem, quanto enim melius esset, vt regnum illud Dei, quod quotidie precamur, nosque ita precari Dominus docuit, adueniret, essetque Deus, vt ait Apostolus, omnia in omnibus, quod erit, cum Christus Dominus omnia Patri subiecerit, quam in ista perturbatione, rerúmque omnium confusione diutius viuere? Quod si hoc, quod Augustinus optat, contingeret, vt omnes cœlibem, purámque vitam amplecterentur, id verò apertum esset indicium diuinæ voluntatis esse, vt mundo huic finis imponatur, nec posset melior, aut optabilior finis imponi, quam si tam generaliter omnes & animas, & corpora sua sanctimoniæ consecrarent. Hieronymus alio modo eidem quæstioni occurrit. Noli, inquit, metuere, ne omnes virgines sint. difficilis res est virginitas, & ideo rara, quia difficilis. Quod Hieronymi dictum multo magis confirmari potest illa Saluatoris sententia, Non omnes capiunt verbum hoc. Multi enim sunt, quos De⁹ ex suis occultis iudicijs huius beneficij participes non facit, alios vocat, vt sint participes, quam illi vocē non admittunt, sed præsentis seculi voluptatibus deliniti ex earum quasi retibus explicare se nequeunt Denique alij alijs causis, variísque impedimentis ita tenentur, vt existat id quod in euangelio à Veritate dictum est, angustam

De bono coniug. cap. 10. — *De virg. cap. 15.* — *Matt. 6.* — *1. Cor. 15* — *Lib. 1. con. Iouin.* — *Mat. 19.*

angustam esse viam, quæ ducit ad cœlum, & à paucis inueniri. quod si dictum est de communi via Christianorum, quanto magis conueniet viæ religiosorum, quæ tanto angustior est, quam illa, vt secularis via huius respectu latissima sit? Ac cum ea infirmitas, quæ in plerisque est, non sinit hoc beneficium vulgare esse, multisque cõmune, tum etiam ad Dei sapientiam pertinet, quandiu mundum hunc inferiorem constare velit, prouidere, ne desint qui hanc propagationem curent; quæ prouidentia cum nec pecudes, nec vermiculos deserat, quorum vnumquodque genus vt ab initio conditum est, deinceps conseruatur, non possumus dubitare, ne hominum genus deserat. Scite etiam Chrysostomus istos, qui hæc obiiciant, irridet, quod de terrarum orbe conseruando soliciti sint, & cum de eo laborent, ne hominum genus aliquando deficiat, quod ad ipsos nihil pertinet, animæ suæ tamquam alienæ rei curam negligant. Quare non eos id facere studio boni communis, sed suæ pigritiæ, ac negligentiæ prætextum quærere. Docet autem non connubium per se humanum genus augere, quoniam, vt in Abrahamo contigit, sæpe sit sterile: sed vim illam, quæ ei inserta est à Deo. Quare posse eundem Deum quoquo modo velit homines propagare. Addit denique duas fuisse instituendi matrimonij causas, alteram ad gignendos liberos, alteram ad restinguendam naturalem cupiditatem: ac prioris quidem causæ omnem iam cessasse necessitatem, orbe adeo repleto, ac potius redundante: de altera dubitare non licet, quin cupiditas illa multo perfectius à Dei gratia, & ab hac ipsa virtute quæ Castitas vocatur, quam vllo matrimonij vsu extinguatur. Sed dicet fortasse aliquis, Frustra igitur erit in ijs, qui non nubunt, tum sexuum distinctio, tum generandi vis, quæ à natura, vel, quod idem est, à Deo constituta est. non autem cadit in sapientem aliquid frustra facere. Hoc argumentum plane hæreticorum est, tum veterum, tum etiam recentium, cum salutarem continentiam, qua Dei Ecclesia tantopere ornatur, ac fœcundatur, improbe cauillando insectantur. Respondendum est igitur illud idem, quod hæreticis responderi solet, ea nimirum, quæ ad totius speciei bonum instituta sunt, non ideo otiosa esse, propterea quod ab aliquibus eius speciei indiuiduis non exerceantur, modo ab alijs exerceantur. Videmus hoc in rebus plerisque naturalibus. nam & in pomis, & in herbis multa seminum copia innascitur, quæ non omnia seruntur, sed potius pars eorum exigua,

Luc. 13.

De virg. cap. 15.

exigua, neque tamen vllus vnquam de ijs naturam accuſauit, quaſi hæc fruſtra feciſſet. Similiter igitur in homine: ſed in homine hoc etiam amplius eſt, quod cum huius generis continentia libera ſit, ac voluntaria, & vniuſcuiuſque arbitrio permiſſa non debuit hæc differentia à natura ipſa, ſed ab hominis voluntate proficiſci, nec nobiſcum neſci, ſed à nobis iudicio, & conſilio aſciſci. itaque omnibus æque eandem oportuit inſeri facultatem, tum iis qui ea vſuri, tum ijs etiam, qui eius vſum propter regnum cœlorum erant relicturi. Sed de hoc ſatis.

Nunc confutanda eſt quorundam ratio huic, quam nunc confutauimus, ſimillima; quia non de mundi quidem perennitate, ſed de ſuæ domus, familiæque propagatione ſoliciti ſunt. Itaque ſi vnicus filius, vel vnica filia religioſum ſtatum eligant, ita mærent, ac lugent, & quod iniquius eſt, ita renituntur, quaſi tota familia radicitus excindatur. Ineptus plane & ſtultus dolor. Vtrum enim pluris eſt, animæ ſanctitas, an poſteritas, in qua quid tandem boni ineſt? Nam ſi id timeant, ne hæredes deſint, quibus ſua relinquant patrimonia, primum nimis etiam magna copia aderit cognatorum, deinde numquam deerunt pauperes, in quibus Chriſtum dominum hæredem faciant, longe meliori conditione, quam vel ipſum filium. Homo enim quicunque ſit, cum defuncti hominis hæres eſt, gratiam referre non poteſt. Chriſtus autem tum maxime refert, & æternam refert. Deinde quid iſti facerent, ſi, vt ſæpè contingit, vnicus ille, quem habent, filius, ſterilis eſſet? Sic enim eadem generis orbitas conſequeretur, ſed, quod infelicius eſt, ſine vlla gratia, & ſine præmio.

Ep. 10. Quare hoc potiſſimum argumẽto vtitur etiam Hieronymus ad Furiam, vt nuptias repudiet. An vereris, inquit, ne proles Furiana deficiat, & ex te parens tuus non habeat puſionem, qui reptet in pectore? Quippe ni omnes habent filios, qui habuere matrimonia. Ridiculum eſt ſperare pro certo, quod multos & non habere videas, & cum habuerint, perdidiſſe. Cui dimittes tantas diuitias? Chriſto, qui mori non poteſt. Quem habebis hæredem? Ipſum quem & dominum. Sed vt hoc etiam demus, aliquod bonum in ea familiæ conſeruatione contineri, quam eſt id paruum, quam breue, & omnino impar tanto religionis bono? Eſt enim non hominum ſolum, ſed etiam familiarum ſua mors, ſuuſque exitus, vt quantumcunque earum ætas protendatur, ipſas quoque conſeneſcere, & aliquando interire neceſſe ſit. Itaque cum tam multi

eis

eis casus impendeant, nonne stultus omnino sit, qui sperare audeat, gentem suam semper extituram, & pro eo tantam contentionem suscipiat, vt etiam Dei consilia disturbare, & impedire conetur? Postremo quid sibi vult in homine Christiano ista sobolis propagandæ cupiditas? Nam in ethnico, & infideli tolerabilior tamen esset. Sic enim scribit Aristoteles, hanc esse causam cur procreandi appetitus & hominibus, & brutis insit, quoniam, inquit, omnia semper esse, ac perpetuo manere desiderant: sed quia hoc in se ipsis consequi non possunt, cum sint morti obnoxia, id agunt, vt saltem in sua specie consequantur, in qua quodammodo ipsamet durare videntur, cum quædam ipsorum pars ab eis præcisa duret. Hæc igitur ratio quem locum habeat in luce Christiana, quæ nobis ipsius nostri corporis, & animi æternitatem tam certo spondet, vt nihil sit, quod eam in alijs quæramus, quando in nobis ipsis, quod natura præcipuè optat, habituri sumus? Sed nimirum is error est, quod plerique non ex huius diuinæ lucis ductu vitam instituunt, sed appetitus, sensusque impetu abripi se sinunt, quo nihil est vitiosius, & damnosius. *1.Pol.c.1.*

Contra quorundam metum ne desint necessaria ad vitam.

CAPVT XXVII.

OCcurramus etiam, medeamúrque, si possumus, illorum timori, qui si sua omnia deserant, verentur ne non habeant, quo vitam tueantur: de quo quidem timore quid aptius dici possit, quam quod est in psalmo, Et male loquuti sunt de Deo, & dixerunt, Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Recte enim Bonauentura in Apologia pauperum, omnem hanc diffidentiam ad duo capita reuocandam putat, vel infidelitatis, qualis est eorum, qui res humanas vel ipsorum saltem, à Deo curari non credunt, vel pusillanimitatis, cui quidem annexam ait esse remissionem amoris diuini & intensionem amoris proprij. Qui autem de Dei prouidentia, & bonitate sentiunt quod oportet, ne dubitare quidē possunt, quin multo magis eorum vita sit Deo curæ, quam illis ipsis. Vnde est illud Augustini, Non potest quotidianus cibus deesse iusto, cum scriptum sit, Non occidet Dominus fame animam iusti. & iterum, Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum nec semen eius quærens panem. Et iterum, quærentibus regnum Dei, & iustitiam *Psal. 77.* *De ora. domi.* *Pro. 10.* *Psal. 36.* *Luc.12.*

iustitiam eius omnia promittit apponi. & cum sint Dei omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu, iussu regis, incluso prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Helyas in fuga, coruis ministrantibus, & volucribus cibum apportantibus, in persequutione nutritur. Eadem breuius dicit Hieronymus: In promissis inquit, veritatis nemo dubitet. Sit homo qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia. Vera, & docta ratio. Nã cum omnia, quæ in mundo sunt, hominis gratia facta sint, numquam illa se ab hominis obsequio subtraherent, nisi ille se à Dei obsequio subtraheret. Quare si ille ad eam, quam Deo debet, seruitutem redierit, iure quodam suo reliqua tamquam sua, & sibi debita recuperabit. Ambrosius etiam illam exponens Apostolici hominis formulam, quæ in Luca à Domino describitur, Sine sacculo, & pera; Fide, inquit, tutus putet sibi quo minus ea requirat, eo magis posse suppetere. Quamobrem cum tam habeamus tum sanctorum virorum, tum sanctæ scripturæ testimonia de hac Dei prouidentia, curáque suorum, vt nulla res vel crebrius commendata, vel expressius operibus exhibita videatur, non potest, vt ante dixi, leue crimen esse, quod quis de ea addubitet. Hoc enim nihil aliud est, quam Deum vel auarum, vel obliuiosum suspicari, quod vtrumque illa maiestate indignissimum est, qua nihil esse potest vel ditius, ac largius in dando, vel effusius in amando, vel diligentius in prouidendo, vel denique præsentius in consulendo. Iure ergo eos, qui id faciunt, reprehendit Augustinus, Tu, inquit, Christiano, tu Dei seruo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo caro, aliquid existimas defuturum? An putas, qui Christum pascit, à Christo ipse non pascitur? An putas, terrena deerunt, quibus cœlestia, & diuina tribuuntur? Vnde hæc incredula cogitatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus? Hæc Augustinus, quæ etiam clariora, atque euidentiora fient, si consideremus ius quoddam proprium, ac peculiare, quod in hoc genere habent religiosi, tum respectu hominum ipsorum, tum etiã respectu Dei. Nam quod attinet ad homines, multæ sunt causæ, cur religiosis alimenta ab ijs debeantur. Primũ enim hoc ipso, quod religiosi omnia sua pauperibus erogarunt, seque ipsos ad paupertatem sponte redegerunt, vicissim promerentur vt ab hominibus rependatur eis vnde viuãt, recteque sentiunt, qui hoc non solum caritati, sed nonnulli etiam iustitiæ

In cap. 6. Matth.

Lib. 6. in Luc.

Libr. de eleemos.

iustitię debitum esse cōfirmant. Altera est ratio ex illorum opera & labore in proximorum salute curanda Dignus est enim operarius mercede sua, ait Apostolus, & qui spiritualia seminant, debent carnalia metere. Idemq; Paulus alibi, laborantem agricolam ait oportere primum de fructibus percipere. Quæ sane ratio eo maiorem vim habebit, si caussam cōsideremus, cur Pręlati iure, atque ex iustitia alimēta exigant. Non enim quasi honor potestati, vel auctoritati, sed quasi merces operi, ac labori debētur. Cum ergo religiosi in huius laboris, operisque partem veniant, & quidē tanto studio, tantoque ardore, æquum est sine dubio, vt etiam fructuum sint participes, & præsertim eorū fructuū, sine quibus in opere perseuerare nō possent. Neque verò hoc in cōcionibus modo valet, aut in iis studiis, quæ proxime in alios homines conferuntur sed in ceteris quibus libet, quæ quoquo modo vtilia, & fructuosa sint proximis. Nā & qui altari ministrant, cuius videlicet sacrificium cōmune est omnibus fidelibus, tum qui cōtemplationi, & orationi, aut sacrarum scripturarum lectioni sese impendunt, ac denique qui aliis eiusmodi spiritualibus functionibus distinentur, quæ sunt omnes ad communem Ecclesiæ vtilitatē, his omnibus idem, quod diximus, conuenit ius, vt populorum liberalitate ali debeant. Tertia est ratio ex religiosa perfectione. Cum enim in hoc omnes theologi consentiant, eleemosynam potius, ac prius meliori tribuendā, sequitur, vt qui in statu sunt perfectiori, & quorū ipse stat⁹ multis ornatur virtutibus; ij reliquis omnibus longe anteferendi sint. Quam ad rem optime Hieronym⁹ illum euāgelij locum aptat, qui est Lucæ decimo sexto capite, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cū defeceritis, recipiant vos in ęterna tabernacula: quoniam id dictum nullo modo conuenire possit vulgaribus pauperibus. Num, inquit, isti pauperes, inter quorum sordes & illuuiem flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec pręsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes sed pauperes spiritu beati appellātur, de quibus scriptum est, Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eū Dominus. In vulgi pauperibus sustentandis nequaquā intellectu, sed eleemosyna op⁹ est, in sanctis pauperibus beatitudinis intelligentia, vt ei tribuat, qui erubescit accipere, & dum acceperit, dolet metens carnalia, & seminans spiritualia. Simile quiddam,

1.Co. 9. *2.Tim.2.* *Lib. con. Vigil.* *Psal.40.*

In psal. 103. con. 3. est apud Augustinum in psalmis: Cedri, inquit, Libani nobiles, & diuites excelsi huius seculi quandocum timore audiunt, Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, attendunt res suas, villas suas, & omnes superfluas copias, quibus videntur excelsi esse, & præbent illas seruis Dei, dant hortos, ædificant ecclesias, monasteria, colligunt passeres, vt in cedris Libani nidificent Est igitur, vt ita loquamur, hoc quasi tributum nescio quod religiosis debitum à secularibus, idque ipsi seculares sentiunt, ex eoque nascitur illa eorum benefica voluntas, & prompta ad subueniendum omnibus eorum vsibus.

Altera pars hui⁹ iuris (sic enim libet appellare) multo etiam firmius nititur, nimirum Deo ipso, non solum propter generalem illam prouidentiam, qua omnibus consulit, etiam liliis, & passeribus, vel quam omnibus hominibus præstat, & ipsis etiam improbis, super quos tamen pluit, suumque solem oriri facit, vel denique quam probis iustisque impendere semper solet, de quibus illud scriptum est, Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem; sed in religiosis, præter hæc omnia, est etiā ratio quędam ipsorum propria, quoniam relicta re sua relicta etiam spe, totos se in eius paternam caritate proiecerunt. Quare si nihil aliud sit, hoc ipsum sufficit ad illam bonitatem quodammodo obligandam, vt eorum curam gerat, quam solet pater filiorum. Neque enim is est Deus, qui se liberalitate, & largitate vinci patiatur. Itaque tantum abest, vt nobis aliquid pereat, cum nostra relinquimus, vt potius magnum lucrum faciamus, cum illa Dei sapientia nostrorum commodorum procurationem suscipiat. Sic enim certos esse nos oportet, nihil nobis deesse posse. Contra verò dum nobis ipsi nostra prudentia; & cautione consulere, & prouidere volumus, quam multa deesse necesse est: ea enim ita angusta, itaque cōtracta est siue in futuris prouidendis, siue in præsentibus quoque disponendis, vt in magnos sæpe errores, & magna damna incidamus. Hinc illud Chrysostomi, Ne cures, inquit, tua, sed ea Deo permitte. Nam si satagas, tamquam homo satagis, si verò dimittas, Deus prouidebit. Idemque in homilia, quæ tota est de monasticę vitę laudibus, hoc ipsum pro magno beneficio commemorat, quoniam si Deus omnem paicit carnem, multo magis famulos suos sibi dicatos. itaque omnia illis, quæ ad vitam necessaria sunt, ex Dei prouidentia, tamquā ex fonte fluere. Quia

Math. 6. (margin)

Psal. 36. (margin)

Ho. 50. ad pop. (margin)

Ho. 57. ad pop. (margin)

fontis

fontis similitudine indicare voluit tum abundantiam,tum perennitatem, tum illud etiam, quod nullo eorum labore hæc eis proueniant,vt aqua ex fonte.

Iucundum est autem huius diuinæ prouidentiæ in religiosos exempla,ac monumenta videre,quæ plurima,ac pene innumera extant in historijs,sed illud præclarum,quod Palladius narrat de Abbate Hellen,qui post ieiunium,cum in somnum incidisset,accessit Angelus excitans eum,& iis, quæ adessent,vesci iubens.Surgens ille vidit enatum repẽte fontem vberem, herbarumque viridantium, & olerum circumfusam copiam,ex quibus cũ & cibum sumpsisset, & potum,affirmabat deinde numquam se in vita iucundius epulatum. Postea verò cum quoque semper morem tenuit, vt cum cibo egeret,genibus flexis Deo supplicaret.nec mora,apparebant statim varia esculenta,panis recens,oliuę,aliique fructus. Quid benignius, aut quid suauius tali prouidentia, quæ se etiam ad œconomi curam demittit? Cur autem alios suos famulos deseret,quæ huic famulo suo tali miraculo,eoque quotidiano,victũ quasi promus suppeditabat? Sed plenæ sunt, vt dixi,eiusmodi exemplis omnes sanctorum vitæ,è quibus duo nos potissimum seligemus simillima,& quæ in duabus simillimis familiis contigere. Nam cum B.Dominicus,recenti adhuc ordine, suos alumnos in varia loca ad pœnitentiam prædicandam binos ex Christi formula dimitteret, accidit aliquando; vt ex his duo,hora iam nona diei præterita,ieiuni,admodumq; fessi agerẽt inter se subtristes,ecquid cibi,aut vnde,in regione ignota & paupere cõsequi possent.inter quos sermones ecce adfuit vir quidam statura procerus,& elegans, habitu peregrino, qui illorũ infirmã,modicãq; fidem grauiter reprehendens, Potuistis,inquit,credere Deo,vt ei' causa omnia relinqueretis nunc autem non credere potestis, illi curã esse de vobis? Qui dat iumentis escam ipsorũ, nõ sinet filios fame emori;quod vos ipsi hodie reipsa abunde experiemini.Quibus dictis,cũ euanuisset (erat enim Angelus) ex eorũ cõspectu ij paulũ progressi, in proximũ pagum exiguũ venerũt,vbi dũ in ecclesia orant,a sacerdote benignissime inuitati,cum ab eo domũ abducerentur,superueniens miles eripere illos omni ope nitebatur; vt ad se diuerterent: verũ iis duob' inter se pie litigantib',oppidi domin' forte incidens,& illos, & simul sacerdotẽ, ac militẽ pro potestate ad domũ suam duxit,omnesq; lauto conuiuio excepit.Ferunt

etiam B.Franciscum,quoties suos peregrinatum mitteret, nullum eis aliud viaticum dare solitum, quam illũ ex Psalmo versiculum, Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet;cuius versiculi fides instar erat omnis pecunię.
Psal.54. Cum autem duobus contigisset,vt diem ferme totum ambulantes, fame iã,& defatigatione pene deficerent,insuper etiam eleemosyna postulata, nihil ab vllo accepissent, occurrit eis adolescens, qui causam sciscitat⁹, cur adeo lassi, ac mœsti essent,duos protulit panes, quibus dum illi sedentes vescerentur,cœpit idem eos durius increpare, Homines,inquit, modicæ fidei, cur diuinæ curæ iã diffidebatis? Non vobis in mentem veniebat verborũ illorum Prophetæ,quæ tam sæpe vobis sanctus Pater vester inculcauit,Iacta cogitatum tuum in Domino,& ipse tę enutriet, cũ eius videlicet bonitas ne bestiis quidem agri desit? Quamobrẽ hoc scitote nullam ob alia causam distulisse Dominũ opẽ suam,nisi vt fame ipsa diffidentiam vestram puniret. quæ verba,aliaq; similia eloquutus, abiit ex oculis. Quæ cũ ita sint,habeant alij agros suos, & fundos, & vectigalia sua,laboriosa,operosa,modo grãdinis,modo vredinis,modo imbrium, & aliorum casuum iniuriis exposita. Nobis autẽ hi duo sunt agri certissimi, & ab omni calamitate remotissimi, Dei prouidentia,nõ solum eius bonitate,sed nostro etiam facto,cum omnia pro eius amore reliquimus,quodã modo obligata, deinde proximorum subsidia, tum carita-
Esai.60. tis, tum iustitiæ etiam cuiusdã nomine debita.Hoc enim per Esaiam prophetam promitti videtur,cum ait,Suges lac gentium,& mamilla regum lactaberis:gentium, idest, populorum;regum autem,idest, hominum diuitum, & potentiorum,quorum quidem benignitatem Esaias mammillæ,& lacti comparat,quod lactis liquor ex cibo duriori conficitur,qui cibus & cum labore comparatus,& cum aliquo etiam opere à nutricibus confectus,tamen ab infantibus nullo cum labore,sed suauissime exsugitur.Sic enim religiosis ea gratis suppeditantur ad victum, quæ alij multo sudore,&molestia, ac sæpe etiam cum periculo quæsierunt,vt in hoc quoque hebręorum veterum similitudinem gerant de quibus scriptum est,Et labores populorum pos
Psal.104. sederunt.Quare hoc ita statuendum est,qui dubitet an religiosæ paupertati necessaria deesse possint, cũ non modo mentem,ac consilium non habere, sed ne oculos quidem quibus videat, quam multa millia virorum, & fœminarum

rum Deo consecrata,& hoc ipso tempore, & omni semper tempore,illius cura,& benignitate sint sustentata,& quidem tam certe,& abundanter etiam vt nulli seculares suis patrimoniis certius niti possint. Habent enim ipsi quoq; fundum suum, duplicem illum; quem modo dixi,ita opimum,ac feracem, vt si eos Dominus, sicut olim Apostolos, interroget,Quando misi vos sine sacculo,& pera,numquid aliquid defuit vobis? cogantur ipsi quoque idem, quod Apostoli,cũ gaudio, & cũ gratiarũ actione,respõdere,Nihil. *Luc. 22.*

De aliorum timore,ne acceleretur mors ex corporis incommodis.

CAPVT XXVIII.

HOc metu adempto,alius etiam restat metus,vitã ipsã quoque attingẽs,quæ vt est omnibus carissima,sic nihil odiosius,aut inimicius,quam quę eã velo mnino extinguant,vel ex parte imminuant.Videtur autem imminui laboribus,vigiliis,defatigationibus,incõmodis multis, quæ necessario incurrunt in religiosum institutum. Ex quo alter quoq; oritur in quibusdam scrupulus,ne prętcr hoc dãnum celerioris mortis,sit etiam peccatum aliquod,quasi ipsi sibi manus afferant, si de præstituto vitę tẽpore aliquid sibi vltro illis corporis vexationibus detraxerint. Itaq; vt his respondeamus,incipiendum est ab hoc scrupulo , vt eo sublato reliqua sint faciliora. Sciendum est igitur,ne theologos quidẽ, qui hæc exactius tractant,dubitare, quin & licite,& verò etiam laudabiliter;& cum merito,possit quispiam vitæ suæ spatia breuiora facere.Nam etsi id sponte agere,ac de industria,vt vitam perdamus, non licet; tamen aliquid bene agere, ex quo vitę diminutio, etiam plusquã mediocris,consequatur,non solum licet,sed sępe Deo gratissimum est. Quod tum multorum exempla declarant, tũ vetustus Ecclesię mos in longissimis ieiuniis, aliisque acerrimis pœnis imponendis, quibus dubitari non potest:quin aliquantulum , atque adeo fortasse etiam multum, de vitę cursu adimeretur. Hoc autem in religiosis eo certius esse debet,quod eorum incommoda quęcumq; sunt eiusmodi sunt,vt eadem fere ab aliis hominibus variis ex causis tolerentur,Nam si ij de nocte vigilant,vigilant etiam artifices pro victu quęrẽdo.Si frigus,si famem perferunt,si pedibus iter faciũt,quã multi sunt in populo inopes,qui & vestiũ, & ciborũ,& omnium eiusmodi rerum maiorem penuriam

patiantur,quos tamen viuere videm⁹? Vnde apparet,nullã esse temeritatẽ,nec religioni habẽdũ esse, cum ea facimus propter Dei obsequiũ,quæ tam multi faciunt propter obsequiũ mũdi.Igitur hoc posito, eoq; omni scrupulo sublato,ne nostri ipsorũ homicidæ videamur, si hoc ita haberet, vt Religio aliquid ad mortis celeritatẽ cõferret,quid pręclarius esset,quã talis animi fortitudo,humana omnia, ipsamq; propriã contemnens vitã?Hæc enim etiam vna esset causa, cur religio ad martyrij laudem proxime accederet, si vt martyriũ vitam eripit,sic religio eam minueret. Nam etsi non subita,aut cruenta morte nos afficeret, nõ id magnopere referret,cum etiam inter martyres Marcellus numeretur,qui in ferarũ catabulo diuturno pedore cõfectus est,& Pontianus,qui in Sardinia, insula iis temporibus pestilente,paulatim consumptus,& alij denique, qui vel fodiendi laboribus, vel cathenarũ grauitate longo tempore enecti sunt.Igitur si hoc quoque religio faceret, quã præclare de nobis mereretur, quos martyres efficeret? Daret enim hoc tantum bonũ,quantum est cœlestis gloria,idque celerius daret,quod ipsum optari solet in bonis, vitã vero præsentem auferret,in qua exiguum bonum & certe illius comparatione nullũ est bonũ,& in qua potius mala multa. Versatur enim inter tot,tamque assiduos laqueos, vt nihil aliud esse videatur,quã propagatio miserrimi temporis & magnarum acerbitatum, & quandiu prorogatur, tamdiu suæuissimum,& incertissimum in nos dęmonũ bellum prorogatur. Itaque quid,vt dixi,melius,quam finire tot mala, totque pericula,& ita finire,vt fit in religione? Multa enim à nobis primo libro dicta sunt de pręsidiis,quę pręstat religio,vt exitum illum aliis ita horribilem, nobis etiam suauem,securum,optabilemque reddat,iis omnibus refecti, quę quasi vincula abeuntes impedire solent,deinde multis additis solatiis,& inter cetera,pręsentia,precibusq; sanctorum fratrum Quare cum in hac vita omnia sint ita acerba, & molesta, in morte autem religiosi omnia adeo tuta, & fausta,ipsaque mors initium sit,& quasi adit⁹ beatioris vitæ,etiam si religio nos ad mortẽ celerius deferret,quid nobis noceret?Immo verò si saperemus, hanc quoq; ob causam vltro expetenda esset.Sed tamen hoc vere videmur dicere posse,falsum hoc crimẽ religioni imponi, quod hominũ sit carnifex.hoc enim re dicunt,etiam si non dicant verbo,qui id obiiciunt.potius autem, si vere ęstimemus, con-

fert

fert ad vitã producendam, quod satis apparet ex tam multis senibus, quibus religiosas familias refertas videmus, & ex multis, quos legimus. & quidem ex eorum numero, qui vel seuerissime, durissimeque vixere. Ex quibus Hieronymus, vt accepimus, centesimum, Antonius autem centesimum, & quintum annũ attigit, quem Pacomius quinquennio superauit, Arsenius vero centum, & viginti compleuit, quod idem de Romualdo scribitur, ex quibus is quidẽ totos centum in religione exegit. Multos etiam Cassianus eorum, quos ipse vidit, commemorat, nec fere de vllo scribit, qui non ad summam senectutẽ peruenisset, inter quos illi tres præcipue, Nesteros, Ioseph, & Cheremon, quẽ iam omnino grandem natu, nempe centesimo vitæ anno ab se visum narrat, incuruum, multaq; canitie venerabilẽ. Quod si vel victus tenuitas, vel assidua diuinarum rerum meditatio, vel eiusmodi labores, vt quidam existimant, hominem extinguerent, quid his omnibus continentius, quid austerius fuit, vt, si id verum sit, breuissime eos extingui necesse fuerit? Hoc vero ipsa etiam ratio demonstrat. Nam seculares, diuites præsertim, qui ferme inter delicias, epulasque viuunt, tum vinolentia, tum cruditate, tum etiã insomnia ferme perpetua laborãt: sæpius in morbos incidũt, grauius ægrotant, tristius etiam curantur; denique eorũ vita multo plures mortis casus habet, & ob has causas, & ob alias multas, quas sæpe vel propria, vel aliena temeritas in tam crebris iurgijs importat. Quæ omnia absunt à vita religiosa, cuius summa moderatio, idemq; semper tenor siccitatẽ, siccitas valetudinis integritatẽ inducit. Itaq; Chrysostom⁹ hoc quoq; confirmare non dubitat, religiosos præter spiritualia bona, quibus abũdant, abũdare etiam corporis sanitate, eosq; ob victus temperantiam, & sobrietatẽ, agrestiũ, vt ait, instar animantium vigere, ac vegeto esse corpore: cum isti cõtra diuites, ac delicati, qui vulgo beati habẽtur, velut in cœno iacẽtes, molliores sint, & teneriores, ac morbis omnib⁹ magis obnoxij. His conueniũt quę à Hieronymo cõtra Iouinianũ disputantur, vbi castigatum victũ ipsi corpori tuendo cõferre, etiã ex medicorũ aphorismis probat, & illud addit. Legimus quosdam morbo articulari, & podagræ humorib⁹ laborãtes, proscriptiõe bonorũ ad simplicem mẽsam, & pauperes cibos redactos, cõualuisse. Caruerunt enim solicitudine dispẽsandæ domus, & epularum largitate, quæ corpus frangũt, & animam. Neque vero illa

Coll. 11. c. 4.

Lib. 2. con. vit. mon. vi.

Lib. 2.

etiam parua eſt cauſa, cur diuturnior ſit vita religioſorũ, ex tranquillitate,& animi lætitia,quæ in eis perennis eſſe ſolet.Neque enim dubitandũ eſt,quin vt mentis angores, æſtuſq; turbulenti vitã conuellũt,ac dilaniãt,ſic contra ad eam tuendam magnã vim habeat illa,quã dixi, mentis iucunditas,quæ neceſſario in corpus quoque redundat, propter ſummã vtriuſq; coniunctionem. Quamquã ne illud quidem tacendũ eſt, quod eſt apud Hieronymũ in eadem diſputatione contra Iouinianũ,vt concedatur, ex his ſtudiis,iſtaq; vitæ moderatione non tantas effici vires, quantas,vt ille ait,habuit Milo Crotoniates,id parum admodũ referre. Nam quid neceſſe eſt,inquit,viro ſapiẽti,& philoſopho Chriſti,tatam habere fortitudinem,quę athletis, ac militibus neceſſaria eſt,quã cum habuerit,ad vitia prouocetur?Igitur,vt omnia breui colligamus,duplex eſt ad hoc caput,quod religioni obiicitur,reſpõſio.Poſſum⁹ enim negare aliquid diminui de vitę curſu, cui poti⁹ aliquid additur ex continẽtia,ac ſobrietate.Poſſumus etiã confiteri, & tamen hoc ipſum inter eius commoda numerare,quod cũ omnibus hominibus, etiã dynaſtis, ac regibus neceſſario mors impẽdeat,id nobis præſtet religio, vt dum ei aduentanti paululũ obuiã procedimus,illa ipſa moriendi neceſſitas quodammodo voluntaria fiat,ideoque ad magnũ meritum,præmiumq; nobis cedat,paucíq; dies huius vitę miſeriis detracti æternæ felicitatis cumulo cõpenſentur. Cõtra vero qui eiuſmodi metu retinentur,valde care æſtimãt paucos hos annos, quos hominis ætas recipit, vt propter tam exiguam iacturam tam ingẽs bonum reiiciant, & ſalutem ſuam æternam tam ingentibus periculis obiiciant.

Ad eos,quos retardat amor corporis proprij.
CAPVT XXIX.

EX omnibus aduerſariis,quos habet religio,nullus eſt ferme grauior, & infeſtior, quam caro propria. Hęc enim luxũ,libertatem,cibi,potuſq; & ſomni delicias amat, contra vero laborem,ac dolorẽ refugit, ſolitudinem horret,ieiunia,& paupertatẽ,eiuſq; incõmoditates, quaſi crucem,auerſatur. Itaq; qui carni obedire velit,aut eã in conſilium cogitationum ſuarum adhibere, is numquam hoc Chriſti iugum ſuſcipiet, aut ſuſceptum conſtãter perferet. Hanc igitur ante omnia excludere neceſſe eſt ab iſta deli-

beratio

beratione,& in ordinē,ac locū suum redigere,id est,seruilem,vt obediat,& subiecta sit, non vt præcipiat, & regat. Oportet(ait Basilius)totum corpus castigare, & quasi cuiusdam bestiæ motus coercere,ac motus eos, qui ab ipso in animo excitātur,rationis imperio,veluti flagello,cōpescere, neq; mente neglecta totæ volūtati habenæ laxandæ sunt,ne tamquā auriga ab effrenatis equis distracta feratur. Sed Pythagorā imitemur, qui cum videret quendam è suis in sui corporis curā,ac saginā incumbere,cur, inquit, carcerem tibi ipsi ædificare pergis? Vnde etiā Platonem ferunt, cum bene intelligeret quæ damna à corpore in animum prouenire solent, de industria Athenis locū insalubrem Academiæ elegisse,vt ea ratione nimis bonū corporis habitū præcideret,veluti luxuriantem quandā vitis fertilitatē. Atq; hoc quidem Basilius. Nos autem intelligere debemus,cum caro,vt paulo ante diximus,ad seruiēdū facta sit,duo hinc sequi, primū vt facilius sit eam subiicere, quæ scilicet naturaliter subiecta sit, deinde si nō subiiciatur,eo turpius,ac detestabilius esse. Nā si quis à superiori, fortiorique vincatur,dolendū quidem,sed ignoscendū sit: nunc autem cū spiritus tanto maiores vires habeat ad carnem,eiusq; omnes appetitus constringēdos,eo turpior est, si id nō faciat: præsertim quia si non carni ipse imperet,necesse est vt seruiat,& ad eius nutum in omnia indigna corruat. Igitur si,vt plerūq; euenit, in hac suscipiēdæ religionis salutari cogitatione illa reluctetur,ac resistat,si victus, cultusq; asperitatem,si cetera incommoda pertimescat, eo magis cōfirmādus est animus aduersus illius illecebras,ac mollitiem,ac vel inuita cogenda ad id faciendum, quod si fecerit,& ipsi carni,& spiritui salutem afferet. Imitanda est Hilarionis constantia,qui,vt scribit Hieronymus, cum in adolescētiæ flore tā durum institutū cepisset, quoties corporis pugnā sentiebat,sic ei insultabat, Ego aselle faciā, vt non calcitres, nec te hordeo alam,sed paleis, fame te cōficiam,& siti,graui onerabo pondere,vt cibum potius,quam lasciuiam cogites. Verum obiiciet fortasse aliquis id quod est apud Apostolum, Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit,& fouet eā. Est hoc quidem,neque nos negamus insitam esse cuique sui corporis caritatem; ita enim natura exigit,vt nos ipsos,omnesq; nostri partes diligamus. Quare quod de eo coercendo,& castigādo dictum est,ita intelligere oportet,vt non ex odio,sed ex amore fiat; tātum vi-

Or. de tēper.

In vita Hilar.

Eph. 5.

dendum eſt,quis amor verus, quod verum odium. Cum aliquis in morbum incidit,ipſumque corpus male habet, ſi medicus dietam, qua corpus attenuetur,vel ſanguinis miſſionem præcipiat, vel etiam, vt interdum contingit, membri alicuius immedicabilis ſectionem, qui id faciat, iſne corpus illud oderit,an amabit?potius oderit, qui non faciat:nocet enim ei,morbumque auget,& fieri poteſt, vt etiam interimat,quod eſt ſummi, & capitalis odij. Igitur quod fit in his morbis naturalibus, cum humorũ æqualitas perturbatur,idem, & multo magis faciẽdum eſt in maioribus illis,& damnoſioribus morbis, quæ ſunt vitia. Neque enim minor febris eſt agitari libidinis, aut luxuriæ, vel alterius cupiditatis ardoribus,quã febrium æſtu: quin etiã eo periculoſior,quod iſta febris æternã mortem intẽtat. Itaque qui corpori ſic affecto medicinam facit, etiam ſi inſuauem,aut etiam amaram,non ille (vt ante dixi) corpus odit,ſed maxime diligit. Quã in ſententiam illa egregie ab Auguſtino ſcripta ſunt, Sed neque corpus ſuum, inquit,quiſquam odit. Et quod nonnulli dicunt,malle ſe omnino eſſe ſine corpore,omnino fallũtur. Non enim corpus ſuum,ſed corruptiones eius, & pondus oderunt. Non itaque nullum corpus,ſed incorruptũ, & integerrimũ corpus volunt habere. Quod autem continentia quadam,& laboribus quaſi perſequi videtur corpora ſua,qui hoc recte faciunt,non id agũt,vt non habeant corpus, ſed vt habeant ſubiugatũ,& paratũ ad opera neceſſaria. Quia enim hoc erit poſt reſurrectionem,vt corpus omnimodo cũ quiete ſumma ſpiritui ſubditum immortaliter vigeat,hoc etiã in hac vita mẽditãdũ eſt,vt conſuetudo carnalis mutetur in melius,nec inordinatis motibus reſiſtat ſpiritui. Igitur hęc eſt Auguſtini ſententia,qui carnẽ caſtiget, & in ſeruitutẽ redigat,tãtũ abeſſe vt eã oderit,vt is ſolus eã vere, ac perfecte amet,nõ enim eã perimit,aut deſtruit,ſed perficit,ac reformat ad eã pulchritudinẽ,quã tum habebit,cũ erit cõfigurata claritati Chriſti: vt verum ſit quod à S. Leone in quodã ſermone dictũ eſt,Tãto amplius ſe quiſq; amat, quãto amplius pro Dei amore ſe non amat. Sed clariſſime, & apertiſſime Saluator,qui ita præcipit, Qui amat animam ſuã,perdet eam,& qui odit animã ſuam in hoc mundo, in vitã æternã cuſtodit eam. Animã enim hoc loco non ſuperiorẽ partẽ,qui ſpiritus dicitur,accipere debemus, ſed eã, quæ cum carne,& ſanguine coniũcta,vitã efficit. Hãc ergo odiſſe

1. Doct. Chriſt. c. 24.

Ser. vlt. de paſſ.

Io. 12.

odisse nos iubet, non quod verum sit odium, sed quia ita tractāda est, vt solemus eos, quos odimus, in quos duri, & seueri sumus. Hoc igitur sancto, ac salutari odio ratio, ac mēs cōfirmāda est, ne se carnis blāditiis à religiosis officiis abstrahi sinat. Confirmatur autē multis rebus, vt Dei amore, cuius propriū est, vt etiā gaudeat in suppliciis pro illius obsequio perferendis: deinde Christi Domini imitatione, qui tāta passus, & pro nobis passus, & ideo passus, vt sequamur vestigia eius, tum vero diuinis solatiis, eaque dulcedine, quā Dei bonitas laboribus, ac molestiis religiosis aspergere solet. Facit enim vt ij, qui pueris potionem ex absynthio præbētes, & antequā sumant, & ea sumpta, ad illam amaritudinē abstergendam, dulcius aliquod condimētum adiungunt. Deus autem hoc quoq; amplius, quod istæ eius consolationes tam magnæ sunt, vt omnem rerum molestarum iniucunditatē omnino, ac penitus obruāt, vt nec sentiatur. Accedit ad hęc omnia æterni præmij cogitatio, spesque illa futuræ retributionis, quā qui sibi proponat, necesse est idem sentiat, quod S. Bernardus, qui omnes has volūtarias corporis molestias semini comparat, in quo iaciendo etiāsi damnum aliquod fieri videatur, insipiens tamen esset qui eius damni metu sementem facere nollet: multo enim maius est lucrū, quod percipitur. Quomodo, inquit, dicūt nobis carnales, Crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestrę. Esto, nō parcim⁹ semini. In quo ei magis parcere poteram⁹; An nō melius est illi renouari, & multiplicari in agro, quā in horreo putrefieri? Sic vos parcitis carni vestrę? Sim⁹ nos crudeles interim nō parcendo: at vos plane parcendo crudeliores. Siquidem etiā nunc caro nostra requiescit in spe. Deniq; multum ętiā, ac nescio an ferme omniū maxime adiuuant exempla tam multa, vel potius innumerabilia eorū quos scimus asperrimā, durissimamque vitā tenuisse, vt Antoniū, vt Hilarionem, vt duos Macharios, Pacomium, Romualdum, Bernardum, Frācíscū, & alios prope infinitos, tum sanctitatis, tum huius, quā dixi, seueritatis laude præstātes. Et quidem si verū quærimus, aut si eos ex communi hominū regula metiamur, fortasse nimios fuisse, & mēsurā illā, quę in medio posita est, prętergressos fatēdū sit. Sed hoc ipsum De⁹ in illis voluit, tātamque iis gratiā, ac robur tribuit, non vt reliqui homines ad eundem pœnitentiæ rigorem aspirarēt, eumque exæquare tentarent, id enim absurdum, & temerarium esset, sed saltem

Qui habit. Ser. 10.

tem vt ad eam rationem,ac modum,qui iam religioſorum ordinum inſtitutis receptus eſt,ſeſe libentius, alacriuſque accõmodarent,neque in iis quicquã intolerabile eſſe crederẽt,cum illos viderent tanto maiora, tãtoque grauiora toleraſſe.Quare quid timendum ſit in ea via,quam tot hominum veſtigiis tritam videamus,& in qua tanta ſit copia cœleſtium gaudiorum,quãtam multis capitibus ſupra expoſuimus,vt quicquid amarum in tantam dulcedinis vim coniectum ſit,dulceſcere oporteat?

Verum hæc quidem medicina ad confirmandũ animum proprie pertinet.Ipſi autem carni nulla ne erit? eſt ea ſane difficilis;quoniã caro nec cõſilij eſt capax,nec virtutis ſuauitatẽ deguſtare,vel futurorũ ſpem pręcipere poteſt. quare imperio tantũ vrgenda,freniſq; quaſi iumentum,& virga,vel,ſi opus eſt,fuſte adigẽda eſt,inſuper etiã vſu, ac cõſuetudine aſſuefaciẽda.Sic enim fiet,vt minus dies abhorreat à diſciplina.Sed tamẽ vt quoquo modo licet, ſuis eam quoque rationibus ad continentiã,laboremq; impellam⁹, adhibeamus ei elegantem illã S. Bernardi cohortationem, in qua hoc religioſæ, ſanctæque vitæ ſtudiũ, carni ipſi magnopere expedire demonſtrat.Noli,inquit,ò corpus, noli pręripere tẽpora.Potes enim impedire animę tuę ſalutem, tuã ipſius operari nõ potes. Omnia tempus habent. Patere vt nunc anima pro ſe laboret,magis autẽ etiã collabora ei, quoniã ſi compateris,& conregnabis.Quãtum eius impedis reparationem,tãtum impedis tuã,quod nimirum ante reparari non poteris, donec ſuã in ea Deus imaginem videat reformatã.Nobilem hoſpitem habes, ò caro,nobilem valde,& tota ſalus tua pẽdet de eius ſalute.Da honorẽ hoſpiti tãto.Tu quidẽ habitas in regiõe tua: anima vero peregrina,& exul apud te hoſpitata.Quæſo te,quis ruſtic⁹, ſi forte nobilis,& prępotẽs quiſpiã apud eũ voluerit hoſpitari,non libẽter in angulo domus ſuæ,aut ſub gradibus ſuis, vel in ipſis cinerib⁹ accubabit,cedẽs hoſpiti ſuo locũ,ſicut dignũ eſt,potiorẽ?Et tu ergo fac ſimiliter.Iniurias vel moleſtias tuas ne reputaueris,tantũ vt hoſpes tuus honorifice poſſit apud te demorari.Ac ne forte deſpicias,aut paruipẽdas hoſpitẽ tuũ,pro eo,quod peregrin⁹ tibi videtur, & aduena, diligẽter attende quid hoſpitis huius tibi præſentia largiatur.Ipſe enim eſt qui tribuit oculis viſum,auditũ auribus pręſtat:ipſe eſt qui linguę vocẽ,palato guſtũ,motum mẽbris omnibus ſubminiſtrat.Si quid vitæ,ſi quid ſenſus,ſi quid

Ser.6. aduen.

quid in te decoris eſt,huius hoſpitis beneficiũ recognoſce. Deniq; diſceſſus eius probat qui præſentia cõferebat: protinus enim,anima diſcedẽte,lingua ſilebit,oculi nihil videbũt,obſurdeſcẽt aures,corp⁹ omne rigebit,facies expalleſcet.In breui quoq; totum cadauer putidũ ſimul, & fiet, & decor omnis in ſaniem conuertetur. Vt quid ergo pro temporali qualibet delectatione contriſtas,& lædis hoſpitem iſtum, quã nec ſentire quidẽ vllo modo poteras, niſi per ipſum? Ad hæc ſi tantũ tibi confert exul, & inimicitiarum cauſa à facie domini ſui eiectus,quantum tibi præſtabit reconciliatus? Noli ò corpus,noli impedire reconciliationẽ illam, quoniã grãdis tibi exinde gloria paratur. Patienter, immo & libenter temetipſum expone ad omnia, nihil diſſimules quod huic videatur reconciliationi poſſe prodeſſe.O ſi forte guſtare dulcedinem hanc, ſi forte gloriam iſtã valeas æſtimare.Ipſe dominus Sabaoth,dominus virtutum,& rex gloriæ,ipſe deſcendet ad reformanda corpora noſtra,& configuranda corpori claritatis ſuæ. Quãta erit illa gloria,quam ineffabilis exultatio,quando creator vniuerſitatis,qui pro animabus iuſtificandis humilis ante venerat,& occult⁹,pro te glorificãda,ò miſera caro, ſublimis veniet,& manifeſt⁹,non iam in infirmitate,ſed in gloria,& maieſtate ſua? Quouſq; igitur caro miſera, inſipiẽs, cœca,demẽs,& prorſus inſana, trãſitorias,& caducas quærit cõſolationes,immo deſolationes,ſi forte cõtingat, repelli,& indignã iudicari hac gloria,magis autẽ nihilomin⁹ ineffabili in æternum excruciari pœna? Hæc Bernardus.

De iis,qui amore ſeculi impediuntur ne fiant religioſi.
CAPVT XXX.

NON eſt dubitãdum,quin tãtus ſit religionis ſplẽdor, vt omnes homines inuitare,& allectare poſſit, ſi non ſeculi blãdimenta,& quædã falſæ iucunditatis ſpecies eos quaſi vinculis illigatos retineret.Multos enim eſſe & fuiſſe ſcimus,qui tum à Deo vocati fuerant, tum ipſi quoque eius vocationi ſeſe accommodauerant, & tamen mundi commodis,ac delectationibus irretiti, ſemper in iis tamquam pedicis hærentes,numquam euolare,numquã ſe explicare potuerunt. Quod igitur iis remedium applicetur melius,atque efficacius,quam vt doceantur, quid ſit ſeculum, in quo viuunt, id eſt, quantum malorum ſub illa

iucundi

iucunditatis ſpecie lateat? quæ mala, ſi ad genera quædam reuocáda ſint, hæc numerari poſſunt, fallacia, breuitas, miſeria, cæcitas, peccata. Primũ enim quid magis fallax, magiſve mendax, quã ſeculum, quod tã multa pollicetur, quæ deinde non præſtat, & ea ipſa quæ præſtat, non ſunt vt pollicetur. Ita enim ab eo monſtrantur, quaſi magna quædam bona, & plena gaudiorum, cum tamẽ nihil veri gaudij habeant, nihil ſolidæ lætitiæ. Atque in hoc quidem non eſt multis rationibus philoſophãdum. Eſt enim res in oculis, & plane apparet, quã innumerabiles honorum ſpe illecti, quos ſibi certis cogitationibus deſponderant, multos annos aulas attriuerint, qui tamen neque eos, quos appetierant, honores, neque vllum præmium acceperunt, ſæpe etiã damnum, iacturam, exitiũ. Alij autem mercaturis, ac negociationibus rem augere quærentes, pauci id aſſequuti ſunt, multo plures naufragiis, vel aliis incommodis conciderunt. Sed tamen vt & hi, quas volebant, opes, & illi, quos ambiebãt, honores ſint adepti neutri certe illũ animi fructum, & illam, cuius cauſa hæc concupierunt, voluptatem

Gen. 25. reppererunt. Optabat Rebecca prolem vtero concipere, eiuſque deſiderio quid non fecerat? aut quid nõ tentarat? tamẽ poſtquã voti compos facta eſt, cum filios in vtero pugnãtes ſenſiſſet, Si ſic, inquit, mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Idem igitur gemunt quotidie multi, qui cũ ex liberis, quos diuturnis votis à Deo poſtularunt, infinitas moleſtias percipiunt, mallent eos non ſuſceptos. Ac quod iſti in filiis, idem faciunt alij in alijs rebus huius mũdi, quarũ incommoda poſtquã experti ſunt, non tanto eas prius ardore quæſiuerunt, quanto deinde faſtidio adeptas reſpuunt. Nec mirum; nã quæ antea procul ſpectantibus aliquid iucunditatis oſtendebant, eadem poſtea in vſu oſtenderunt, quantum in eis fellis, ac moleſtiarũ occultaretur.

Hom. 49 ad pop. Quod argumentũ diſerte, vt omnia, tractans Chryſoſtomus, Multi, inquit, ſponſas concupierunt, & tamen quo die iis potiti ſunt, beatos vocauere eos, qui coniugij expertes eſſent. Si vero matrimonio iuncti moleſtã eam vitã exiſtimarunt, quid dicemus de iis, qui in meritricias voragines proiecti, magis ſerui quã vllum viliſſimum mãcipiũ, in iis deliciis cõtabuerũt, ipſiq; corpori innumeros morbos inuexerunt? Sed gloriã dicet aliquis eſſe iucũdã. Immo nihil amarius ea ſeruitute. Omnibus enim ſeruis magis eſt ſeruus gloriæ cupidus, omniũ gratiã captãs. Hanc vero peſſundans

omnibus

omnibus est superior. At amabile est habere pecunias. Immo vero sępius iã ostēdimus, qui pecuniis absoluti sunt, & nihil habent, in maiori abūdātia, & quiete degere. Igitur carere diuitiis iucundius, quã habere diuitias, & vxore carere, quã coniugio vinctũ esse, & inani gloria liberũ esse, quã vētosam gloriolã aucupari, & delicias fugere, quã deliciis immergi. Hæc Chrysostomus. Aliud mūdi malum est breuitas. Nam si rem ad rationem reuocamus, nulla mūdi felicitas lōgior potest esse, quã hominis vita, qui ea fruitur felicitate. Hæc autē quã breuis in omnib⁹ sua natura, quãto breuior in multis ob casus fortuitos? Itaq; multi, vt scimus, pontificatũ adepti, nō toto eum anno gesserūt: alij cũ ad purpuram, & infulas peruenissent, breuissimo tēpore iis prærepti sunt, cũ vix eos magistrat⁹ attigissent. Sed demus sane longissimu tempus, expectemus quamlibet diuturnã ætatem: tamen ad aliquod extremum veniēdum est, quod cum aduenerit, illud quod præteriit, effluxit, & iam nihil est, tumq; demũ apparet, quod antea diuturnum videbatur pene punctũ fuisse, si præsertim cũ futura mox æternitate comparetur. Hic enim videtur sensus eorũ verborum, quæ sunt in Ecclesiaste, Si annis multis vixerit homo, & in iis *Eccl. 11.* lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi tēporis, & dierũ malorũ, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. Esaias autem totã hanc felicitatem somniũ vocat, quia ni- *Esa. 29.* hil in ea verũ, nihil solidũ, & permanens, sed omnia inania. Sicut, inquit, somniat esuriens, & comedit cũ autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somniat sitiēs, & bibit, & postquã fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit. Sed tamen si hęc tam breuis felicitas aliquod spatiũ haberet, quo homines pure oblectaret, tametsi exiguũ, esset fortasse aliquid, quod videri posset optabile. Verũ ne hoc quidem. Instat enim tertium illud malum ex supra propositis quod tam multæ admixtæ sint calamitates, & molestiæ, vt voluptatē omnem quasi multo felle illiniãt. Hic enim corporis morbi, hic iurgia, hic infortunia rei familiaris, hic casus innumeri. Ali⁹ in honore, alius in facultatib⁹, alius in vxore, aut liberis, aut propinquis, ali⁹ in aliis rebus plagam accipit; nec; id vlla hominis prudētia, aut etiam virtus, ac probitas effugere potest. Recte igitur, & vere Gregorius, *3. Dial.* Despiciēdus, inquit, à nobis hic mūd⁹ fuerat, etiã si blādi- *c. vlt.* retur, etiã si rebus prosperis demulceret animum. Ac postquam tot flagellis premitur, tãta aduersitate fatigatur, tot

nobis

nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quã, ne diligatur clamat? Quartũ eſt malum, de quo ſatis multa alibi à nobis dicta ſunt, ex tam multis, aſſiduiſque periculis peccãdi, quæ animum vndique ſemper obſident. Ferme enim, quot ſunt in mundo res, tam multæ ſunt peccati occaſiones, dum earũ vel pulchritudo, vel iucunditas cõcupiſcentiã illicit, atque inflammat. Quot etiam in nobis ſenſus, tot ianuæ, & viæ ad ruinã: alia enim per oculos irruũt, alia per ores, multa per guſtatum, & per alias animæ vires, ac facultates: vt de hoc in Pſalmo illud dictum videatur, Pluet ſuper peccatores laqueos: quaſi enim pluuia, ita ſunt frequentes laquei in omnibus mundi rebus iniecti, in paupertate, & diuitiis, in amicitiis, & in aliorũ odiis, in hominum multitudine, & in ſolitudine, in proſperis, & aduerſis, in infamia, & in honore. Cui malo accedit malũ cæcitatis, admodũ familiare mũdo; quo etiã fit, vt eo minus, quaſi in tenebris, laquei illi euitari poſſint. An vero nõ magna cæcitas eſt, ſic viuere, vt paſſim viuitur? plus homines curare, quã Deum, & attẽtius, diligẽtius, ſtudioſiꝰ leges mũdi, quã leges Dei obſeruare, & pro corpore adeo ſolicitos eſſe, animã ita negligere, ac ſi nulla eſſet, deniq; pro tẽporalibꝰ, caducíſq; tãtopere laborare, pro æternis ne digitum quidẽ mouere, & cum tã certo ſe morituros ſciãt, tamẽ ita cogitare, ita loqui, ita ſpes ſuas in lõgum protẽdere, ac ſi numquam eſſent morituri? Nihil mirũ igitur, ſi ex his laqueis, his etiã adiunctis tenebris, tantaque mentis caligine, vltimum illud malum omnium malorũ maximum ſequatur, tanta nimirum ſcelerum, flagitiorumq; multitudo, in quibus omnia fœdiſſime proſtrata iacent. Licet enim intueri omnes fere homines brutorum ritu viuentes ſuarũ cupiditatum impetu trahi, atq; inter ſe inuicem incurrere, ſeque belluarum more, tamquã calcibus, & morſibus appetere, odia, ſimultates, cædeſq; ſæuire, contemni bonos, diuites tãtũ, & potentes honorari, opprimi pauperes, deniq; aut nullum, aut exiguum eſſe locum relictũ veritati, ſanctitati, ſimplicitati: contra vero regnare vbique ſimulationes, dolos, aſſentationẽ, vanitatem, & quod omniũ horum fons eſt, miſerabilẽ tum Dei, tum propriæ ſalutis obliuionem. Hæc eſt igitur tamquã ſeculi facies, quam ſi quis recti, iuſtiq; iudicij oculis aſpexerit, non modo non ea delectabitur, ſed eam quã maxime abominabitur, nihilque ei longius erit, quam vt ex tam tenebricoſo carcere, aut

Pſal. 10.

inextricabili

inextricabili errorum labyrintho sese proripiat. Sic enim optabat Hieremias Propheta, Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum, vt derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt cœtus præuaricatorum. *Cap. 3.*

DICES, Ergo ne omnium, qui in seculo viuunt, desperata est salus, iique omnes improbi, & perditi? Sunt quidem etiam inter seculares, quos Dominus sibi conseruat, ne curuent genua ante Baal, sed ij pauci, & rari aliorum comparatione, & ij ipsi tardius, ac multo difficilius proficiunt, facilius prolabuntur, ac recidunt. Semper autem in consiliis capiendis id respiciendum est, non quod vni, aut alteri euenerit, sed quod vt plurimum, & omnino quid rei illius, de qua consilium capitur, natura ferat. Habet ignis hanc naturam, vt exurat, aqua vt suffocet: tamen & tres pueri in fornace, & Petrus in mari, pluresque alij in vtroque periculo nihil mali perpessi sunt. Quis ergo ita stultus sit, vt hoc argumento ductus, quia istis bene cesserit, vel in aquas, vel in ignes se coniiciat? Est enim, vt dixi, rei vis spectanda, non autem quid aliquando peculiari aliqua Dei voluntate, extra ordinem contigerit. Idem igitur dicendum est de seculo. Cum enim appareat, cuius naturæ sit, quámque late in eo pateat peccati pestis, quam sit difficile eam euadere, & quam pauci euadant, denique quam rari in eo sint qui arctam illam salutis viam inueniant, etiamsi aliqui inuenirent, tamen fugiendus esset, vt aqua, aut ignis, de quibus diximus. Quis enim præstare tibi potest, te vnum ex illis paucis futurum? Quæ autem stultitia est, vt rem tantam, quanta est æterna felicitas, vel æternum supplicium, tam euidenti periculo obiicias, aut etiam ita te fortunatum putes, vt mundus, cuius in alios virus pestiferum esse fatearis, in te solum vim illam suam non retineat? Amentis id quidem est, suámque salutem omnino negligentis, cum & ante oculos tam innumerabilia habeamus aliorum naufragia, & ad aures tam seuere insonet nobis sacra scriptura tum alia multa, tum illud præcipue, Adulteri nescitis quod amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. *Iac. 4.*

Contra quorundam timorem ne non poſſint exuere malos habitus.

CAPVT XXXI.

ALII ſunt, quos neque ſeculi, neque ſuæ carnis amor impedit, nimis videlicet aperta, & craſſa tentatio, ſed alia ſubtilior, quod vereantur, ne à vitiis in ſeculo contractis nimium acriter oppugnentur. Nam neque ea ſe ſatis extirpare poſſe confidunt, vtpote longo iam vſu confirmata, ac roborata, & niſi iis extirpatis, nec pacem, aut quietem, neque vero perſeuerantiam ipſam ſe tenere poſſe arbitrantur. Verum qui hæc cogitant, ij primum trepidare videntur timore, vbi non eſt timor; quoniam non dubia eſſe debet horum omnium vitiorum in religione victoria: deinde nō ſatis intelligo, quæ ſit iſtorum ratio in hac cogitatione. Nam ſi ideo in ſeculari vita perſiſtendū putāt ídq; melius eſſe, quod prauos mores eiicere ſe poſſe diffidunt, idē faciuntquod is qui in longo itinere de via aberraſſe ſe ſentiens, tamen redeundi labore perterritus, progredi mallet, cum quo plus progrediatur, eo longius aberret, vt vel numquam in viam bonam rediturus ſit; vel ſi aliquando redire decernat, multo id maiore labore ſit facturus. Sic enim his contingit, vt vel vitia vitiis ſemper eos cumulare neceſſe ſit, deſperantes ſemetipſos, vt ait Apoſtolus, aut ſi aliquando ſeſe corrigere, & ad iuſtitiam, ac virtutem remigrare voluerint, id eo difficilius, & grauius futurum ſit, quo diutius in ea vita perſeuerauerint. Sed huius quidem tentationis profligatio in eo poſita eſt, vt oſtēdamus, quanto errore teneantur, qui mores iſtos deprauatos inſuperabiles eſſe exiſtimant, cum in religione vinci, & facillime vinci poſſint: quod primum ex ipſorum natura, deinde ex Dei gratia oſtendendum eſt. Ex ipſorum natura argumentum ita ducitur, quod vitia nihil ſint aliud, quam habitus: habituum autem vis ea ſit, vt quemadmodum vſu, & frequētatis actibus inducuntur, ſic ſi actus ceſſarint, paulatim ex animo obliterentur, & abeant. Licet exemplum capere ex artibus omnibus. nam & canendi, & pingendi ſcientia, & ſcribendi, & quæcumque peritia cuiuſlibet rei faciendæ, vt ſtudio, & exercitatione acquiritur, ita ſi non exerceatur, immo quod amplius eſt, ſi remiſſius, aut negligentius exerceatur, neceſſe eſt labefactari, ſenſímque deſtrui. Quare non dubitandum eſt, quin idem eueniat in vitiis, vt

Ephe. 4.

tiis, vt

tiis, vt si quis iracundus, si intemperans, aut ventri deditus, his vitiis indulgere desierit, illa omnia vitia, vt antea quotidianis peccatis quasi quotidiano quodam pabulo crescebant, viréſque acquirebant, sic eo pabulo subtracto, magis in dies remitti, ac minui oporteat. Adde deinde contrarias consuetudines, cum videlicet religiosus non modo nihil iam superbe, aut elate facit, sed etiam humilitatem, suique contemptum ex animo amplectitur, cum pro diuitiarum amore, pro deliciis pristinis paupertatis duritiam adamare incipit, cum nullus abit dies, quo ipse status religiosus non ei plurimarum virtutum materiam præbeat, vltróque offerat. Quibus causis fit quod dixi, vt sicut antea prauæ actiones vitia illa induxerant, sic contra hæc virtutum officia virtutum habitus paulatim inferant. Sed quid pluribus opus est in tali re? Non modo hoc studium, & hæc animi applicatio, quam dixi, tam efficax est, verum ipse aspectus, & ipse conuictus bonorum hominum, qui est in religione, vel solus ferme sufficit ad ferum quemuis, ac barbarum paulatim immutandum, vt eorum bonitate, & virtute sensim imbuatur. Belluas ipsas videmus si ex syluis translatæ aliquamdiu inter homines teneantur, feritatem illam relinquere, itaque mitescere, & cicures fieri, vt nihilo ferme à catellis differant, non ceruos tantum, aut capreas, quibus innata est timiditas, sed leones ipsos, & vrsos, quorum est propria immanitas. Et tamen nihil hæc interius agere possunt, aut conari ipsæ ad suam naturam exuendam, sed sola oculorum consuetudine fit in eis, vt paulatim etiam nescientes mansuefiant, aliámque omnino naturam, alios mores induant. Quanto ergo magis hoc in hominibus valebit, in quibus præter oculorum vsum, est etiam animi iudicium, & ille interior conatus, ac studium ad se ipsos expoliendos, & perficiendos? Quod si tantum potest natura, & hominis ipsius industria, & labor, quid deinde poterit Dei gratia? Hæc vero etiam multo potentior, atque efficacior est, & breuiori etiam tempore totum hominem sanum facit. Nam, vt ait Sapiens, facile est in oculis Dei subito honestare pauperem. Et hoc auxilium, ac subsidium sæpe nobis Deus per Prophetas pollicetur, vt per Esaiam, Ne timeas, inquit, quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepi te dextera iusti mei. Addit deinde certam victoriam. Ecce confundentur, & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te: erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi.

Eccle. 11.
Esa. 41.

tibi. Quæres eos, & non inuenies, viros rebelles tuos, & erunt quasi non sint. Qui sunt igitur hi nostri rebelles, nisi vel habitus, vel animi motus peruersi, qui rationem non audiunt, neque ei obtemperant, neque omnino eos ita in potestate tenere possumus, vt non interdum etiã nobis inuitis incitentur? Hi ergo ita manebunt, ac si non maneant, id est, non ad ruinam, sed ad exercitationem, vt nos excitent, non vt perimant, denique vt sint coronæ materia, non autem laquei. Quam etiam ob causam Paulus Apostolus pugnam illam carnis suæ non gladium, aut telum, sed stimulum appellauit, quod stimulus non confodere, aut etiam vulnerare, sed pungere tantum possit, quo nihil facit aliud, nisi vt ad currendum, & vigilandum, & ad opera quæuis bona acrius, ac diligentius peragenda nos excitet. Hæc igitur efficit diuina gratia, vt in quos effusa sit, eorum voluntatem, & mentem, & appetitum, omnesque animæ vires, miro quodam modo reformet, & quasi in alium statum transferat, quæ est noua illa creatura, de qua tam sæpe Paulus differit. Quam tantam, támque subitam in Dei famulis mutationem vix credere possemus, nisi & ipsi in nobis experiremur, & eandem in aliis quasi oculis ipsis intueremur, & denique sanctorum omnium, qui de religiosa, spiritualique via scripserunt, auctoritate testatam sciremus. Cassianus quidem id quod est in Psalmo, Mirabilia opera tua & anima mea cognoscet nimis, ad illa præsertim opera refert, quæ Dominus Deus in sanctis suis quotidiana, vt ipse ait, operatione dispensat. Quis enim, inquit, in se opera Domini non miretur, cum insatiabilem ventris ingluuiem & sumptuosam gulæ perniciosamq; luxuriam ita in se viderit fuisse compressam, vt vix ipsum exiguum, ac vilissimum cibum raro, inuitúsque percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, cum illum ignem libidinis, quem naturalem antea & velut inextinguibilem esse credebat, ita refriguisse persenserit, vt ne simplici quidem se corporis motu sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cum homines quondam diros, atque truculentos, qui ad summum iracundiæ furorem etiam blandissimis subditorum irritabantur obsequiis, ad tantam transisse viderit lenitatem, vt non solum nullis iam commoueantur iniuriis, sed etiam cum illatæ fuerint, summa magnanimitate congaudeat? Quis plane non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu, Quia ego cognoui quod magnus est Dominus, cum vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo

[Margin notes: 2.Cont. 12. — Coll. 12. cap. 12. — Psal. 138. — Psal. 134]

cissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato, & tenero squallidum, hirsutúmque perspexerit, & egestate, atque angustia præsentium rerum etiam voluntarie perfruentem? Ista sunt profecto mira opera Dei, quæ peculiariter anima Prophetæ, similiúmque eius mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia, quæ posuit super terram; quæ idem Propheta considerans ad admirationem eorum cunctos populos aduocat dicens, Venite, & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad fines terræ, arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Quod enim maius potest esse prodigium, quam sub momento breuissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis prædicatores Euangelij patientissimos reddi, ita vt eam quã prosequebantur, fidem etiam effusione sui sanguinis propagarint? Ista sunt opera Dei, quę se quotidie vna cum Patre operari filius protestatur dicens, Pater meus vsq; hodie operatur, & ego operor. Hęc Cassianus. Bernardus autem ita hæc eadem cõfirmat, vt etiam hac causa animam quodãmodo omnipotentem euadere doceat, sed Dei viribus non suis. Sic enim locũ illum interpretatur, Quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectũ suum. Sane, inquit, etiam contra se innitens inualescet, & facta sę ipsa validior, coget pro ratione vniuersa, iram, metum, cupiditatem, & gaudium, veluti quendã animi currũ bonus auriga reget, & in captiuitatem rediget omnẽ carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis. Quidni omnia possibilia sint innitenti super eum, qui omnia potest? Quantæ fiduciæ vox, Omnia possum in eo, qui me confortat? Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui sperant in se. Ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur à Verbo, poterit vtique dominari sui, vt non dominetur ei omnis iniustitia, Ita, inquam, Verbo innixum, & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit vel stantem deiicere, vel subiicere dominantem. Hæc igitur si vera sunt, quæ scribit Bernardus, quis timere poterit, ne plus possint vitia sua, quam Dei gratia, aut grauius eorum pondere deprimatur, quam huius suauitatę subleuetur? Hoc enim non tam hominis est, quam Dei ipsius negotium, vt quicumqne se illius manibus commiserit, totúmque tradiderit, huius vicissim Deus vulnera,

Psal. 45. *Ioan. 5.* *Serm. 85 Cant.* *Cant. 8.* *Phil. 4.*

& plagas curet, veteres inclinationes nouis inclinationibus, vetera desideria, & delectationes, nouis desideriis, & dele-
Ser.20. Cant. ctationibus, tamquam clauum clauo expellat, vt ait S. Bernardus. Audiamus de hac re testem non mediocrem, sed certe grauissimum, Augustinum, qui quod in mutatione vitæ instituenda expertus erat, ad communem hominum
8.Conf. c.11. vtilitatem, ita in omnibus notum esse voluit. Retinebant, inquit, me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant, Dimittis ne nos? & à momento isto non erimus tecum vltra in æternum? & à momento isto non tibi licebit hoc, & illud, vltra in æternum? & paulo infra. Retardabant me cunctantem abripere, atque excutere ab eis, & transilire quo vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta, Putas ne sine istis poteris? Atque hoc quidem in illa lucta, & grandi, vt ipse appellat, rixa carnis, ac spiritus: at vbi disruptis vinculis, quibus tenebatur, ita se in
9.Conf. Dei obsequium toto animo contulit, vt iam nec vxorem, nec aliquam spem seculi huius quæreret, quid in se sensit, aut quid expertus est? Quam, inquit, suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me veratu, & summa suauitas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini, omni luce clarior, omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non subli-
2.libr. Ep.2. mibus in se. Testatur hoc idem ex proprio item sensu Cyprianus, qui vtrumque hunc animi sui statum his ipsis verbis describit. Ego cum in tenebris, atque in cæca nocte iacerem, cumque in salo iactantis seculi mutabundus, ac dubius vestigijs oberrantibus fluctuarem, difficille prorsus, ac durum, pro illis tunc moribus, opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renasci denuo posset, corporis licet manente compage, hominem ex animo, ac mente mutaret. Qui possibilis, aiebam, est tanta conuersio, vt repente, ac perniciter exuatur quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel vsurpatum diu senio vetustatis inoleuit? Alta hæc, & profunda penitus radice sederunt. Quando parsimoniam discit qui epulatibus cœnis, & largis dapibus assueuit; & qui pretiosa veste conspicuus in auro, atque in purpura fulsit, ad plebeiũ se, ac simplicem cultum quãdo deponit? hic stipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse, cum

esse, cũ solus est. Tenacibus sẽper illecebris necesse est, vt solebat, vinolentia inuitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet sæpe mecum. Nam vt ipse quampluribus vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitijs adhærentibus obsecundans eram, & desperatione meliorum, malis meis veluti iam proprijs, & vernaculis fauebam. Sed postquam vndę genitalis auxilio superioris æui labe detersa, in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur vt esse. Hæc quidem, & multa alia Cyprianus, quæ eadem & in se recognoscere, & de se prædicare potest religiosus quisque. Nam quod illi baptismus fuit, nobis est religio, in qua nos quoque mundo, ac vitæ priori penitus morimur, sed Deo, & vitæ spirituali penitus nascimur: quin etiam hoc amplius confert ad mutationem hanc, quod non solum multa habet præsidia ad interiorem gratiam, quam baptismus confert, augendam, sed externa multa addit adiumenta, & quasi instrumenta ad perfectionem omnem & breui, & facile acquirendam.

Ad eos qui timent ne non perseuerent in religione.

CAPVT XXXII.

CONfutato hoc timore, qui ex ante vitæ corruptela nasci solet, facile est alium timorem huic simillimum, & qui ex hoc ferme nascitur, confutare, ne voluntate, quæ initio quidem feruere videtur, aliquo tempore tepefacta, retro aspiciamus, rursumque à seculo resorbeamur.

Hunc metum incutit primum humana infirmitas, qua nihil est imbecillius, præsertim in rebus ita arduis, augent etiam aliorum tristes exitus, qui interdum bene currentes in medio cursu conciderunt, vt prudentiæ esse à nonnullis putetur, illorum periculo discere, sibique mature cauere. Sed hoc tentationis genus, atque hostilis doli egregie Gregorius retegit, & conuincit his verbis. Multos sæpe videmus vitam 30. *Mo.* quidem sanctæ conuersationis appetere, sed ne hanc assequi *c.12.* valeant, modo irruentes casus, modo futura aduersa formidare. Qui incerta mala dum quasi cauti prospiciunt, in

peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. Multa enim ante oculos ponunt, quæ si eis in conuersatione eueniant, subsistere se non posse formidant. De quibus bene Salomon

Pro.15. ait. Iter pigrorum quasi sepes spinarum. Nam cum viam Dei appetunt, eos velut spinæ obstantium sepium, sic formidinum suarum oppositæ suspiciones pungunt. Et Gregorius quidem hoc modo. Mihi vero videtur in istos omnes optime

Iob.6. me conuenire quod à beato Iob dictum est, Qui timent pruinam, irruet super eos nix: dum enim futurum periculum, idque incertum, metuunt, in præsentibus malis certissimis & maximis immorantur. Sed vt radices ipsas huius diffidentiæ petamus, videndum est accurate, quæ causæ existere possint huius horribilis diffidij, quod nos post votorum nexum, post fidem Deo datam, tamen ab illo separet, ac sciungat. Non enim alia causa esse potest, quam si vel Deus à nobis recedat, vel nos à Deo: id est, si vel Deus nos deserat, suumque sanctum spiritum à nobis auferat, vel nos aut tædio, aut labore, aut inconstantia victi, eum deseramus. At alterum quidem de bonitate illa credi non potest, vt ijs, quæ semel dedit, vllo nos vnquam tempore exspoliet, quod

Rom. 11. testatur Paulus, cum ait, dona Dei esse sine pœnitentia, te-

Mal.3. statur, & ipse Deus apud Prophetam, cum ait, Ego Dominus, & non mutor. Ex quibus illud necessario sequitur, quod est ab Augustino dictum ad Deum, Te nemo amittit, nisi

4. Conf. cap.9. qui dimittit. Numquam ergo Deus eos, qui ipsum quærunt, expellit, numquam foras eijcit, qui ad ipsum veniunt,

Ioan. 6. vt ipsemet professus est, & prius cœlum ac terra transibunt,

Iac.1. quam in eum vlla cadere possit mutatio, vel vicissitudinis obumbratio. Itaque cum ex hac parte nullum nobis immineat periculum, totius periculi summa in nobis ipsis cõsistet, & in nostra fragilitate. Sed tamen quia nemo sponte malus est, nec vllus adeo perditus inuenitur, quem ipsum per se peccatum delectet, nisi aliqua impellat causa, videamus quæ causa esse possit, quæ nos ab hac quasi societatis, & fœderis cum Deo initi sanctitate diuellat. Nam in humanis quidem amicitijs multa huiusmodi incidere possunt, vt si vitium aliquod ex ipsa consuetudine patefactum sit, si iniuria aliqua, vel si damnum in re familiari acceptum, denique vt sæpe euenit, ipsa satietas. Verum hæc omnia longe absunt à Deo. neque enim timendum est, ne vel eius vsus nobis damnosus sit, cum potius & nostra omnia ab ipso habeamus, & præterea sua etiam omnia nobiscum largissime communicet, vel

in eius

in eius familiaritate vllum obrepere possit fastidium, cum de sapientia illa ita scriptum sit, Intrans in domum meam conquiescam cum illa. non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam, & gaudium. Ex quo fit quod alibi eadem sapientia de se ipsa prædicat, Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Itaque tantum abest, vt Deo fruendo, eius desiderium minuatur, vt semper potius augeatur, quo semper plures quasi gradus illius pulchritudinis, ac bonitatis melioribus, purioribusque oculis conspiciuntur. Quod si cum adhuc in sæculo essemus, tenuis tantum radius ex religionis splendore inter illas tenebras emicans, tantum potuit, vt nos tanquam è regione longinqua ad se pertraheret, idque tanto impetu, vt is impetus vincula omnia à dæmone iniecta disrumperet, quid faciet hæc eadem lux, ac dignitas, cum longiori iam vsu cognita, atque etiam possessa, nos magis ceperit, acriusque incenderit? Et, si solutos adhuc, & vagos ad se compulit, quanto magis iam sibi nexos, triplicique illo funiculo, qui difficile rumpitur, deuinctos retinebit? Quæ igitur cogitari potest causa, quæ nos ad voluntatem cum tanto nostro damno, tanto etiam dedecore ac nota mutandam impellat? An difficultas, vel asperitas vitæ? Parumne igitur multa à nobis & de vtilitate, quæ vel sola sufficere deberet, disputata sunt, & vero etiam de suauitate, & oblectamentis religionis? Itaque si hominum natura adeo voluptate trahitur, eiusq; vmbram inanē ex rebus inanibus tam auide consectatur, non timendum est, cum verum eius fontem, qui Deus est, inuenerit, quin ei magis, ac magis hauriendo semper inhæreat. Nulla est igitur causa ex parte nostra, cur vnquam pœnitere nos debeat eius rei, quę à Christo domino inuenta, & commendata, à tot sanctissimis viris tanto studio exculta, à nobis ipsis ardenter expetita, postea etiam ipso vsu, atque experientia, multo opinione, ac spe nostra vtilior, iucundiorque inuenta fuerit. Quid ergo metuendum restat? Num dæmonum insidiæ, vel aperti impetus? At de his quoque multa ante dicta sunt, cur contemnendi essent, cum tot præsidia habeamus ad vincendum, statum ipsum, in quo viuimus, tamquam arduam munitionem, angelorum custodiam, Dei propugnationem, & alia innumera. Quæ cum per se tam firma, & valida sint, tum vero accedit Dei gratia diffusa in cordibus nostris per spiritum sanctum, quæ nos ita virtute induit ex alto, vt instabiles confirmet,

Sap.8.

Eccl.24.

Eccl.4.

debiles roboret, languentes excitet, denique quasi de latronum manu, qui nulli sunt alij, quam dæmones, semiuiuos erutos, in hoc religionis humili quidem, sed salutifero stabulo repositos, oleo curet, & vino. Est enim vinum, vt
Luc. 10. acrius, disciplina ipsa, & incommodorum, quæcunque sint, perpessio. Sed hoc vinum oleo temperatum est, id est, suauitate admirabili, qua omnia illa incommoda condiuntur. Igitur etiam si naturam multis vulneribus, plagisque confossã, debilitatam, conscissam in religionem afferamus, nihil tamẽ de perseuerantia dubitandum est, vbi ad eam sanandam lenia illa quidem, sed tamen adeo efficacia adhibentur diuinæ gratiæ medicamenta.

Sed hoc quidem fatentur omnes, & fateri coguntur, hanc esse huius gratiæ vim. Ille scrupulus angit nonnullos, ne suis culpis, & erratis indignos se hac gratia reddant, eaque deserti, atque orbati, in pristinos errores recidant. Sed qui hoc timent, & ob eum timorem Dei seruitutem refugiunt, magno pere errant, nec satis intelligunt quid sit gratia. quæ ideo dicitur gratia, quoniam gratis datur, non ex meritis nostris. Cuius quidem rei quid est, quod vel ex Paulo persequutore, vel ex Matthæo publicano, aut ex Maria muliere peccatrice exẽpla repetamus, cum in nobis ipsis expressum, & euidens, & recens exemplum habeamus? Etenim si cum adhuc inimici essemus, si cum porcos in regione longinqua pasceremus, aut quasi ouis centesima perditi erraremus, tamen nos Deus vltro quæsiuit, fugientes sequutus est, reluctantes impulit, tergiuersantes, & cũctantes expectauit, denique etiam in humeris suis reuexit, quid faciet, cũ nunc in eius domo, & obsequio viuamus? Comparemus tempus tempori, statũ statui. tũc quidem, vt in densis tenebris, nihil in nobis erat boni, omnia mala, omnia terrena, omnia ad huius mũdi seruitutem directa, facta, dicta, cogitationes, sũma Dei obliuio, sũma rerum cœlestium incuria. Nunc autem tota vita in virtutũ studio, in Dei cultu, in abnegatione nostri, vt etiã si quæ culpæ intercidãt, & illæ multo minores, leuioresq; sint, & recte factorum copia facile obruantur. Itaq; si tanta fuit Dei bonitas, vt eam vet⁹ illa nostra deformitas nõ retardarit, quin ex illo cœno extractos in suum nos sinum acciperet, nũc cũ loti sim⁹, etiam si quid sit, cur lauandi sint pedes, proiiciet, & abiiciet ex sinu? Et qui alienos, immo vero etiam hostes, tam benigne tractauit, vt in filios adoptaret, & in suam familiam ascisceret, nũc filios, & quidem post multa obsequia impẽsa, multos-

multósq; annos in eius domos exactos, extrudet, & ex aliorum, quibus nos aggregarat, filiorum numero exturbabit? O absurdam, indignamque tum tali patre, tum filiis tam liberaliter educatis suspicionem ac timorem. Quanto melius, & verius S Bernardus de hoc ipso Dei in religiosos omnes amore, Ipse, inquit, ipse colligit vos, qui diligit vos tamquam viscera sua, tamquam fructum pretiosissimum crucis suæ, tamquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui. Fructum, & recompensationem, eámque maximam passionis Christi religiosos esse dicit, quoniam in ipsis potissimum eius vis elucet, & quia licet alius nullus ex Cruce fructus extitisset, hic vnus satis esset, cuius gratia Dei filius suos omnes labores, ac cruciatus bene collocatos putaret. Igitur si mercator nullus ita insanus est, vt gemmas multo pretio quæsitas, cum seruare possit, abijciat, ac perdat, cuius animi erit timere, ne Deus quos filij sanguine æstimauit, quos tantis donis, tantísque thesauris ditauit, eos repente proijciat, ac præcipitet? Quare hoc etiam cogitandum est, hanc esse differentiam inter seruum, & filium, quod seruus si peccet, aut etiam si inutilis sit, dimittitur, nimirum quia seruus est, qui, vt dixit Dominus, non manet in domo in æternum. At filius etiamsi ægrotet, vt nihil vtilium operum facere possit, addo etiam, si aliquid delinquat, si patrem offendat, virga fortasse, & baculo corripiatur, quæ tamen ipsa magis consolentur, vt ait Propheta, quam contristent, sed non à facie patris expellitur. Non enim id fert paternum pectus, non caritas, quæ etiam de longinquo venientem cum symphonia in domum suscipit, ne dum iam susceptum è domo expellat. Quod si cum altero homine res tibi esset, iniuriam illi faceres, si eum vt tetricum, ac seuerum formidares, qui scilicet leui quapiam offensione ita exardescat, vt cum eo nulla diuturnior amicitia manere possit. Quanto ergo maiorem iniuriam faciat diuinæ bonitati, qui hoc idē de illa suspicetur, quam scilicet videmus quotidie tam innumerabilia omnium hominum peccata & ferre, & dissimulare propter pœnitentiam? Potius igitur vt fratri confidimus, vel patri, vel cuiuis homini à quo nos præcipuè diligi intelligamus: sed quid de alijs loquor? sicut si perseuerandi potestas in nostra manu esset, securo, ac quieto animo essemus, ita esse debemus, cum in manu Dei sit, & quidem tanto magis, quanto maiorem scimus illius esse in nos amorem, quam nostrū ipsum, & quo ardentius eius desiderium salutis, profectusque

Ep. 109.

Iob 8.

Psal. 22.

Sap. 11.

1. Thes. 4 fectuſque noſtri;quod teſtatur Apoſtolus,cum ait, Voluntas illius ſanctificatio veſtra. Quid ergo faciendum? quod fecit Auguſtinus, cum ipſe quoq; in hac eadem trepidatione verſaretur, ne ſatis virium non haberet ad ſuſtinendam nouam illam vitam, de qua ſuſcipienda anxie deliberabat. Sic enim ipſe ſcribit, ſenſiſſe ſe interiorem hanc ſibi vocem inſinuari, & in anima imprimi, Proijce te in eum,noli metuere. non ſe ſubtrahet,vt cadas;proijce te ſecurus,excipiet te, & ſanabit. Nam ſi nullus vmquā fuit tam ferus,& ferreus homo,modo homo,cuius ſi brachijs quiſpiam ex ſuperiori loco ſeſe committat,ſubtractis brachijs,eum ad terrā allidi patiatur, quinimmo hoc ipſum, quod aliquis nobis confidat, ſeque ac ſuā vitam fidei noſtræ hac ſpe committat,nos eo magis obligat, ne eum noſtris officijs deſertum perire velimus.Si igitur hoc inter homines etiam agreſtes hominum natura recuſaret, quis id poteſt de illa benignitatis,& clementiæ abyſſo ſuſpicari,vt eos derelinquat,& relinquendo,vt ita dicam,prodat, qui illius ſe bonitati,prouidentiæ,ac promiſſis quoque totos crediderunt? Denique illud etiam intuendum eſt, duo eſſe diuinorum operum genera, naturam, & gratiam. Atqui in operibus naturalibus nemo vmquam fuit, qui vereretur,ne vniformis ille tenor, perpetuúſque fluxus diuinæ beneficentiæ rumperetur. Numquam enim dubitauit vllus,ne ſol quotidie non oriretur, certóque ſpatio pro anni tempore terras illuminaret,aut ne imbres, ac pluuiæ tempeſtiue non aduenirent, ſine quibus fruges nullæ eſſent. Itaque ſic arantur agri,ſic ſeruntur,ſic arbores, & vites coluntur, ac ſi illa certiſſima eſſent,quæ tamen ſi fallerent,labor omnis & impenſa perderetur. Quin etiam longiſſimi ſæpè aquæ ductus,ingentéſque fornices multis paſſuum millibus deducuntur magno ſumptu,magno diſpendio,quæ omnia eſſent irrita,ſi ſemel aquæ caput deficeret. Sed ita certum,ac fixum eſt,non poſſe deficere, vt nemo vmquam ob eam cauſam cunctatus ſit in ſumptibus illis ſubeundis. Igitur ſi in rebus iſtis naturalibus nullus omnino eiuſmodi timor incidit, cur non item in ſpiritualibus ſperandum ſit, defluxum illum cœleſtis gratiæ perennem fore? Et, ſi ineptus habeatur, qui propter eos metus ſerere, aut plantare, aut eiuſmodi opus facere ceſſet, quanto ſtultior eſſet qui ſpirituale opus, & tantum opus, quantum eſt religioſæ vitæ profeſſio, hac de cauſa omittat, quia videlicet timeat,ne ſibi in medio die ſol obſcuretur,aut fons diuinæ gratiæ in medio curſu exareſcat?

8. Conf. cap. 11.

Tamen,

Tamen, dicet aliquis, cadere quoſdam videmus: quis autem nouit an ego ex illorum numero ſim futurus? Hanc ipſam quæſtionem proponit Chryſoſtomus in apologia vitæ monaſticæ, vbi diſputans aduerſus eos parentes, qui filios ſuos à religioſa vita reuocant, ita eos facit obijcientes. Vnde nobis cõſtare poterit, quod filius meus perſeuerabit, & numquam propoſito hoc excidet? Multi enim excidere. Ad quos Chryſoſtomus, Et ego tibi reſpondeo: Vnde verò tibi cõſtat, quod non perſeuerabit? Multi enim perſeuerauerunt, & quidem multo plures, quam qui exciderunt. Itaque iſtorum cauſa magis confidendum eſt, quam illorum cauſa metuendam. Conuincit deinde eos ex ipſorum facto, qui filios ad ſcholam liberalium artium, idque cum ſumptu mittunt, in qua tamen pauci ad eruditionem prouehuntur, propter impedimenta plurima cum contra in religione non magno ingenio aut magnis viribus corporis opus ſit, vt quis perſeueret, & ad virtutis perfectionem perueniat, ſed animi alacritate, & ſtudio. Ex quibus ita concludit, Quam igitur iniquum ſimul, & indignum eſt, vbi ſunt pleraque ſpei opimæ indicia manifeſta, & viciniora ſaluti, ibi timere, & deſperare, vbi autem ſpes longior eſt, & tantis impedimentis expoſita, vbi non deſperare, immo verò rei difficillimæ ſpem ſibi maximam, & certiſſimam proponerere? Hoc autem quod Chryſoſtomus dicit de doctrina, & litteris, idem de omnibus humanis ſtudijs dici poteſt. Nam neque mercatura ideo ab omnibus reijcitur, quia multi ea exercenda rem amiſerint: neque homines ideo nauigare ceſſant, quoniam multi nauigando naufragium fecerint: neque deſeritur militia, quamuis innumerabiles quotidie alius alio mortis genere abſumantur. In quibus artibus hæc omnia pericula ita ſunt frequentia, & pene quotidiana, vt merito magis metuendi ſint aduerſi exitus, quam ſperandi proſperi, præſertim cum aduerſos nulla humana ratio, aut ſapientia effugere poſſit. At verò in religione eiuſmodi caſus & multo ſunt rariores, vt vix paucis inter multos eueniant, & certe aliqua cura, ac diligentia præcaueri, euitariq; poſſunt, & ſemper euitantur, ſi ij ſimus, qui eſſe debemus, iiſq; præſidijs vti velimus, quæ nobis ſtatus ipſe ſuppeditat. Rectè igitur, & commode Gregorius hoc tẽtationis genus tum ratione, tum ſcripturæ auctoritate iugulat. Alius inquit, deſpectis carnis deſiderijs cuncta relinquere, & omnipotentis Dei ſe ſubdere ſeruitio pertractat, ſeque ipſum reſtringere ſub continentiæ, & caſtitatis freno deliberat:

Lib. 3.

Hom. 3. Ezech.

deliberat: sed cum cecidisse alios etiã post castitatem cõspicit, hoc ipsum facere, quod deliberat, pertimescit, fitque vt retro per cogitationem redeat, qui ad interiora respiciens iã mentis gressibus ad alta ibat. De quo bene per Salomonem dicitur, Qui obseruat ventum, non seminat, & qui considerat
Eccl.11. nubes, numquam metet. Venti quippe nomine malignus spiritus, qui mentem tentationibus impellit: nubis verò appellatione peccator exprimitur, qui tentationis impulsione cõmouetur. Qui ergo attendit ventum, non seminat, & qui considerat nubes, numquam metit, quia is, qui tentationes maligni spiritus metuens, & iniquorum lapsus conspiciens, se ipsum desperat, neq; nunc exercetur in bono semine operis; neque post reficitur de munere iustæ retributionis. Hæc Gregorius. Quare hæc argumẽti huius tota summa sit. Nam si religiosæ vocationis consilium ex nobis oriretur, aut si ita ex Deo oriretur, vt tamen meritum nostrũ requireret, esset nobis sine dubio ab hac tanta fragilitate, & inconstantia nostra metuendum. Nunc verò cum ita à Deo veniat, vt in nostra voluntate non exigat meritum, sed afferat, hoc sicut ab initio Dei gratia facit, cũ nos vocat, ita semper deinceps facit, dum nos conseruat. Fuit autem huius rei aptissimum
Mat.14. exemplum in Petro Apostolo, cum Saluatoris voce inuitatus, ingressus est super aquas, idemque cum propter metum cœpisset mergi, illius dextera subleuatus. Est enim hæc expressa quædam similitudo status religiosi. Vt enim miraculum est, quod humanum corpus, graue, & onerosum in aquis sustentetur, sic cum nostra hæc corruptio, quæ semper ad terram, ad carnis opera, ad libertatem, ac licentiam suo pondere deprimitur, omnes istos impetus, castitatis, & obedientiæ, paupertatisque vi frangit, non minus supra eius naturam est, quam corporis, si non deorsum feratur. Itaque non suis hoc viribus facere potest, sed Dei; idque in nobis agit illa vox, Veni, qua Deus, vt tum Petro, ita nunc nobis hanc potestatem magnam, & miraculo plenã dedit: cuius vocis virtus quamdiu durat, tam etiã diu manet in nobis eadem potestas, cum eadem facilitate, eadémque agilitate. Quid ergo esse potest, quod huius interdum vocis efficientiam in nobis debilitet, aut obscuret? Idem quod in Petro, diffidentia, cum fluctuum magis, aut ventorum, id est, molestiarum, aut tentationum, quæ nonnumquam intercurrunt, grauitatem, quam diuinæ huius gratiæ vim attendentes, trepidare incipimus, & trepidando mergi. Quod tamen si aliquãdo contigerit, vt nostra hæc

hæc fragilitas titubet, paratum est remedium, ac perfugium eiusdem Dei, qui nos manu extensa statim eriget, & retinebit: & qui, vt ait Apostolus, dedit velle, idem etiam dabit perficere, idem confirmabit vsque in finem, sine crimine, in die aduentus domini nostri Iesu Christi. *1. Cor. 1.*

Contra tentationem de differendo ingressu religionis.

CAPVT XXXIII.

VT in bello qui se viribus inferiotibus sentiunt, ad inducias petendas confugere solent, & in omni molestia, quæ omnino depelli non possit, id saltem agitur, vt quoad liceat differatur, ita dæmonis ars est inter alias artes, vt quos à salutari religionis consilio dimouere nequeat, ijs saltem varias morarum causas inijciat. Alijs enim teneriorē obijcit ætatem, quasi adhuc immaturam iugo Domini ferendo, alijs persuadet in re tanta diu deliberandum, vt amici consulantur, vt vires explorentur, vt aliqua præcedens bonorum operum exercitatio viam quasi complanet ad ista difficiliora, & maiora. Itaque videndum est, quantum hæ causæ valeant, quamque iustæ sint. Certe, quod attinet ad ætatem, tantum abest, vt adolescentia non apta sit ad Domini seruitutem, vt sit vel omnium aptissima; quod à Propheta expressum est, cum ait, Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Videtur autem adiungere quæ ex eo sequantur vtilitates, Sedebit, inquit, solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se. quod B. Thomas ideo dictum interpretatur, quoniam qui ab ineunte ætate iugum religionis sustulerint, se ipsos multo facilius, ac melius supra naturam suam, naturæq; inclinationes erigunt, eámque vitam viuunt, quæ maxime quieta est, & ab omnibus mundanis curis, turbarúmque tumultibus remotissima. quam ad rem Anselmi quoque affert auctoritatem, qui eos, qui à pueritia in monasterijs nutriti sunt, Angelis comparat, qui verò in prouectiori ætate, comparat hominibus Habet igitur ea res multas vtilitates, & primum illā, quod cum ea ætas improuida sit, & quasi cerea ad vitium, ob rationis imbecillitatem, si quis eam in seculo transigat, inter tot occasiones, laqueósque peccatorum, nihil est procliuius, quā vt ijs sese irretiat erratis, quæ deinde impediant, ne se ad virtutem, & salutem referre possit, aut si quando referat, quasi tot vulneribus acceptis tardior, debiliórque ad hunc spiritualem cursum reddatur. Quod contra

Thrē. 3.

Opusc. cō. ret. à rel. cap. 3.

Lib. de simil.

cuenit, cum ipse flos vitæ Deo consecratur, eripiturque ijs quæ dixi periculis, & casibus. Accedit, quod id tempus est omnium aptissimum disciplinæ, dum adhuc animus velut rudis, & puta cartha, omnibus quæ inscribantur, recipiendis idoneus est, & velut tenera arbor in omnem partem facile deducatur, ac flectatur. Cuius rei euidens exemplum in plerisque animantibus habemus, vt in equis, & in canibus, auibúsque nonnullis, quæ si dum adhuc teneriores sunt, erudiantur, sunt omnes in suo quæq; genere disciplinæ cuiusdā capaces, cum autem id tempus effluxerit, ita obdurescunt, vt indociles fiant. Homines autem semper quidē ad virtutem tempestiui sunt, sed si facilitatem, & agilitatem quandam quærimus, est sine dubio maior in illa ætate, quæ nondum obcalluit, vitijs, aut vanitati. Accedit etiam, quod quidquid tum addiscitur, nescio quo modo firmius inhæret, vixq; obliterari potest. Sic enim Hieronymus in quadam epistol. Difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt. Recens testa diu & saporem retinet, & odorē, quo imbuta est. Aristoteles etiam non parum ait referre, quomodo quispiam ab ineunte ætate assueuerit, sed quam plurimū, immo totum penitus in eo consistere. Atque idem alio loco docet, omnia prima capere, & præoccupare animum. quam ob causam iubet ille in bene instituta republica omnia turpia procul à pueris remoueri, vt ne pictum quidē aliquid eiusmodi videant, aut etiam ne comœdias, tragœdiásve spectent. Sed hæc quidē custodia in seculo nec seruari, nec sperari potest, in religione perpetua, & certa est. Quin illa etiam non minima est vtilitas, quod inest in illis annis vigor quidam mētis, dum adhuc eius vires nullis alijs vel operibus vel cupiditatib⁹ distractæ sunt, ac diminutæ, ac si vt sunt, integræ, atque illibatæ Domino offerātur, earū cursus ad virtutem intensior erit. Quā rem videtur grauissimus ille ethnicorum philosophorum optime expressisse. Quemadmodum, inquit, ex amphora primū quod est, syncerissimum effluit, grauissimū quodque, turbidūq; subsidit; sic in ætate nostra quod est optimum, primū est Id exhalare in alijs poti⁹ patimur, vt nobis fecem reseruemus. Inhæreat istud animo, & tamquam missum oraculo placeat, Optima quæque dies miseris mortalibus æui prima fugit. Quare optima? quia restat quod incertum est. Quare optima? quia iuuenes possumus discere, possumus facilem animum, & adhuc tractabilem ad meliora conuertere, quia hoc temp⁹ idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studiū ingenijs, & exer-

Epist.7.

2. Ethic. cap.1.

7. Pol.c. vlt.

Seneca ep.110.

& exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius, & languidius est, & propius à fine. Hæc ille. Est autem & hæc vtilitas, & ceteræ quas diximus, euidenter declarata visione quadam cœlesti, quam Humbertus vir clarissimus, Generalisque Magister fratrum Prædicatorum narrare solebat: religiosum quendam vita functum apparuisse aliquando de nocte fratri, sociòque suo, magno splendore collucentem, cúmque eum ex cella eduxisset, ostendisse magnum numerum hominum candida veste, mirabilique luce micantium, qui pulcherrimas cruces humeris deferebant. erat autem omnium iter in cœlum. Postea modico interuallo alius sequebatur ordo, ísque multo pulchrior, multóque lucidior, quorum vnusquisque ornatissimam crucem, non iam humeris, sed manibus gestaret. Deinde tertius ordo omniũ longe splendidissimus, & speciosissimus, quorum item cruces forma, & pulchritudine reliquorum cruces superabant, neque eas ipsi portabant: sed suus, qui singulos præibat, Angelus, vt ij alacres, & ludibundi sequerentur.

Quod spectaculum cum ille miraretur, exposuit ei socius, primos illos esse, qui prouecta iam ætate religiosam vitam amplexi fuissent, secundos qui in virili, postremos autem, quos adeo expeditos, hilarésque vidisset, eos esse qui in adolescentia. Atque hæc quidem, quæ hactenus diximus, ita teneriorem ætatem confirmare debent, vt tamen prouectiorem non terreant. Primum enim melius est, recurrere, vt dicitur, etiam si cum labore, quam semper male currere: deinde si facilitatem quærimus, ne adultioribus quidem sua desunt solatia, & adiumenta ad viæ asperitatem complanandam, molestiámque leuandam, de quorum suauitate, & copia hoc ipso libro multa à nobis supra allata sunt. Denique ne illud quidem negandum, contingere sæpe, vt Ioannes quidem, nempe iunior, præcurrat citius Petro, & tamen senior Petrus introeat prius in monumentum, idest in perfectam mortificationem perfectámque Christi Domini similitudinem, & operarij sexta, aut nona hora aduocati, licet vna tantum hora facientes, eandem mercedem recipiant, quam qui summo mane conducti fuerant. Numquam enim serum est, ad Dominum conuerti, sempérque satis maturum, & opportunum, quacumque hora ad eum venire, qui nos semper expectat, quin & semper ad ostium pulsat, ac venientes cum gaudio, & complexu excipit.

Ioan.20. *Mat.20,*

Sequitur nunc, vt de aliis causis dicamus, quas dæmon tamquam zizania superseminare solet ad diuinam illam sementem vel omnino, si possit, præfocandam, vel certe retardandam. Ad quas omnes, vt breui dicamus, tentationes, illud est vnum optimúmq; remedium, hoc sibi certo persuadere, & hoc scire, quidquid temporis in re tam vtili, támq; salutari, tam etiam multis inimicorum insidiis obiecta interponatur, non solum inutile esse, sed maximis omnino damnis expositum. Hoc enim illud est, quod sancti quique, vt pote gnari quantum in his consiliis laqueorũ lateat, clamant omnes vno consensu, atque in vna voce, rumpendas esse omnes moras, nihilq; omnino cunctandum. Clamat enim Hieronymus, Festina, inquit, quæso te, & hærenti in salo nauiculæ funem magis præcide, quam solue. Chrysostomus autẽ homilia quadã ad populum cum religiosæ vitæ pulchritudinem, ac præsertim iucunditatem mirabiliter extulisset, ait ad extremum, Forte multi nunc incaluistis, & tam pulchræ conuersationis desiderium concepistis. Verum quid prodest, si dum hic estis, hunc ignem habetis, egressi vero flammam extinguitis, & ardor ille euanescit? Quid igitur remedij? Dum tibi feruens est hic amor, abi statim ad illos ipsos Angelos, eúmq; magis accende. Ne dicas, Alloquar prius propinquos, résq; meas expediam. Torporis initium est hæc dilatio. Patrem sepelire discipulus voluit, nec id Christus permisit. Quid ita? quoniam acer instat diabolus, vt se in animum insinuet, &, si vel breuem arripuerit vocationem, vel prorogationẽ, ad magnum inducit teporem. Ideo quidem admonet, Ne differas de die in diem. Augustinus autem quid de hoc sentiat, ipse indicat, cum suam illam tarditatem, ac cunctationem præteritam ita luget. Non enim erat quod tibi responderem dicẽti mihi, Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & vndique ostendenti vera te dicere, non erat omnino quid responderem veritate conuictus, nisi tantum verba lenta, & somnolenta, Modo, & ecce modo, sine paululum. sed, Modo & modo non habebant modum, & Sine paululum in longum ibat. Ac cum se ipsum de hoc incusat, tum duos illos fratres maiorem in modũ collaudat, qui lecta Antonij vita, adeo exarserunt ad imitandum, vt ex illa hora, illo ipsóq; quo legerant, loco, Dei seruitio sese consecrarint. Itaque alibi, sic omnes exhortatur, Ecce, inquit, indulgentiæ dator aperit tibi ostium: quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti. Non pulsasti, & aperit, & foris remanes?

Epi. 103. ad Paulin. in 3. volu. *Hom. 57.* *Eccl. 5. 8.* *Conf. c. 5.* *Cap. 6.* *Ser. 59. de verb. Dom.*

Ne ergo

Ne ergo differas. De misericordiæ operibus quodam loco scriptura dicit, Ne dixeris vade, & reuertere, cras ego dabo, cum possis continuo benefacere: non enim scis quid sequenti contingat die. Audisti præceptum non differendi, vt in alium sis misericors, & differendo in te es crudelis? Exhibe & animæ tuæ eleemosynam. Non dicimus vt tú ei des, sed ne repellas manum dantis. Anselmus quoque in eandem sententiam præclare in quadam epistola, Festina ad tantum bonum, quia nullo bono efficacius peruenies ad summum bonum, Plures vidi promittentes, & differentes, quos ita mors tulit, vt nec id perficerent, quo se impediebant, nec id inciperent, quod promittebant, Atque idem eodem loco, Qui differt in futuram, & forsitan non futuram ętatem, suam vitam corrigere, certum bonum dimittit procúldubio; & contemnendo quod perdit, probat se non amare quod expectat, & meretur non accipere. Est autem in hac quoque re magni ponderis sententia S. Thomæ vt Theologi, & talis Theologi, qui tum in Opusculo quodã, tum in summa Theologica, hac ipsa quæstione posita, an laudabilis sit huius consilij diuturna deliberatio, multis argumẽtis grauissimisq́; rationibus hoc, quod agimus, confirmat, obediendum esse Deo quam citissime, eiusque vocem impigre exequendam. Quãquam quid hæc ex auctoribus istis colligimus, cum præsto sit Euangelij auctoritas? Sic enim videmus Petrum, atque Andream, vt à Domino vocati sunt, continuo relictis retibus, & naui sequutos esse vocantem: sic Iacobum, sic Ioannem, sic etiam in causa grauiori Matthæum, qui præter communia vincula fratrum, ac propinquorũ, humana etiam vt ait Chrysostomus, paruipendit pericula, quæ illi à principibus accidere poterant, cum rationibus, quas tractabat, minime confectis, & consolidatis, discessisset. Sed nihil apertius, quam cum ille, qui à Domino ad apostolatum inuitatus non quidem recusauit, sed prorogationem alicuius temporis postulauit, idque ad pium opus, vt patrem sepultura afficeret. Et huic tamen ipsi quid illa sapientia respondit? Sequere me, inquit, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos; quod exponens idem Chrysostomus. Hoc dixit, inquit, non iubens contemnere amorem erga parentes, sed monstrans, quoniam nihil cœlestibus negotiis magis necessarium nobis videri oportet, & quod toto studio iis nos applicare debemus, quamquam impedimenta, quæ obiiciuntur, & maxima, & maxime necessaria, aut insuperabilia videantur. Hoc igitur idem sentiendum,

Prou. 3.

Epist. 1.

Opusc. 17. cap. 9. & 10.

2.2. quæ. vlt. art. vlt.

Matt. 4.

Marc. 2.

Matt. 8.

Hom. 27 in Matt.

tiendum, faciendúmque est omnibus, qui interiorem vocem Domini vocantis, & inuitantis, & trahentis etiam audiunt. Recte enim S. Thomas hoc quoque inter cetera, quod Aristotelis sententiam ex moralium libris inducit, vbi cum quærat, quid sit in anima primum, ac princeps ad eam mouendam, ceterarum quidem partium ait esse rationem, rationis autem aliquid, quod sit ipsa melius, non scientiam, vel doctrinã (hæc enim non esse meliora) sed Deum: paulóque post addit, eos qui à Deo mouentur, non indigere consolatione, quippe qui meliori principio gubernentur, quam sit ratio, vel consilium. Egregie vero, & luculente S. Bernardus, Quantos mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptũ in eis extinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi? Noli, inquit, spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi? Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere. Magnum est quod proponis, & opus habens multa deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum prouocare. Caue tibi ait Vt quid enim? Cum à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilij Angelus; quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Deduc me Domine, & deducar, fortior esto, & inualesce. Noui ego quænã sint, quæ oportet fieri cito. Ab ore putei gehennæ eripior; & inducias petam, & retardabor & cunctabor exire, si forte interim fiat aliquid? Abscondi ignem in sinu meo, & exusto iam latere, iam nudatis visceribus, iam sanie defluente, diu mihi deliberandum est, an expergiscar, an excutiam, an abiiciam illum? Magnum omnino est quod offertur, sed eo vtique libentius, & festinantius suscipiẽdum, & obuiis arripiendum manibus, cum feruore, & hilaritate. Probet autem seipsum, qui de propria virtute præsumit. Nam diu na quidem omnino probata est, Amicos consulat qui non legit, Inimici hominis domestici eius. Quid frequentat Euangelium, qui Euangelio non obedit? At in eo sane legimus, promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctum prius patrem sepelire volenti, responsum ab eo, vt sineret mortuos sepelire mortuos suos. Alteri quoque tantum suis, qui in domo erant, vale dicere cupienti, Nemo, inquit, mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Hactenus Bernardus.

1.2.q.68. artic. 1.

7. mort. Eud. cap. 18.

Ser. Ecce nos reliq.

Luc. 9.

Verum ad has omnes moras, quas prætexit dæmon, abrumpendas, illa quoque cogitanda sunt. Primum quod ait S. Thomas, cum in Christo sint omnes thesauri sapientiæ, ac scientiæ Dei absconditi, iniuriam plane illi facere, qui illius audito consilio, mortalis adhuc hominis cõsilium requirendum putet. *Opusc.17. cap.9.* Deinde, vt nihil aliud sit mali, ipsam per se moram magnum esse malum, quoniam tãtorum bonorum fructu priuat, & quidẽ fructu irreparabili. quotquot enim dies, ac prope dicam quotquot horas eripit nobis ista consultatio, tantùm nobis de lucro nostro eripit: quoniam in religione nullus dies, nullàve hora abit sine magno lucro. Tertio loco est periculum inconstantiæ, ne, vt sumus omnes mutabiles, & fragiles, & infirmi, cedamus aliquando, manusque demus vel instanti diabolo, vel mundo blandienti, vel etiam ipsi carni nostræ recusanti, ac reluctanti. Semper enim nauis quamdiu extra portum est, in periculo est, nec aliquid magis optare debet, quam vt quam celerrime in portu sit. Ac cetera quidem negotia, etiamsi grauissima, & maxima, & quæ ipsum vitæ statum deuinciant, & obligent, quanto citius confici solent? Quis enim in prælatura suscipienda, aut in matrimonio contrahendo ita cunctatur? & tamen quantum est in altera oneris, in altero molestiarum, atque incommodorum? At in religione quidem cum Deo ligamur, cuius iam naturam notam habemus, lenissimam, facillimam, benignissimam, & tum in donando, tum in ferendo clementissimam. Matrimonium autem cum fœmina nos nectit, homine primum, deinde sexu etiam imperfectiori, qui multis vitiis facile, ac plerumque laboret, iracundia, temeritate, arrogantia, loquacitate, & aliis maioribus, vt mirum sit non in talem incidere. Præterea si de religionis iugo quærimus, id iam à tam multis exploratum est, quam multi & ante fuerunt, & nunc sunt in religione. Quare quid timeas, ei te vado cõmittere, quod à tam innumerabilibus tentatum, & periclitatum videas? Denique his omnibus accedunt mortis casus, qui semper omnibus impendent: de quo Augustinus, Crastinum diem quis tibi promisit? Vbi mihi legis indulgentiam recepturum, si te correxeris, ibi mihi lege quantùm victurus sis. Nescis ergo quantum sis victurus. Esto correctus, & semper paratus. Quid differs in crastinum? *Ser. 16. de verb. Dom.* Quam ob causam Bernardus in epistola ad quosdam suos nouitios, laudat eos, quod religionis consilium opere exequuti essent, quia non apparebit, inquit, vltra vacua in vobis crux *Epi.9*

 Christi

Christi, quemadmodum in multis filijs diffidentiæ; qui tardantes conuerti ad Dominum de die in diem, improuisa morte subtracti in puncto descendunt ad inferos. Hæc igitur aduertere debent, quicumque Dei instinctu à seculi iactatione ad religionis quietem impelluntur. Quo enim pertinet ille vel consilij capiendi, vel experientiæ faciendæ prætextus, nisi vt dæmonis laqueos vt latentem mundi amorem honesta specie occultent, vt tarde deserant quod inuiti deserunt? quod quidem vix credi potest, quam sit periculosum, quia nihil facilius, quam vt numquam deserant, quod tam lente deserunt. Audiant ergo isti Bernardum tam scientem, tamque harum rerum peritum, quid in simili causa ad Romanum Romanæ curiæ subdiaconum scribat, idem ue sibi scri-

Ep. 105. ptum, & dictum putent. Quid tardas, inquit, ipsum quem iamdudum conceperas, spiritum parturire salutis? Nil mortalibus vel morte certius, vel incertius hora mortis, siquidem tamquam fur in nocte, ita veniet. Væ prægnantibus illa die. Si superuenerit, & præuenerit hunc tam salutiferum partum, heu perfodiet domum, sanctum germen extinguet. Cum enim dixerint, pax, & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient. Eia ergo festina, exi, recede, moriatur anima tua morte iustorum, quo fiant & nouissima tua, horum similia.

Ep. 108. O quam pretiosa in conspectu Domini mors sanctiorum ei⁹. Fuge quæso, in via peccatorum ne steteris. Quo modo viuere potes, vbi mori non audes. Quin etiam idem Bernardus ad alterum, qui ad studia literarum absoluenda annuas quasi inducias postularat, Obsecro, inquit, redi ad cor, & aduerte hunc annuum terminum, quē tu tibi indulsisti in iniuriam Dei, non esse annum placabilem Domino, sed discordiæ seminarium, iræ fomitem, nutrimentum apostasiæ, qui spiritum extinguat, gratiam intercludat, teporem afferat illum, qui Deo solet vomitum prouocare.

De tentatione, ex parentibus aut propinquis.

CAPVT XXXIII.

Ecce autem aliud dæmonis telum aduersus religiosam vocationem ex teneriori affectu in suos; quod merito

Ep. 1. Hieronymus arietem pietatis appellat, quia duobus quasi cornibus ad hanc salutis munitionem quatiendam instructum est. Alterum est enim amor, & caritas illa naturalis, quæ etiam iure iis deberi existimatur, à quibus quisque ge-

neris

nitus sit, vel qui ex iisdem geniti sint. Alterum insuper omnia complectitur, quæ à propinquis ad hanc voluntatem labefactandam adhiberi solent, preces, obsecrationes, lacrymas, argumenta etiam ex domesticis rationibus deprompta, & reliqua id genus. Contra hanc inimici nostri subdolam simul, & tamen acrem, ac vehementem (vtrumque enim hic coniunctum est, quod in aliis raro contingit) tentationem ita nos armari oportet, vt hoc teneamus certum, & fixum, cum semel de Dei voluntate, nos ad religionem vocantis constiterit, quocumque modo constiterit, quicquid deinde proponatur, quod ab hoc distrahat, aut auocet, non posse nisi à dæmone proficisci. Quare illa omnia, quæ parentes, amici, propinqui, aut alij quiuis (omnium enim eadem est causa) in hoc genere vel loquantur, vel faciant, ita audienda, itaque accipienda sunt, vt ab illo auctore conflata, qui omnibus quidem insidiatur, sed vt latro, multo magis vbi maior est præda, & de quo scriptum est, Cibus ejus electus. Is enim quos per se ipsum expugnare non potuit, eos Abac. 1. sæpe huiusmodi instrumentis, quibus, vt pote gratioribus, molliores sunt ad pectora nostra aditus, expugnauit. Vetus autem est ars ista diaboli, quæ illi in parente nostro Adamo nimium bene processit. Nam quid interest (ait Augustinus in hac ipsa re) vtrum in vxore, an in matre, dum tamen Eua Ep. 38. in qualibet muliere caueatur? Nam ista vmbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus se primum parentes nostri damnabili pietate texerunt. Recte ergo Climachus. Melius est, inquit, contristare parentes, quam contristare Dominum Iesum. Hic enim nos creauit, & saluauit: ille sæpe suos amando perdiderunt. Amor Dei, ipsiusque sanctum desiderium Grad. 3. extinguit in anima carnalem parentum amorem: qui autem vtrosque amores in vno corde claudi posse putet, is se ipsum decipit. Ne te moueant tuorum lacrymæ, ne tu tibi ipsi æternas lacrymas parias. Cum te parentes, & propinqui circumdant, sicut apes, immo sicut vespæ, plangentes, & lamentantes, tu tibi propone peccata tua, vt dolorem dolore vincas. Hæc Climachus. Sed tamen quia ab ignaris, atque indoctis naturæ ius, ipsumque Dei præceptum de parentibus honorandis sæpe prætenditur, videndum est quam hoc vim habeat. Est autem hoc pro certo ponendum ex communi theologorum sententia, nullam iis hoc genere obedientiam deberi, idque ob triplicem causam. Primam licet sumere ex B. Thoma, qui in iis, quæ ad corporis naturam per-

tinent; omnes homines pares esse affirmat, atque in eiusmodi rebus nec seruum esse inferiorem domino, nec filium
2.2.q. 194.ar. vl. patre, vt sunt quæ vel ad corporis necessitatem, vel ad prolem gignendam pertinent. Ex quo ille effici vult, nullam esse rationem, cur vllus cogi possit, vt ex alterius, etiam parentis, arbitrio vel matrimonium ineat, vel se seruet continentem. Simile est quod ex naturæ principiis docet Aristo-
9.Eth. c.2. teles, qui cum multa de filiorū obligatione aduersus parētes dixisset; ad extremum tamen quærit, num in omnibus omnino officijs ita ex eorum obedientia viuendum sit, vt numquam ab ea liceat discedere? Respondet autem non in omnibus: nam si filius ægrotet, magis eum medico obtemperare debere in iis, quæ ad sanitatem cōferunt; similiter; potius
Lib. contra Adim. c.8. duci in iis, quæ ad bellicam disciplinam spectāt. Quod si quis veteris legis præceptum obiiciat, quo parentes honorare iubemur, respondebimus idem quod olim Augustinus Adimāto hæretico, cuius impietas eo vsque eruperat, vt ob hanc causam euangelium calumniari non vereretur, quasi Decalogo à Deo dato contrarium. Respondet enim, & honorandos esse parentes, & tamen propter annunciandum regnum Dei nulla impietate posse contemni; quoniam honor ille in suo gradu seruandus est, sed in diuini amoris comparatione, præser-
Ep.3. tim si parentes hūc amorem impediant, exui, abiicique oportere. Altera ratio est, quod cum paternum ius in liberos nihil sit aliud, quam participatio quædam eius auctoritatis, quæ est in Deo, à quo, vt ait Paulus Apostolus, est omnis paternitas, ex eo sit, vt vicaria tantum, & delegata potestate nitatur. Quare si ita accidat, vt aliud Deus, aliud parentes præcipiant, cui dubium sit, quin tum cesset patria iurisdictio, quoniam eius voluntati repugnat, à quo ea accepta est? Idem enim est, ac si Rex familiæ suæ, vel vrbi quempiam suo nomine præfecerit, ac deinde aliquid præfectus iste imperet, Rex
Ep. 111. autem contrarium. qui enim illi pareat, hic in Regem contumax, & periurus habeatur. Quam ob rem Bernardus in ea epistola, quam Helyæ monachi sui nomine ad eius paren-
Mat. 10. tes scripsit, Sola, inquit, causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est, ipse enim dicit; Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus, Si me vere vt boni, & pij parentes diligitis, si fidelem erga filium pietatem habetis, quid me patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab eius seruitio, cui seruire regnare est, abstrahere tentatis? Vere nunc cognosco quia inimici hominis domestici eius.

In hoc

in hoc vobis obedire non debeo, in hoc vos non agnosco parentes, sed hostes.

Tertia etiam causa huius est, quia si vere, quasi rationibus subductis, supputare velimus, quid parentibus nostris debeamus, tam parum nos ab eis accepisse cognoscemus vt Dei respectu verius nihil sit. Nam cum homo animam habeat, & corpus, in anima quidem, quæ præcipua in homine pars est, ac pene totus homo, constat nullam eos partem, ne minimam quidem habere: hæc enim tota à Deo creatur, nec vlla vis inest vel homini, vel etiam angelo, qua eius effectionem attingere queat. Restat ergo corpus, quod etiam si totum ab homine compingeretur, tamen paulo amplius ei deberemus, quam si vestem nobis, aut instrumentum aliquod ad aliquid faciendum, aut vas ad aliquid capiendum confecisset. Hæc enim præstar corpus animæ, & certe paulo plus; quin etiã in multis eam impedit, & perturbat, & obtundit, vt ne perfecti quidem instrumenti ad omnia animæ opera peragenda vim habeat. Itaque, vt dixi, etiamsi totum corpus soli nobis homines dedissent, tamen quota pars nostri illa esset? Nunc vero in ipso quoque corpore quam prope nihil est, quod parentes de suo conferunt? Vt enim si cum quis in terram spuisset, de illo sputo Deus statim vel statuam, vel aliam rem efformaret, vter illius rei auctor diceretur, Deus, an is, qui casu in terram expuerat? Sic enim Dominus Deus informem materiam ab homine excisam ad corpus conformandũ adhibet: ipse fingit, ipse distinguit, ipse ex vna illius parte neruos, ex alia vero ossa, & sanguinem, & cetera membra compaginat, quæ tantum abest vt homines efficiant, vt quo modo ea fiant, & an fiant, non intelligant; quod apparet, quia sæpe cum maxime prolem cupiunt, eam tamen habere non possunt. Scite ergo Augustinus, Istis, inquit, generantibus Deus creat. Nam si tu creas, dic quid tua mulier paritura sit. Quid dicam, tu dic? Dicat ipsa, quæ quod portat ignorat. *Psal. 70.* *Conc. 2.*

Accedit etiã illud, quod quidquid illud est tam exiguũ quod illi de suo conferunt, ne suum quidem iure appellare possunt, quoniam illud ipsum à Deo accipiunt, veriúsque Dei est, quã illorum. Bene hoc agnoscebat Beatus ille Iob, qui sui corporis, ac singularum eius partium cõfectionem ita Deo tribuebat; quasi nullius hominis opera, illius tantum manibus, digitísque, vt ille loquitur, totum in circuitu plasmatum esset. Nõne, inquit, sicut lac mulsisti me, & quasi caseũ coagulasti, ossibus, & neruis compegisti me, & visitatio tua custodiuit

ſpiritum meum? & alter propheta, Tu pater noſter, & Abra-
Eſa. 63. ham neſciuit nos. quaſi diceret, Quid nobis dedit Abraham,
vt ei progenitoris nomen debeatur? Omnium vero aperriſ-
ſime, & grauiſſime ipſe Dominus, & Saluator noſter, Nolite
Mat. 23. vobis patrem vocare ſuper terram. vnus eſt enim pater ve-
ſter, qui in cœlis eſt. Quamquam hæc quidem omnia ad na-
turalem vitã pertinent, quæ vix vita, & certe ſi ſola ſit, ne vi-
ta quidem appellanda eſt, quoniam mortua eſt. Vera enim
vita eſt illa, quã in nobis efficit Dei gratia: in qua conferen-
Pſal. 50. da quis locus fuit vel patri, vel matri, quæ nos potius in pec-
catis, vt Dauid queritur, concepit. vt ante damnati, quam na-
ti eſſemus? Quod cum adeo verũ ſit, hic ſolus erit pater no-
ſter, à quo duplicem hanc vitam accepimus, illi ſoli vt patri
obediendum, & obſequendum, & gratificandum. Huc anim
reſpicit illud Hieronymi præceptum ad Furiam matronam.
Ep. 10. Contriſtabitur pater, ſed lætatibur Chriſtus. Lugebit fami-
lia, ſed Angeli gratulabuntur. Faciat pater quod vult de ſub-
ſtantia ſua. Non es eius, cui nata, ſed cui renata, & qui te grã-
di pretio redemit, ſanguine ſuo. Quam ob cauſam non ſo-
lum licebit, ſed etiam decebit vnumquemque religioſum
Ep. 111. ea dicere, quæ Helias ille apud Bernardum ad parentes ſuos
ſibi infeſtos dicit, Quid à vobis habeo, niſi peccatum, & mi-
ſeriam? Hoc ſolum, quod geſto corruptibile corpus de veſtro
habere me fateor, & agnoſco. Non ſufficit vobis, quod me
in hanc ſeculi miſeriam miſeri miſerum induxiſtis, quod in
peccato, & peccatorem peccatores genuiſtis, quod in pecca-
to natum de peccato nutriſtis, niſi etiam inuidendo mihi
miſericordiam, quam conſequutus ſum ab eo, qui non vult
mortem peccatoris, filium inſuper gehennæ faciatis? Hæc
igitur ſi cogitentur, facile erit naturalem illum affectum
tenerum, ac mollem aduerſus carnem, & ſanguinem, cum
nos à tanto bono reuocat, inhibere, multoque facilius, ſi il-
lam adeo ſeueram Domini ſententiam attendamus, Qui
Mat. 10. amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.
Ser. 20. Cant. Quam ſententiam ſic interpretatur S. Bernardus, vt plus
propinquos diligere, quam Chriſtum, ſit propinquorũ reſpe-
ctu, non implere quæ Chriſtus in carne manens, verbo, &
exemplo docuit. Merito autem illa benignitas adeo ſe ſeue
ram in hac culpa præſtat. Sic enim animo quiſque ſuo repræ-
ſentare debet, quaſi duo ſint, qui nos vterque ad ſeſe vocent,
hinc Chriſtus, hinc pater. Vterque igitur amorẽ ſuum, vter-
que ſua merita commemorat, ſed longe diſpari cauſa.

Nam &

Nam & ea,quæ Deus nobis dedit,infinito interuallo maiora sunt,& quæ pater dedit, à Deo accepit, vt daret, eáque ipsa verius dedit Deus.Ergo vtérque ad se allicit,sed ille promittendo cœlestia,quæ sunt maxima,& certissima, hic terrena, quæ minima sunt,nec in eius manu sunt, vt cum velit præstare possit. Et ille quidẽ,vt nihil aliud promittat,tamen cum sit ipsa pulchritudo, & ipsa dignitas, & bonitas, satis per se ampla merces est omnis nostri laboris. Homo autem quid est,vt ei adhæreamus? Non enim propter hominem fati, & creati sumus, sed propter Deum. Itaque cum Deo nos subtrahimus, cum hominis voluntatem illius voluntati præferimus,maximam quandam ei iniuriam facimus. Quod igitur supplicium,quam pœnã is mereatur, qui mortalem immortali,tenebras luci,lutum cœlo præponere non dubitet? illam nimirum, qua nulla maior, nulla etiam iustior, & conuenientior.Non est me dignus.Nam nec grauius aliquid contingere potest homini,quam vt à Dei sui cõsortio tamquam indignus separetur,nec verò quicquam æquius, quam vt ab eo separetur,qui creaturam prætulit creatori, inuitanti præsertim,seque vltro offerenti. Videamus igitur quomodo tam noxium affectum sanare conetur Gregorius,& quot mala ex eiusmodi affectu prouenire indicet. Sicut, inquit, plerique qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta, quæ possederant in mundo, derelinquunt,semetipsos despiciunt nullam præsentis vitæ gloriam requirunt,ab huiusmodi se affectibus separant,& pene quicquid prosperitatis arriserit,calcant.Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati,dum amori propinquitatis indiscrete deseruiunt,ad ea sæpe per affectum cognationum redeunt,quæ iam & cum proprio despectu subegerant.Cúmque plusquam necesse est, carnis propinquos diligunt retracti exterius,à cordis parente diuiduntur. Quo itaque isti nisi in rete ambulant, quos à præsenti seculo inchoata iam vitæ perfectio soluerat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat. Hinc enim veritas dicit, Si quis venit ad me, & non odit patrem suum,& matrem,& vxorem,& filios,& fratres,& sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Quo in loco videlicet dum propinquorum odio, animæ quoque nostræ odium subinfertur,patenter ostenditur, quia sic propinquos, sicut nosmetipsos odio habere præcipimur, vt hos ad æterna rapientes,eorúmque carnalem gratiam,cum præpedit, postponentes, discamus temperata eos discretionis

7. Mor. cap.14.

Luc.21.

atte

arte & conuenienter diligere, & salubriter odio habere, quatenus sic sciat per amorem odium surgere, vt valeamus
Deu. 33. eos verius per odium amare. Hinc rursum per Moysem dicitur, Qui dixerit patri suo, & matri suæ, Nescio vos, & fratribus suis, ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum, & seruauerunt iudicia tua. Ille etenim scire Dominum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat, quos carnaliter sciuit. Graui etenim damna scientia diuina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque, ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius iungi, quatenus eosdem, quos propter Deum viriliter negligit, tanto solidius diligat, quãto in eis affectum solubilem copulæ carnalis ignorat. Hæc Gregorius, & plura, quæ ad extremum ita concludit, vt licet naturalis hic affectus nos lacessat, & pungat, tamen cõprimendum esse doceat, neque ideo virtutis iter de-
1. Reg. 6. serendum. Affert ad hoc ex scriptura exemplum in duabus vaccis, quæ ad plaustrũ in quo arca Dei vehebatur, adiunctæ, mugiebant illæ quidem vitulorum desiderio, quos domi clausos relinquebant, sed tamen ibant, nec vsquam vel ad dexteram, vel ad sinistram declinabant. Sic enim, inquit, sic necesse est, vt incedere debeant, qui sacræ legis iugo suppositi, iam per internam scientiam Dei arcam portant: quatenus per hoc, quod propinquorum necessitatibus condolent, à cœpto rectitudinis itinere non declinent.

Rectè hæc quidẽ, & eleganter Gregorius: sed tamen quoniam hæc omnino difficilis pugna, & anceps, & in qua multos periclitari, nonnullos etiam interdum cadere videamus, adhibeamus acriorem aliquã cohortationem, eámque non ex nobis, sed ex ijs auctoribus, quorum non eloquentia solũ admiranda, sed etiam sanctitas, & auctoritas reuerenda sit. Veniat primum Hieronymus, cuius illa sunt grauissime ad
Ep. 1. Heliodorum scripta. Audi, inquit, edictum Regis tui. Qui non est mecum, contra me est, & qui mecum non colligit, spargit. Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius non te patri parciturum, non matri. Ecce aduersarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donatiuum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem,

ficcis

.ſiccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Veniet, veniet poſtea dies, quo victor reuertaris in patriam, quo Hieroſolymam cœleſtem vir fortis coronatus incedas. Neque verò neſcio, qua te dicas nunc compede præpediri. Non eſt nobis ferreum pectus, nec dura præcordia. Et nos per iſta tranſiuimus. Nunc tibi blandis vidua ſoror hæret lacertis, nunc illi, quibuſcum adoleuiſti, vernulæ aiunt, Cui nos ſeruituros relinquis? Nunc & gerula quondam iam anus, & nutritiu ſecundus poſt naturalem pietatem pater clamitat cui nos morituros relinquis? Facile rumpit hæc vincula amor Chriſti, & gehennæ timor. At contra ſcriptura præcipit, parentibus obſequendum, ſed quicumque eos ſupra Chriſtum amat, perdit animam ſuam. Gladium tenet hoſtis, vt me perimat, & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam Chriſti deſeram, cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo, quam etiam omnibus eius cauſa debeo? Domino paſſuro timide Petrus conſulens ſcandalum fuit. Paulus retinentibus ſe fratribus, ne Hieroſolymam pergeret, reſpondit, Quid facitis flentes, & conturbantes cor meum? Ego enim non ſolum ligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum pro nomine Domini Ieſu Chriſti. Aries iſte pietatis, quo fides quatitur, euangelij retundendus eſt muro, Mater mea, & fratres mei hi ſunt, quicumque faciunt voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Si credunt Chriſto, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo; ſi non credunt, mortui ſepeliant mortuos ſuos. Sapienter omnia Hieronymus, & hoc in primis extremum, quod qui in Chriſtum credant, daturos ait operá, vt ei faueant, qui ad Chriſti obſequium pergit. Quare ſi qui non modo nō faueant, ſed etiam impediāt, retineant, & omnibus artibus auocent, quid ſequitur, niſi eos vel non credere, vel vix credere? Audiamus etiam Auguſtinum, vt ſimili eloquentia, & rationum pondere Lætum amicum ad ſeculi contemptum vrgeat. Is enim poſt alia multa, Nec ſuccenſeant, inquit, parentes, hoc præcipere Dominum, vt eos oderimus, quomodo nobis hoc de anima noſtra præcipitur. Nam ſicut nunc de anima iubetur, vt eam propter Chriſtum cum parentibus oderimus, ita quod alio loco de anima idem Dominus dicit, in parentes quoque poteſt congruentiſſime conuenire. Qui amat, inquit, animam ſuam, perdet eam. Dicam etiam fidenter, Qui amat parentes ſuos, perdet eos. Ecce rapit te ſtudium veritatis cognoſcendæ, atque percipiendæ voluntatis Dei in ſcripturis

Mat. 10. *Act. 21.* *Mat. 12.* *Ep. 38.*

in scripturis sanctis. Rapit euangelicæ prædicationis officium. Dat signum Dominus, vt vigilemus in castris, vt ædificemus turrim, de qua hostem sempiternæ vitæ & prospicere, & propellere valeamus. Rapit militem Christi tuba cœlestis ad prælium, & retinet mater. Sed quid dicit, aut quid alligat? Forte decem illos menses, quibus viscera eius onerauit, & dolores parturitionis, ac labores educationis? Hoc hoc interfice verbo salutari, hoc perde matris, vt in vitam æternam inuenias eam. Hoc memento vt oderis in ea, si diligis eam, si tyro Christi es, si turris fundamenta posuisti. Carnalis enim affectus est iste, & adhuc veterem hominem sonat. Hunc carnalem affectum & in nobis, & in nostris militia Christiana vt perimamus hortatur, nec tamen ita, vt ingratus quisque sit parentibus, & eadem ipsa beneficia, quibus in vitam hanc editus, susceptus, atque nutritus est, enumerata derideat: seruet potius vbique pietatem. Habent hæc locum vbi maiora non vocant. Mater Ecclesia mater est etiam matris tuæ. Hæc nos de Christo concepit, hæc martyrum sanguine parturiuit, hæc in sempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte nutriuit, & nutrit, cibósque maiores præparans, quod adhuc paruuli, & sine dentibus vagire vultis, horrescit. Hæc mater toto orbe diffusa, tam varijs, & multiplicibus errorum infestationibus agitatur, vt abortiui iam filij eius aduersus eam infestis armis belligerare non dubitent. Ignauia etiam atque torpore quorundam, quos gremio continet, membra sua frigescere pluribus locis, & fouendis paruulis minus ideo fieri dolet. Vnde ergo nisi per alios filios, vnde nisi per alia membra, quorum è numero es, iustum, ac debitum poscit auxilium? Huius ne tu necessitates deserens ad carnalia verba conuertaris? Nonne hæc grauioribus querelis insonat auribus? Nonne hæc cariora viscera, & cœlestia vbera ostentat? Hactenus Augustinus, & multo plura, quæ qui volet, ab ipso petat. Nos Bernardum quoque addamus
Ep. 104. in simili argumento non minus disertum. Sic enim ad Gualterum quendam doctum, & insignem verum, Quid ad hæc respondebo tibi? Vt matrem deseras? Sed inhumanum videtur. Vt cum ipsa maneas? Sed neque ipsi expedit, vt sit filio causa perditionis. Forte vt & mundo simul milites, & Christo? Sed nemo potest duobus dominis seruire. Mater tua vult contraria tuæ, ac per hoc & suæ ipsius salnti. Elige ergo tu è duobus quod vis, aut vnius videlicet satisfacere voluntati, aut vtriusque saluti. Verum si multum eam diligis, desere

potius

potius ipsam, ne si Christum deseras, vt maneas cum ipsa, propter te pereat & ipsa. Alioquin male de te meruit, quæ te peperit, si propter te perit. An non propter te perit, quæ ipsum quem peperit, perimit? Et hæc dixerim, vt tuo aliquo modo carnali condescendam, consulámque affectu. Ceterum fidelis sermo, & omni acceptione dignus, vt etsi impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter Christum, pijssimum est. Nam qui dicit, Honora patrem, & matrem, ipse etiam dixit, Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Atque hactenus hi Patres. Sed tamen nulla nobis maior, grauiórque esse potest cohortatio in hoc genere, quam Christi Domini exemplum, qui cum matrem haberet, & talem matrem, tamen ipso anno ætatis duodecimo, triduo toto sine ea manere voluit in vrbe Hierusalem, vt ea quæ patris sui erant exequeretur. Fuit autem hoc proludium quoddam eius quod postea fecit, cum ætate iam virili eiusdem conuictum, consuetudinémque deseruit, vt se in hominum salutem curandam penitus demitteret, quo in opere dum occuparetur, cum ei nunciatum esset matrem adesse, respondit, Quæ mihi mater, aut qui fratres? Denique quod omnium maximum est, in eius ipsius oculis mortem sustinere non dubitauit, vt nos his omnibus doceret, nullo carnalium propinquorum respectu relinquendum esse virtutis, ac perfectionis studium. Itaque quantum id in omnium animis valere debeat, declarauit aliquando adolescens, Albertus nomine, ex Germania oriundus, illustri admodum familia, quippe Falchembergensis Comitis filius, & Regi Galliæ affinitate coniunctus; ad quem missus, vt cum eius filijs Lutetiæ educaretur, ille contra ad cœlestem militiam animum adiecit, eámque in Prædicatorum ordine, adhuc pene nouo, aggressus est circiter annum Domini MCCXXX. quod vbi ad patrem perlatum est, etsi iam natu grandis, tenere se non potuit, quin Lutetiam cum magno suorum comitatu aduolaret, omnésque machinas, & omnes conatus ad filij (erat enim illi vnicus) voluntatem expugnandam intenderet. Sed frustra, cum Dei amor iuuenile pectus aduersus carnalem amorem, paternásque blanditias obdurasset. Illustrior autem fuit eiusdem congressus cum Theodorico consobrino, qui dolore ardens, omnia videlicet attulit ad illud consilium labefactandum apta, lacrymas, preces, argumenta, matris denique commemorationem, quam præ animi ægritudine, aut iam mortuam esse,

Luc. 2.

Marc. 12.

aut

aut moribundam decumbere confirmabat. Consederant autem è regione iconis cuiusdam, in qua Christus, vt pingi solet, inter matrem, ac Ioannem discipulum in cruce pendebat. Tum Albertus oculos, ac digitum in eam tabulam intendens, En, inquit, Dei filius, cum matrem, & cōsobrinum, vtrumque sibi tam carum, doloris gladio confossum videret, tamen è crucis patibulo, quod facile poterat, descendere noluit, sed in ea cum suo, & illorum cruciatu vsque ad mortem permansit. Quare ne ego quidem hanc religiosæ vitæ crucem, quam semel conscendi, deseram vnquam, quamuis & matrem, quam narras, & te consobrinū ad pedes meos exanimes iacere viderem. Quin tu potius in hanc eandem crucem mecum conscendis, téque mundi huius laqueis expedis, in quibus hæres cum tanto periculo? Quid plura? tantum valuit hic adolescentis sermo, vt eum permouerit ad idem institutum, seculo relicto, complectendum, mirante, & obstupescente tota ciuitate, eo magis, quod is antea mundanis nugis, atque omni vanitate valde obligatus tenebatur. Simile est, nec minus admirabile, quod Antoninus commemorat, cum in eadem vrbe Lutetia insignis doctor Frācifcanæ familiæ se addixisset, matrem eius, quæ inopia haud mediocri premebatur, idque ad alia beneficia addiderat, quod illius litterariū otiū suarū manuū laboribus sustentarat, multis lachrymis, & clamoribus suam orbitatem, ac paupertatem lamentari cœpisse, ac tum filium, tum illius ordinis patres omnes tamquam inhumanos, atque iniustos etiam accusare. Quibus cum ille commotus, iam in proposito nutaret, & ante Crucifixi imaginem oraret, quasi veniam ab eo petens discedendi, ad matrem subleuandam, vidit è Christi latere perfosso manantem cruorem, simúlque hanc vocem audiit, Ego te carius nutriui, quam mater tua: quare non me deserere debes propter matrem. quo ille & stupefactus, & ita roboratus est, vt deinceps maternas omnes vel blanditias, vel querelas facile contempserit.

Par. 3. tit. 24. c. 9. § 7.

In eos qui liberos, vel propinquos à religione reuocant.

CAPVT XXXV.

HACTENVS sic eos, qui ad religiosam vitam vocantur, confirmare conati sumus, vt ipsis animum, virésque adderemus aduersus propinquorum importunitatem. Nunc aliquid etiam dicendum est, quo hi ab hac importunitate deterreātur. Sic enim certior erit victoria, vt in pugna adauctis alterius

alteri' partis viribus, alterius imminutis. Quid autem grauius ad hos deterrendos dici potest, quã hoc, quod vel scientes, vel nesciẽtes re ipsa tamẽ bellũ contra Deũ ipsum suscipiunt, tum impium, tum verò, quód necesse est, iis ipsis valde funestum? Certe enim diuinum consilium impugnare idq; destruere quod ille ædificauit, & spargere quos cõgregauit, militesq; quos ad suũ vexillũ vocat dissipare, nihil est aliud, quam conspirare cũ dæmone, & cum Deo bellare; quod, vt dixi, tum maximum est peccatum; tum iis, qui id audeant, sine vlla dubitatione damnosissimum. Itaque sæpissime etiam Deus iram suam in huiusmodi culpa euidentibus suppliciis demonstrauit. Pontianus seruus hominis feri, ac barbari, cum, vt narrat Gregorius Turonensis, diuina caritate incensus, ad monasterium profugisset, herusque illi repetendo instaret, nec negari posset rem suam exigenti, repente excœcatus est. Itaque statim pœnitentia perculsus, vimque numinis agnoscens, haud grauatè consensit, vt in Dei obsequio remaneret. Neque tamen lumen ante recepit, quàm ei Pontianus manus imposuit, vt eo manifestius cœcitatis causa appareret. Atqui, vt dixi, hic iustum, & æquum postulabat. Est enim tum S. Thomæ, tũ theologorum omnium sententia seruum alteri mancipatum inuito subtrahi non posse, quinimmo ipsum professionis vinculum irritum, ac nullum esse, quód in aliis omnib' ita validum, & sanctum est. Sed si in mancipio reposcendo adeo offensus est Deus, eamque offensam tali pœnã declarauit, non multo magis offendetur, impediendo vel cognato, vel fratre, vel etiam filio, in quem pater, quod ad hoc attinet, nihil omnino iuris habet? Ambrosi', tant' auctor, puellam commemorat adhuc viuentem, cum ipse hoc scriberet, nobilem, vt idem ait seculo, postea multo nobiliorẽ Deo, quæ cum religiosæ vitæ amore ad altare confugisset, instarentque propinqui, & sponsum offerendo, & diuitiarum commoda proponendo, illa semper constans, & inuicta perstiterat. Ac cũ vnus præfractius vrgẽs dixisset, Quid? si pater tuus viueret, an te innuptã viuere pateretur? respõdisse eã, Et ideo fortasse mortuus, est, ne impedire posset. Neq; verò multum tẽporis intercessisse, cum hic, qui ita instabat, morte sublatus est, tãq; persuasum fuisse omnib', ob hanc causam esse sublatum, vt ceteri idem sibi quisque metuentes fauere cœperint, qui antea tãtopere repugnabant. Sed illud terribile, quod Hieronym' his ipsis verbis cõmemorat

De vita Patrum c. 5.

2.2.q.vl ar. 6.

Lib. 1. de vir.

Ep.7. morat in epistola ad Lætam. Prætexata, inquit, nobilissima quondam fœmina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius, cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propositum, & matris desideriu. Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se angelum terribili voce minitantem pœnas, & hęc verba frangentem. Tu ne ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc arescẽt, vt sentias excruciata, quid feceris, & finito mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis, & filiis. Omnia per ordinẽ expleta sunt, & seram miserę pœnitentiam velox signauit interitus, Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas, & pretiosissima ornamenta defendit. Hæc Hieronymus. Possent autem alia afferri etiam recentia: verum quidnã grauius, aut ex grauiori auctore producatur, quã hoc, quod modo diximus? Quare hoc positũ sit, hoc peccati genus à Deo acerbis, ac præsentibus ferme suppliciis sẽ-

1. Cor.3. per vindicatũ esse, vt in eo quoq; extet illud Apostoli Pauli, Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. quod si in lapideũ templu cõuenit, quanto magis in animã ipsam, quę sanctius tẽplum est, & Deo longe carius? Itaque si id faciunt parentes, propterea quod filios suos diligant, ijsque carere durum putent, hoc cogitare debẽt, nulla re se eis, quos tantopere diligunt, magis nocere posse, atq; ideo non enim esse amorem, sed summum odium. Sin autem ob suum quoq; cõmodum, aut solatium id faciunt, tamen hoc ipsum timẽdum est eis, ne & Deum offendant, & simul id, quod quærunt solatium, vel vtilitatem nõ consequantur. Neq; verò mirabimur tam seueris pœnis hoc à Deo scel'

Ad Gofridum. vindicari, si eius grauitatem attendamus; de qua recte Anselm' in epistola quadam: Si, inquit, qui separat pretiosum à vili, nempe animam à seculo, erit tamquam os Dei, ille

Hier.15. cuius os, & manus extrahat animam adhærentem Deo ad seculum, quid erit? Nõne super eum cadit quod Dominus

Luc.11. dicit, Qui nõ colligit mecum, dispergit, & qui nõ est mecũ,

Lib.3 cõtra vitup. vita mon. cõtra me est? Grauissime autem Chrysostomus factum hoc exaggerans, quam multa peccata in vno hoc peccato contineantur, ita colligit. Nam primus malitię, & improbitatis gradus est, iumenta & pecora ipsa inimicorum errantia,

Exod.23 vel lapsa negligere, quod lege diuina prohibebatur. Secundus,

dus,& maior,inimicis ipsis,si qua re egeant, non subueni- *Deut.22*
re.Tertius,proximos ignotos aspernari.Quartus,despice-
re familiares. Quintus,non solum corpora,sed animas eti-
am fratrum pereuntes negligere.Sextus, ipsos filios pere-
untes negligere. Septimus,nec eos per se curare,nec alios,
qui curent,comparare.Octauus,prohibere insuper eos,qui
sponte iuuare illos velint. Nonus, non modo eos à salute
arcere,sed etiam eorum salutem vltro oppugnare. En igi-
tur,auctore Chr. sostomo,ad quem sceleris,ac sæuitiæ gra
dum præpostera ista parentum caritas perueniat, vt dum
maxime se eis consulere arbitrantur,ita noceant,vt etiam
parricidium committant,tanto grauius,ac sceleratius,quã
to melior est animi vita, quam vita corporis.Iure igitur S.
Bernardus, O durum patrem,ò sæuam matrem,ò parentes *Ep. 111.*
crudeles,& impios,immo non parentes, sed peremptores,
quorum dolor salus pignoris,quorum consolatio mors fi-
lij est. Qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine
eis;Mira abusio. Domus ardet ignis instat à tergo, & fugi-
enti prohibetur egredi, euadenti suadetur regredi. Et hæc
ab iis, qui in incẽdio positi sũt,& obstinatissima dementia,
& dementissima obstinatione, fugere periculum nolunt;
Proh furor.Si vos contemnitis mortem vestram cur etiam
appetitis meam? Si, inquam, negligitis salutem vestram,
quid iuuat etiam persequi meam? Quare vos non potius
sequimini me fugientem,vt non ardeatis? An hoc est vestri
cruciatus leuamen,si me etiam perimatis,& hoc solum ti-
metis, ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium
præstare poterit? Quæ,inquam,consolatio damnatis,soci-
os habere suæ damnationis? quodve remedium morienti-
bus alios videre morientes?

Igitur parentes ne in his filiorum tam salutaribus consi-
liis disturbandis;in tanta quæ Bernardus cõmemorat,inci-
dant mala(quod autem ad parentes dicim⁹,ad ceteros pro
pinquos,& deniq; ad omnes dicim⁹)tum his,quas dixim⁹,
rationibus se cõfirment,tum etiam eorum fortibus exem-
plis,qui liberorum amissionem ita cõstanti animo tulerũt,
vt etiam Dei causa lætarentur.Cogitent in primis matrem,
illam Machabæorum,quæ vna hora nõ vnũ, aut duos, sed
septem filios perdidit,neque ita perdidit, vt licet ab ipsa
seiuncti,viuerent,tamen,vt fit in religione,sed in ei⁹oculis
omnibus suppliciis,inauditisq; cruciatibus lacerarẽtur. Et
tamen quæ eius scribitur fuisse oratio,& quæ ad illos oẽs

Zz 2 adhortatio?

3. Mach. 7. adhortatio? Singulos illorum, ait scriptura, hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens dixit ad eos, Nescio qualiter in vtero meo apparuistis; & reliqua quę fortissime prosequitur. Cuius etiam robur imitata est in nouo testamẽto Beata Felicitas, quæ totidẽ ipsa quoque filios sic post se timuit, vt ait Gregori⁹, in carne relinquere, sicut carnales parentes metuere solent, ne mortuos præmittant. *Hom. 3. Euang.* Similis etiã huic fuit Melithonis parens, qui vnus fuit ex quadraginta martyribus, omniũ natu minim⁹, & adhuc adolescẽs quẽ cũ cruribus fractis, viuentem tamen vidisset, ad cõstantiam cohortata est, quin etiam auectis ceteris, ipsa eum in humeros sustulit, & vehiculũ persequuta, mortuum ceteris adiunxit. Quid verò de Abrahamo dicamus, qui, non vt mulieres hæ illatam ab aliis necem à filio non repulit, sed ipse Dei iussu propriis manibus inferre nihil cunctatus est, & quidem ei filio, in quo totam posteritatis tam optatæ, spem repositam habebat? Hic est anim⁹ fideli homine dignus, præsertim autem Christiano, hęc constantia euangelij professioni respondens, filios suos malle Deo, quam sibi obedientes esse, non, vt quotidie videmus, non modo nõ ad mortem, sed ad vitam, & iucundiorem vitam eũtes omnibus dolis, atque artibus peruertere, & magnum quiddã se assequutos putare, si cuiuspiam propositum ad religiosam perfectionẽ aspirantis quoquo modo expugnarint. Nõ ita Anna Samuelis mater, quæ cum filium, quem post multos annos steriles susceperat tandẽ, triennẽ adhuc, læta, & gaudens obtulit sacro templo. *1. Reg. 1.* Itaque ne Dominus quidem liberalitate se vinci passus est, qui pro vno plures liberos, quasi fœnore quodam, reposuit. Talis fuit etiã in Euangelij luce Paula illa Romana, quam propterea tantopere laudat S. Hieronymus, *Ep. 27.* quia ob hanc vnã causam patriæ desiderio teneretur, vt filium, nurum, neptem renunciasse seculo, & Christo seruire cognosceret; quod etiã ex parte cõsequuta est. Talem etiã accepimus fuisse Bonauenturę matrẽ quem illa adhuc infantem Franciscano ordini deuouit, cui voto is deinde satisfaciens, tantus vir euasit. Quod idẽ cõtigit Andreę illi Fesulano episcopo sanctissimo, quẽ cũ steriles parentes à Domino impetrassent, voto facto se eum Carmelitanę familię dicaturos, ille autem seculi deinde licentia pene seductus, alia omnia cogitaret, illius mater & sexũ, & matris affectum vincens, suis eum cõsiliis, & hortationibus

tionibus compulit,vt se in ipsa adolescentia Christo dicaret. Sunt sane pauca huius generis exempla,tanta est homi dum in hoc genere infirmitas, sed quæ sunt, satis esse possunt ad quemlibet permouendum, idq; in primis, quod de S.Bernardi matre legimus,quod etiam eo magis valere debet,vt quæ esset iã mortua,& iã in cœlo, eiusque iudicium à veritate discrepare non posset. Sic enim ferunt, cum is de seculo deserendo cogitaret,idque simul ageret,vt ex fratribus, & propinquis quam plurimos secum adduceret. Andreã natu minorẽ, nouęq; militiæ spiritu ferocẽ,difficiliorẽ se aliquamdiu præbuisse,donec cœlesti viso impulsus exclamauit,Video matrem meam. Viderat enim eam, nec solus ipse,sed Bernardus quoque,læta facie arridentem, & salutari filiorum deliberationi hilariter gratulantem. Sed hæc quidem vel viuẽs idem effecisset,quoniam ita semper pietatem coluisse scribitur, vt filios singulos,vt nascebantur, in templo statim Domino offerret,itaque deinceps educaret, quasi illos non mundo, sed ferme monasterio educare videretur.Sed tamen discant parentes huius exemplo,quis sibi sensus in hac re futurus sit post mortẽ, tum cùm illius vitæ æternitatem, huius ante mundi breuitatẽ manifeste intuebũtur. Quæ enim tũ erit eorũ pœnitentia, si filiũ aut filiã tãto bono priuatos in tantum malũ cõiecerint?Quod igitur facerent,si,vt huic,ad filios suos adhortandos ex illa vita redire daretur, idem nunc faciant, dum hic sunt, cum ita certi esse debeant de rebus illius vitæ, ac si eam vidissent.

Deniq; si ad se ipsos in hac carnis,spiritusq; pugna roborandos fomentum aliquod habere desiderant, hæc attente considerent.Primum qui filium,aut etiã plures filios Deo donat,nihil ei donare,sed reddere,quod iam suũ erat. Nã vt ante,à filiis ipsis præcipiebamus,vt in carnali parentum amore profligando id cogitarent, quam pene nihil esset, quod à parentibus accepissent,ita nunc parentes quoq; ipsi,ne nimio filiorum amore superentur,vtque eos facilius,& alacrius Deo offerãt,hoc idem hortandi sunt,vt meminerint,eos nõ ipsorum esse,sed Dei: fere vt statua nõ scalpelli,vt pictura non pennicilli,sed vtraq; sui est artificis.Itaq; cum Deus illos repetit,iure repetit,suumque exigit: & qui eos retinet,alienũ retinet,quod genus est furti,vel potius sacrilegij:quoniã res talis Deo eripitur.De quo rectè S.Gregorius,Cũ,inquit,festinãtes ab omnipotentis Dei seruitio 4. regis ep. 44.

incaute retinemus, illi inuenimur negare quædam, qui dedit omnia. Hoc cogitabat, atque etiam prædicabat illa, de qua paulo ante mentionem fecimus, Machabæorũ mater: sic enim & se, & filios animabat. Non ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego compegi, sed mũdi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritũ vobis iterũ cum misericordia reddet, & vitam, sicut nũc vosmetipsos despicitis propter leges eius. Idem igitur etiam reputandum est omnibus parentibus in eiusmodi tempore. Sic enim fiet vt nihil se perdere putent, si filios propter Dei obsequiũ perdant. Dicãt etiam sibi ipsis, Quid facere, si hic meus filius vel morbo, vel gladio, vel casu alio, quales in hominis vitam multi incurrunt, mihi eriperetur? An tum quoq; cõtra Deũ, quo auctore hæc omnia eueniũt, insanirem? Quãto ergo & illi, & mihi ipsi hoc melius, & vtilius, vt viuat in Dei domo, quasi in obsequio tãti principis? Nam quod ad absentiam attinet, qua nõnulli torqueri solent, quod iis non fruãtur, quos genuerint, & quos diligũt, primũ quidem nimis muliebris, & effœminatus videtur hic amor, qui digressum, præsertim tam fructuosum, ferre non queat: deinde quam multi multos annos variis ex causis suos nũquam vident, alij vt mercaturã alij vt militiã exerceant, alij etiam vt magistratum gerant, quos tamen omnes à se abesse patiuntur, & illorum quos amant, quæstũ, ac commodum suis solatiis præferũt? Postremo multũ etiam valent quæ à Chrysostomo de hac ipsa re tractãtur; cũ tam multa faciant, & perferant homines, vt filiis suis thesaurizent, eisque quam amplissimas opes relinquant, non posse eos ditiores ac locupletiores relinquere, quam si veræ pietatis, ac religionis studiosos efficiant: quoniam hæ diuitiç & in vita, & post mortem firmç, stabilesque permaneant, & possessores suos tutos, inuiolatosque conseruent. Deinde tum quemq; maxime, & verissime filios suos habere, cũ eos Domino tradiderit: quoniam multo eos ille melius salubriusque moderabitur, ac reget, maioremque illorum curam geret. Itaq; si qui ex paterna domo à principe aliquo abducti, & alicui muneri præfecti fuerint, illustriores fiũt, quam si domi consenuissent, ipsisque parentibus & honori sunt, & gaudio, quanto magis hoc eueniet iis, quos Deus ad suum seruitium euocat? Debere ergo parentes permittere vt filij sui in cœlesti ministerio famulentur, non in templũ

Lib. 3. con. vitu. at õmvi.

eos

eos introducētes, vt Anna Samuelem, sed in ipsum cœlum cū Angelis, diuino ministerio dedicandos: religiosos enim vna cum angelis Deo ministrare: ex quo etiam illud sequatur, vt multo magis ad parentum suorum gloriam, ac felicitatem conferant, quam si in seculo permāserint. Hæc Chrysostomus, & vere. Si enim esset in Christianis ea fides, & id lumen, quod ipsum Christiani nomen profitetur, non modo non lugere deberent, sed tum sibi, tum filio gratulari, quem Deus suo dignetur famulatu, cui videlicet seruire verius regnare est. Nam quid in hoc plura dicamus? Aegyptij olim quoniam crocodilum pro Deo venerabantur, si ita contigisset, vt liberorum quispiam à crocodilo deuoraretur, nefas esse putabant lacrymam mittere, quin etiam magno gaudio efferri consueuerant, eumque diem festum agere, tamquam in eo magnum beneficium accepissent. Quanta est igitur Christiani illius cœcitas, qui doleat de filio ad Dei viui, & veri obsequium euocato, cum præsertim non ad mortem, & mortem adeo miseram, sed ad vitā, & iucūdiorem vitam euocetur? Quamobrem iusta & salubris est illa S. Basilij admonitio, Cum, inquit, tam eximia præmia iis proposita sint, qui Christi militiam sequuti fuerint, libenti animo patres filios suos, & matres filias suas ad eum venire patiantur, prolemque ipsi suam ad eum alacriter adducant, lætosque eos faciat spes bonorum immortaliū, quorum vna cum liberis suis futuri sunt participes, eosque apud Deum patronos habere studeant. Caueamus quæso, ne nimis angustum animum in hac importuna filiorum caritate præ nobis feramus, neue nos terreāt labores, ad quos ire videntur: sed gaudeamus potius, quod tam magnam gloriam sint inuenturi. Offeramus Deo quod ab ipso accepimus, vt in laudis, ac gloriæ filiorum nostrorum societatem ipsi quoque veniamus, nos ipsos vna cum illis offerendo, simulque exhibendo. Qui enim hanc animi alacritatem ostenderint, atque hoc modo fortiter perseuerarint, iis apte conueniet illud ex psalmis, Benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram, & quemadmodū Moses orabunt, pro eis dicentes, Benedic Domine operibus illorum, frange supercilium eorum qui restiterunt ipsis.

Præfat. in Asce.

Responsio ad eos qui dicunt non posse se cognoscere Dei vocationem.

CAPVT XXXVI.

Psal. 41. RESTAT quæstio quædã, ac dubitatio similis ei, quæ proponitur in psalmo, Multi dicũt, quis ostendit nobis bona? Cui nos item respondere possumus quod in eodem psalmo subiicitur, Signatũ est super nos lumẽ vultus tui Dñe. Sunt enim, qui cum eiusmodi consilia religiosæ vitæ parturiunt, ita sibi constituti videantur, vt Dei voluntatem, si sibi constaret, parati sint sequi, sed eam causantur non satis expresse constare; atque id quidem alij ex animo, alij autẽ potius prætextu, qui quoniã à seculi delectatione inuiti auelluntur, ea excusatione vitiũ suum obumbrant. His igitur vtrisque demonstrandũ est, non modo rem hãc non in obscuro, ac recondito positam, sed facilem, atque in promptu esse; quod testatur Bernardus. Plane, inquit, conuersio animarũ opus est diuinæ vocis, nõ humanæ. Nec sane laborandũ est, vt ad vocis huius perueniatur auditum. Labor est potius, aures obturare, ne audias. Nimirũ vox ista se offert, ipsa se ingerit, nec pulsare cessat ad ostia singulorum. Est enim non tantum vox virtutis, sed & radius lucis, annunciãs pariter hominibus peccata eorũ, & illuminans abscondita tenebrarũ. Quæ Bernardi sententia illam quoque rationẽ habet certam, & euidentem, quod cum Deus ideo nos vocet, vt ad se accedamus, frustra vocaret, nisi ita vocarẽt, vt à nobis percipi posset. Quis enim herus seruo aliquid imperãs, quod eũ exequi velit, non ita imperet, vt ille intelligat? Magistri autem cum id spectent, vt discipulos suos erudiãt, non solũ ea afferant oportet, quæ ab illis capiantur, sed ad illorũ quoque intelligentiam adhuc tenuem sese accommodẽt, eademq; si opus sit, sępius iterẽt, & inuoluta explicent: quod nisi faciant, vitio illis detur; quod quidem vitiũ nõ cadit in Deũ. Hoc ergo cum ita sit, quædã tamen veluti regulæ, ac præcepta ponendã sunt ad hæc sine errore iudicãda, si prius quid in hoc negotio maxime vitiosum, atq; damnosum sit, exposuero. Nã cum vitę status, & ratio totius ætatis degendæ vna sit res omnium maxima, & quæ maximo egeat consilio, tamen hoc videmus, nihil esse fermè inter homines, quod maiori negligẽtia, minori cura agatur. Ac in ceteris quidẽ actionibus siue prætermissum, siue ignoratum est quidpiam, non plus incommodi

Ad cler. c.1. & 2.

commodi accipitur, quã quanti quæque carum rerum est, in quibus neglectum sit aliquid. In hoc autem tamquã vitæ omnis cardine, si erretur, totam viuendi rationem aberrare necesse est. Sunt autẽ homines fere omnes in hoc ita oscitantes, vt ad eũ se vitæ cursum applicent, in quem eos vel casus aliquis, vel tenuis aliqua occasio, siue spes cõmoditatis impulerit. Alij multitudinis iudicio abrepti ad ea ferũtur, quæ vulgo maxima putãtur, & quæ ad honores, vel opes proxima via videatur: pleriq; etiam parentum præceptis, vel exẽplis imbuti, ea ipsa sectantur, vtiq; in eorũ moribus innati sunt, ita deinceps & adolescunt, & cõsenescũt. Quamobrem alij ad ius ciuile, alij ad medicinæ scientiam deferuntur, aulicam alij seruitutem, vel militiam, vel mercaturam complectuntur: deniq; nihil in hac re delectus à plerisq; hominibus, nihil consilij, nihil deliberationis adhibetur, sed quod cuique libuit, aut quod maxime adamauit, id arripit, quodcumque, & qualecumq; sit, in quod primũ inciderit, vel quod ei sors obiecerit. Quæ cũ ita temere, ac fortuito gerantur, nil mirũ est, si postquã certo genere, ac conditione viuendi se implicarint, plerosque deinde sui facti pœniteat, aut etiã si non pœniteat, innumerabiles tamen errores consequantur. Quod si homines ratione se moderarentur, id primũ esset faciendum, vt cum ad pubertatem ventũ esset, aut paulo post, mature dispicerent, vnum esse hominis finem, nempe æternã gloriã, eamq; ab omnibus quærendã, quo tamen cum diuersis studiis, atq; occupationibus, quæ ad humanam societatem sustentãdam necessariæ sunt, quasi diuersis viis perueniatur, eã cuiq; viam ingrediendã esse, ac capessendã, quæ eum maxime iuuare possit, vt ad finem illũ beatitudinis perueniat, &, quod caput est, quæ maxime Deo domino placeat. Nam eo denique reuocãda sunt omnia. Neque enim in manu serui, cuiusmodi omnes sum⁹, esse debet, vt in domo heri sui ordinem, ac statum accipiat, quem ipse velit, sed quẽ herus præscribat, ac decernat. Hoc igitur, quod in illo quasi ætatis biuio, faciẽdũ esset, si tunc non factũ sit, eamq; ob causam in deligendo vitæ statu erratũ fuerit (modo adhuc sit integrũ, nec matrimonij, vel alterius status immobilis vinculum accesserit) idem huic cõsilium dari oportet, quod in aliis errorib⁹, vt potius corrigãtur, quam diutius in iis permaneatur: præstat enim, quodcumq; sit illud dispẽdium, regrediendo subire, quã progrediendo longius semper aberrare.

rare.Quare tũ in conſtituenda ab initio vitæ ratione,tum in facienda deinde,ſi ita opus ſit,morum,inſtitutorũq; mutatione,hæc ſit regula,componendum eſſe animũ noſtrum ad eam,quæ maxima eſſe poſſit,æqualitatem, ita vt nihilo plus in vnam,quam in alteram partem propẽdeat, ſed hoc vnum cupiamus,Dei placitum,quodcunque id fuerit, explere.Hoc enim eſt in primis officium boni, ac fidelis ſerui,vt antea diximus,quod niſi faciat,non tam Deo, quam ſibi,ſuæque voluntati ſeruit:qui autem id fecerit,is facile, tamquam nube omni diſcuſſa, Dei lumen, ac lucem accipiet.Sic enim Climachus quoque ſcribit, in diuina voluntate indaganda,neceſſarium eſſe nos ita comparare,vt noſtra omnis volũtas ceſſet,ac in neutrã partẽ magis vergat: nam cum ea ab omni proprio affectu penitus purgata, ac nudata fuerit,aptam fore ad Dei inſtinctum percipiendũ.

Gradu. 26.

Altera regula eſt,non eſſe in toto hoc negotio vel expetendas,vel expectandas reuelationes diuinas, aut miracula quędam,ſignave extra naturę ordinem.Cuius ea cauſa eſt,quoniam cum Deus nobis lumen mentis, atque intelligentiæ inſeuerit,quod fide inſtructum,diuinaq; adiutum gratia,ſatis ſufficit ad omnia, quæ ſaluti noſtræ conueniant,cognoſcenda,id à nobis adhiberi,exerceriq; vult, & ipſe eo nobis tamquam interprete loquitur, & indicat quę oportet.Quamobrem magnopere fallũtur, qui in iſta deliberatione angelum aliquem de cœlo ad ſe delabi cupiunt,aut in ſumma aliquod eiuſmodi ſignũ diuinę voluntatis requirũt,quod nihil dubitationis admittat: quod non eſt faciendum,neque omnino aliud exigendum,quam ferat communis vſus,ac mos Dei cum hominib⁹. Hic autem eſt Dei mos, vt licet ſuo nos lumine adiuuet,hoc tamen ſit lumen fidei,non autem apertæ viſionis, ac propterea obſcuritatem ſemper aliquam habeat admixtã. Qua in re eſt ſane notatu digna quędam Ignatij parentis,ac Fundatoris noſtri ſapiens,& vera ſententia,ſi à Deo expetenda ſint ſigna,multo plura,& clariora expetenda eſſe ad retinendum ſtatum ſecularem,quam ad euangelica conſilia ſectanda: quoniã ad conſilia Chriſtus dominus aperte hortatus eſt, contra vero in ſtatu illo,in diuitiis,& honorib⁹ quæ ſtatus ille cõplectitur,magnã oſtẽdit difficultatem magnumque, ac certũ periculũ.Ex quo fit,vt ſi recte reputemus, reuelationes illæ,ac ſigna illa potius requiri debeãt ad ſecularem ſtatũ eligendũ,quã ad religioſum. Quin etiã cum duę ſint

animi partes, voluntas,& ratio, duo etiã esse solent genera vocationũ, alterum quo voluntas accenditur religiosæ vitæ desiderio, totumq; hominem eo rapit, sine vlla cunctatione, aut hæsitatione,& potius cũ magna voluptate. Alterũ est, cũ ratio illuminatur, vt mundi vanitatem, ac periculũ, cõtra vero religiosi status quietẽ, securitatẽ, thesaurosque ingẽtes agnoscat, etiãsi affectus nõ ita incẽsus sit, tardiusq; ac lentius rationis ductũ sequatur. Et quidẽ, si verũ quærimus, hæc optima est vocationis ratio, quę à sapientibus viris,& harum rerũ bene peritis fortasse etiam magis probetur, quã altera illa, quæ in solius volũtatis motu cõsistit. Hæc enim certior est, minusq; erroribus patet, quoniã lumine nititur: quin etiã, vt illi iidem aiunt, aliquanto præstantior est; quoniam ratio, ac mens ea est, qua homo maxime belluis præstat, præsertim cũ ad tarditatem illam, pigritiamq; volũtatis sanandã multa sint remedia, multiq; stimuli, quibus impellatur,& incitetur, meditando,& cogitãdo ea, quæ ad rem faciũt. Quod cum ita sit, valde ij quoque errant, qui vocari se à Deo non putãt, nisi eos animorum motus sentiãt, vt toti ardeant,& quasi rapiãtur ad religionem, nulla difficultate, nulla molestia. Nã & hoc naturæ nostræ cõditio tam grauis, tamq; terrena nõ patitur, vt ad res tam arduas sine labore,& sudore cõscendat, & diuinæ sapientiæ mos est, non destruere naturã, sed iuuare, nec hostem nostrum omnino perimere, vt non habeamus cum quo pugnemus, sed potius gratiã, & robur nobis suppeditare, vt pugnando vincamus: id enim nobis ipsis vtilius, & ad multa salubrius. Hoc igitur posito, quod ad hãc Dei voluntatẽ cognoscendã, mentis nostræ ratiocinationẽ, ac iudiciũ adhiberi oporteat, hãc in eo viã, ac methodũ certissimam præscribunt spiritualium rerũ magistri. Primum vt, quod ante dixi, vnum illum finem nobis proponamus, cuius causa facti,& nati sum⁹. Hic vero finis nullus est alius, quam vt Deo amando,& colendo ad æternã felicitatẽ perueniremus. Deinde, vt omnes vitæ degẽdæ modos, de quibus consultatur, quasi ob oculos proponamus, singulosque accurate examinemus, atque exploremus, quid in iis insit cõmodi, quid incommodi ad finẽ illũ consequendũ, idque demũ ex omnibus complectamur, quod tum ex sua, tũ ex nostra ipsorũ natura ad hoc aptissimũ iudicetur. Vt qui in aliquem locũ profecturi sunt, iter illud accipiũt, quod planius, breuius, ac cõmodius existimãt. Tertio vt meminerimus

mus nos certissime morituros, atq; insuper rationē etiam Deo reddituros de tota villicatione nostra. Quare quod tunc se quisque fecisse volet, id nunc faciat, & quod in illa hora magno mercaretur à se electum, eligat in præsenti. Quid enim stultius, quam id committere in re tanta, cuius scias futurum vt te pœniteat, sine vllo fructu?

Sequitur tertiū præceptum, vt qui hāc Dei vocationem cognoscere, ac percipere cupiat, non putet se id consequi posse in media vanitate, & negotiationibus, ac turbis secularibus. Segreget igitur sese paululū de strepitu mūdi, vt quasi aurē admoueat, & audiat quid in se loquatur Dominus Deus suus, & ante omnia, si opus est, purget se diligenter generali omnium peccatorū confessione, quod iuuat, vt depulsis tenebris, Dei lumen ingredi possit: deinde, dedat se orationi, ac meditationi paulo diligentius, erigat corà terrenis ad cœlestia, deniq; sistat se Deo quasi discipulum docilem, & attentū, & cupidum cœlestis huius doctrinæ. Quid mirum enim, si cum animus aliis occupatus fuerit, quasi obstrepentibus mortalium rerū curis, & amoribus, aut delectationibus, diuina illa vox exaudiri nō possit? Itaq; Bernardus ad Thomā quendā, in hoc ipso seculi
Ep. 107. relinquēdi cōsilio versantem, Tu, inquit, ò carissime, huic voci Dei tui dulciori super mel, & fauū, si pręparas aurem interiorē, fuge curā exteriorem, vt expedito, ac vacante in-
1. Re. 3. terno sensu dicas & tu cum Samuele. Loquere Dñe, quia audit seruus tuus. Vox hæc nō sonat in foro, nec auditur in publico. Secretum cōsilium secretū quærit auditum. Audi tui tuo gaudiū pro certo dabit, & lętitiā, si sobria aure perceperis. Sed tamē illud hic quoq; addēdum, vt qui illuminari cupit, nō solum ad Deum, vt Bernardus monet, accedat, sed sic accedat, vt animo plane obfirmato, ac deliberato sit, se omnia perfecturū, quæcumq; à Deo audierit. Sunt enim qui nō bona fide, nec sincere agunt cum Deo, sed curiositate quadā ducti, scire volunt eius voluntatē, nō vt faciāt, sed vt sciāt, & vt aliquo modo officio functi videātur, qui quidē tātū abest, vt officio satisfecerint, vt illa ipsa maior sit culpa, tamquā serui, qui dñi voluntatem intelligit, nec tamē exequitur. Quin etiā hoc ipsū impedimento est, ne iis De⁹ lucem suā impertiat, quā se frustra impertiri vi-
Psal. 110. det, ac maiore etiā illorū damno. Scriptum est enim, Intellect⁹ bonus omnibus facientibus eum: quoniā qui faciūt, vel facere decreuerūt bonū, quod intelligūt, iis bon⁹ intel-

lectus

lectus datur;idq; monet Gregori⁹: Qui vult,inquit,audita intelligere,festinet ea,quę iã audire potuit,opere implere. *Ho. 23. Euang.*

Quarto loco hoc sciendum,quod certe in hac omni cõsultatione tum ad securitatem , tum etiam ad solatiũ animi mirum in modum valet,omnem eiusmodi instinctum, qui hominem ad religiosam vitam impellat,non nisi à spiritu sancto esse posse. Hoc docet Beatus Thomas,tum in libello,quem inscripsit contra retrahẽtes à religione , tum etiam in secunda parte summæ theologicæ , quo loco ait, qui ad religionem accedit,non posse ambigere, an à diuino numine moueatur,cuius est,vt ait Propheta, ducere in terram rectam,cum videlicet sibi conscius sit , non se vllo prauo fine ad hoc impelli, sed desiderio virtutis , ac diuini obsequij. Quare quod dicitur in scriptura , Probate spiritus si ex Deo sint,id de dubiis tantum intelligendum esse; quod quidem locum habet in iis,quorũ est ad religionem admittere , qui cum accedentiũ mentem,ac finẽ quo moueantur,perspicere nequeant,ij recte faciunt, quod illorũ spiritus probent, & explorent. Quin etiam hoc adiungit, quod maius est;si ita contingeret,vt Satanas in lucis se angelũ transfigurans,nos ad religionem incitaret,tamen nihil esse metuendũ, primũ quia quamdiu ea suggerit , quæ ei cum angelo bono sunt communia,nullum est periculũ, neque nos prohibemur etiam ab inimico vtilitatem capere,præsertim ignorantes esse inimicũ. Deinde quia quamquam à dæmone incitemur ad religionem, is tamen solus nũquam nos mouere posset,nisi Deus interiore vi attraheret. Ex quo concluditur,religionis propositũ, à quocumq; proponatur,ab vno Deo proficisci. Hæc sanctus Thomas, cuius auctoritas illa etiam ratione confirmatur , quoniam cum,auctore Cassiano , tres omnino sint cogitationũ nostrarum origines,& quasi fontes,spiritus bonus , spiritus malus,& noster spiritus,facile est intelligere,eiusmodi cogitationes de carne mortificanda,de libertate abdicanda, deniq; de cruce suscipienda,non posse à nobis ipsis manare,cum natura omnem asperitatẽ refugiat,atq; aspernetur. Multo vero minus à dæmone. Quid enim illi cũ castitate perpetua,quid cũ obedientia, & cum voluntaria humilitate,quibus nihil potest esse superbiæ principi odiosius ? Immo vero si malus hic spirit⁹ nõ potest ad singulas virtutes inducere, vt ad Dei amorẽ , ad maiorem fidem,vel spem, vel ad veram,solidamque humilitatem,non magis , quam ex glacie

Cap. 10. *2. 2. q. vlt. art. vlt.* *Ps. 142.* *1. Io. 4.* *Coll. 1. c. 19.*

ex glacie ignis, aut ex igne glacies prodire possit, quanto minus ad eam virtutem, quæ omnes fere virtutes in se vna colligit? Quod si quis hoc veretur, ne id dæmon simulatione faciat, quo deinde grauius noceat, is valde errat, & errat vt olim Iudæi, qui illud nō min⁹ inepte, quā impie Christo
Luc. 11. domino obiecerunt, In principe dæmoniorū eiicit dæmonia. Quare iis item conuenit idem Christi responsum, non posse Satanam scindere regnū suum; quod hic etiam faceret, si vitia ex hominibus expelleret, aut, quod idem est, in eum locū adduceret, vnde facile expelli possent. Neq; enim ille tā fatuus est, aut tam rudis in hoc bello aduersus animas, vt prædam, quā vnguibus iam tenet, dimittat, & in locum tam munitum, tāque sibi infestum abire sinat, & ipse vltro impellat, ea spe, vt eam deinde aliquando cū maiore lucro recipiat. Quare cū hic timor omnino inanis, ac stultus sit, eiusq; plane qui dęmonis artes parū nouerit, solus restat spirit⁹ bonus, cui tā pręclari operis & initia, & pro-
Psal. 32. gressus, & perfectio debeatur. Quod si quis obiiciat, Atqui
2. 2. q. aliqui deficiūt, retroq; abeūt, ergo hi quidę non à Deo vo-
vlt. art. cati fuerāt, quoniā Dei consiliū manet in æternū; huic re-
vlt. spondebimus ipsis S. Thomę verbis. Nō enim, inquit, omnia quę à Deo sunt, æterna sunt: nā si hoc esset, corruptibiles creaturę nō essent à Deo cōditæ, quæ fuit hæresis Manichæorū. Atq; vt hoc in natura, sic itē in gratia: hæc enim ita datur, vt dū in hac peregrinatiōe versamur, amitti possit, quoniā manet volūtatis libertas, quę cœleste donum vt initio oblatū reiicere poterat, ne acciperet, sic acceptum abiicere. Ex quo hoc efficit S. Thomas, consiliū de ingressu religionis nō indigere probatione, vtrū sit à Deo, sed quicunque eiusmodi motū in animo suo senserit, ita eum admittere debere, vt Dei dñi, ac creatoris sui vocē, & vocem adeo salutarē. Hęc paulo fusius prosequi visum est; quoniā si hoc semel stabilitū, ac fixū fuerit, non posse tam sanctas, ac salubres cogitationes neq; ex dæmonis dolis, neque ex carnis nostrę inclinatione oriri, sed ex vna Dei Saluatoris nostri benignitate, ac liberalitate, magna sine dubio omnibus dubitādi, & trepitādi, & hæsitādi causa præciditur. Vnde etiā illud sequitur, dę quo antea satis dictū est, diuturniorē quā par sit, deliberationē nō modo inutilē esse in re tā certa, sed etiā periculosam, vt quę Satanę pugnas aduersum nos proroget. Sequitur itē illud, quod idē B. Thomas præcipit, & oēs vno ore præcipiunt; cū hæc consilia agitātur,

tur,non esse adhibendos amicos carnales, multoq; minus propinquos,tum quia naturali illo affectu impediuntur,ne verum videant,tum quia,vt Dñs ipse dixit,Non omnes capiunt verbum hoc;quod autem consiliũ dare possint in re, quam ne intelligant quidem?Quare vt qui ædificare velit, non pictores,aut aurifices aduocat,nec qui ægrotat, iurisperitos, sed ille architectos,hic medicos,& eos quidẽ quã possit optimos,& peritissimos; atq; vt in aliis rebus iis vtimur cõsiliariis,qui in illo genere & scientia,& vsu valeãt: ita in hoc tãto opere,quo ædificanda est illa spiritualis domus,quæ stare possit aduersus ventos,& flumina,&curatio non corporis,sed animæ instituenda, an eorũ iudicium requiremus,qui partim nullũ habent in his rebus iudicium, partim etiã variis,vt dixi,affectibus peruersum, & euersũ? Solum igitur communicandũ est cum viris probis,& vero, si quærimus,cum iis potissimũ,qui antea hanc ipsam triuerunt viam,id est,cum religiosis ipsis, qui sua experientia edocti,alios quoque fideliter,ac sine errore perducere possint.Quid enim stultius,quã si vel mari,vel terra iter facturus sis,cum ducem accipere,qui numquam in vita sua iter illud confecerit,cum ad manum habeas multos, qui nihil aliud tota sua vita egerunt? *Mat. 19.*

Sequitur quinta regula,non esse Dei vocationes ad vnã omnes formulã,eumdemq; modũ exæquandas,vt si ab illo discedatur,non ea vera, & legitima vocatio censenda sit. Ditior enim est De⁹,& vberior in consiliis suis super filios hominũ,vt eos variis modis ad sese attrahat: & homines ipsi cum varias habeãt naturas,atq; exercitationes, varios etiam habitus,& mores,ita dissimilibus quoque modis ad Deũ attrahendi fuerãt.Nam vt aucupes non vnũ habẽt rete,neque vnã escam ad aues capiẽdas,sed alias aliis proponunt,vt quamque delectari norũt,sic Dominus & pro hominum vtilitate,ad eos sibi facilius adiungendos, & vt illã suæ prouidentiæ suauitatem retineat,ad eorum se conditionem inflectit,& accommodat.Itaq; vt Petrũ,& Andreã è nauicula,Matthæum autem è teloneo euocauit, quoniã hic publicanus erat,illi piscatores, Paulum autem in ipso ardore persequendæ Ecclesiæ,quoniam eo tum studio tenebatur, sic in vocationibus religiosis accidit, vt alius alia occasiõe,quidã etiã ex ipsis interdũ peccatis à Deo cõuersi sint.Merito ergo Cassianus inter ceteros,multiformẽ hãc, vt ille ait,Dei sapientiam admiratur, quæ salutem homi- *Coll. 13. c. 15. 17.*

num

num multiplici, atque inscrutabili pietate dispensat, ac secundũ capacitatem vniuscuiusq;, gratiã suæ largitatis impertit, diuersis, atq; innumeris, & inscrutabilibus viis, dum quorũdam volentiũ, atq; sitientium cursum ad maiorem inuitat flagrantiam, quosdam inuitos, nolentesq; compellit, nũc vt impleantur ea, quæ vtiliter à nobis desiderãtur, adiuuat, nũc verò etiã ipsi⁹ sancti desiderij inspirat principia: quam dispensationis diuinæ multiplicem largitatẽ cũ
Rom. 11. Apostol⁹ consideraret, exclamasse, O altitudo diuitiarũ sapientiæ, & scientiæ Dei, quã incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ei⁹. Hoc autẽ ita esse, vt Cassianus dicit, facile appareat; si quis consideret quib⁹ vel loci, vel temporis opportunitatibus interdũ Domin⁹ vsus sit, vt homines religioso huic iugo subiiceret; vt in Paulo, quẽ scribit Hieronymus casũ in specũ ingressum, quo Decij, & Valeriani sæuitiã fugeret, cũ aliquandiu ibi latuisset, cœpisse etiam delectari solitudine, & quod prius necessitate, deinceps volũtate fecisse, idque tota vita tenuisse. Arsenio autẽ, tãto viro, Arcadij ita adolescentis, quem instituebat, causam præbuit, vt seculũ fugiens totum se Dei obsequio consecraret. quare dũ corporis saluti consulit, animæ salutem multo optabiliorẽ inuenit. Quid alter ille Paulus cognomento Simplex, qui vxore in adulterio deprehensa, & illam, & domum relinquens, recta se ad Antonij scholam contulit, in qua ad summæ sanctitatis perfectionẽ breuissime progressus est? Illud autẽ admirabili⁹, quod de Abbate Mutio sanctissimo, & celeberrimo viro legitur, cũ gentilis esset, & latro, & ad virginũ quarundam cœnobium spoliãdum in tectũ ascẽdisset, in ipso tecto consopitũ, vidisse regem quendã, à quo moneretur, vt tandem à sceleribus desisteret: quo ille permotus, baptismum illico, deinde etiam monasticã vitam suscepit, in qua tantam adeptus est sanctitatem, vt præter alia miracula, solem etiam tanquã alter Iosue stare iusserit. De Mose autem æthiope, homine sicario, & homicida idem fere traditur, cum in vitæ discrimen adductus ad monasteriũ, quod forte occurrerat, perfugisset, illic religione tactum constitisse, nec amplius discessisse. Ac Romualdum quoque casus quidã ad monasticã disciplinã, in qua adeo floruit, adduxisse videtur. Nam cum eius pater Sergius, qui item postea filij exẽplo monachus fact⁹ est, propinquũ, à quo capitaliter diffidebat, occidisset, in Classense monasteriũ sese recepit ad aliquot dies;

quo

quo loco partim monachi cuiuſdam adhortationibus, partim iterato S. Apollinaris viſo impulſus eſt ad terrena relinquenda. Itaque illa cædes à parte perpetrata, cuius ipſe quoque ex aliqua parte particeps fuerat, tanti boni occaſionem ei dedit. Sed nihil hoc in genere tam mirabile, quam quod à Sophronio vetere, & graui auctore commemoratur, iuuenem quendam, cum nobilem virginem ſepulcro condi vidiſſet, pretioſiore ornatu amictam, victum cupiditate, auſum eſſe proxima nocte tumulum ſubire, eámque veſtimentis omnibus nudare: tum vero illam repente cum impetu ſurrexiſſe, latroniſque manus tenuiſſe, & cum grauiſſima obiurgatione, ad extremum etiam cõminatam, ſe illum numquam dimiſſuram, vt ibidem tabe, ac fœtore conſceretur. Sec tamen cum ille multis precibus ſupplex inſtaret, denique eam obtuliſſe conditionem, ſe ita illam relaxaturam, ſi ſancte promitteret, ſe quam primum religioſam vitam ſuſcepturum; quod non modo perlibenter promiſit, ſed etiam ita celeriter exequutus eſt, vt à ſepulchro ſtatim ad monaſterium ſe recta contulerit, cuius abbas, Ioannes nomine, qui hunc excepit, & recenti adhuc facto, totam rem Sophronio narrauit, hoc etiam adiiciebat, tam profuſas illius fuiſſe ad ſe adeuntis lacrymas, vt facile tam euidentis miraculi fidem facerent. Itaque hanc quoque iuſtam, ac veram vocationem fuiſſe exitus declarauit, tam bonus támque ſalutaris. Quid vero de iis dicemus, qui moleſtiis, aut calamitatibus domeſticis, aut morbo, aut offenſione vel in re, vel in fama accepta, aut aliis grauibus incommodis, animum ad religionem appulerunt? Vulgus quidem ita de his omnibus loqui ſolet, quaſi non diuino inſtinctu, ſed deſperatione id faciant. Verum inſipienter loquitur. vident enim quod foris eſt, interiorem autem Dei gratiam non vident. Ita igitur cogitandum eſt, nec paupertatẽ, nec morbum, nec vllam huius mundi acerbitatem tantam vim habere, vt aliquem à ſeculo auellere, & ad hunc ſtatum allicere valeat. Quod ſi quis id faciat, & eo fine, & modo faciat, quo debet, intelligendum eſt, Dei ſapientiam exterius quidem illud quaſi inſtrumentum adhibere, dum, vt hominem à rebus temporalibus abſtrahat, ipſas res multo felle aſpergit, intus autem lucem ſuam, & veritatem ſuam emittere, quæ eum de illo ſtatu deducat, & adducant in montem ſanctum ſuum, & in tabernacula ſua. Quod ita eſſe probari poteſt hoc euidenti argumento. Etenim quam multi & ſunt, & ſemper fuerunt in

In prato Limon. cap. 78.

eadem paupertate, in iiſdem morbis, iiſdémque calamitatibus, qui tamen nullam vnquam de religione cogitationem ſuſceperunt, & potius ſeculum obſtinatius ſunt amplexi? Cur ergo ex eodem naufragio illi non emerſerunt, hi vero emerſerunt, niſi quia à Deo adiuti, eiúſque manu extracti ſunt? Intellexit hoc Hieronymus, qui Iulianum longa, & diſerta

Epi. 34. epiſtola ad ſeculi contemptum impellens, ho c quoque inter cætera affert. Cum enim ille duas filias, iunctis pene funeribus, & inſuper vxorem amiſiſſet, præterea multa rei familiaris dãna & hoſtiũ incurſione accepiſſet, hæc omnia Hieronymus eo refert, vt illum à Deo commoneri dicat, & quemadmodum ſcriptum eſt de Iſraële, plagis, & doloribus erudiri.

Ho. 32. Quin etiam Macharius in homilia quadam hoc ſæpe euenire affirmat, vt Deus ærumnis, ac tribulationibus hominem exagitet, vt is qui nimirũ terrenis rebus animo, ac deſiderio inhæret, cũ omnia ſibi infeliciter ſuccedere videt, ita ſecum ratiocinari incipiat? Quandoquidem non poſſum in mundo conſequi quæ volebã, ecce mundum relinquo, & ad Deũ vado, vt ei vni ſeruiam: itaq; fiat vt gratias deinde agat de aduerſa foruna, quoniã eius occaſione impulſus ſit ad ſuauiſſi-

Coll. 3. cap. 4. mum Dei famulatũ. Ac Caſſianus quoq; cum tria vocationũ genera commemoret, hoc poſtremo loco ponit, cum vel bonorũ amiſſione, vel carorũ morte, vel aliis eiuſmodi caſibus ad Dominum Deum, quẽ ſequi in rerum proſperitate contẽ-

Pſal. 77. pſimus, ſaltem inuiti compellimur, vt Hebræi illi, de quibus in pſalmo ſcriptum eſt, Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo, id eſt, impigre, ac celeriter veniebant ad eum. Addit etiam, licet hic modus vocationis infimus videatur, in eo tamen perfectos homines, & ſpiritu feruentiſſimos extitiſſe, illiſ; nihilo inferiores, qui optimo principio Dei ſeruitutem aggreſſi, reliquam vitam cum laude ex-

Grad. 1. egerunt. Optime vero Climachus, qui hunc quoque Domini morem eſſe ait, vt interdum homines bono dolo capiat, & in ſuam ſalutem deceptos inducat: eius hæc verba ſunt. Non cõtemnamus, inquit, quoſdã mundo renunciantes ſine ſapienti deliberatione, quia ſpiritus quandoque pie decipit animas. Sæpe enim talis renunciatio meliori fine terminatur, quam illa, quæ fuit deliberata, ſicut ſemen cadens de manu agricolæ vbi non vult, vberius interdum germinat, quam de induſtria ſeminatum. Vidi quoſdam ad monaſterium euntes non ſancta intentione, ſed neceſſitate coactos, qui deinde fuerunt capti à multa ſapientia Abbatis, & placida conuerſatione

ſatione monachorum. Hi poſtmodum receperunt à Deo lumen gratiæ, & peruenerunt ad altum ſtatum. Ita Climachus,

Reſtat vltima regula de dignoſcendis, ac iudicandis inter ſe religioſis ordinibus. Nam hoc quoque neceſſarium eſt,& in eo peracri iudicio opus eſt. Etenim cum in religione complectenda,vt antea diximus,in vniuerſum quidem errari non poſſit,tamen in hoc, vel illo ordine complectendo, tum nos errare, tum dæmon multas nobis tenebras offundere poteſt. Sæpe enim perfectionis deſiderio flagrantes eo flectit, vbi perfectio minime vigeat, vt illorum deſideria euaneſcant, ſæpe etiam præpoſtero quodam feruore inflammat, vt plus oneris ſuſcipiant, quam corporis vires ferre queant; & in ſumma ad hoc omnes eius inſidiæ nituntur, vt modo ad nimium, modum ad parum impellat. Quare ne in inſtituti quoque delectu vllus error contingat,duo ſunt videnda,primum vt ſit ipſum quam maxime perfectum,deinde vt perfecte,& exacte ſeruetur. Nam licet aliqua familia ſanctiſſimas habeat conſtitutiones, ac decreta, ſi deinde eis non pareant, vel pauci pareant, id quidem parum prodeſt, nec debet vllus ita ſibi confidere, vt ſe multitudini reſiſtere poſſe ſperet, & cæteris errantibus rectam viam tenere. Itaque non tam illud videndum, quis ſit antiquior ordo, aut etiam ob res olim geſtas, vel ob antiquos patres nobilior, & clarior, ſed quis in præſenti ſanctior,ac regularum ſuarum obſeruantior, & præſertim illius primæui ſpiritus, quo quiſque ordo fundatus, ac cœptus eſt. Cuius ſi ſigna aliqua, ac veluti indicia quærantur, hæc eſſe poterunt. Primum, ſi rerum omnium communitas exacte ſeruetur, nemo vel pecuniam, vel aliud quicquam proprium teneat. Alterum,ſi floreat caritas,& cõcordia,nulla ſint iurgia,aut contentiones,animorúmq; diſſidia. Tertium, ſi procul abſit ambitio,& honorum affectatio, potiúſque hæc munera in ſpeciem honorifica declinentur. Quartum, obedientia in ſuperiores incorrupta ſeruetur, neque vllæ in ea exceptiones,aut limitationes introductæ ſint. Quintum: ſi ſit quam rariſſima cum carnalibus propinquis communicatio, eáque vt debet ſpiritualis. Denique, ſi animarum zelus conſeruetur, eáque cauſa nullus labor, nulla fatigatio defugiatur. Hæc ſunt potiſſima, & maxima. Accedunt deinde alia minora, nec tamen contemnenda, cuiuſmodi eſt, præter cætera, ipſa ordinis amplitudo, ſi copioſius ſit & magnus,multáſque in partes diffuſus,& multas, ac varias nationes complexus. Sic enim & doctrina, ac pru-

dentia vberior efficitur. & maiora suppetunt ad res gerendas adiumenta, & quo maior hominum copia, eo etiam maior copia bonorum operum, ex quorum mutua communicatione ampliores etiam consequuntur fructus. Idem enim euenit quod in flamma, vt quo maior sit lignorum copia, eo maius conflatur incendium, cuius incendij vis in singula etiam ligna redundet, vt facilius, & celerius, & magis etiam ardeant, quam si separatim quódque arderet. Sed hoc quidem quodcumque est, extrinsecum est: illud essentiam attingit quod paulo ante dicere cœperam de ipsius instituti perfectione; cuius perfectionis, quoniam in tanta varietate multi sunt gradus, si eorum inter se contentio, & comparatio facienda est, nimirum adhibendus est auctor Beatus Thomas, qui hanc ipsam quæstionem ita dissoluit. Vltima, inquit, rei perfectio in sui finis consequutione posita est.

Opu. cõt. imp. reli. cap. 1.

Quare ex duobus potissimum spectanda est instituti cuiusque religiosi maior perfectio, primum si finem habeat nobiliorem, deinde si instrumenta ad eum finem consequendum aptiora. Nam quæ præstantibus operibus diriguntur, illa etiam præstantiora sunt iudicanda: & quæ his operibus efficiendis tum plures, tum efficaciores continent rationes, eadem etiam meliora sunt, & præferenda. Sed tamen quia nemo potest nouam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœniteat, & ob hanc causam qualibet religio, per quam scilicet homo nouam vitam aggreditur, quidam pœnitentiæ status est, ideo tertia quoque comparatio fieri potest in paupertate, & asperitate, ceteróque eiusmodi rigore. Sed tamen priores illæ duæ comparationes cum religionis natura, & essentia magis coniunctæ sunt, atque ex iis magis, vel minus perfecta existimanda est; tum quia perfectio vitæ magis interiori iustitia, quã in exteriori abstinentia, collocanda est; tum quia hæc austeritas maiora bona, & maxime in proximum, impedire potest. Hæc fere sanctus Thomas, quæ breuiter, & vniuersim dicta, ad vniuscuiusque ordinis dignitatem æstimandam facile applicatur. Quod autem extremo loco dicit de austeritate, idem confirmari potest auctoritate Gregorij alio loco à nobis ipsis allata, vbi ita dicit, Longe altioris est meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati subiicere, quam magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Verum vt ad beati Thomæ regulam

Lib. 6. in lib. regu. cap. 2.

regulam de æstimanda religionum dignitate redeamus, ad eandem regulam pertinet quod alibi ab eodem Doctore scriptum est, primo loco eas collocandas, quæ ad docendum, & prædicandum referuntur; quoniam cum eiusmodi opera ex abundantia contemplationis promanent, vtrumque bonum, tum contemplationis, tum actionis, coniunctum complectuntur. Secundo vero loco eos ordines ponendos, qui solam retinent contemplationem, tertio qui solam actionem. In his autem ipsis generibus, & quasi classibus, præstare illos, qui ad plura diriguntur, & aptiores regulas, ac leges habent, vt si ad proximum iuuandum pluribus, & melioribus adiumentis nitantur; quod idem de aliis dicendum est. *2.2.quæ. 188. art. 6.*

Postremo loco ille quoque quorundam error refellendus est, qui in instituti delectu eos ordines refugiunt in quibus propter illustrium hominum copiam, se minus illustres fore putant, eo inclinant, vbi propter doctrinæ, & aliorum eiusmodi bonorum inopiam, se videlicet regnaturos sperant. Inepta prorsus, & stulta ambitio, in ea præsertim re, in qua omnium minime decet. Itaque ad eam explodendam non multis est opus. cum sufficiat indicasse, sed Anselmi tantum tam insignis viri, auctoritatem afferam, cui ipsi quoque de certo loco ad profitendam vitam monasticam deliberanti, cum duo occurrissent monasteria, Cluniacense, in quo nulla erant literarum studia, & Beccense, quod erat celebri opinione doctrinæ, ab illo quidem retrahebatur, quoniam cum nullam ipse litteris operam dedisset eam omnem perdi videbat, ab hoc vero contra, quia verebatur ne inter tot doctos nullo ipse loco esset. Et ille quidem hæc secum eo tempore, quo, vt ipsemet postea hæc narrans, confiteri solebat, nondum esset edomitus, nondum in eo vigeret mundi contemptus. Sed tamen in se reuersus, Quid, inquit, an monachũ esse, est aliis præponi velle, & honorem quærere ac nominis celebritatem? Illum ergo potius locum delige vbi omnibus propter Deum postponaris, vbi obscurus, omniumq; infimus iacens. Hoc igitur consilio, quod erat à diuino spiritu, Beccensem prætulit familiam, sed alio quam ipse putarat euentũ. Nam inter doctos esse non modo nihil offecit eius doctrinæ, sed hoc insuper contulit, vt doctior ipse effectus, multo magis enituerit, quam in ipso seculo; quod omnibus fere euenire solet.

Epilogus totius operis ad religiosos.

CAPVT XXXVII.

EXpositis iam religiosæ vitæ tantis opibus, tantísque vtilitatibus, & commodis, perspecta etiam tam excellenti eius dignitate, ac splendore, non solum in Dei oculis, sed hominum quoque ac demum adiuncta tanta suauitate, & voluptate, quantã nulla omnino terrena habere possit, videamus nunc quid hæc omnia in eius animo efficere debeant, qui tot tamque ingentium bonorum participem se effectum videat, idque à Deo, qui solus huius muneris auctor est. Etenim si vel sola vtilitas, aut in solo vtilitatis genere vnum dumtaxat beneficium, vnumve lucrum magni æstimari deberet, præsertim æternum, quid erunt tam innumerabiles vtilitates, quid erit cum his vtilitatibus addentur etiam illæ tot causæ amplissimæ, ac verissimæ dignitatis, denique coniuncta etiam tanta solatiorum, gaudiorúmque copia? Videtur enim dominus Deus fecisse in hoc tanto opere gratię idem, quod in præcipuis naturæ operibus, siue quæ ad cuiúsque indiuidui, siue quæ ad generis conseruationem pertinerent, vt in ijs præter necessitatem, magnam quoque voluptatis illecebram permisceret, vt in tali munere natura numquam cessaręt. Sic enim hanc viuendi formulam tam salutarem instituit, vt etiam si austerior, amariórque esset, tamen vt medicina, propter ingentes fructus valde sit appetenda: & rursus eam tantis condiuit lætitijs, vt etiamsi non adeo fructuosa esset, tamen propter vnam dulcedinem maxime amanda, & omnibus mortalibus rebus anteferenda sit. Quæ cum ita esse totis his tribus demonstratum sit, quo tandem animo à nobis vicissim tanta, & tam salubris res excipienda, ac fruenda erit? Mihi quidem tria præcipue postulari videntur, quæ multa deinde alia comprehendunt, primum gratia pro tanto beneficio, deinde studium perfectionis quotidie augendæ, denique accuratissima, & exactissima custodia tam diuitis, támque pleni thesauri. Primum igitur, vt dixi, beneficij magnitudo animum à nobis postulat quam gratissimum. Nam si in leui quouis munere, quod homo ab homine accipiat, rustici videatur, ita accipere, vt non aliqua gratiarum actio reddatur, quanto magis in re tanto maiori, ac diuiniori, quæ à Deo accipiatur, cuius ea est dignitas, vt minimum quiduis ab eo acceptum,

tum, maximum videri debeat? Sed in hoc animo,quem dixi, grato, multa insunt. Inest enim cognitio, inest memoria, deinde amor, ac beneuolentia,deníque etiam gaudium, & quidem perpetuum.Nam nisi cognoscas, & intelligas,quod datum est, ingratus sis: si autem cognoscas, sed cito obliuiscaris, tamen iis ingratus. Quod si cognoscas,& memineris, necessario summā in Deum caritatem incendi oportet,quoniam non potest non amari, qui tam bonus,& nobis ipsis tā bonus perspicitur. Et qui illius liberalitate ita se diuitem, & ornatum videt, non potest non gaudere, & magnopere lætari. Sed quoniam hæc omnia ex illo fonte procedunt,si quam grande sit beneficium perpendamus, ita omnino cogitandū, itáque apud nos statuendum est, hoc summum esse, & maximum, quod à Deo in hac vita accipere homo possit. Quid enim amplius expetat? an honores, an opes, aut doctrinam, aut dicendi copiam, vel etiam totius orbis imperium,ac possessionem? At hæc quæcunque sunt, temporalia sunt,& ideo parua, & caduca. Illa vere magna, quæ apud Deum magna sunt, vt sunt spiritualia. Ex his autem spiritualibus, quæ virtus, aut quod bonum est, quod non congestum sit in statum religiosum, vt qui eum teneat, omnia simul teneat? Hoc enim illud est quod Bernardus quodam sermone adeo commendat. Et prius quidem, inquit, te cum ceteris, & inter cetera creauit, non sine magna prærogatiua dignitatis. post hæc vehementissimo tui amore inflammata maiestas illa redemit te. Numquid verbi facilitate? Non, sed triginta annis operatus est salutem tuam in medio terræ, affixus cruci, addictus morti, ludibrijs deputatus. Adiecit autē erga nos speciale quoddam, quod de lata nos, & spatiosa via, quæ ducit ad mortem, digito suo traxit, & posuit in concilio iustorum & congregatione. Quid vltra debuit facere, quod non fecit? Cuius vel saxeum pectus tanta, & talia à tanto, & tali collata beneficiorum multitudo non emolliat? Recte igitur Bernardus, qui a religiosis memoriam tantorum munerum, eamque gratam, & caritate inflammatam, postulat. Cogitemus quam Deus memoriam suorum beneficiorum à veteribus illis Iudæis exigebat, quibus ex Ægypti seruitute liberatis, pro tantæ rei monumento paschatis celebritatem tot ritibus, tot ceremonijs consecratam indixit, nec fere vllum insignius beneficium conferebat, cui recolendo certum aliquem in anno, solemnémque diem non destinaret. Nos, igitur, nos quoque de Ægypti, id est, de mundi huius tenebrosi,

Ser. 2. de ver Ap. Non est regnum Dei.

& laborioſi ergaſtulo liberati, nos in deſerto, vt antea diximus ſuauiſſimo manna paſti ſumus, nos etiam legem in diſpoſitione angelorum accepimus, nimirum leges ſcriptas, & Dei voluntatem; quæ quotidie rectorum noſtrorum lumine, quaſi interprete nobis innoteſcit. Quanto ergo iuſtius eſt, in nobis quoque noſtri huius beneficij recordationem iugẽ, ac perpetuam vigere? Quin etiam vt Deus illorum, quæ attigi, veterum beneficiorum commemorationem non cuiuis tempori, ſed diebus feſtis illigauit, tamquam hoc indicans, eã commemorationem feſtiuam, & cum gaudio agi velle, ſic in nobis etiam oportet hanc vocationis noſtræ cognitionem ſemper hilarem, ac lætam, & omni iucunditate plenam eſſe. Quid enim eſt, quod religioſum contriſtare poſſit, ſi ſuam norit felicitatem? Etenim quicquid eſt incommodi, quod ei contingere poſſit, nihil eſt, ſi comparetur cum ijs gaudijs, qui-
1.Reg.1. bus hic ſtatus refertus eſt. Cum Anna ſterilitatem ſuam lugeret, ſic eam Helcana vir eius conſolatus eſt, Anna cur fles? & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior ſum tibi, quam decem filij? Hoc igitur ſi homo homini dicebat, multo magis poterit Deus, qui ſi poſſideatur, vt certe in religione poſſidetur, pluris eſt vnus, quam res omnes creatæ, iſque vnus omnium rerum amiſſionem abunde compenſat. Itaque ex hoc etiam illa animi altitudo enaſcitur, qui cum omnia abiecerit, eámque ob cauſam omnia contempſerit, & contemnat, nihil deinde vel tam pulchrum in terris eſſe poteſt, cuius amore illiciatur, vel tam durum, cuius metu terreatur. Itaq; hoc primum ſit, ſi vere eſſe volumus, qui debemus, & quos Deus eſſe voluit, numquam nos in gratiis Deo agendis defatigari oportere, & quoniam nec agere pro dignitate, ac ne habere quidem licet, habendas tamen eſſe, quantas maximas animorum noſtrorũ imbecillitas capere poteſt, & hoc ſaltem agnoſcendum, & confitendum, ita nos cœleſtis huius muneris amplitudine ſuperari, vt ne cogitanda quidem gratia pares eſſe valeamus.

Sed hæc quidem tanti beneficij æſtimatio, ſi vera ſit, illud quoque alterum, quod ſupra attigimus, in nobis efficiet, vt ſumma quadam, ac perpetua perfectionis adipiſcendæ cupiditate ardeamus, idque ita, vt eo ſemper omnis noſtra cogitatio, & vires omnes connitantur. Primum enim hoc à nobis poſtulat Deus, cuius voluntas eſt ſanctificatio noſtra, poſtulat etiã ille eius amor, qui cum in nos adeo effuſus, ac profuſus fuerit, nullo alio modo ei cumulatiꝰ reſpõdere poſſumus,

quam

quam amando, & ita nos ornãdo, vt ab eo quũ maxime amari mereamur. Deinde postulat & status, in quo sum⁹, qui nihil aliud est, quam virtutis, ac perfectionis professio. Itaque vt in militia turpe est, esse ignauum, aut in schola, esse indoctum, idq; homines sibi probo ducunt, ita in hoc loco, vbi vnũ hoc viget pietatis, ac sanctitatis studium, turpe est esse imperfectum, aut tepidum: quod Dominus in Apocalypsi exprobat. Denique sunt etiam duo illi stimuli ad omnes religiosos excitandos aptissimi: primum quod quicquid à nobis toto hoc volumine vel vtilitatum, vel etiam voluptatum tam ingentiũ descriptum est, inest illud quidem, plus etiam, quam a nobis describi potuit, in religioso statu, sed ita, vt tamquam aurũ, quod in terræ venis lateat, aliquo studio, & industria eruendum sit. Quis enim est ille ager, qui, vt valde ferax sit, ac fertilis vllum tamen fructum afferat, nisi scindatur, seratur, & omnis reliqua cultura adhibeatur? Sic igitur istæ religionis opes, & commoda, etsi per se adeo magna sunt, eum tamen animum requirunt qui ea norit, & magni æstimet, &, quod hinc sequitur, ijs auide vtatur, & pro ijs quotidie augendis elaboret. Alter stimulus est facultas ipsa, & commoditas huius perfectionis consequendæ, omnibus videlicet detractis impedimentis, omnibus contra additis adiumentis, tanta interioris gratiæ copia, tãto influxu cœlestium munerum, vt nisi perfecti, & sancti simus, nihil nobis præter nos ipsos defuisse videatur. Itaque ad nos pertinet illud Apostoli dictum, quo dicto vtrumque nobis ante oculos ponitur, & magna, si hoc faciamus, felicitas, & si nõ faciamus, summa miseria. Terra, inquit, sæpe venientem super se bibens imbrẽ (vbi autem frequentius pluunt isti cœlestes imbres, quã in religione?) & germinans herbã opportunã illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas, & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Sed auertet Dominus maledictum hoc à nobis, ac potius vberem gratiam dabit, vt, quod idem Apostolus alibi hortatur, quoniam eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, sicut filij lucis ambulemus, fructúsque lucis edamus in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

Apoc. 3. *Heb. 6.* *Eph. 5.*

Restat tertium, quod diximus, vt omne nostrum studium, omnis diligentia, omnísque cura defigatur in tam ingenti bono retinendo. Neque vero hoc vlla confirmatione indiget. Sequitur enim ex ipsa tam magni boni notitia. nam qui id semel cognouit, citius mortem millies oppetat, quam id

dimittat, aut id ab aliquo sibi eripi patiatur. Et in summa nihil omnibus religiosis ita horribile, aut luctuosum, nihil tam formidandum, & execrabile videri debet, quam excidere tali statu, exui tantis bonis, & quasi Adamum de paradiso eijci. Id enim nihil aliud est, quam, vt ait sanctus Bernardus, rursus in naufragium, vnde nudi euaserant, reuocari, rursus in ignē, vnde vix semiusti exierant, relabi, rursus in latrones, à quibus semiuiui relicti fuerant, sed miserante Domino iam conualuerant, recidere: & militem Christi prope iam rapto cœlo triumphantem, ab ipso iam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum, tanquam suem ad lutum redire.

Ep. 111.

Itaque recte etiam idem Bernardus id quod quasi minitando Sponsæ dicitur, Egredere, & abi, sic intelligit, vt nihil validius, & efficacius ad terrendum, religiosæ animæ à Deo dici possit. Quod & tu, inquit, aduertere potes, si bene attendas, vnde, quo egredi iubeatur. Vnde enim, quo putas, nisi de spiritu ad carnem, de bonis animi ad seculi desideria, de interna requie mentis ad seculi strepitum, & inquietudinem curarum exteriorum, in quibus omnibus non est nisi labor, & afflictio spiritus? Quæ enim anima semel à Domino didicit, & accepit intrare ad se ipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, talis, inquàm, anima, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliusue ducat, quam post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem. Hæc Bernardus, quæ eadem dicunt vno consensu omnes spirituales auctores. Etenim vt qui ex aliquo loco præceps cadit, quo is locus, vnde cadit, altior fuerit, eo grauius colliditur, ita qui ex religioso statu, qui sine dubio editus est, & arduus, præcipitat, eum necesse est totum frangi, eiúsque omnes animæ vires conuelli, comminui, ac dissipari. Hoc enim est sal illud infatuatum, quod sapore amisso, quem & sibi, & alijs condiendis acceperat, ad nihilum valet vltra, ideoque nihil restat aliud, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Iusta omnino, & vera pœna, vt quem antea status ipsius dignitas inter alios homines efferebat, ac venerabilem efficiebat, idem eo ornamento detracto, æqualis primum alijs hominibus reddatur, deinde hoc etiam abiectior, quo maior eius culpa, eámque ob causam despiciatur vbique, hominúmque linguis, ac probris tamquam pedibus obteratur. Quid autem faciunt hi, qui breui, ac fluxa huius mundi

Ser. 35. Cant.

Mat. 5.

mundi voluptate illecti,tantum Dei beneficium sponte deserunt,nisi quod olim improbus,& reprobus Esau, qui primogenita sua vendidit, insuper etiam abijt contemnens, quod ea vendidisset? Quo autem pretio vendidit? Vna lentis scutella.O miserum,& cœcum,qui simul cum esca illa tam vulgari,támque vili,tam copiosam hæreditatem vno momento deuorare,paternámque benedictionem, omnia primogeniti iura perdere in animum induxerit. Verum ille quidem, qui tum hoc parui duxit, venit postea tempus, cum id damnum clamore magno irrugiens, deplorauit, sed sera, atque inani pœnitentia. Simillime igitur, si seculares religiosis comparentur,sunt quidem vtrique Dei filij,sed hi primogeniti, qui & maiora nunc bona spiritualia in ipso statu acceperunt,& deinde, si statui conuenienter vixerint, maiorem etiam cœlestis illius hæreditatis portionem accepturi sunt. Quæ igitur amentia est,tantam spem,tot præsentia,tot futura bona, tot vtilitates,& delectationes,denique tam multas,tam magnas benedictiones, quas si alius eripere vellet, vitæ ipsius opposita tuendę essent,abijcere,& profundere,propter vnius infelicis,eiusque abiectissimi cibi intemperantem cupiditatem? Quantas vero lacrymas, & quantos luctus in hac vita afferet aliquādo illa breuis,ac momentanea delectatio sempiterno dolore empta?Quid autem dicemus de iniuria, quæ Deo fit,cuius pactum violatur,obsequium deseritur, militia repudiatur,cuius familiaritas, & intima consuetudo mundi amicitiæ, ac rerum caducarum amori aperte posthabetur? Hæc igitur causa est,cur cum maiestas illa aliorum scelerum pœnas futuro seculo reseruare soleat. hoc tamen scelus præsentibus etiam pœnis, vt plurimum, vindicari videamus, vt fere qui sic labuntur, vel semper miserrimam vitam ducant, vel cito miserrimam mortem obeant: vt ille, quem in fratrum Minorum historijs legimus,annū circiter M C C L X. qui à Satana victus, cum ordinem, & domum deseruisset, sequuti sunt eum fratres duo caritate adacti,vt reditum persuaderent, quorum is consilia dum obstinatissime reijceret, atrum canem misero illi imminentem viderunt, eóque spectaculo territi exclamare cœperunt, vt caueret à tam informi bestia:is verò eo magis insaniens, habitum exuit,procul abiecit,in fugam se dedit.Ecce autem, paucis confectis passibus, monstrum illud, quod hactenus dum habitum gestaret,nocere non potuerat, potestate tum accepta, in eum insiluit, & ad terram detractum strangulauit, tam subito, vt

Gen.25.

fratres

fratres illi accurrentes, mortuum iam repererint. Atque alia quidem ſimilia pene innumerabilia in omnibus ordinibus contigere, vt de vno Carthuſiano Dionyſius integrum fere librum ſcripſerit, plenum eiuſmodi caſibus funeſtis, & mirabilibus: & nos ſi ea modo, quæ in hoc noſtro ordine contigere, narrare velimus, iuſti voluminis res ſit, quod fortaſſe aliquando conficietur. Libet tamen pauca attingere non antiqua, ſed recentiſſima, nempe à biennio, aut paulo amplius. Primum enim hoc conſtat, cum duo Societatem noſtram reliquiſſent, in qua quandiu vixerant, alterum paulo poſt aliquot plagis occiſum eſſe, alterum robuſtiſſimum, & integerrimum, in ipſo iuuentutis flore, febri extinctum, in cuius cadauer, cum efferretur, quidam item è noſtris incidens, quem eo ipſo tempore dæmon ad defectionem ſolicitabat, ita eſt exterritus, vt ſtatim omni tentatione abiecta, in religionis curſu confirmatus ſit. Tertius etiam nouitius à propinquo ſeductus, poſt dies pauciſſimos, quos, vt excœcatus, in popinis, & compotationibus, & in omni licentia egerat, cum inter alios multos vna cum ſuo ſeductore ad manus cum inimicis veniſſet, in tanta gladiorum euaginatione, hi duo ſoli vulnus acceperunt, quod initio quidem, vt videbatur, leuiſſimam, poſtea tamen ita incruduit, vt vtrumque extinxerit, & quidem eodem die, ſed non eodem euentu. Nam qui vocationem reliquerat, vtpote nocentior, ſubito vocem, ac ſenſum perdidit, itaque mortuus eſt, vt neque confeſſione expiari, qua ſane indigebat, nec alijs ſacramentis muniri potuerit. Ac eodem pene tempore alius in media iuuentute validis febribus conſumptus, quamquam ſacramentis omnibus acceptis, vociferari tamen non ceſſauit, ſe damnatum eſſe, à quibus clamoribus nullius adhortatione deduci potuit. Fœdius verò, & miſerius alter, qui non toto anno poſt hunc noſtrum ordinem deſertum exacto, plumbea glande traiectus interijt. Nec minus miſerabile quod ſacerdoti contigit, qui cum in eadem eſſet cauſa, à ſuo ipſius villico propter zelotypas quaſdam ſuſpiciones ligone mactatus eſt: & alteri, qui in inſaniam verſus in communem ciſternam ſe proiecit; ex qua poſt biduum caſu extractus, & agnitus, totam eam ciuitatem conſternauit, nemine dubitante, quin id eueniſſet ob vocationem relictam. Denique eodem fere tempore alius quoque, qui à Societate hac noſtra adhuc quidem nouitius defecerat, ita deinde flagitijs mergi cœpit, vt ad extremum infami ſupplicio ſit affectus, quo cum ducendus

In lib. Scala cœli.

cendus esset, post peractam cuidam nostro confessionem, multa etiam addidit in dolore, se ipsum incusans, quod Paradisum hunc (sic enim appellabat) reliquisset; ubique visum esse cum religiosam vestem exuit, Christum exuisse, simulque peccatis omnibus ianuam in se patefecisse. Atque hi omnes quos dixi, ita recentes, & noti sunt, vt hanc ob caussam nominibus ipsis parcendum putem, ne mortuis infamia addatur. Itaque quid ex aliorum scriptis tristes horum exitus repetamus, cum ante oculos habeamus adeo frequentes, & adeo horribiles? Alios enim sponte omitto, ne longior sim in tam luctuoso argumento. Multum tamen hęc valent ad hoc ostendendum, quantopere Deus ista, quam dixi, iniuria offendatur, & irritetur, quando eam tam præsentibus, támque atrocibus pœnis vlciscitur.

Quod tamen non mirabimur, si cogitemus quantum sit peccatum, Dei seruitutem deserere, cui etiam sacramento sis obligatus, vt ad sęculi vanitatem, & ad mundi seruitutem te referas. de quo peccato præclare Basilius, Qui se ipsum, inquit, Deo semel deuouit, hic si deinde ad aliud vitæ genus trãsierit, sacrilegij scelere sese obstrinxit, quippe qui se ipsum Deo, cui se consecrauerat, subterfuratus sit. Idémq; alio loco vberius. illud, inquit, certissime tenendum est, eum qui semel spiritualis fratrum societatis coniunctione se deuinxerit, ab ijs sine scelere abscindere se, & segregare non posse. Si enim homines vbi se semel in coniunctionem fragilis huius vitæ dediderunt, ab ea se amplius præter inita inter se fœdera separare nequeunt (alioquin qui id facit, is statutis pœnis fit obnoxius) sine dubio multo magis qui spiritualis conuictus fœdus inierit, cum ea vnio indissolubilis sit, & perpetua, non licebit seiungere se, ac præcidere ab ijs quibuscum vnum veluti est corpus effectus. Alioquin si hoc facit, grauissime se à Deo constitutis supplicijs addicit. Si enim mulier ad viri societatem matrimonij lege prouecta, & vna cum eo copula carnali coniuncta, morte mulctatur, si fidem fefellisse deprehensa sit, quanto is magis subiacebit grauiori pœnæ, si se abiunxerit, qui spirituali communione copulatus sit, teste, atq; sequestri ipso spiritu sancto? Quemadmodum igitur mēbra corporis naturæ vinculo colligata à corpore auelli non possunt, aut si auellantur, mori necesse est, sic monachus, qui religiosorum fratrum corpori iunctus est, & firmiore quam sit vinculum naturæ, tenetur compage, nempe ex pacto, quod is cum spiritu sancto contraxit, nullo modo putandus est, ab

Re. fus. cap. 14.

Cō. mon. cap. 22.

ijs se posse diuellere, quibuscum copulatus sit: quod si id faciat, & animæ vitam amittit & vna cum ea gratiam spiritu sancti, vtpote qui initium ipso auctore fœdus violauerit. Hæc Basilius, & plura alia, inter quæ illud notabile. Quamobrem qui eiusmodi est, is veritatis ipsius iudicio damnatus habendus est, quippe qui magnam scandalorum segetem multis præbeat, peruersoque exemplo alios ad sui imitationem instiget. Hæres fit illius horrendi Væ, expeditque ei vt suspendatur mola asinaria circa collum eius, & demergatur in profundum maris. Is enim animus, qui semel in defectionem hanc se præcipitarit, omni vitiorum genere cumulatur, intemperantia, auaritia, edacitate, falsitate, omníque morum peruersitate, & denique extremis malis infixus in profundum nequitiæ præceps abit. Ecce quod supra diximus, qui ex tam alto statu cadat, necesse esse, vt omnibus quasi animæ membris collidatur, ex quo fiat, vt in omnia vitia proruat:
Ep. 137. quod confirmat hoc loco Basilius. Idem etiam grauissimis verbis confirmat Augustinus: Simpliciter, inquit, fateor coram domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasterijs profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in monasterijs ceciderunt, ita vt
Apo. 22. hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum, iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc. Hanc eandem generalem cladem omnium spiritualium bonorum, nec spiritualium modo, sed
Qui incipit, Non decet eos. temporalium quoque, describit etiam luculente B. Ephren sermone quodam. Sic enim ait. Si post renunciationem, & abdicationem vitæ, in virtutis stadio claudicare quis inceperit, & sensim à recta via resilire, oculosque retrorsum conuertere, hic & in vita præsenti erit exemplo, & post hanc vitam regno cœlorum priuatus, indignum se ipsum sanctorum choro reddet. Quin & parentibus ipsis eius ignauia in confusionem erit: amici dolore concident, & inimici gaudebunt super illius desidia, atque ruina. Propinqui, & affines mortem illi imprecabuntur, quod terrenis exutus, cælestia non apprehenderit, & sub prætextu pietatis diaboli iugum subierit. Deplorant parentes damna animæ illius. Hic autem, qui corde sauciatus est, & vias suas corrupit, abiecta pietate, impudentiam induit, & turpiter agere non erubescit. Neque enim homines veretur, neque Dei indignationem animo
Prou. 18. expendit. Et quemadmodum impius cum in profundum malorum venerit, contemnit, ita & hic in tantam temeritatem

impingens,

impingens, nequaquam terretur, sed instar illius qui vendidit *Mat.9.*
vniuersam suam substantiam, vendénsq; stolam suam magni
pretij, deniq; furore incitatus eam impleuit assumentis panni *Mar.2.*
rudis, ac sordidi; qua si vtetur, non amplius in laudem, & honorem, sed in subsannationem, & improperium vtetur. Quis enim non irrideat aspiciens eum, qui heri in monasterio se ipsum ad ministeriũ fratrum in vnum habitantium præcinxerat ad imitationem Domini nostri Iesu Christi, hodie famulorum comitatu stipatum? Aut quis eum non reprehẽdat, qui externo die sponte omnia temporalia abiecit, inopiã amplectens, hodie autẽ assidet in iudicijs, & quæ damnarat, studiose reuocat, suámque mentem à cœlestibus ad terrena traducit? Hæc & plura alia in hanc sententiã B. Ephren. Gregorius quoq; in epistola ad Venantiũ desertorem, atque erronem, multa de huius criminis grauitate, & hæc præsertim, In *Lib. 1.*
quo, inquit, habitu fueris recolis, & supernæ districtionis *Ep. 33.*
animaduersione postposita, ad quid sis deuolutus agnosce. Culpam ergo tuam pensa, dum vacat: Districtionem futuri iudicis, dum vales, exhorresce, ne tunc illam amaram sentias, cum eam iam nullis fletibus euadas. Ananias Deo pecunias vouerat, quas post, diabolica victus persuasione, subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, sapis. Si ille igitur mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit, cõsidera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum omnipotenti Deo, cui te sub monastico habitu deuoueras, subtraxisti. Bene etiam Cæsarius *Hom. 3.*
in quadã homilia ad monachos suos, Quid, inquit, grauius *ad mon.*
est, quam vt subito eradiceris de loco, ad quem te Dominus tuus vocauerat, in quo te primum illuminauerat, in quem te post mala seculi, quasi ad portũ de graui tempestate induxerat? Obliuisci subito fraternitatis, societatis, & consolationis, obliuisci loci illius, in quo primum pristinũ habitum, & seculares mores exueras? Aues ipsæ diligunt nidos suos, amãt ferę loca, in quibus nutritæ sunt, amant cubilia, & pascua. Et tu intellectu præditus, ratione munitus, ita interdũ sensu alienus efficeris, vt præferas Dei beneficijs voluntates, vel intentiones tuas, & sequaris proprias cogitationes, quæ quãlibet ad duros labores, quamlibet ad salutis naufragia, atque animæ detrimenta te rapiant, totum hoc, præ nimia cordis indignitate, non sentis. Chrysostomus etiam longam, & valde delectam epistolam scribit de eodẽ argumento ad Theodorum monachum lapsum, cuius quam lugubre est ipsum initium?

tium? Quis dabit, inquit, capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarū, & cetera, quæ cum magno dolore prosequitur. Deinde illa, Tu reiecto Domini mandato, & Domini tam mansueti, tamque humilis, atrox imperium sustines tyranni, qui nostram salutem sine vlla humanitate oppugnat. Tu suaui iugo dissipato, leuique onere abiecto, illorum vice, ferreis vinculis collum inseruisti, quodque amplius est, lapidem molarem ad tuam ipsius ceruicem vltro appendisti. Vbi igitur fubsistes, qui animam tuam miserrimam in tam vastum pelagus demersisti, & in eam te necessitatem induxisti, quæ te deinceps magis, ac magis semper in profundum cogit? Mulier in euangelio quando drachmam inuenit, vicinas conuocauit participes lætitiæ, dicens, Congratulamini mihi. At ego amicos conuocans ob causam plane contrariam, dicam illis, Lugete mecum, ploratum assumite, flebili térque exclamate. maximam enim iacturam fecimus, non auri, aut argenti, aut lapidum pretiosorum, sed eius, qui omnibus istis pretiosior est, qui nobis cum hoc mare magnum, & vastissimum nauigans, nescio quo modo excussus ad profundū perditionis peruenit. Bernardus vero in eandem sententia grauissime, & certe non illi, qui ad seculum, sed qui ad laxiorem religionem idque impetrata Pontificis facultate, se transtulerat, O insensate puer, quis te fascinauit non soluere

Ep.1. vota tua, quę distinxerunt labia tua? Et quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione apostolica, cuius conscientiā diuina ligatā tenet sententia? Nemo, inquit, mittens manū

Luc.9. ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatē. tua tibi cōscientia respondeat, cur abieris, cur ordinem tuum, cur fratres, cur locum deserueris. Si vt arctius, vt rectius, vt perfectius viueres, securus esto, quia non retro aspexisti. Sin alias, noli altum sapere, sed time. Hæc Bernardus epistola illa, quæ inter scribendum tam insigni miraculo nobilitata est. Hæc vero eius dicta eo etiam maius pondus habent, quod vt modo dixi, is quem tam vehementer accusat, non ad secularem statum redierat, sed ad perfectionis statum minorem des-

Epi. 94. cenderat; & tamen hoc ipsum vir tantus, Deique lumine plenus non dubitat ita damnare, quasi sit retro aspicere. Quod

3. Part. past. cap. 36. idem alia epistola de hoc ipso interrogatus, non tam suis, quam B. Gregorij verbis, sane præter suum morem, confirmat Sic enim scribit. Sanctus Papa Gregorius in libro pastorali, Quisquis bonum maius subire, inquit, proposuit, bonum minus,

minus, quod potuit, sibi illicitum fecit. Ad quod probandum subiicit testimonium de Euangelio, dicens, Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno cœlorum. Et infert. Qui igitur fortiori studio intenderat, retro respicere conuincitur, si relictis amplioribus ad minima retorquetur. Item ipse in homilia tertia super Ezechielem, Sunt nonnulli qui bona quidem, quæ nouerunt, operantur, atque hæc operantes, meliora deliberant, sed retractãtes, meliora quæ deliberauerant, immutãt. Et quidẽ bona agunt, quę cœperant, sed à melioribus, quę deliberauerant, succumbunt. Hi nimirũ ante humana iudicia stare videntur, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione. Hæc Bernardus, seu potius Gregorius, aut simul vterque, vt eo firmior sit tantorum hominum coniuncta auctoritas. Ex quibus hoc euidenter intelligitur, si is, qui à perfectiori religione ad imperfectiorem delabitur, scelerate facit, nec euadet Dei iudicium, quanto sceleratius peccet, qui à religione in seculi lutum recidit. Sunt enim qui culpam hanc inconstantiæ eo prætextu excusant, quod non ideo seculum repetunt, vt vitia repetant, quin potius certum sibi esse, ac deliberatum, semper puram, integrámque vitam agere, ídque sibi ex Dei gratia, quæ nunquam homini desit, despondent: quare non referre vbi viuant, modo bene viuant. Contra quem errorem stultum plane, & exitiabilem multa à nobis dici possent, sed vnus sufficiet Basilius ad eos confutandos, qui ita ait, Quicunque Christi signa deserit, propterea quod nihilominus se putet posse virtutem colere, Deóque placere, eum vehementer decipi. Qui enim, inquit, in eo vitæ genere, quod nullis distrahentibus curis vexatur, ideóque minime obnoxium est peccatis, tamen aduersario resistere non potuit, quomodo credibile est, eum in vita illa, in qua multi ad peccata aditus pateant, & quæ sui ipsius arbitrium in sua potestate retineat, aliquid facturum esse, quod cum virtute coniunctum sit? Verum vt hoc quoque concedamus, certe notam illam numquam effugiet, quod à Christo desciuerit, vt discipuli illi, quos aperte diuinus Euangelista notat, cum dicit, Multi autem discipulorum abierunt retro, & iam cum Iesu non ambulabant, dicentes, Durus est hic sermo. Addit deinde idem Basilius multa ad hanc inconstantiam condemnandam, ídque in primis, qui se de statione, ac de gradu suo deiici sinant, ludibrio, ac risui omnibus esse, atque vna cum animæ suæ pernicie, multitudini quoquẽ reliquæ scandalum afferre,

De abd. sec.

Ioan. 6.

nempe cum occaſionem pleriſque prę́ſtent exiſtimandi Chriſti ſeruitutem difficilem,& intolerabilem eſſe.

Sed ſatis multa iam contra huius peccati fœditatem, fortaſſe etiam nimis multa, vt nimirum in re triſti, & funeſta. Quare redeamus potius ad ſuauem commemorationem eorum bonorum, quæ largiſſime Deus congeſſit in hunc ſtatum, quoniam nulla maior, actiórque exhortatio ad perſeuerantiam adhiberi poteſt, quam vt ſciamus,& bene cognoſcamus hoc donum Dei. Itaque credat vnuſquiſque ſibi di-
Apoc. 3. ctum monitum illud, quod de cœlo deſcendit, Tene quod habes,vt nemo accipiat coronam tuam. Vere enim Dei ſeruitus coronæ nomen meretur, quod eſt nomen honoris, & dignitatis,& plane regium. Hanc igitur coronam tenere debemus,ne vllus eam nobis auferat, id eſt omnes labores,moleſtias, omnia aſpera proferre, denique ipſam quoque potius vitam amittere, ne eam amittamus, Verum quid melius in hoc genere ad religioſos omnes cohortandos audiri poteſt, quam illa magni Antonij oratio,qua illum ſcribit Athanaſius ad ſuos vti ſolitum? Quæ quoniam tanti viri eſt, & religioſis omnibus communis, ſimúlque ſuam eis felicitatem proponit, aptiſſima nobis viſa eſt, quæ omnem hanc noſtram de religione diſputationem concluderet. In præſenti, inquit, hac vita æqualia ſunt pro rerum commutatione cõmercia, nec maiora recipit ab emente qui vendit. Promiſſio autem vitæ ſempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum
Pſal. 88. eſt enim, Dies vitæ noſtræ ſeptuaginta anni. Quando ergo octoginta, aut centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi ſumus in futuro, ſed pro annis prædictis omnium nobis ſeculorum regna tribuentur. Non terram hæreditabimus,ſed cœlum: corpus quoque corruptum relinquentes, id ipſum cum incorruptione recipie-
Rom. 8. mus. Ergo filioli non vos aut tædium defatiget,aut vanæ delectet ambitio. Non ſunt enim condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nemo cum aſpexerit mundum, reliquiſſe ſe arbitretur ingentia, quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum, parua atque exigua eſt. Si ergo nec vniuerſo orbi renunciantes, dignum aliquid habitaculis cœleſtibus compenſare poſſumus conſideret ſe vnuſquiſque, & ſtatim intelliget, paruis theſauris,& parietibus, vel modica auri portione contempta, nec gloriari ſe debere, quaſi magna dimiſerit, nec tædere, quaſi parua ſit recepturus. Vt enim contemnit ſ aliquis

quis vnam æream drachmam ac drachmas centum aureas acquirendas, ita etiam qui totius orbis dominium reliquit, centuplum de melioribus præmiis in sublimi sede recipiet. Denique illud perspicere debemus, quod etiam si nostras velimus retinere diuitias, mortis lege ab ipsis diuellemur inuiti. Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? cur non ad lucranda regna cœlestia vltro relinquimus quod in fine istius vitæ perdendum est? Consideremus Domini nos esse famulos, & seruitutem debere ei, à quo creati sumus. Nemo post tergum respiciens, vxorem Lot imitetur, præsertim cum Dominus dixerit, neminem qui ponat manum super aratrum, & respiciat retrorsum, dignum esse regno cœlorum. Respicere autem retrorsum, nihil aliud est, quam in eo pœnitere, quod cœperimus, & mundanis rursus desideriis obligari. Nolite quæso virtutis nomen pauere tamquam impossibile, nec peregrinum nobis, aut procul positum videatur hoc studium, quod ex nostro, Dei gratia præcedente, pendet arbitrio. Huius operis homini inserta natura est, & eiusmodi est res, quæ nostram tantum modo expectat voluntatem. Vnde Dominus in euangelio ait: Regnum Dei intra vos est. *Luc. 17.* Hæc ex pluribus B. Antonij dictis excerpta sunt, quæ nos etiam accipere, ac meditari debemus, quasi nobis ipsis dicta, vt quoniam sanctum hoc religionis stadium ingressi sumus, ita in eo currere pergamus, vt etiam aliquando feliciter comprehendamus.

Epilogus totius operis ad seculares.

CAPVT XXXVIII.

POSTREMO alloquendi sunt nobis etiam seculares, non omnes quidem, sed ij modo qui religiosæ vocationis aliquam de cœlo lucem accepere. nam alios, qui nullam accepere, nec mouere licet, nec libet mouere, & ad eos in suo officio continendos alia quædam est adhibenda oratio. Quos autem hoc tanto beneficio Dominus dignatus est, vt in eos tamquam in telonio sedentes respiceret, & in eorum cordibus illucescens, terrenis curis, & à communi vita ad cœlestem hanc vitam inuitaret, ij tamen & monitore, & hortatore, & adiutore etiam indigent. Magna enim iis instat pugna tum à dæmone hoste externo, tum à carne, quæ eo periculosior est hostis, quo interior. Quam pugnam, quamuis ex suo quisque sensu atque experientia melius cognoscere

possit, licet tamen Gregorij verbis optime expressam recognoscere. In prima, inquit, conuersionis vice grauis mœror est, cum sua vnusquisq; peccata considerans, curarum secularium vult compedes rumpere, & viam Dei per spatium securæ conuersationis ambulare, desideriorum temporaliũ graue onus abiicere, & leue iugum Domini libera seruitute portare. Cogitanti enim ista occurrit illa familiaris sua delectatio carnalis, quæ inueterata dudum, quanto eum diutius tenuit, tanto arctius astringit, atq; à se tardius abire permittit. Et quis ibi mœror, quæ anxietas cordis, quando hinc spiritus vocat, hinc caro reuocat: hinc amor nouæ conuersationis inuitat, hinc vsus vetustæ peruersitatis impugnat: hinc desiderio ad cœlestem patriam flagrat, & hinc in semetipso carnalem concupiscentiam tolerat, quæ eum etiam aliquo modo inuitum delectat? Hæc Gregorius: quæ tamen ne nouos præsertim milites exterreant, videnda sunt quæ in his prælijs subsidia, & auxilia à Domino suppeditentur, & quam facilis sit victoria. Addit enim. Sed quia diuina gratia diu nos istis difficultatibus affici non permittit, turpis peccatorũ nostrorum vinculis, citius nos ad libertatem nouæ conuersationis consolando perducit, & præcedentem tristitiam subsequens lætitia refouet, ita vt conuersi vniuscuiusque animus eo magis ad votum suum perueniendo gaudeat, quo magis se pro illo meminit laborando doluisse. Fit cordi immẽsa lætitia, quia ei, quẽ desiderat, iam per spem securitatis propinquat; vt recte de hoc dici debeat, Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo, vel certe, Liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret. Cum ergo ita sit, vt ait Gregorius, quis hæc certamina timeat, quę & tam breuia sunt, & in quib⁹ tot sunt parata adiumenta ad vincendũ? In primis autem illa est omnino exuenda opinio, quæ has de liberationes vel maxime retardat, vt qui seculari a hæc deserit, magnis se bonis orbari putet. Potius enim putare debet, nec illa vera esse bona, & tamen quæcumque sint, non perdi, sed in aliquid multo melius, & præstantius commutari. Hoc enim est, quod Bernardus Sophiam fœminã nobilem, & locupletem admonet, cum ea, mundo relicto, Deo se dicare constituisset. Modica, inquit, transitoria, terrena sunt, quæ despicis: maxima, æterna, cœlestia sunt, quæ appetis. Plus dicam, & vera dicã. Tenebras deseris, & lucem ingrederis. de profundo fluctuum emergis ad portũ, & de misera seruitute. in felicẽ libertatem respiras, & de

[Margin notes: 24. mor. cap. 7. (beside line 2–3); Iob. 33. (beside "quat; vt recte de hoc dici debeat"); Epi. 114. (beside "lius, & præstantius commutari")]

& de morte denique transis ad vitam. Siquidem vsque modo tua viuens, non Dei voluntate, tua viuens, non Dei lege, viuens mortua eras. Ambrosius autem ob hanc eandem causam, istam rerum omnium voluntariam priuationem, depositum vocat, quoniam in deposito illud ipsum, quod datur, suo tempore recipitur, idque lucri fit, quod interea in tuto, ac securo loco custodiendum ponitur. Sic enim virgines Deo sacratas alloquitur. Esto, maneant vos damna patrimonij. Nónne caducarum, & fragilium dispendium facultatum futura cœli regna compensant? Quamquam si verbis cœlestibus credimus, nemo est, qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres propter Christi nomē, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam. Crede fidem tuam Deo, quæ homini pecuniam credis. Fœnerare Christo. Bonus depositæ spei custos multiplicatis fidei tuæ talentum soluet vsuris. Non fallit veritas, non circumscribit iustitia, non decipit virtus. Hæc autem Ambrosij ratio quantum valeat ad seculum deserendū, declaratum est in B. Laurentio Iustiniano cœlesti quadam visione. Hic enim cum annum ageret vndeuicesimum, qui ætatis flexus lubricus esse solet, ac periculosus, apparuisse ei dicitur Dominus Iesus, virginis specie, cuius splendor solis splendorem facile superaret, vultúque placidissimo hæc ei dixisse, Cur adolescens cor tuum effundis, & pacem sectando, te ipsum per multa spargis? Quod quæris, penes me est. Ego, si me sponsam accipere decreueris, pacem hanc certissime polliceor. Ille & tanta pulchritudine, & tam magnifico promisso delectatus, quæsiuit, quod ei nomen, quod genus esset. Tum illa, Ego sum Dei sapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam indui. Quare cum Laurentius se vero eam libentissime accipere respondisset, illa dato osculo, læta, & gaudens, vt videbatur, abscessit. ipse autem non multo post in monasterium ad oblatas nuptias se contulit, in quibus abunde id expertus est quod diximus, non modo nihil se perdidisse, sed multo plura, ac meliora, quam in seculo haberet, acquisisse. Ergo hac opinione sublata, ille quoque timor tollēdus est, difficultatum, quæ sint in religiosa disciplina, vt vel ferri nequeant, síntque humana imbecillitate maiores; vel certe si ferantur, vitam efficiant iniucundam, & acerbam. Inanis plane, & puerilis timor. Nam, vt alibi à nobis dictum est, non ita externam faciem, quæ tristior videtur, intueri debemus, quin interiora etiam illa perspiciamus, quæ facile omnem asperitatis

Virg.

sensum mitigant,& plane tollunt, immo etiam faciunt, vt nihil sit religione dulcius. Nam hoc quoque est vnum Hieronymi argumentum ad Heliodorum. Paupertatem,inquit, times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? At nemo athleta sine sudoribus coronatur. De cibo cogitas? Sed fides famē non sentit. Super nudam humum metuis excesa ieiunijs membra collidere? Sed Deus tecum iacet. Squallidi capitis horret inculta cæsaries? Sed caput tuum Christus est.

Ep.1.

Quamquam quid rationibus, vel argumentis opus est in re,quę oculis ipsis pateat,cum partim legamus,partim etiam spectemus nos ipsi tot iam exempla eorum, qui seculo abiecto in religioso statu vixerūt,& hodie viuunt,tanta facilitate,tanta etiam alacritate? Num igitur alia ijs corpora, aut alias animas putamus esse,quam nobis? Ergo si illis vigiliæ,si ieiunia,si obedientiæ iugum,si paupertatis incōmoda, si denique labores ceteri adeo leues,adeo etiam iucundi sunt,quę vecordia est,vni sibi hæc grauia, & intolerabilia fingere? An non eadem illorum natura, idem omnium Deus,nullius personæ acceptator,sed omnium pater,omnium adiutor?Hoc illud est,quod Augustinum tantum hominem in ista cogitatione relinquendi omnia mundana,non solum adiuuit,sed permouit,ac penitus impulit.Nam,quod scriptum extet,ex omnibus,qui à lata, & spatiosa via,in angustam Christi semitam se conuertere, nullum scimus, qui tam timide,tamque lente eum gradum fecerit, atque Augustinus. Ita enim ipse commemorat,itaque describit suas luctas,hæsitationes,difficultates,propter veterum morum habitus adeo fixos, vt nouam illam vitam nimium exhorresceret.Quas tamen difficultates hac,quam diximus,ratione tandem profligauit,cum cogitaret, quam innumerabiles non modo ipsi æquales,sed etiam vel ætate, vel sexu infirmiores, quam ipse, illam eandem vitam tam iucunde tolerarent.Sic enim ait, Aperiebatur ab ea parte,qua intenderam faciem,& quo transire trepidabā, casta dignitas continentiæ,serena,& non dissolute hilaris,honeste blandiens,vt venirem,neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum.Ibi tot pueri,& puellæ,ibi iuuentus multa,& omnis ętas,& graues viduæ,& virgines,& anus,& in omnibus ipsa Continentia nequaquam sterilis,sed fœcunda mater filiorum gaudiorum,de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret, Tu non

8.Conf. cap. 11.

potesis

poteris quod isti, & istæ? An vero isti, & istæ in semetipsis possunt, ac non domino Deo suo? Quisquis igitur in hac eadem deliberatione versatur, proponat sibi hoc idem Continentiæ, & Religionis schema ab Augustino depictum, in cuius sinu tot millia virorum, adolescentum, senum, fœminarum etiam, foueantur, qui cum in seculo plerique diuitem, & commodam, ac delicatam quoque vitam ducerent, tanto deinde ardore hanc religiosam paupertatem, & seueriora hæc instituta expetiuerunt, eodémque ardore in ijs perseuerant. Quem enim hic aspectus non confirmet, aut etiam non moueat, vt se quoque inter tales domini Dei greges, tam illi caros, inseri gaudeat?

Sunt autem alia quoque ad hoc ipsum incitamenta multa, & magna, breuitas huius vitæ, vanitas rerum omnium temporalium, mortis timor, timor gehennæ, spes cœlestium præmiorum, ipsa etiam religiosæ vitæ pulchritudo elucens ex habitu, & incessu, & vita religiosorum. qui stimuli modo vnus, modo plures in hominum animis valere solent, & valere debent, vt eos à seculi amore auellant, & ad religionem adducant. In Dominicanorum historijs legimus, virum nobilem, & copiosum, Rolandum nomine, cum festum diem totum solennibus epulis, lusibus, & choræis, & reliqua eius generis vanitate consumpsisset, ipse insuper nouis vestibus ornatus, splendidis, ac sumptuosis, tandem vespere ad se reuersum, ita cogitasse: Hem, vbi nunc est festum, quod egimus, vbi tota huius diei lætitia, quæ iam abijt? Itaque perpendens secum, vt dies ille transierat, sic transituram vitam cum sua felicitate; nihilque permansurum, præter pœnitentiam, & dolorem, postero die religionem ingressus est, in qua deinceps multis annis Domino militauit, clarus tum sanctitate, tum etiam doctrina. Ac in eodem quoque ordine, eodem etiam fere tẽpore, illustris fuit omni item sãctitatis, & doctrinæ laude Petrus Consaluus, cuius conuersioni causam dedit res leuis in speciem, sed quæ ei mundi vanitatem plane ostendit. Nam cum episcopo Valentino nepos esset, & ab eo optima beneficia ad olescentulus adhuc ante legitimam ætatem consequutus esset, quibus ille ad delicias, & inanem fastum fruebatur, ita contigit, vt quadam die dum in equo vna cum aliquot æqualibus tota vrbe, hic, illic, lasciuiret, in profundum lutum caderet; ex quo cum totus madidus, ac cœnosus extractus esset, accidit insuper vt à puerorum manu, quę forte circumstabat, cum risu, & scommate

multo procaciter exciperetur. Quare pudore perfusus, sibique ipsi iratus, ita secum loqui cœpit, quandoquidem sic à mundo, cui seruierat, tractaretur, se quoque vicissim eum tractaturum vt decebat. Itaque eodem momento constituit se Deo famulaturum, quod etiam paulo post cum magna ciuium omnium admiratione aggressus est in ea, quam dixi, familia. In alio vero, vt accepimus, inferni potius timor valuit. Nam cum omnibus delicijs mollem vitam ageret, ac nullum sibi de conuersione verbum fieri pateretur, religiosus quidam comiter eum inuisens, ad extremum in digressu, vnū illum ex propheta versum protulit, Subtus te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. qui versus ita eum pupugit, vt iam nihil aliud animo voluere posset, quam vermes illos, & illas tineas; quin etiam cum molestam hanc recordationem ludis varijs, & æqualium solatijs abstergere conaretur, ita nihil proficiebat, vt potius magis, ac magis infigeretur. quare hoc reputans, si ipsa cogitatio illius pœnæ tam erat intolerabilis, quanto intolerabilior futura esse ipsa pœna, manus denique Deo dedit, seque ei in religione dicauit. Bononiæ autem in primis fere Dominicani ordinis initijs vir magnus, clarúsque doctrina, cœlestium bonorum amplitudine ad hanc vitam illectus est. cum enim Reginaldus, vnus ex præcipuis illius familiæ, magno hominum concursu, & approbatione, verbum Dei prædicaret, Monetus (sic enim is appellabatur) de industria illius congressum, & sermonem fugere consueuerat, multum sibi ab eo metuens. tamen in Stephani martyris natali, ad eius concionem comitum importunitate pertractus, primis statim verbis captus est, cum illam vocem exponeret; Ecce video cœlos apertos. Ita enim disserebat, nunc quidem cœli portas ad beatitudinem patere, ita vt quiuis ingredi possit: qui autem negligentes essent, & qui Deo cor suum clauderent, ijs vicissim cœlos claudi, vt deinde intrare non possint. Nec pluribus opus fuit. statim enim corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat à religione, religionis voluntatem concepit, finita cōcione Reginaldum adijt, animum suum exposuit, eum [illegible]ue voti etiam vinculo adiuncto confirmauit. Nec minus admirabilis Andreas ille, quem legimus inter illustres viros Cistertiensis ordinis, qui cum esset Virdunēsis Archidiaconus, insuper etiam nobilissimus, & ditissimus, Clareuallē venit, vt pascentis illius domus pietatem, de qua multa audierat, præsens inspiceret, nihil adhuc minus cogitans, quā de eo vitæ genere suscipiendo.

Esa. 14.

suscipiendo. Sed capitulum ingressus, quo omnes conuenerant, vt se eorum precibus commendaret, videns sanctæ illius multitudinis ordinem, quietem, & velut angelicum habitum, cōmotus est vehementer, & insiliente in eum spiritu Domini, mutatus est in virum alterum, denique tantus eorum feruor cepit, vt ne ad tempus quidem domum sibi repetendam putarit, vel ad suos salutandos, vel ad sua ordinanda, sed illico omnibus ruptis moris, omnia reliquerit, vt Christo citius adhæreret. Similem etiam mutationem ex dissimili causa accepimus Beati Nicolai Tolentinatis. Cum enim Augustinianus quidam in publica platea concionem haberet super illo Ioannis dicto, Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, multisque verbis, & magno feruore, de mundi vanitate, & periculo dissereret, affuit casu hic iuuenis, vt adhuc erat, adeóque illa commemoratione incensus est ad humana deserēda, vt sermone absoluto recta ad monasterium, cum illo concionatore perrexerit. Multa his similia hoc etiam nostra ætate operatus est, & operatur quotidie ille hominum custos, & saluator, vt in nostro illo, quem æternitatis cogitatio permouit ad seculum, in quo magnopere defixus erat, abijciendum cum ita ratiocinaretur, finiti ad infinitum nullam esse proportionem: quare nō vnam modo vitam hominis, sed plures etiam vitas, si esse possent, non sufficere, immo nihil esse, si cum sempiternis præmijs comparentur. Alter item cum in seculo magnus iurisperitus esset, multósque & assiduos labores in clientum causis toleraret, deníque ita secum constituit, si laborandum sit, multo satius esse laborare Dei causa, qui tantam mercedem reddit, quam causa mundi, cuius merces vel nulla, vel exigua, & breuis est. Itaque ipse etiam recepit se statim in Societatem nostram.

1. Io. 2.

Sed illud optimum, quod vt scimus, Claudium Aquauiuam generalem nostrum Præpositum, communémque patrem, in hac seculi relinquēdi cogitatione permouit, cum ei in mentem venisset illud Domini dictum, Oues meæ vocem meam audiunt. Simul enim inuasit eum timor, ne si cœlesti illi consilio non obediret, non esset ex ouibus Christi.

Ioan. 10.

Quam ob causam eadem hora, ac pene momento ad nostros venit, seque eis toto animo addixit. Nec minus memorabile id, quo Franciscus Borgia alter Societatis nostræ præpositus generalis permotus est. Nam cum esset Gandiæ Dux, magnáque apud omnes auctoritate, ita contigit, vt Isabellæ quæ Caroli V. Imperatoris vxor fuerat, nuper mortuæ cor-

pus Granatæ sepeliendum honoris gratia comitaretur.

Quare cum necessitas incidisset, vt, aperta capsa, cadauer inspiceretur, idque scaturientibus vermibus putridum, & corrosum aspexisset, illico hæc eius animum subijt cogitatio, quo tandē venisset illa tantæ fæminæ potentia, & gloria, cuius paulo ante viuentis vel ipsi nutus terrori fuerant, quámque nulla sit in morte, post mortem differentia inter principem, & pauperem. Itáque illa humanæ fragilitatis cogitatio tantum valuit in ipso, vt ad principatum deponendum, & religiosam humilitatem amplectendam eum adegerit.

Hi igitur omnes, & alij tum veteres, tum recentes, quos percensere longum esset, alius alia causa ad religionem impulsi sunt; quæ tamen causæ ad duo capita reuocari possunt, eáque nosse, & semper ante oculos tenere oportet. Alterum enim est seculi miseria, alterum felicitas religionis. Atqui in illa miseria quam infinitæ, & quam ingentes miseriæ: Cōtra vero in hac felicitate quam ingentes, & quam innumeræ felicitates? Sic enim cogitandum est, mundum, & omnia quæ mundus proponit, eius esse conditionis, vt & ipsa à nobis auolent, & nos ab ipsis. Quare quid stultius est, quam velle perire cum perituris? quid autem sapientius, quam mature relinquere quæ omnino perdenda sunt, cum ita res habeat, vt si spōte relinquamus, cum laude, & cum magno præmio id faciamus, sin vero expectemus donec eripiantur, sæpe supplicium, certe nullum præmium referamus? Hinc enim illa Gregorij obiurgatio, Superba, inquit, mens nostra adhuc hoc non vult sponte deserere, quod quotidie perdit inuita. Veniet enim tempus, & certe celeriter, cum tu, qui nunc iuuenis, nunc florens, & validus, atque, vt tibi quidem videris, beatus, honorum ac dignitatum ambitione, hominum gratia, terrenárumq; rerum dulcedine, tamquàm ebrius retineris, tunc affixus lectulo, febri, macie, doloribúsque cōfectus, inter propinquorum lacrymas, inter vxoris, & filiorū, quos tunc adeo habere gestis, complorationem, momentis singulis extremā illam spiritus, & corporis dissolutionem expectabis. Quid igitur tunc animi tibi futurū censes, quem dolorem, quē mentis angorem, ac cruciatū, cum te videas & illa cœlestia perdidisse, quæ neglexisti, & hæc caduca perdere, quibus inhæsisti? Illam igitur horam cogita, illúq; tibi tempus propone, &, si sapis, nūc perfice quod illo tempore, quod euadere non potes, tātopere perfectum cupies. Quid tibi vis (ait Propheta) in via

Hom. 5. Euang.

Hier. 2.

in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Quæ enim est hæc via Ægypti, vel Assyriorum nisi via secularis, in qua delectationes omnes, fluuiorum more, defluunt celerrime eædemq; cœnosæ, ac lutosæ, nempe terra permistæ, atque ex terrenis rebus ortæ? Itaque quæ indignitas est hominis animum, qui de cœlo venit, & ad cœlestia tendit, qui Dei sanguine ablutus, ac super niuem dealbatus est, talibus aquis mergi, cum præsto sint aquæ viuæ salientes in vitam æternam? Præsto sunt enim delectationes religiosæ, castissimæ, atque purissimæ, quæ & hic oblectant, & simul saliunt in vitam æternam, quoniam non imminuunt præmium illud futurum, sed potius augent, dum nos alacriores in Dei opere faciunt. Præsto est illud centuplum, quod Dominus promisit, vt viaticum huius peregrinationis, vt solatium præsentis laboris, vt artham, ac pignus futuræ mercedis; cui quidem centuplo, quid habet mundus totus, quod conferri possit, cum id qualecumque sit, centuplo tamen superetur? Itaque si iucunde, si feliciter, si beate viuere volumus, vbi id quærimus, nisi vbi Christus ipsa veritas hoc esse demonstrauit? Homo si nobis viginti, aut paulo amplius pro vno promitteret, non cunctaremur ei tradere quicquid pecuniæ haberemus, insuper etiam cuncta vendere, vt redactam pecuniam tam fructuose collocaremus. Et tamen homo est homo, & fallere potest, & mutare voluntatem, aut perdere facultatem. Deus autem quem vnquam fefellit? aut quo modo fallere potest, aut se ipsum negare? Citius enim Deus esse desinat, quam vel iota vnum, aut vnus apex de eius promissis irritus cadat. Iure igitur Bernardus, & verè; Interim, inquit, vndecumque centuplum sint accepturi, dummodo sit centuplum, dum valeat centupliciter, centupliciter placeat, consoletur, delectet, ametur, quid insaniæ est quod cunctentur homines relinquere simpla pro centuplis? Vbi est cupidus? vbi est ambitiosus, vbi conquisitor huius seculi? Quid ad fidele negotium, & nundinas quæstuosissimas auaritia intepuit, & obdormiuit humana? Cui id Iudæo negares, ò homo, qui in vanũ accepisti nomẽ Domini Iesu Christi? Cui sacrilego dare quicquid habes pro centuplo cunctareris? Mira nouitas, sed eius qui noua omnia facit. Iugum tollens, inuenit requiem; relinquens omnia, centuplũ habet. Tanta est igitur huius centupli & huius præmij amplitudo, vt homines in flammam ipsam, non modo ad paupertatem, vel obediẽtiam adigere debeat. Qui autem
Ho. Ecce nos reliq.
tanta

tanta mercede,tantóq; lucro propoſito relinquendis diuitijs, eas tamen retinere maluat,quid ſequitur,niſi vt vel ſua lucra reſpuant,quod fieri non poteſt, cum omnes homines natura duce & ſe,& ſuas ament vtilitates,vel,quod vnũ reſtat, non ſatis confidant huic centuplæ remunerationi? Hoc enim illud eſt, quod Ægydius ille, vt accepimus ex primis Beati Franciſci diſcipulis, eíque in primis carus ob excellentem ſanctitatem, ſeculari cuidam litterato exprobrauit aliquando: à quo cum quæſiſſet, Credis ne magna eſſe præmia, quæ Deus præparauit diligentibus ſe, & ſeruientibus ſibi? íſque reſpondiſſet: Credo, Atqui ego, inquit, oſtendam te non credere. Quantum valent poſſeſſiones tuæ? Mille, ait ille, aureos. Si hos ergo ita collocare poſſes, vt ſubito centum mille conficerent, nonne ſtatim eos exponeres? Ergo cum non exponas manifeſte apparet, te nõ fidem habere Chriſti promiſſo. Sic Ægydius, & veriſſime. Atque hoc quidem, quod hactenus dictum eſt, lucri tantum imminutionem continet, ſed lucri magni, & in re magna, atque æterna. Quare multo illud grauius, & miſerius, quod inſuper periculum etiam æternæ damnationis intentat. primum propter communia pericula, quæ ſunt in vita ſeculari, de quibus alibi à nobis abunde dictum eſt, deinde propter propria quorundam, quibus fieri poteſt, vt nulla alia ſalutis ratio ſit, quam religionis, & niſi id faciant, omnino perituri ſint. Docet hoc Gregorius in

Ep. 61. lib. 2. epiſtola, qua Mauritium Imperatorem reprehẽdit de edicto quodam, quo ille certa hominum genera monachos fieri prohiberat; quam legem ait iniquam eſſe, quia per eam cœlorum via multis clauderetur: redditque rationem, quoniã licet multi ſint, qui etiam in ſeculari habitu bonam vitam ducere poſſunt, tamen, inquit, plerique ſunt, qui niſi omnia reliquerint, ſaluari apud Deum nullatenus poſſunt. Quod dictum tam ſancti, támque ſapientis viri valde ſane notandum, valdéque conſiderandum eſt; quoniã ſcilicet ſibi quiſq; metuere debet, nec eſt cauſa cur non metuat, ne ſit ipſe ex his pleriſque, præſertim deinde ij, qui Dei vocationẽ vel admittere nolunt, vel admiſſam poſtea repudiant. Tantũ enim eſt hoc crimen ingrati animi, & quidem ingrati in Deum, vt quemadmodum ait ſanctus Bernardus, ſit ventus vrens ſic-

Cant. Ser. 51. cans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluẽta gratiæ: íſq; Dei mos eſt, quem ipſe denũciauit, vt qui mnã acceptam

Luc. 19. non auget, & multiplicat, non ſolum non ei plura, & maiora largiatur, ſed eum etiam illo ipſo, quod iam dederat, exſpo-

liet,

liet, vt habenti insuper detur, & abundet, ab eo autem qui non habet, etiam quod habet auferatur.

Sed tamen est aliquid etiam in religione maius, & quod vehementius fortasse allicere debeat, quam hæc omnia, ipsa huius vitæ pulchritudo, & dignitas, ac forma quadam, quæ eo magis clarescit, si cum seculari perturbatione atque etiam vt pluriū mores sunt, fœditate, quasi lux cum tenebris, comparetur. Est enim hic status, quod profitetur, & præsefert, perfectionis. Quid autē perfectione melius, aut optabilius? Etenim si perfectum equum, perfectum arborem, perfectam domum adeo probamus, vt ab ea spectanda, & laudanda nec oculos, nec animum auellere possimus, quanto magis hominis animus, res per se tam perfecta, addita etiam virtutis, & sanctitatis perfectione, nescio quid adeo pulchrū existet, quo nihil melius ex iis quæ in terra sunt, vel cogitari, vel amari possit? Quamobrem recte Hieronymus ad nobilissimum virum, cui seculi fugam suadebat: Sed hoc ais Apostolicæ dignitatis est, & eius qui velit esse perfectus. Cur autem & tu nolis esse perfectus? Cur qui in seculo primus es, non in Christi familia primus sis? Mirum enim certè est, quod cum homines cetera extra se quam perfectissima habere cupiant, solam animi perfectionem, quæ tanto præstantior, & tanto vtilior est, & salubrior, non modo non cupiant, sed sæpè cum facile consequi possint, negligant. Villam emis (inquit Augustinus) bonam quæris. Vxorem ducis, bonam eligis. Filios tibi vis nasci, bonos optas. Caligas locas, & non vis malas, & vitam amas malam. Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, vt inter omnia bona tua solus sis malus? Ex quibus eorum quoque error refutatur, qui ita se à religiosa vocatione subducunt, itaque se excusant: Non iussit hoc Deus, sed liberum reliquit, vt qui velit, recte faciat, qui non velit, non tamen male faciat. Cui verè stolido atque insipienti argumento egregie aliquando responsum est à Sacerdote quodam Societatis nostræ rerum spiritualiū perito; qui cum insignem theologiæ Doctorem spiritualibus exercitationibus informaret, isque à Deo se vocari sentiens, hac ipsa quam diximus fallacia vocationem eluderet, Dic mihi, inquit, si necessario in Indiam nauigare cogereris, ac cum multæ naues præsto essent, aliæ meliores, aliæ deteriores, classis Præfectus in suam te nauim inuitaret, nouam, & firmam, rebúsque omnibus instructam, velis rudentibus, gubernatore, & nautis optimis, an tu, eius beneficio contempto, aliam malles quassatam,

Ep. 34. ad Iulia.

De Ver. Dom. Ser. 16.

quassatam, & cariosam, suisque armamentis spoliatam? ac non potius summa cum gratia acciperes quod offertur, immo etiam vltro rogares, & vrgeres? multo igitur magis ad euitandum animæ naufragium, quod æternum est, eiusmodi statum eligi oportet, qui nos tutius, securiusque perferat in hac tam dubia, & scopulosa huius mundi nauigatione. Nihil clarius, atque euidentius dici potest. itaque illi etiam Doctori adeo euidens visum est, vt conuictus, omni dubitatione deposita, Societati nostræ se adiunxerit. Sed ponamus cessare periculum, quod diximus, fingamus etiam promissum alicui cœlum certissime, tamen nōne melius est, hoc quoque omni ope curare, vt non solum cœlesti beatitudine potiamur, sed etiam quam maximo eius cumulo potiamur? Etenim si quis tibi stamnum, & argentum, vel argentum, & aurum offerret, vt alterutrum acciperes, esset ne dubium, vtrum accepturus sis? Aut si redditum centum millium habere possis, num ducentis tantum, aut trecentis annuis contentus esses? Si ergo non solum hæc magna lucra, sed nullum est fere tam exiguum lucrum, quod homines contemnant, & oblatum non cupide arripiant, quæ hæc cœcitas est, cum possis diues esse illa cœlesti gloria, id est multis eius gradibus frui, magna gaudij, magna felicitatis copia abundare, eáque immortali, & æterna malle æternam paupertatem, & parce hic seminando, id agere, vt postea cœlum ingressus, si tamen aliquando ingrederis, parce etiam metas? Videamus quid Apostolus, seu magis Dominus per Apo-
1. Cor. 7. stolum omnibus hominibus præcipiat. Tempus breue est reliquum est, vt qui habent vxores, tamquam non habentes sint, & qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent, tamquam non gaudentes, & qui emunt, tamquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur. præterit enim figura huius mundi. Quid hoc sibi vult, nisi quod etiam si liberum cuique sit sua retinere, non tamen liberum est, vti quoquo modo velit? Ita enim vti debet, vt corde non inhæreat, vt tantum sicut instrumenta ad vitam sustinendam adhibeat, vt & amittere, si Domino placuerit, & sponte abijcere etiam, si eius honor tulerit, paratus sit. Denique quid pluribus opus est? ita vti debet, ac si non vteretur. hæc enim ipsa formula ab Apostolo præscribitur, idq; in omnibus, in vxore, in liberis, in possessionibus, in pecunia, in honore. Si ergo hæc est hominis conditio, si hæc est lex in istarum rerum possessione, quanto melius non vti, quam

sic

ſic vti? Primum enim multo hoc facilius, non amare, ſi non habeas, quam habere, & non amare: deinde multo etiam iucundius. nam affectum ab ijs, quæ poſſideas, diuellere, vis quædam perpetua eſt, quæ ideo nec perpetua eſſe poteſt, & tamen quamdiu durat, difficilem, & arduam, & laborioſam pugnam affert; quam non ſentiunt, qui à ſe pugnæ illius materiam, ac fomitem remouerunt.

Atque hæc, quæ hactenus diximus, ad propria pertinent detrimenta, quibus ſe ipſos afficiunt, qui religioſam vocationem tot bonis refertam à Deo ſibi oblatam reſpuunt, vt ſecularem licentiam, vanitatémque ſequantur. Conſideremus nunc etiam quanta ſit Dei iniuria, quanta offenſa. Primum enim ſubtrahunt ſe ab eo, cuius quicquid ſunt, toti ſunt. Ab illo enim facti, & eius cauſa facti ſunt, ab illo inſuper empti pretio tam magno, vt Paulus ait: denique, vt alia omittam, *1. Cor. 6.* hoc etiam promiſerunt, cum per baptiſmum eius ſeruituti conſignati, & quaſi militari ſacramento eius militiæ obligati ſunt. Ergo qui ſe illi eripit, & ſuus eſſe vult, idem facit quod qui mancipium, aut rem quamlibet alienam ſibi vendicat, quod furti crimen eſt. Accedit quod, vt horum nihil ſit, hoc ipſum tamen iniuria eſt, quod ab ipſo inuitati ad eius amicitiam, ac familiaritatem, & quidem diu, ac multum rogati, tamen recuſemus, eiuſque promiſſis, ac præmijs omnibus remittamus, quaſi vel parua ſint, vel incerta. Principes quidem huius mundi ſi ſic rogantes repudientur, læſos ſe putent. Sed hoc in principes iſtos numquam euenit, vltro enim eorum gratia, & obſequium ambitur, viæque omnes quæruntur, quo ſe quiſque inſinuet. Solus eſt Deus (res ſane dolenda, multúmque lugenda) qui cum tanto maior ſit, & tanto maiora polliceatur, relinquitur tamen, & abijcitur cum ſuis promiſſis. Quantum ergo hoc crimen eſt? Nempe, vt ſupra demonſtratum eſt, ſummam eſſe eorum culpam, qui poſtquam Chriſtum in religione ſequi cœperint, deinde retrorſum abeunt, ſic eorum proxima quodammodo videtur eſſe culpa, qui ad religionem vocati, Dei vocem, conſiliúmque ſpernunt. Nam detracto voto, & ſponſionis illius nexu, quod quidem ad iniuriam attinet, de qua hic agimus, eadem fere eſt, vel amicitiam iam factam diſſuere, vel oblatam reſpuere, æqualíſque fere contumacia exiſtimatur, iuſſum regis poſtquam facere cœperas omittere, vel numquam incipere. Quare vt generi illi hominum tanta ſemper parata eſſe oſtendimus ſupplicia, quæ diuinam iram

iram teſtarentur, idem omnino de his credendum, & tenen-
Pſal.108. dum eſt. Impletur enim in ipſis illa ex pſalmis vera, & iuſta ſententia, vt quoniam noluerunt benedictionem, elongetur ab eis, & quia maledictionem dilexerunt, eueniat eis, eámque induant ſicut veſtimentum, & intret ſicut aqua in interiora eorum, aut ſicut oleum in oſſa eorum. Impletur
Prou.1. etiam quod in libris Sapientiæ diuina minitatur iuſtitia: Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meā, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Quæ igitur pœna reprehendetur tali culpæ? Subijcitur ſtatim, Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, euenerit. Cuius quidem tam ſeueræ denunciationis quæ ſit vis aperte oſten-
3.p.tit. dit id quod Antoninus narrat cum quidam aliquando Fran-
24.c.9. ciſcani ordinis votum ſuſcepiſſet, poſtea vero mutato conſi-
§.7. lio factus eſſet Canonicus, poſt paucos menſes incidiſſe in morbum lethalem: quam ob cauſam admonitum à ſuis de anima per confeſſionē expianda, reſpondiſſe, nihil eſſe opus, quon[illegible]nſum ſibi eſſet, ſe eſſe damnatum, quare ne amplius [illegible] moleſti eſſent, quia non poſſet confiteri. Apparuit enim mihi, inquit, Dominus iratus, dicens, Vocaui, & renuiſti, ideo vade ad pœnas inferni. quo dicto expirauit. Triſtis ſane, ac miſerandus huius exitus: melior alterius in ſimili periculo, qui cum adhuc iuuenis Ciſtertienſe inſtitutum ſequi decreuiſſet (neque ſe tamen voto obligârat) dum de die in diem differt, cœpit intepeſcere. Quare cū ex Compoſtellana peregrinatione domū rediſſet, eadem ipſa nocte, apparuit illi Chriſtus Dominus cum duobus Apoſtolis, Petro, & Iacobo. Petrus autem pulcherrimum librum tenebat coram Domino apertum, in quo adoleſcentis nomen, Ioannes, deſcriptum erat. Tum Dominus ad S. Petrum, Dele, ait, iſtum de libro meo. Iacobus vero ſupplicare ei cœpit pro ſuo, vt appellabat, peregrino, inſuper etiam illius emendationem promittere. At Ioannes hoc de ſe agi videns, pauebat, & tremebat, nouámq; vitā in futurum pollicebatur. Dominus autem, quaſi illius inconſtantiæ minus credens, fideiuſſorem illius voluntatis poſtulauit, quem ſe obtulit ſanctus Iacobus. Inter quæ cum iuuenis excitatus eſſet, ſecúmq; hæc admirans rurſum obdormiſſet, iterum eſt illi eadem obiecta ſpecies, ídq; amplius, quod in libr. illo apparuit eiuſmodi inſcriptio ex Cā-
Cant. 1. ticis. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Ille igitur & hoc iucundo promiſſo inuitatus, & illis minis

exterritus,



mancano le ultime 16 pagine
del testo

